16243/C

C.23.3.

SYLLOGES EPISTOLARUM

A

VIRIS ILLUSTRIBUS SCRIPTARUM

TOMI QUINQUE,

COLLECTI ET DIGESTI

PER

PETRUM BURMANNUM.

NOMINA EXHIBEBIT POST TOMUM QUINTUM INDEX PRIMUS.



LEIDAE,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1727.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

LECTORI BENEVOLO.

E*IDEM promiſſam iterum ſolvo, & dicto tempore quintum volumen Sylloges noſtrae in publicum ſe profert, quo huic curae & labori, utili magis, quam jucundo, terminum ponere decrevi. Licet enim non deſint etiam Epiſtolae plurimae, quas ſumma cum voluptate eruditi legerent, modum tamen his deliciis ſtatuendum eſſe arbitror, ne faſtidium lectoribus, qui ſemper nova amant, ſuboriatur, & ipſe diutius a ſtudiis aliis diſtinear. Conſcius quidem mihi ſum meriti non exigui, quo rempublicam literariam, & ſi non ſeculi hujus, certe ſequentium temporum eruditos, obligavi, quos omnes, poſtquam haec volumina verſaverint, gratias induſtriae & ſedulitati meae acturos eſſe confido. Sed ſimul mores hujus aevi ſatis perſpectos habeo, ut ſciam quam cito nauſeare ſoleant ad tam delicatas epulas, nec tot ferculis ſibi menſas onerari patiantur, quicumque eruditioni ſolidae & interioribus literis non ſunt penitus initiati. Pretium etiam gravantur multi, quod creſcente voluminum numero extendi nimis conqueruntur; licet, ſi computare velint, leve ſatis huic Syllogae ſit ſtatutum, & ſi tot in unum collectae Gazae recte aeſtimantur, exiguum admodum. Multos etiam reperi, qui ſingulorum epiſtolas voluminibus ſuis digeſtas & ſeparatim editas, ut fuere* Scaligeri, Grotii, Caſauboni *& aliorum maluiſſent Sed ne repetam alias ſaepe dicta, quam difficiles haec merx literaria typographos reperiat, omnes, credo, me melius noverunt. Sed nec ad manum fuiſſe videbunt tot ab uno ſcriptas epiſtolas, praeterquam a* Graevio & Gronovio *ad* N. Heinſium, *ut volumina implerent ſingula: quas ipſe diu ante haec tempora voluiſſem edere, ſi ulla facultas apparuiſſet: ſed expertus fui, quotieſcumque virorum doctorum Epiſtolae faſtidioſae librariorum genti, cui nihil praeter lucrum dulce eſt, offeruntur, eam ad ipſum Epiſtolarum titulum horrere, & impenſas & operam praeciſe negare: denique* Grotii, Caſauboni, *& aliorum his in terris editas epiſtolas, nec ſatis avide diſtractas, deterrere bibliopolas ab hoc ſcriptorum genere novimus. Videmus quidem in dies parva quaedam Epiſtolarum volumina in Germania produci, ut nuper quaſ-*

dam Grynaei, Buchneri, Daumii, Reineſii, Boſii, Boineburgii, Schurtzfleiſchii, Schubarti, Lyſeri & *aliorum, quae nunc primum producuntur, exiſſe, quaſdam etiam olim editas, ut* Campani, Aretini, Pici Mirandulae, Caſelii & *aliorum renovatas, quas omnes ego cupide coemere & etiam avide perlegere ſemper feſtino; ſed non illo in pretio haberi, quo merentur doctorum virorum reliqua monumenta, experior. Et ſaepe, fateri enim cogimur, non ea cura & judicio tales reliquiae eduntur, quo decet, ſed ſordidiſſima charta, typis detritis & inelegantiſſimis, erroribus etiam vel deſcriptorum vel operarum foediſſimis deformatae prodeunt, ita ut nulla dote tam egregiae, ſed reconditae, opes commendentur. Praeterea ipſa ſibi emolumenti immoderati ſtudio obeſt natio libraria, quia tot numero exemplaria produnt, ut illis divendendis ſeculum vix ſufficiat, cum ſi minori numero defungi vellent, ardorem ementium ipſius libri raritate & paucitate codicum inflammari viderent. Sane quamprimum deeſſe copiam conſtat, inſano ſtatim pretio & animoſe comparari ſolent. Fugat quoque lectores ab his libellis ſaepe obſcuritas, & ignorata maxima ſcriptionis portio, quia vel viri, qui epiſtolas exararunt, vel ad quos miſſae fuerint, vel denique quorum mentio ſaepe injicitur, paucis, nec niſi doctioribus, ſunt noti. Cui incommodo ſaepe quidem per editorum ſubjectas notas remedium adhibetur, ſed raro ut ſatisfaciat eruditis. Vel enim nihil novi illinc addiſcunt, vel tanta mole notarum, in primis in Germania, parvi libelli obrui ſolent, ut minima ſui pars ſit ipſum libelli argumentum. Deinde maxima, & quae vix evitari poteſt, labes eſt depravatio nominum, quibus res, loca, & praecipue homines, deſignata fuerunt a ſcribentibus. Quamvis non ſemper eorum, qui edunt, culpam eſſe, ſi quae inemendata producantur, experimento deprehendi. Nihil dicam de diverſa ſcribendi ratione, quam orthographiam vocant, in nominibus propriis, quae unuſquiſque ſingulari ſaepe forma excudit, & ex vernaculi ſermonis propria forma, in Latinae elocutionis rationem transferre ſtudet; ſed ipſa characterum & literarum elementariarum figura, quas uniuſcujuſque manus diverſa figura ducit, ſaepe tum incertum me, neſcio an alios, fecit, ubi nomen quoddam antea ignotum occurreret, ut centies haeſerim, an non plane eam epiſtolae partem abjicerem potius, quam depravatum nomen exhiberem. Quod enim proverbio celebrari quotidie audimus, doctos male*

lite-

literas & voces in charta ducere, id ipſis rebus didici, tot virorum doctorum manibus exaratas epiſtolas tractando, quae omnes, ſi typis committendae eſſent, deſcribendae prius elegantiori dextrae deberent tradi. Sed cum hanc operam non poſſem mercenariis illis, quorum magna copia hodie ſtudioſae juventutis deſidiam levat, ſcribis locare, quia poſtquam id tentaſſem, tam depravatas epiſtolas reciperem, ut iterum deſcribendi labor juveni, ſi non eruditiori, ſaltem Latinae linguae perito, imponi deberet, faciliores diſcipulis quibuſdam, quos aliquid profligaſſe in literis, & nonnullo jam harum lautitiarum ſtudio teneri animadvertebam, deſcribendas dare coactus fui. Quae autem difficillimo charactere exaratae deſperationem rudioribus aſſequendi ſententiam verborum injiciebant, ipſe mihi ſumere, & ingratiſſimum deſcribendi laborem ſubire debui. Bona fide adfirmare poſſim, primorum voluminum duorum tertiam quidem me partem manu propria deſcribere coactum fuiſſe, & Lipſii inexplicabiles ſaepe literarum ductus millies iram & indignationem meam in manum ejus feſtinantem provocaſſe: Et hanc manus ſuae inelegantem formam ipſe ſaepe fatetur Lipſius, & lepidum epigramma maxime Vriendtii teſtatur.

Nil melius *Juſto*, nil pejus ſcribit eodem,
 Diſſidet ingenio dextera mens calamo.
Audiit hanc litem *Plantinus*, & arbiter aequus
 Tam grave diſſidium ſuſtulit arte typi.

Inter reliquas deprehendi etiam multas Epiſtolas, quae adoleſcentibus nullam ſpem ſe extricandi oſtenderent, & quas omnes mihi deſumere, niſi abjicere vellem, coactus fui. Quare ab aequitate lectoris me, ſi hîc aut illic aberraverit conjectura (hac enim duce caecum illud iter ſaepe decurri) noſtra, veniam & indulgentiam conſecuturum ſpero. Quam a lectoribus benignitatem facile impetraturum confido, ubi hanc, tam luculentam, tam longi laboris & moleſtiae fere infinitae, curam cum aliis Epiſtolarum, quae nuper prodierunt, editionibus comparare inſtituerint. Sed quodcumque fuerit, ſive benigne & prolixe accipiantur hae a me in publicos uſus expoſitae gazae; ſive obtrectatorum malignitate deteratur diligentiae noſtrae laus, corde durato feram, quia ex ea poſteritatem nomini meo gratias dignas repenſuram certo ſcio. Neminem enim, quotquot adhuc in hoc genere laborarunt, tam divitem, tam am-

plum umquam theſaurum profudiſſe omnes fatebuntur, nec proletariorum & vulgarium magiſtrorum, ſed principum in republica literaria virorum Epiſtolas, nec tamen ſine delectu omnes, me protuliſſe ſibi & toti reipublicae literariae gratulabuntur. Praeſertim illi fontes & flumina nova ſibi aperta eſſe gaudebunt, qui Hiſtoriae Literariae hodie tanto cum ſtrepitu & oſtentatione ſe operari jactant; & inde ingentes poſthac rivos deducent, & libellis infinitis, de hujus vel illius viri docti vita, fatis & ſtudiis, rempublicam literariam obruent. Tot enim virorum doctorum mores, ſcripta, merita in rem literariam, aemulationes etiam & invidioſas obtrectationes, & alia mentium eruditarum vitia antea ignorata, unuſquiſque hinc in ſuos commentarios transferre poterit, & neſcio quot notas obſervationes & commentationes inſtruere. Si enim eo pede Hiſtoria Literaria, quo jam inſtituta fuit, progrediatur, hujus generis libellis brevi orbem literatum inundatum cerno. Quis enim non tyrocinium ſuum, ut in re facili & obvia, deponit in ſchediaſmate quodam de hujus vel illius viri vita, vel ſcriptis, vel etiam ex hoc vel illo genere eruditorum, ut Caelibum, Praecocium, Militum, Caecorum, Nobilium, Obſcurorum, Sartorum *etiam, ſi diis placet,* Sutorum, *& neſcio cujus ſectae, vitas compilando non ſibi ipſo titulo ſatisfacit & placet. Jam ordinum Academicorum Antiſtites, Theologos, Juriſconſultos, Medicos, Philologos, & Philoſophos, tanta ambitione unuſquiſque, ut huic vel illi claſſi aeternitatem ſpondeat, colligit & conſtipat, ut hodie ne obſcuriſſimus quidem pagi Curio deſperet memoriae perennitatem. Et quo major hujus generis librorum copia adfluat, eo quotidie affectantium ſimilem gloriam numerus excreſcit: quia pro ſe quiſque novam eruditorum claſſem in cenſum defert. Nec Latina tantum lingua doctorum in gratiam undique vitae doctorum virorum vel novae produntur, vel veteres repetuntur, ſed & vernacula, diverſis formis & habitu, centies ſcripta & edita eruditorum acta & elogia renovantur. Sed omnia fere pudendis lapſibus & puerilibus erroribus referta ita deformantur, ut tandem quid de natalibus, muneribus, ſcriptis doctorum ſtatuendum ſit, omnes incerti reddamur, & novo iterum & laborioſo opus ſit futurum Hercule, qui omne hoc Augiae ſtabulum purget, Ab his reipublicae literariae hodie Lucumonibus praecipuam meriti gratiam ſpero, quibus aliquot libellis extru-*

trudendis materiam uberrimam hîc praebeo, & Claramontium *aliquem, aut ſimilem Larvatum Hiſtrionem prodíturum praevideo, qui immenſos de doctorum virorum vitis & factis errores cumulabit, & me etiam ignorantiae ſuae patronum aut teſtem citabit. Praemonitos tamen omnes velim, ut diligenter prius omnia viri alicujus ſcripta perlegant, antequam ſe vitam ejus digne & fideliter conſcribere poſſe opinentur. Et faſtidire etiam jam & nauſeare eruditos, quotquot certe mihi audire licuit, adfirmare poſſum, ad longas illas & taedio pleniſſimas narrationes, de infantia, pueritia, ſcholaſticis tyrociniis & omnibus vitae actibus, qui nihil ſingulare docent, & quos non cum vulgari & gregario diſciplinae cujuſcumque ſtudioſo communes habuerit doctus & celebris Profeſſor, aut quicumque doctrina & ingenio inter honeſtos hominum ordines vir excelluit. Sed mittamus hos fucos, qui apibus ſaepe favos ſuos ſuffurantur, & ex Veſpae ſententia, ex opere auctores agnoſcamus. Impetum certe jam ceperam, ſed gravioribus diſtrictus curis, formatum opus nondum expolire potui, ſi non aliorum illuſtrium virorum, certe* Heinſiorum *vitas & merita ex his partim epiſtolis, partim ex aliis monumentis, conſcribendi: ſed majori otio hoc reſervare, & ſi Deo vires & alacritatem mihi, vergente ſenſim in ſenectutem aetate, ſufficere placuerit, diligentius elaborare decrevi. Nunc ad ipſas has epiſtolas, quinque voluminibus comprehenſas, multa monenda & animadvertenda reſtarent, ſed partem jam in notulis, quas hîc & illic ſubjeci epiſtolis, praecerpſi, & licet de ſingulis viris, quorum hîc monumenta prodo, quaedam non protrita nec vulgaria proferre poſſem, nunc nec vacat, nec lubet: longa enim praefatione, faſtidientes jam immenſam ſeriem & ordinem tot epiſtolarum, lectores fatigare conſultum non duco. Unico tamen huic, quo multi forte me proſcindent, opprobrio occurrendum e re mea puto. Quod nempe plurimi opinentur defunctorum Epiſtolas non temere eſſe vulgandas, cum in illis plurima occurrant interioris vitae & domeſticae acta & monumenta, quae licet familiaribus innoteſcere, immo ipſi oſtendere & narrare amicis voluerint, tamen in vulgus & turbam exire noluerunt. Video equidem in utramque partem multa a viris doctis diſputari, quorum quidam nihil in lucem emitti, niſi quod gloriam & famam mortuorum augeat & amplificet, volunt, alii vero omnia, ſine ullo diſcrimine e tene-*

tenebris & latebris producenda contendunt, unde non modo quales olim apparuerint in publica luce viventes, ſed etiam detracta larva, quales in pectore clauſos habuerint ſenſus, & quem mimum egerint, eluceſcat. Tractaverunt hanc cauſam multi, & quotidianis etiam querelis, ſaepe ſibi contrariis, impleri orbem literatum audimus. Hoc expoſtulante cum theſaurorum reconditorum poſſeſſore avaro & tenaci, qui reliquias prioris aevi clauſtris bibliothecae ſuae coërcet, & draconis aurea cuſtodientis mala ritu, ſolus divitiarum illarum aſpectu fruens, curioſos omnes oculos inde arcet. Illo contra coelum & terram implorante, & injuriae & contumeliae inſignis reos faciente, quicumque ſagaci cura & ſtudio monumenta quaedam literaria, & in primis epiſtolas indagaverit, & eas integras, omnibus partibus ſinceras in vulgus proferat. Et hinc ſaepe mutilatas quaſdam nobis, & ex editoris ſententia & judicio caſtratas literas apponi videmus, qui inſignem ſibi modeſtiae & reverentiae erga manes eruditorum laudem arrogat. Alii contra eo nomine ſibi ſolum placere Epiſtolas priorum profitentur, quia ex his, animi & ſententiae verae indicibus, ſe ingenia, mores, ſtudia & omnem denique vitae actum melius diſcere, quam ex ambitioſis elogiis, vel laudationibus funebribus, quae fere ſplendido & honeſtiorum mendaciorum filo contexuntur, perſpicere gaudent. In amicorum, aut ambitioſorum adulatorum, commentariis omnes eruditos apparere viros bonos, prudentes, pios, & omni virtutum apparatu inſtructiſſimos, cum illi in primis, qui juſta collegarum manibus perſolvunt, eumdem ſuis poſt fata funeribus honorem ſperent & ſibi deſpondeant. Certe, ſi fidem veram, & ſimplicitatem ſcribentibus epiſtolas ſemper adfuiſſe, & amicis interna pectoris arcana ſe aperire voluiſſe fas eſſet credere, major illis auctoritas deberet accedere, quam ad pompam & ſpeciem paratis laudationibus, quas plena manu ſaepe in vivos aut nuper mortuos profundi in orationibus, carminibus & id genus ſcriptis videmus. Sed ego, qui nec multum tribuere ſoleo humilibus & vilibus illis laudatoribus, qui quaſi ex formula blanditias & publica verba cuicumque obvio dicunt; & in ſcriptis affectant ſingulares praedicandi & laudibus efferendi omnes, etiam immeritos, formulas & mellitorum verborum globos, ita nec in epiſtolis ſemper vera mentis pignora & indicia prodi exiſtimo. Nam & ex his literis exempla colligere lice-

liceret, unde appareret eoſdem ſaepe ad diverſos ſcribentes, laudare & vituperare, ut gratum accidere eadem, cui adulari & blandiri volunt, noverunt. Quare hoc ſolum inde pro certo poſſe accipi puto, ut non tam quid de aliis quis exiſtimet, ſive adulandi ſtudio ablatus in laudes excedat, ſive aemulationis, invidiae vel odii ſtimulis agitatus, acerbe & atrociter alicujus nomen laceret, vel obliqua oratione perſtringat, ex epiſtolis ſcriptis dijudicemus, quam ut ipſum ſcribentis ingenium & bonos aut malos mores ex literis, ſi cum aliis temporis prioris monumentis conferantur, inde perſpiciamus. Infinitis id documentis de plurimis, quorum literas haec Sylloge exhibet, oſtendere facillimum foret. Sed unico, illuſtriſſimo; atque exemplo docere lectorem in promtu eſſet, ſi in unum colligere vacaret elogia & immenſas laudes, quibus certatim omnium rodinum, a faſtigio regio ad ſcholaſtici uſque pulveris humilitatem, viri cumulare Lipſium, *ut principem ſui non tantum aevi, ſed a renatis uſque literis exacti, omnium literatorum, ſtuduerunt: nullam in hac Sylloge ad* Lipſium *epiſtolam leges, qua non exquiſitiſſimae in eum laudes congeruntur, plures etiam invenies, quibus eum quaſi deum quemdam & numen venerandum extollunt, & ſi non ture & vino, ſaltem votis & precibus ſupplicare non erubeſcunt. Ex his vero* Lipſium *aeſtimare, & virtutes ejus ex adulantium & vilium aſſentatorum blanditiis eximias fuiſſe colligere, aut de eruditione ejus ex amicorum & cultorum blandiloquentia exiſtimare, hominis parum cauti & rerum prudentis eſſe arbitror. Libri, magno numero ab ipſo elaborati & vulgati, ſatis oſtendunt doctrinae copiam & ingenii vires, quibus tantam ſibi per totum orbem famam paravit, ut nullum inter tot viros illuſtres noverim, qui vivens videnſque nominis ſui celebritate majori cum jucunditate & voluptate frui potuerit. Si tamen ejus ingenium & eruditionem recte aeſtimare velimus, longe eum a* Scaligeri, Caſauboni, Salmaſii, D. Heinſii, *& quorumdam aliorum, meritis & doctrinae copiis abfuiſſe deprehendemus: Nam licet videri poſſit ſplendorem & honoris ſpeciem dum viveret latius fudiſſe, poſteri tamen, invidia jam omni quieſcente, Heroas illos numquam aequare potuiſſe recte judicarunt. Aſtu & conſilio callidiſſimo eas diſciplinae humanioris partes elegiſſe* Lipſium *patet, quae faciliores & expoſitae magis, etiam rudioris turbae mentes adlicere & tenere poſſent, &*

illis viam, nullis fere ſpinis & vepribus obſitam, ad ſtudia elegantiora, & Hiſtoriae & Antiquitatum cognitionem aperiebant. Sepoſita enim & abjecta omni temporum doctrina, & antiquiſſimorum ſeculorum tenebris evitatis, Graecae etiam & aliarum linguarum ſtudiis vel neglectis, vel leviter delibatis, Eloquentiae & Poëtices laude vel contemta, vel novo dicendi genere corrupta, congerebat ſibi ex quotidiano uſu tritis auctoribus, lautam ſatis & promptam ſuppellectilem & apparatum; & in primis e Romanae reipublicae inſtitutis & moribus ea arripiebat argumenta, quae leviter etiam tinctis doctrina arridere poſſe ſentiebat. Inſtituerat enim magnum opus, cujus omnia fere ejus, quae habemus de antiquitatibus volumina, partes quaedam erant, quod Facem Hiſtoricam *appellare conſueverat, qua res ſacras, civiles & militares totius reipublicae cum pompa quadam & certo ordine digeſtas illuſtrare conſtituerat. Quod genus ſcriptorum, blando quodam lenocinio ſe commendare, & ſemper adlicere emptores, & lectores detinere ſolet; cum omnium rerum rudes eſſe debeant, qui talia non intelligere, & ad uſus ſuos transferre poſſint. Ad colligenda vero talia, & apto quodam ordine digerenda, licet mediocri tantum ingenio & communi induſtria opus ſit; compertum tamen eſt, collectanea & id genus ex antiquitate congeſtas farragines auctori praeſens fere ſemper laboris pretium perſolvere. Sed facile quoque partum illud decus exoleſcere, ubi novus poſtea in hoc ſtadio decurrere inſtituit Athleta, & inventis & obſervatis aliorum aliquid, addere & ſuperſtruere novit, experiendo didicimus. Nam omnes fere antiquitatum, quas tractavit,* Lipſius, *partes ab infinitis deinde retractatae, & majori cura & ſtudio, ut fieri ſolet, excultae, effecerunt, ut Lipſiana ſcripta hodie non ea dignitate & pretio habeantur, quo olim.* Scaligeri *vero,* Caſauboni, *& alii quos dixi, haec ut inferiora & vix cura ſua digna deſpicientes, omnes ingenii vires & doctrinae variae copias ad talia elaboranda & memoriae prodenda contulerunt; quae vel nemo, vel pauciſſimi, quos aequus Jupiter amaret, felicius invenirent, vel uberius amplificarent. Hîc & illic quidem tantos Heroas lapſos eſſe, homines enim erant, conſtat: ſed ſi univerſa eorum opera & conatus ſpectemus, ſemper ſacer quidam legentium animos invadit horror, qui nec admirari ſatis umquam deſinunt, unde per breve illud vitae humanae ſpatium, tantas ſibi*

opes

opes & divitias parare, & non modo tot partes diverſas ſtudii literarii attingere, ſed excolere & illuſtrare potuerint. Lipſium & *ſimiles antiquarios aequandi, immo vincendi, ſi modo laborem & induſtriam quis intendere velit, nulla aliquem deſperatio, credo, umquam inceſſit; ſed divina illa & populo erepta ingenia* Scaligerorum, Heinſiorum &c; & *mentes illas omni doctrinarum cultu expolitas, vel longo ex intervallo aſſequendi ſpem qui concipere audeat, hunc favens & benignum ab ipſis natalibus numen reſpexiſſe debuit, & non modo naſcenti bonam & ſanam mentem inſeruiſſe, ſed ab ipſa pueritia ad aetatis ultimos articulos, firmum ad continuos labores ſine ulla remiſſione exhauriendos, corpus feliciſſimae animae accommodaſſe. Jam Eloquentiae & Poëticae artis facultas & copia, quae jure ſemper mentis humanae & omnium ſtudiorum conſummatio habitae fuerunt, quam defuerint* Lipſio, & *quam deſperatio illuſtres ſui aevi Oratores & Poëtas aequandi, a via regia & auguſta, ad horridas & ſpinoſas eum ſemitas deduxerit, nemini hodie eſt ignotum. Et haec ſola ratio fuiſſe videtur, cur, quum juvenis tentaſſet ſummorum virorum veſtigia premere, & tyrocinia ſtudiorum in Criticis & commentariis in Tacitum & Vellejum depoſuiſſet, & primordia famae ſatis feliciter auſpicatus eſſet; cum tamen a viris doctis, quos paucos, ſed excellentes ea dabat aetas, non eo applauſu exciperentur, quo ſperaverat, deinceps ad aliud ſtudiorum genus non modo deflexerit, ſed alieniorem ſe a Criticis profeſſus praecipuam ex antiquitatum illuſtratione famam petierit: immo, etiam ut haec famae damna penſaret, morum & vitae ſeverioris famam adfectans ad ſapientiae horridae, & Stoicorum aemulae profeſſionem ſe conferre coeperit. Et hinc, ut callidus & gloriae ſemper ſingularis appetens erat, duplicem ad ſe redundaturum fructum videbat. Poſteritati ſatis ſuam commendaſſe doctrinam criticis conatibus, & eruditis ſane in Tacitum commentariis credebat, cum illa Lipſianae eruditionis monumenta ſuum ſemper pretium ſint ſervatura: vivus autem ampliori gloria frui, & per ora hominum ferri nomen ſuum ſperabat, ſi ad antiquitatis non reconditae & abſtruſae, ſed facilioris & cuicumque expoſitae illuſtrationem labores ſuos transferret. Orationes vero & carmina vel nulla ipſe prodidit, vel ſi qua amicorum ſtudio in vulgus edita fuere, tantum abeſt ut ejus famam auxerint, ut potius eum ad infimam eruditorum in*

hoc ſcriptionis genere claſſem detruſerint. Ex epiſtolis vero, quarum magnam vim vivus edidit, cum ſingulare quoddam dictionis genus adfectaret, dum viveret famam ſatis inſignem fuit conſecutus, ſed cum multae ſolis verborum honoribus, & adfectatae cujuſdam ſapientiae oſtentatione abſolvantur, & ſtili Lipſiani aemulatio ſtatim omnis conciderit, ſolae fere ſunt, quae inter opera Lipſiana neglectae hodie jacere & a pauciſſimis legi ſolent. Nam cum nemo epiſtolas illas ſtili ſui poliendi cauſſa nunc legat, ſed tantum ut Lipſii *& aliorum virorum illuſtrium interiorem vitam & facta ſingularia, aut capita quaedam eruditionis tractata inde diſcat, &* Lipſius *ſtudioſe eas tantum ediderit epiſtolas, quae famae ſuae prodeſſe, & gloriam augere poſſint, nihil mirum, ſi parum cupide ad eas evolvendas viri docti hodie accedant. Cum vero in omni* Lipſii *vita, nihil magis celebrari ſoleat, & famam dedecoraverit, quam fuga ejus ex Batavorum Academia, unde apparuit, illum numquam vera fide ad puriora ſacra ſe contuliſſe, ſed hiſtrionicam ſemper vitam egiſſe, tentavit omnia ſimulatae religionis veſtigia delere. Sed cum illa tamen in tot epiſtolis expreſſa legerentur, nos eas conſecuti nunc quoque ea exhibere non inutile nec injucundum eſſe exiſtimavimus. Nam ſi quis de* Lipſii *virtutibus, pietatis cultu, moribus compoſitis, & reliquis animi dotibus, ex ipſius praedicatioue & ſcriptis, aut ex amicorum laudibus & blanditiis judicare vellet, ne ille inſigniter falleretur. Legat potius has a nobis nunc publicatas Epiſtolas, & quas ipſe auctor conſulto ſuppreſſit, in quibus nudum ſaepe & omnibus ſimulationis integumentis evolutum animum perſpiciet, & magnum illum* Lipſium, *tot encomiis & laudibus, quae in unum illum prae ceteris ambitioſe ſatis ab ejus admiratoribus fuere congeſtae, celebratum, per omnem vitam Hiſtrioniam egiſſe deprehendet. Qui ſibi Catonis aut potius Senecae, turpiſſimi ſub Philoſophi nomine nebulonis, perſonam induens, nihil fere gravitatis aut conſtantiae, quam tanta cum pompa commendabat, hîc exhibebit: ſed virum, qui de religione nihil vel decernebat certi, vel ad quamcumque auram animum mutabat, & deſultoriam, & ex rerum etiam publicarum viciſſitudinibus & converſionibus incertam & ſuſpenſam, mentem vertebat. Videbis adoleſcentem, a Jeſuitis formatum, oberrare extra patriam, quae inteſtinis agitata motibus dubium animum ejus verſabat, cui ſe adplicaret parti. Miraberis eum patria profugum, mox ex Italia*

&

& contubernio Perrenoti, *& quotidiana cum Romanis praeſulibus conſuetudine, in Saxoniam concedere, & ad Proteſtantium caſtra transfugam, cerimonias, quas mente deteſtabatur, publice profiteri, hinc frivolas ob cauſſas redire ad Brabantos ſuos & Catholicos; inde iterum velut tempeſtate ejectum ſe ad Batavos, quorum res ſuperiores videbat, contuliſſe, & unicum ſimulandi & diſſimulandi artificem, tam vafre ſimplicibus & bonis, ut ipſe vocabat, popularibus noſtris, ſe venditaſſe externa illa probitatis & ſeveritatis antiquae ſpecie, ut quoad cum illis vixerit, ſummae eſſet admirationi. Et cum jam Anno* 1586. *ſub ſpecie valetudinis vacillantis curandae, evadere tentaſſet, ex Oldenburgenſi agro, metu militum vias infeſtantium, reducem, ita noſtris impoſuiſſe, ut ipſi Theologi de conſtituendis novis ſacris conſilia cum illo conferre juberentur, & ex omnibus Academiae Batavae Profeſſoribus, unus legeretur, qui de diſciplina & gubernatione Eccleſiarum ad certam formulam adſtringenda publice adhiberetur. In quibus omnibus tam dextre partes ſuas egit, ut religioni, quam omni opere everſam videre optaret, prae ceteris viris doctis favere videretur. Tandem videbis diffiſum rebus Batavorum & cum edito* de una religione *libro, cordatis ſuſpectus eſſe coepiſſet, iter ad Spadanas aquas praetexuiſſe. & ad repudiata jam bis & ejurata Papiſticia ſacra &* antiquos mores, (*quo ſymbolo avitam erga ſuperſtitionem animum ſignificaſſe puto*) *revolutum, & Moguntiae clam ſacramento dixiſſe Jeſuitis; & deinde Coloniae & Leodici publice in coetum Romanenſium receptum, omnes deinde eruditionis & ingenii vires, Lojolitarum imperio & dictatis ſubjeciſſe. Libertate, qua per Batavos fortiter & feliciter aſſerta, ſumma cum tranquillitate frui potuiſſet, ita excidiſſe miraberis, ut calamum ſuum, poſtea Idolo Hallenſi conſecratum, & os & mentem omnem, dominis impotentibus in perpetuam ſervitutem addiceret. Diffidentes enim leviſſimo ejus ingenio Jeſuitae, & pulchre callentes, illum non amore veritatis aut pietatis ſtudio toties ſacra mutaſſe, ſed ex eventu rerum ſuſpenſam ſemper mentem gerere, & nunc ſollicitudine & metu malorum & periculorum, quae imminere Batavis vaticinabatur, transfugiſſe, tam duris & artis compedibus hunc deſultorem alligabant, ut poſtea, ſi vellet iterum poenitentiam agere, a nemine reciperetur. Hinc fatigatus moleſtiſſimis Jeſuitarum expoſtulationibus, libros primum*

de Cruce emittit, quibus ſe probaturum vera fide a purioribus ſacris deſciviſſe fruſtra ſperabat. Sed cum in illis deſiderarent aperta magis impii cultus & venerationis erga vile lignum nefandae argumenta Lojolitae, tamdiu obtundunt & enecant miſerum mancipium, donec, poſt habitam, ſed ſtudioſe ſuppreſſam, de Laudibus Mariae Leodici Orationem, cogunt eum delirare & deſipere, & Hallenſe & Sichemenſe Idolum nugaciſſimis & falſis miraculorum narrationibus ornare: & ita ſimul omnia prioris eruditionis & ingenii decora & palmas degenerare. Quod vero tantae fatuitatis, & anilis ſuperſtitionis praemium? Idem fere, quod omnibus bonae mentis & purioris religionis deſertoribus contigit, vilitas, contemtus, quotidianae de ſincera ejus poenitentia ſuſpiciones, maligna neceſſariorum praebitio, & tandem, cum tenuiſſima mercede, in ergaſtulo Lovanienſi concluſio, ex quo, perpetuo ſtigmate notatus transfuga, ne iterum evaderet omni providentia cavent. Quas non querelas, quas non de contumeliis ſibi praeter meritum illatis expoſtulationes, ad ultima Lovanienſis ſcholae ſubſellia detruſus Lipſius, *pectore ſuo in his epiſtolis evolvit? Quam ſupplex, quam humilis, ille a tot regibus, & civitatibus invitatus, & ampliſſimis praemiis & annuis evocatus* Lipſius, *nunc glebae Brabanticae adſcriptus, adulatur domus Auſtriacae miniſtris & ſervis, & augur ridiculus & vanus de futura gentis illius potentia hariolari non erubeſcit? Quam metu, ne de fuga ſuſpicionem moveret, in Batavos, & omnes, qui Tyrannidi Romanae animoſe repugnabant, convicia etiam evomit? ſed ſi interiorem ejus ex his epiſtolis animum inſpicias, videbis, Principem illum modo florentiſſimae Academiae Batavae & inſigne lumen, in ſcamnis extremis Lovanii cum gemitu ſedentem, pudore & aegritudine confuſum, & ut famem a labris abigeret, ſexcentorum florenorum ſtipendio auctoratum, eoque etiam maligne ſoluto, ad Ludimagiſtri humilitatem ſe demittere; & in contubernium receptis diſcipulis, omnem ſe perdidiſſe vitae tranquillitatem, miſeris modis querentem. Licet enim ſaepe Stoicum quoddam prae ſe ferat in epiſtolis plurimis pectoris robur, erumpunt tamen, vel mediocri viro, nedum ſapientiam tam auſteram profeſſo, indignae voces & queſtus, & torquent inquietam mentem felices Batavorum res, & in dies ſe magis magiſque ſtabiliens libertas; quam ne temere fugiſſe videri vellet, everſam videre geſtit. Haec & plura alia, mentis variae & levis indi-*

indicia, olim non niſi ſuſpicionibus, & obſcuris indiciis collecta; & a Cl. Sagittario in Lipſio Proteo *ſagaciter etiam inveſtigata, plena luce his in poſtumis* Lipſii *epiſtolis ſe produnt. Sed deſino, cum in uno hoc viro aperiendo & de ingenio ejus recte exiſtimando quantum conferant Epiſtolae ab ipſo exaratae ſatis manifeſto appareat. Unde vero contigerit ut hae, quas & ipſe* Lipſius *abolendas voluntatis ſuae ſupremae arbitris mandaverat, & quas minime rei Catholicae conducebat publicari, ad nos pervenerint, ignorare me fateor. In Zulichemiana Bibliotheca diu latuere; ex qua & Caſaubonianas quaſdam & Scaligeranas depromtas fuiſſe notum eſt dudum, & nunc etiam patet ex Epiſt.* XV. *Graevii ad Heinſium, & Velſerianis epiſtolis ab Arnoldo editis, Quo vero caſu eas* Ill. Zulichemius *ſit conſecutus plane neſcio. Sed cum ſuppellex Zulichemiana nuper venderetur, ex illa me auctore, illuſtres Academiae Batavae Curatores & Ampliſſimi Urbis Leidae Conſules, cum plurimis aliis Lipſianis reliquiis, tria epiſtolarum Lipſianarum volumina Bibliothecae ſuae ornandae comparari juſſerunt. Quae cum ego, & infeſtas ſaepe eruditorum relictis ſcriptis manus, & ignem evaſiſſe gauderem, non quievi, donec egregium hoc, & omnibus, qui Jeſuitarum aut Monachorum illecebris ſollicitari ſe vident, inſpiciendum exemplum praeberetur, quo deterreri poſſent, ne ſe ad illorum greges adjungant, apud quos nihil niſi duriſſima ſervitus, famae priſtinae dedecoratio, & perpetui mentis male ſibi conſciae cruciatus ſperari poſſunt. De aliis vero viris ſummis, quorum hac in Sylloge Epiſtolae exhibentur, plura obſervare quoque facile foret, & de* Salmaſio *praeſertim, & ejus moribus, eruditione, vita privata, litibus, quas cum omnibus fere ſui ſeculi viris eruditis, ſed praecipue cum* Heinſiis & Voſſio *exercuit, plura afferre in promtu eſſet, unde lectores diſcerent, quanta lux Hiſtoriae literariae ex his monumentis affundi, quanta etiam eruditioni verae & ſolidae adjumenta hinc parare eruditior poſſit. Sed cum plura in notis hîc & illic adpoſitis jam monuerim, malo hanc voluptatem integram ſtudioſis harum rerum relinquere, qui pro ſe quiſque deprehendiſſe ſe quaedam ante incognita gaudebunt.* Nicolaum *tamen* Heinſium, *cujus epiſtolae cum ad omnes ſeculi ſui viros illuſtres & celebres, eorumque ad eum ſcriptae, maximam hujus Sylloges partem efficiant, praeterire ſilentio nequeo. Summi hujus Poëtae, & Poëtarum interpretis &*

ſoſ-

ſoſpitatoris merita multorum quidem laudibus ſunt celebrata, ſed major certe, quam adhuc habitus fuit, ex his Epiſtolis apparebit; ubi ab ipſa pueritia, quam Daniel, *conſummatae eruditionis & divini ingenii vir formaverat, induſtriam & diligentiam, erga omnes eruditionis fama florentes, ſed in primis erga uſu & amicitia conjunctos fidem & comitatem, adjuvandi aliorum conatus, & rempublicam literariam novis quotidie libris & divitiis ornandi indefeſſum ardorem & ſtudium, omnia denique, quae eruditionis variae copiam, dictionis elegantiam & venuſtatem in ullo umquam conſpicua fecere erudito viro, ingenii politi, humani & officioſi decora & ornamenta, perſpexerit lector diligens & intelligens. Super alias vero dotes, quibus eminuit, mecum numquam ſatis admirari orbis eruditus poterit, integritatem illam & innocentiam ſingularem, qua in corruptiſſima illa & impia Chriſtinae, Reginae Sueciae, aula & comitatu, inter tot blandientis fortunae illecebras, contagionem ad ſe tranſire non ſiverit. Cinctum quotidie tot ſceleratiſſimis Mezentiis, & viliſſimis Reginae adulatoribus & ſpoliatoribus, linguam, manum & mentem puram ſervaſſe miraculo erit: & licet toties promiſſa falleret Chriſtina, & maligne pecuniam, quae ad mandata itinera obeunda, & conquirendam librariam & antiquariam ſupellectilem ipſi condicta fuerat, ſubminiſtraret, ſemper tamen fidem & ſedulitatem ſine exemplo ſummam, cum maxima etiam rei familiaris jactura, praeſtitiſſe, aeterna Heinſianae probitatis monumenta docebunt. Sed mecum dolebunt ſimul omnes eruditionis & elegantiae literariae cultores, tantum virum, optimam aetatis partem, quam majori cum literarum emolumento, in otio erudito, vel Academica provincia adminiſtranda potuiſſet exigere, in inutili tam ingratae Feminae miniſterio perdidiſſe. Aeternis opprobriis memoriam perfidae Reginae onerabunt omnes eruditi, per quam non ſteterit, quo minus ad inopiam & mendicitatem optimus & doctiſſimus Heinſius detruderetur. Sed contra has omnes novercantis fortunae injurias mirabitur poſteritas invictum ejus pectus, & tenacem juſti & decori animum, quo non tantum generoſe decoxit tot contumelias & iniquitates, ſed adverſitates omnes, & praecipuam, quam ex lubrico adoleſcentiae contraxerat ſibi, incommoditatem, tam egregia conſtantia & virtute, ſuperavit, ut maluerit etiam ſplendido & lucroſo apud Amſtelaedamios munere ſe abdicare, & parte etiam*

etiam imminuti jam, per Chriſtinae duritatem, patrimonii multari, quam in matrimonium recipere notae impudicitiae proſtibulum, & quae ut Heinſium litibus & calumniis opprimeret, potentibus etiam ejus inimicis ſe ſubſternebat. Illuſerat illa ejus ſimplicitati, & meretriciis illecebris, dum in Sirenarum illo luxurioſô domicilio & luſtro moraretur, incautum illaqueaverat. Sed mox reſipiſcens, & dedecoris admiſſi poenitentiam probans, omnia facere, quam ſubire contubernium famoſiſſimae lupae, perpetuamque infamiam detrimento pecuniae, & graviori, quam jus erat, poena vitae ſecuturae honeſtatem & tranquillitatem redimere maluit, quam lenocinium profitendo facilius & lautius vivendi conditionem amplecti. Quae animi magnitudo & pertinax honeſti & decori propoſitum eo laudabiliora ad poſteros debent prodi, quia ſummos ſaepe viros, & ſanctitatem inſignem profitentes, ad hos ſcopulos impegiſſe, & non tantum incautae adoleſcentiae ſuae illudi paſſos, ſed in impudicarum amplexibus conſenuiſſe ſumma cum infamia, ſaepe vidimus. Heinſius *vero improles decedere, & in ſe celebre illud Heinſiorum nomen finiri, quam per vulgo quaeſitos propagari maluit. Ex hujus viri ſummi ſcriniis, (quae jam toties inſignibus rempublicam literariam gazis ditarunt) deprompſi maximam hujus Sylloges partem, & tot inſignia ſeculi proximi monumenta, quae niſi ego ab interitu vindicaſſem, aeternis damnatae tenebris, interiiſſent. Nam cum olim Heredes Heinſiani omnes, quae in bibliotheca* Heinſii *reperirentur, epiſtolas Cl.* Graevio *tradidiſſent, qui in ſe ſuſceperat* Heinſiorum *vitas & acta ſcripto conſignare, & ego eas, dum cum optimo* Drakenborchio *librorum Graevianorum catalogum conficerem, reperirem, injecta manu ab heredibus* Graevii *vindicavi, quae, niſi prohibuiſſem, omnes cum reliqua ſupellectile libraria in Germaniam fuiſſent tranſportatae. Soli itaque mihi jus eſſe factum credidi hos theſauros, mea cura & diligentia ſervatos, cum publico communicandi, qui ut gratiores etiam exirent, multas praeterea adjeci, quos Academiae noſtrae Bibliotheca, ex* Bonaventurae Vulcanii *& aliorum illuſtrium virorum reliquiis, ſervabat. Aliquae etiam acceſſere mihi a viris egregiis ſuppeditatae, ut a* J. Fr. Gronovio *ad* Salmaſium *exaratae, quas in Regia Lutetiae Bibliotheca repoſitas, ad me deſcriptas tranſmiſerunt viri eruditione hodie inter populares ſuos eximii, & officiis*

erga me & omnes literarum cultores conſpicui, Franciſcus Sallierius & Claudius Sevinus, *ut ad ipſas epiſtolas grata cum animi teſtificatione monui. Ex* Nicolai Blanckardi, *avi ſui reliqua ſupellectile inſignes etiam quaſdam ſuppeditavit ejus nepos* Guilielmus Blanckardus, *noſtrae olim diſciplinae alumnus egregius, nunc Dicaſterii Vianenſis judex meritiſſimus. Multos etiam per omnem vitam collectas ipſe poſſidebam, quas, neſcio nunc fere quibus modis, conſecutus, hac occaſione publicandas exiſtimavi. Fama vero hujus Sylloges evulgandae per Europam dilata, magno numero undique offerebantur ſuperſtites in publicis bibliothecis, & privatorum ſupellectile, doctorum virorum epiſtolae, quas inſeri huic operi viri, humanitate & officiis laudabiles, cupiebant. Sed cum copia jam ſupereſſet, gratias illorum liberalitati agere coactus, illas publicandi provinciam libens aliis relinquere malebam, cum defeſſus jam moleſto hoc congerendi & diſponendi labore quam primum defungi feſtinarem. Hoc vero in primis cavere volui, ne antea editae epiſtolae hoc in opere iterum exhiberentur, & ut ex immenſa multitudine eas tantum ſeligerem, quae vel dictionis elegantia, & lepore, argumenti dignitate, & doctrinae ſuavitate lectores delectare & juvare poſſent. Quare ex Lipſianis infinitas etiam neglexi, quae nihil exquiſiti, aut quod ſcire intererat, continerent, & ſi plures ad unum dignitate & eruditione inſignem virum ſcriptas, aut a viro primario & illuſtri ad* Lipſium *miſſas reperirem, unam tantum aut alteram eligebam, unde ejus viri ſcribendi ratio, & cum* Lipſio *uſus & familiaritas innoteſceret. Non tamen mihi id felicitatis obtigiſſe credo, ut in tanta copia & numero, licet omnem diligentiam adhibuerim, & quotquot nanciſci potuerim, editas Epiſtolas undique collegerim, non una & altera irrepſerit Epiſtola, quae jam olim lucem aſpexerit. Neſciebam ſane, dum primum concinnarem tomum, jam Anno* 1649. *a Cl.* Boxhornio *publicatas eſſe quaſdam a* Lipſio *ad virum ampliſſimum* Theodorum Leeuwium *ſcriptas epiſtolas. Sed poſtea caſu incidens in Epiſtolam* Richteri *ad* Arnoldum *pag.* 476. *Epiſtolarum Richterianarum, diſcebam illas Leidae typis deſcriptas fuiſſe. Quas cum diu fruſtra quaeſiſſem, nuper in auctione quadam exiguum admodum libellum, & qui tenuitati ſuae debet, quod rariſſime conſpiciatur, nactus, vidi plures etiam exhiberi, quam in noſtra Sylloge Epiſtolas, & in quibuſdam etiam verbis paulum diſcrepare. Quare dum* ipſas

ipſas Lipſii *manu exaratas recognoſco, vidi omnes mihi fuiſſe ad manum, ſed quaſdam conſilio a me, quod nihil digni argumenti continerent, omiſſas, editas vero a me ex* Lipſii *codice exactiſſime expreſſas. In multis etiam olim editis a* Lipſio *deprehendi, quaſdam ab autographis leviter differre, quia cum* Lipſius *duobus exemplis literas ſcriberet, & in ultima, quae ex manu ejus exibat, epiſtola quaedam mutare, & aliquando etiam verba aliquot aut etiam periodos adjicere ſolebat. Quare ſi quis me eo nomine, quaſi recoctam cramben apponerem, criminari vellet, ſciat, ſi jam libelli ab ipſo operis initio iſtius rari & fugitivi copia fuiſſet, nihilo ſecius me illas epiſtolas editurum fuiſſe. Deinde didici etiam alios* Lipſii *epiſtolas ſe poſſidere jactaſſe, inter quos,* Joachimus Morſius, *cujus &* Heinſius *meminit Epiſt.* XIX. *ad* Gronovium, *offerebat olim* Joh. Iſ. Pontano *edendas quaſdam* Lipſii *epiſtolas, in epiſtola, quam edidit* Ant. Matthaeus *Syllog. n.* LXVI. *quae cum ſcripta ſit Anno* 1628. *videtur* Morſius *excitatus fuiſſe editione Lipſianarum Epiſtolarum a* Pontano *Anno.* 1621. *curata.* Petrum *etiam* Bertium *multas habuiſſe* Lipſii *epiſtolas, & edendi conſilium cepiſſe docet* Grotii *epiſtola ad* D. Heinſium *in hujus Sylloges Tom.* II. *n.* 162. *quas prodiiſſe neſcio. Dubitavi etiam diu, an ex prima editione centuriae primae epiſtolas, quas in ſequentibus omiſit* Lipſius, *repeterem, licet eas in Offenbachienſi Anno* 1610. *epiſtolarum Lipſianarum editione exhibitas eſſe noſſem. Nam & rariſſime libellus ille hodie conſpicitur, & a ſtudioſis librariae ſupellectilis grandi pretio parari ſolet: ſed cum tamen exſtent illi libelli, & mihi magna ſatis ſupereſſet copia, nolui malignis occaſionem detrectandi praebere, quaſi augendae moli per editarum etiam epiſtolarum numerum ſtuduiſſem. Quare omnibus, quos hae literariae deliciae juvant, auctor eſſem, ut & centuriae primae editionem Plantinianam Anno* 1586. *& Decades illas ſex praetermiſſarum epiſtolarum Offenbachii Anno* 1610. *editas, quaerendo inveſtigent. In digerendis epiſtolis licet ſummo ſtudio anniſus fuerim ſeriem temporis ſervare, ita ut prima uniuſcujuſque viri docti epiſtola notam temporis exhiberet, quod ex praecedentibus epiſtolis primae proximum fuit, me non aliquando erraſſe confid re non audeo. Vix enim inter tot diſſolutas, & quae, dum maxime calerent typi, deſcribebantur ſingulis foliis, epiſtolarum ſchedas, caveri poterat, ne una vel altera locum ſuum amitteret. Sic poſtea*

vidi Joh. Caſelii *Epiſtolam, quae tom.* I. *pag.* 126. *legitur, neſcio quo caſu, iterum exhiberi pag.* 450. Balthaſaris Moreti *Epiſtolam Tom.* II. *pag.* 166. *divulſam a reliquis ejuſdem epiſtolis, Tom.* I. *pag.* 738. *aliis adjungere inſtitutum meum exigebat. Inter duas* Bollandi *epiſtolas perperam interjectas* J. Walli *epiſtolas fuiſſe Tom.* II. 777. *poſtea animadverti. Quaſdam etiam, quae me fugerunt, hîc & illic reperiri potuiſſe epiſtolas, quae in alterius argumenti libris latent, non diffiteor, quae vel ejuſdem viri epiſtolis debuiſſent ſubjici, licet editae alibi, ſed ubi nemo eas quaeret, fuiſſent, vel certe in notis moneri lectorem, eas alibi exſtare. Sic ſero vidi* Lernutii *epiſtolam a Cl.* Crenio *editam Tom.* VIII. *Animadv. p.* 25. *quae apte potuiſſet poni poſt Tom.* I. *Epiſt.* XI. *nam dubito, an nota temporis, quae ibi* 22. *Febr.* 1564. *exhibetur, non mutari debeat in* 1584. *Et forte plures per diligentiſſimi* Crenii, *& aliorum etiam libros ſparſae, leguntur, quas utile fuiſſet repeti. Sed quis omnibus his curis ſufficit? & tot diſtractus, quibus ego, diverſis negotiis, ad ſingula ita intendere mentem poteſt, ut nuſquam labatur? Quare ſi qua alia a me admiſſa diligens Lector deprehendat, ut aequi bonique conſulat magno opere oro quaeſoque, & ut cogitet precor, quanti laboris & moleſtiae fuerit tot epiſtolas, disjectas, confuſas, difficillimas lectu, chartae ſaepe bibulae, ſaepe exeſae & corruptae inſcriptas, prius diligenter legere, mox aut deſcribere, aut deſcribendas aliis datas relegere, deinde digerere & typis ita paratas operis tradere, ut certo ordine & modo omnia rite adminiſtrentur. Haecque omnia a me uno, homine aliis in rebus occupatiſſimo, & qui intermittere ſaepe labores & arcum, ne rumpatur, retendere ſoleo, ſaepe etiam ab opere quod ſub manu eſt, ad longe diverſum retractus, ubi deinde relictum reviſo, vix ita prioris inſtituti veſtigia relegere poſſim, quin quorumdam oblitus, offendam. Gratias potius, Lector aeque & benevole, age, & gratulare felicitati meae, quod in quinque his voluminibus, non tenuibus & exiguis, tam pauca perperam adminiſtrata reperias, & ſicubi operas etiam aberraſſe deprehendas, miſereſce potius noſtri, qui ad ingratiſſimum, & ergaſtulo fere parem, emendandi ſpecimina Typographica laborem damnatus trahor, quam iraſci velis, ſi forte & mea culpa mendae aliquid tam pulchro corpori inſederit. Imploravi etiam, ne moroſo lectori bilis moveretur, amicorum operam, qui, antequam ſingula volumina exirent,*

rent, diligenter quaerendo inveſtigarent mendas operarum, quas non omnes, ſed non niſi quae ſententiam turbarent, a me & illis in unum collectas, unicuique tomo ſubjeci, ne mihi, minus perſpicaci mendarum emendatori, adſcriberentur. Potuiſſem callidum & prudens eorum conſilium & inſtitutum ſequi, qui libris a ſe editis, nullum erratorum indicem ſubjiciunt, licet ſaepe inemendatiſſimi prodeant, ſed malui aliorum labori ſubvenire, & inſervire lectorum commodis, quam meo parcere pudori. Sed jam praefandi quoque taedium mihi ſubrepit, & licet multa adhuc de quibuſdam epiſtolis, & Scriptorum etiam meritis, & actis, quorum in his literis mentio vel apertior vel obſcurior ſit, dici poſſent, quorum tunc non memineram, cum in ipſo operis curſu, notulas parvas adſcriberem, vel quae poſtea didici, finem tamen facere cogunt, quae me alio vocant, non minores de Ovidio, & Phaedro, qui jam carceres mordent, e manu mittendis curae. Hoc unum etiam ſcias Lector, ut in omnibus, quae ab initio pollicitus fuit, noſter fidem ſingularem praeſtitit Luchtmannus, *ita in primis cavit, ne praeter illa, quae viris egregiis, & qui ſtudium meum bene merendi de republica adjuvare, & ipſas impenſas repraeſentare voluerunt, addicta fuere exemplaria, quaedam ſuper numerum excuderentur, qui ut ab omnibus iniri poſſet, Indicem omnium, qui nomen dederunt, ſubjici huic praefationi curavit, ex quo apparebit, vix quadringenta exemplaria deſcripta fuiſſe, quorum paucitas, quin brevi operis hujus pretium intendat, vix dubitamus. Si vero nomen alicujus in praefationi ſubjecto indice non conſpiciatur, aut in eo exhibendo forte leviter fuerit erratum, omnem adſcribat librariis culpam, qui ad nos nomina tranſmittere vel neglexerunt, vel perperam expreſſerunt.*

Vale, & fave. Leidae Kal. Decemb. CIƆIƆCCXXVI.

INDEX.

VIRORUM, INSIGNIUM, ET CLARORUM,

Qui impenſis huic Syllogae repraeſentandis nomen dederunt.

AA, *Janſſoons vander*,
Abreſch, *Fredericus Ludovicus*, Rector Gymnaſii Medioburgenſis.
Ackerſloot, *Jacobus*, in Curia Hollandiae Judex.
Albinus, *Bernardus Siegfridus*, Medicinae Profeſſor in Academia Batava.
Alphen G. F., *Heres Danielis*,
Alphen, *Hieronymus van*, Profeſſor Theologiae. Ultraject.
Annendal, *Marchio de*, Ch. Maj.
Arentzenius, *Henricus*,
—— *Johannes*,
Arnoldi, *Arnoldus*,
BAkker Janz., *Cornelius*, J. U. D.
—— *Leonardus*,
Banchem, *Nicolaus van*, Conſul Urbis Leidae.
Barbyrac, *Joannes*, Profeſſor Groningae.
Baſſecour, *Jacobus dela*, J. U. D.
Baſnage.
Beels, *Leonardus*, V. D. M. Amſtel. 3
Beman, *Adrianus*, 2
Beman, *Jan Daniel*,
Benthem, *G. W. van*, Senator Neomagenſis.
Bergen, *Nicolaus van*, Senator Harlemenſis. Ch. Maj.
Bergerink, *Gerardus*, J. U. D. Ch. Maj.
Bertoni.
Beukelman, *R.*,
Biſchoff, *Johannes Jacobus*, 5
Blanckaart, *Wilhelmus*, J. U. D. in dicaſterio Vianenſi Judex.
Blek, *Wiebe*, 5
Boddart, *Petrus*, J. U. D. Conſul Medioburgenſis.
Boddens, *Abrahamus*,
Boerhave, *Hermanus*, Medicinae Profeſſor in Academia Batava.
Bongaert, *Chriſtianus*, Senator Ultrajectenſis.
Boom, *Janus*,
Borſele, *Adrianus*, D. de Geldermalſen.
Borſele vander Hoog.
Boſcheiden, *Adrianus van*, V. D. M. Leidenſis.
Braam, *R.*,
Braams, *Johannes*,
idem Ch. Maj.
Brakonier, *Abraham Joſua*, V. D. M. Ultrajecti.
Brantzeu, *Henricus*, Conſul Arhemenſis.
Brenckman, *Henricus*, J. U. D.
Broederlet, *Jacobus*, 3
Brock, *Joannes vanden*, Profeſſor Juris Amſtelaedamenſis.
Brouwer, *Johannes*, J. U. Stud.
Brunel, *Petrus*,
Buning, *Corn. Abrahamus*,
Burg, *Jan vander*, J. U. D. Ch. Maj.
Bynckershoek, *Cornelius*, Praeſes ſupremi Hollandiae & Zelandiae tribunalis.
CAmbier, *Henricus*,
Cannegieter, *H*, Profeſſor & Rector Arnhemenſis.
Canzius, *Johannes Petrus*, V. D. M. Amſtelodamenſis.
Chambers, *Guilielmus*,
Chion.
Citters, *Wilhelmus van*, Conſul Medioburgenſis. Ch. Maj.
Commelin, *Caſparus*, M. D.
Coup, *Petrus du*,
Cram, *Baro van*,
Cunaeus, *Jacobus Adrianus*, In curia Brabantiae Judex.
DAmme, *Daniel van*,
Dati, *Carolus*, Patricius Florentinus.
Dibbezius, *Henricus*, V. D. M. Leidenſis.
Ditelaar, *Petrus*, U. D. M.
Doicio, *Mr. Jacobus*,
Drakenborch, *Arnoldus van*, Profeſſor Hiſtoriarum &c. Ultrajecti.
Dreux.
Dukerus, *Car. Andreas*, Profeſſor Hiſtoriarum &c. Ultrajecti.
Dykhuyſen, *Andreas*, Ch. Maj.
ECK, *L. van*, in curia Gelriae Judex, & conſul Arnhemenſis.
Eck, *Cornelius van*, Profeſſor Juris Ultrajecti.
Ens, *Johannes*, Profeſſor Theologiae Ultrajecti.
Erpecum, *van*, Fiſci Advocatus
Eugenius, Sabaudiae Princeps.
FAbricius, *Albertus*, Ordinibus Holandiae ab actis. Ch. Maj.
Fabricius, *Franciſcus*, S. S. Theologiae Profeſſor in Academia Batava.
Fagel, *Franciſcus*, Ordinum Foederati Belgii Graphiarius. Ch. Maj.
—— *Cornelius Gerardus*, Judex in curia Hollandiae.
Felginer, *Theodorus Chriſtophorus*, 4
Flenderus, Conrector Zutphanenſis.
Foreeſt. J. U. D.
Fritſch, *Thomas*, 16
GAllieris, Ordinum Foederati Belgii Legatus ad Comitia Imperii Germanici.
Geerling. *Jeremias*, S. S. Th. Stud.
Gleditſch, *Johannes Fredericus*, 16
Goedval, *Daniel*, 6
Goris, *Theodori Heredes*, 3
Goſlinga, *Sicco van*, ad Ordines Foe-

Foederati Belgii legatus. 3
Gram, Profeſſor Coppenhagae.
Graafland, *Joan*, J. U. D.
's Gravezande, *Wilhelmus Jacobus*, Philoſophiae Profeſſor in Academia Batava.
Gumpwiz & Reytlinger. 2 Ch. Maj.
Gys, *Pieter*, J. U. D. Senator Leidenſis.
H. R. Ch. Maj.
H. R.
Haak, *Didericus*,
Haasbaert, *Martinus*,
Haegen, *Johannes vander*, V. D. M. Amſtelodamenſis.
Haes, *de*,
Haganaeus, *Adolphus*, J. U. D.
Hagelis, *Johannes*, V. D. M. Amſtelodamenſis.
Halma, *Hendricus*, 2
idem Ch. Maj.
Hamilton, *Johan.*,
Hardenbroek, *Jacob van*, Arcis Loeveſteinii praefectus Ch. Maj.
Harkenroth, *Isbrandus*, V. D. M. Hindloopenſis.
Harn, *Johannes van*, Conſul Arnhemenſis.
Haverkamp, *Zigebertus*, Hiſtoriarum & Graecae linguae Profeſſor in Academia Batava.
Hay, Med. Doctor.
Heſſelius, *Franciſcus*,
Hoeke, *Henricus van*, 3
idem Ch. Maj.
Hollebeek Joſ. F., *Petrus*, V. D. M. Campenſis.
Honert, *Hermanus vanden*, J. U. D. Conſul Dordracenſis & Academiae Batavae Curator.
Honert, *Taco Hajo vanden*, S. S. Theologiae Profeſſor. in Academia Batava.
Hondt, *Pieter de*, 5
idem 4 Ch. Maj.
Honore & Chatelain.
Hoogſtraaten, *David van*, M. D.
Hoop, *Franciſcus vander*, in ſuprema Hollandiae curia Judex. Ch. Maj.
Hoope, *Milord*,
Hoppeſteyn, J. U. D.
Hop., *Janus*,
Houward.
Hunſdorff, *Johannes Petrus*,
Huſſon, *Pieter*, 8
idem Ch. Maj.
Huydekoper, *Balthaſar*,
Kallewier, *Abrahamus*,
idem Ch. Maj.
Keetlaar, *Dignus Franciſcus*, Ordinibus Selandiae ab actis.
Kelderman, *Joh. Regnerus*, V. D. M. Ultrajecti.
Klerk, *W.*, Gelriae curiae Graphiarus.
Kloes, *Jacob vander*, 2 Ch. Maj.
Klotterbooke, *Caſpar*, J. U. D.
Kouwenhove, *Johannes van*, J. U. D.
Kraaivanger.
Kroonenberg, *Godard.*, J. U. D.
Kunninghamus, *Alexander*, 3
Lampe, *Adolphus*, Profeſſor Theologiae Ultrajecti.
Leeuwen, *Cornelius Henricus van*, Senator Brilanus.
Leiden, *Didericus van*, Dominus in Weſtbarendregt &c.
Leuſden, *Rudolphus*,
Limburgh, *Franciſcus van*, J. U. D.
Loon, *W. van*, in curia Gelriae Senator.
Lodberg, *Jacobus*, Epiſcopus Odenzeenſis.
Marchemont, *Milord*, Ch. Maj.
Mauregnault, *Johan de*, in curia Hollandiae Judex.
Mark, *Aegidius vander*, Conſul Leidenſis.
Mark, *Johannes à*, S. S. Theologiae Profeſſor in Academia Batava.
Meerſche, *vander*, J. U. D.
Montanus, *Jacobus*,
Motte, *Carolus Pacius de la.*
Moris, *Petrus*, in curia Hollandiae Judex.
Munſterus, *Otto*, Scholae Daventrienſis Rector.
Muntz, *Balthazar*,
Niſpen, *van*, J. U. D.
Noiret, *Jeremias Verwout*, J. U. D.
Noodt, *Gerardus*, J. U. Profeſſor Juris in Academia Batava.
Noortwyck, *Arnoldus*, J. U. D.
——— *Johan*, J. U. D.
Ockerſſe van Dryſchor, *Johannes*, in curia Hollandiae Judex.
Oortman, *Dionyſius*,
Ooſterdyk Schacht, *Hermanus*, Medicinae Profeſſor in Academia Batava.
Opten Noorth, *Gysbertus*, Gelriae & Zutphaniae Fictor.
Ormea, *Juſtus*, dominus de Papendorp, Senator Ultrajectinus.
d'Orville, *Jacobus Philippus*, J. U. D. 3
d'Orville, *Pieter*, J. U. D.
Otto, *Everhardus*, Profeſſor. Juris Ultrajecti.
Ovenius, *Johannes*, 3
Oudendorp, *Franc. van*, Rector Haerlem.
Ouryk, *H. van*, J. U. D.
——— *C. B. Doll. van*, J. U. D.
Paats, *Wilhelmus*, Conſul Leidenſis.
Parveé, *Daniel*, J. U. D.
Paſpoort, *Mr. Pieter Reaal*, Senator Medioburgenſis.
Pfaffenreuter.
Phuſterius. Studioſus.
Poll Janſz., *Johan vande*,
Poolſum, *Jacobus van*,
Quarles, Haganis Magiſtratibus ab actis.
——— *Petrus*, Curiae rationum Hollandiae ab actis.
Quint, *Cornelius*, Conſul Ultrajectinus.

Raab,

RAab, *Chriſtophorus*, S. S. Theol. Profeſſor Duisb. 2
Rabus, *Petrus*, M.D. Senator Schiedam.
Raet, *Didericus de*, Senator Leidenſis.
Raveſteyn, *Paulus*, J.U.D.
Recchi, *Lud*,
Rhee, *van*,
Roëll, *Dionyſius Andreas*, T. & P. D. & Phil. Profeſſor Daventrienſis.
—— *Johannes Alexander*, J. U. D. & Profeſſor Daventrienſis.
Rogiſſard, *Alexander*, Ch. Maj.
Rotgers, *Arnoldus*, J. U. Profeſſor Harderovicenſis.
Rouſe, *Everhard*, Conſul Daventrienſis. Ch. Maj.
Royen, *David van*, Curatoribus Academiae Batavae & Conſulibus Leidenſibus ab actis.
Ruyſch, *Conradus*, J U. D. Conſul Leidenſis. Ch. Maj.
SChaagen, *Baro de*, Nobilibus Hollandiae adſcriptus, & Curator Academiae Batavae.
Scharpenbrand, *J. van*, V. D. M.
Schartz, *Joachimus*, J.U.D.
Scheurleer. 3
Schoonborn, *Comes de*, S. Imperii Vice Cancellarius.
idem Ch. Maj.
Schroder, *Johannes Caſparus*, Rector Delphenſis.
Schultingius, *Antonius*, J. U. Profeſſor in Academia Batava.
Schuylenburg, *Willem Hendrik van*, Ch. Maj.
—— *Cornelis van*, Ch. Maj.
Schuer, *Johannes Didericus vander*, Senator Ultrajectinus.
Serrurier, *Joſephus*, Profeſſor Medicinae Ultrajectinus.
Siben, *Cornelius*, Profeſſor Eloquentiae Harderovicenſis.
Siberſma, *Daniel Simon*, V. D. M.
Slingelant. Foederati Belgii Theſaurarius.
Smit, *Franciſcus*, S.S. Th. Stud.
Smout, *Dirck*,
Snakenburg, *Henricus*,
Snakenburgh, *Theodorus van*, J.U.D.
Spandauw.
Stippius, *Johannes Reynhardus*, Conrector.
Swart, *Johannes*,
idem 2 Ch. Maj.
THierens, *Gerardus*, in curia Hollandiae Judex.
Thierry, *Johan*, Curiae Hollandicae Graphiarius.
Tileman, *Joh. Philippus*, 2
Toll, *Arnoldus van*, V.D.M.
Torcq, *Lubbertus Adolphus*, Dominus de Rozendael. &c.&c.
Torrenius, *Abrahamus*, Rector Gymnaſii Leidenſis.
Toulon, *Ludovicus van*, S.S. Th. Cand.
Triglandius, *Jacobus*, J.U.D. Senator Leidenſis.
Valkenburg, *Cornelius van*, Conſul. Haerlemenſis. & Academiae Batavae Curator.
—— *J.*, J.V.D.
Vegilin van Klaerbergen, *Philippus Fridericus*, ad Ordines Foederati Belgii legatus.
—— —— *Nehemias*, in curia Brabantiae Senator.
Velingius, *Ulricus*, V. D. M. Leidenſis.
Verbeeken, *Fratres*, 2
Verzoni, *Marchio de*,
Vicq, *de*, J.U.D.
Visvliet, *David van*, M.D. &c.
Vitriarius, *Johannes Jacobus*, J.U. Profeſſor in Academia Batava.
Vlaming, *Petrus*,
Voget, *Albertus*, Profeſſor. S.S. Theologiae Medioburgenſis.
Voogd, *Leonardus*, J.U.D.
Voorn, *Jacobus*,
Voort van Deuren, *Abraham Salomon vander*, M.D. & Senator Schiedamenſis.
Vos, *Johan*, V. D. M. Ultrajectinus.
Vries, *de*, J.U.D.
Vroeſe, *Johannes*, J.U.D. in curia Brabantiae Judex.
Vroomans, *Petrus*, M. D. & Senator Leidenſis.
Uytwerf, *Hermanus*, 4
idem Ch. Maj.
WAasbergen, *Janſſoons*, 15
Waddel.
—— *Andreas*,
—— *George*,
Wagtendorp. M.D.
Walkinshau.
Wall, *Hermanus vande*, V.D.M. Amſtelodamenſis.
—— *Jacobus vande*, V.D.M.
Waſſenaer, *Comes de*, Ch. Maj.
Waſteau, *Johannes*, J.U. St.
Water, *Willem vande*,
Wachop. Ch. Maj.
Welderen, *van*,
Weſſelius, *Johannes*, S.S. Theologiae Profeſſor in Academia Batava.
Weſterhovius, *Arn. Henr.*, V. D. M. & Rector Gymnaſii Goudani.
Wetſteins, *Rud. & Gerh.* 26
idem 1 Ch. Maj.
Winterswyck, *Gerardus*, 2
Wishof, *Coenradus*, 2
idem Ch. Maj.
Wittichius, *Jacobus*, Philoſophiae Ptofeſſor. in Academia Batava.
Worm, *Chriſtianus*, Epiſcopus Coppenhagienſis.
Wrisberge, *Baron de*,
ZEelhem, *van*
Zonhoven, *Georgius*, V. D. M.

SYLLO-

SYLLOGES
EPISTOLARUM
A
VIRIS ILLUSTRIBUS
SCRIPTARUM
TOMUS I.
QUO
JUSTI LIPSII,
ET AD EUM
VIRORUM ERUDITORUM,
EPISTOLAE
CONTINENTUR.

LECTORIBUS

ET

ELEGANTIORIS

DISCIPLINAE STUDIOSIS

S. D.

PETRUS BURMANNUS.

C*UM nihil prius & antiquius mihi fuerit, quam fidem datam publice praeſtare, nulli operae & labori, licet infinitis aliis curis diſtringar, peperci, ut dicto tempore promiſſa apparerent. Et quamvis ita praela omnia in patria noſtra ferveant, ut vix operarum & inſtrumentorum copia ſuppetat, nec ullius temporis meminerint Librariae mercis negotiatores, quo tot & tantae molis libri ſimul exercuerint officinas; & omnes fere fidem, partim temporis prorogatione, partim ipſius mercis adulteratione & emptorum circumſcriptione, fallant, ego & famae meae & literarum cultiorum intereſſe credidi, ne ulla calumniae rima pateret: curavi etiam ſedulo, ne cum reliquis mangonibus in ordinem cogerer, qui unice lucro inhiantes,*

 ubi

ubi nomina eorum, qui nummos repraeſentant, receperunt, libros recenſendos & interpolandos mercede conductis operariis, inſcitis, indoctis & ſaepe barbaris locare conſueverunt: ipſe enim me totum huic Epiſtolarum Virorum Illuſtrium Syllogae impendi, nec urgere & inſtare operi deſii, ut haec, aeternum, ut auguror, victura, & poſteris etiam gratiora & acceptiora, quam praeſenti futura forte aevo, monumenta in unum collecta ab interitu vindicarem. Vellem quidem eum fructum & voluptatem ad omnes, qui has lecturi ſunt epiſtolas, pervenire poſſe, quam ipſe ſenſi & quotidie adhuc experior, & longis poſt nos annis interiorum literarum antiſtites capturos eſſe ſpero & confido. Sed paucos tam exquiſito Eruditionis & Hiſtoriae literariae ſtudio teneri novi, ut omnia, quae inter ſe viri in literis principes quotidiano Epiſtolarum commercio communicare ſolent, digna credant, quae publice legantur; aut etiam quo pleraque ſpectent, intelligere poſſint. Multa enim occurrunt ambigue ſcripta, multa ignota fere omnibus, niſi qui in eorum, qui epiſtolas illas ſcripſerunt, aliorumque, qui eodem tempore floruerunt, operibus & ſcriptis non indiligenter verſati ſunt. Quare quo remotiores a noſtra aetate ſunt viri, qui olim doctrina illuſtres viguerunt, eo magis memoria illorum & amicorum, quibuſcum dulce illud amicitiae commercium exercuerunt, obſoleſcere ſolet. Ne ergo taedium & indignatio multis obreperet, pro exigua rei Literariae, qua valeo, copia, hîc & illic notulas quaſdam adjeci, quae & rerum eo tempore geſtarum pleniorem intelligentiam darent, & virorum inſignium facta, vitas, & ſcripta illuſtrarent. Sed de totius operis inſtituto & conſilio meo plenius ediſſeram, cum ſumma toti Syllogae manu impoſita, lectores de ſingulis ejus partibus & membris edocebo. Nunc unum monuiſſe ſufficiet, me, licet ex immenſa a Lipſio, Heinſio *& aliis in republ. literaria Principibus viris, conſcriptarum literarum*

copia,

copia, eas tantum ſelegerim, in quibus aliquid occurrere exiſtimabam, quod publice ſciri intereſſet; tantam tamen adhuc in ſcriniis ſupereſſe multitudinem deprehendere, ut quatuor, quibus omnes antea credideram comprehendi poſſe, voluminibus contineri nequaquam poſſint. Et tamen non deteriora prioribus Nomina reſtant, & epiſtolae eruditione & elegantia commendatiſſimae Scaligeri, Grotii, Caſauboni, Heinſiorum, Reineſii, Boecleri, Schefferi, Brummeri, Daumii, Columbi, Munckeri, Berckelii, Schelii, Cuperi, Perizonii, *&, ne Italos & Gallos*, Falconerios, Allatios, Valeſios, Bigotios *& alios, viros ſplendore natalium & doctrina illuſtres enumerem, omnium fere, qui eo tempore nomen ſibi in literis pepererunt. Praeterea tot undique a viris eruditis & humaniſſimis, ex hoc Belgio, Germania, Gallia & aliis regionibus Epiſtolae ineditae fuere oblatae, ut ſi omnes prodere vellem, finis defuturus eſſet. Quare cum domi ſatis magnum numerum habeam, & faſtidium ſeculi metuam, gratias agere eorum comitati, & propiis copiis contentus, intra pauca volumina laborem meum continere volui. Cum vero* Lipſii *epiſtolae magnam ſecundi voluminis partem ſint impleturae, & quarti voluminis maximam ſibi mutuae* J. G. Graevii & N. Heinſii *epiſtolae, quovis melle & lacte dulciores & candidiores, vindicaturae ſint, vehementer dubito, an ſitim & deſiderium literatorum virorum hac guſtatione ſim expleturus; & an non illi mecum (ne ego privatim his dapibus ſatiarer ſolus) publice illis epulis frui velint. Quare rogatos omnes, qui nomina ſua, cum hoc opus ſuſciperem, dederunt, volui, ut Librariis, apud quos olim profeſſi fuerunt, nunc iterum ſententiam & mentem declarent, an ſumptibus in quintum & forte ſextum volumen ſuppeditare, & ardorem meum ornandi omni modo, non ſine ingenti cura & laboris moleſtia, reipublicae literariae publica commoda, adjuvare velint. Quod ſi ma-*

ture; & ſi fieri poſſit, quamprimum haec priora volumina acceperint, intellexero, omnem operam dabo, ut intra dictum diem & fortaſſe maturius, ſi deus vires & valetudinem ſufficiat, reliqua volumina, pluribus ſimul praelis commiſſa, cum publico communicari poſſint. Praefationem vero & indices tam eorum, qui ſumptibus ſe ſuppeditaturos receperunt, quam illuſtrium Virorum, quorum nomina hoc peplo ſunt intexta, & rerum, ultimo tomo adjicere eſt animus, ut in unum conſpectum omnia ſe dare poſſint. Ante omnia vero curabimus, ut, ex antiqua bonae fidei formula, DOLUS MALUS OMNIS ABSIT, *& non quaeſtui aut turpi lucro, ſed utilitati publicae conſuluiſſe ſemper credamur. Valete. Leidae Idibus Novembribus* CIƆIƆCCXXIV.

JUSTI LIPSII, ET *VIRORUM ERUDITORUM* AD EUMDEM EPISTOLAE.

EPISTOLA I.

STEPH. PIGHIUS

Juſto Lipſio S. P. D.

Jenam.

SI vales bene eſt, & equidem gaudebo; dubios enim nos reliquiſti. Quo die ad meridiem diſcedebas, ego tui non immemor circa veſperam ad hoſpitium tuum ex horto me contuli; cum principi noſtro adeſſet conviva Dux quidam Sileſianus, non ſine magno comitatu. Repperi illic ad amphoram ſedentes Jacobum Crajum tuum, & Nigrivolam illum barbarum noſtrum, qui ambo te proficiſcentem eduxerant. Laetabar primum ingreſſus, adeſſe te exiſtimans: verum pro Lipſio meo nil, niſi ſcaedulam reperiens, dolui vehementer, tam ſuavi privatus tua conſuetudine. Nec libuit diu Baccho libare poculis, ſed continuò domum reverſus, cubitum incaenatus ivi. Attamen excuſavi ſubitam tuam iſtam profectionem, uti petebas, apud Augerium, Bieſium, & Sambucum. Hic literas ad me per puerum miſit tibi inſcriptas. Atque etiam dum haec exaro, ſatis oportunè Augerius noſter Bruxella allatas alias. Simul omnes, his meis adjunctis, tradam, ut jubes, Jacobo Crayo tuo ad te mittendas: qui tamen adhuc ignorat, ubinam gentium degas, & quonam ferendae ſint literae. Animi tui erga me benevolentia, mi Lipſi, abundè mihi hac paucorum menſium converſatione perſpecta eſt; & doleo occaſionem non hîc fuiſſe ſuggeſtam demonſtrandi, quàm mihi grata ſit amicitia tua. Itaque nunc opus eſt, ut impoſterum eam non malis auſpiciis, uti ſpero, coeptam quocunque officiorum genere, & quamdiu longè diſtrahimur, frequenti litera-

terarum viciſſitudine foveamus. Quod uti facere velis, majorem in modum rogo. materiam facilè ſemper antiquitates, & Muſae communes ſuppeditabunt. Quare ſcribito imprimis ubi nunc agas, quo tendas, quid è bibliothecis eruas, quid de ſtatu reip. noſtrae ubique intelligas. Nos hîc mira, ſed ſemper incerta, ut noviſti. Nunc ajunt Montes non ſolum arctè obſideri, ſed etiam aeneis tormentis quaſſari; obſeſſos cupere paciſci, ſed Hiſpanum nolle conditiones. Colonienſem & Overſteynium cum equitatu appuliſſe, & Erycum adduxiſſe copias, Albanum ipſum Principi obviam tendere, qui adhuc in Gelria moram trahit. Alii volunt Montes non ſolum non periclitari, ſed etiam auxiliis, & annona ſaepius reddi munitiorem. Principem flumini prope Ruremondam impoſuiſſe pontem, & liberè per Brabantiam, agrique Leodienſis fines excurrere, & brevi promoturum caſtra. Atque ita nondum hîc ceſſamus ἀνθιφημίζειν. Nos proxima hebdomade Poſſonium ibimus, coronatio futura dicitur ante Kalendas primas. Magnus fit ludorum apparatus, ſed inſano luxu & impenſis non ferendis. Advenit frater imperatoris Carolus Archidux, item duo principes Bavari, Wilhelmus & Ferdinandus fratres Duces, & adeſt omnis Boemica nobilitas. Conſtabit iſta profuſio principi noſtro ad quatuor dalerorum milia. Sed vide, mi Lipſi, quo devenerim, nunc enim cogor hic eſſe ſcaenae diſſignator, & primi ingreſſus pompam perſonatis inſtruere. Excogitavi argumentum adoleſcenti noſtro conveniens, ex equitum Romanorum antiqua tranſvectione, quae ſolebat Idibus Juliis, ut ſcis, celebrari. Erit noſter in habitu Principis juventutis, & ejus comites erunt, Honos, Virtus, Eubulus, Hypſiporus, Caſtor, & Pollux; quas omnes perſonas congruis ſymbolis adornabimus, ita ut ſperem, pulchrius argumentum non prodıturum in arenam. Atque iſto modo ineptiendum nunc erit. Quid verò laudis vel praemii reportaverimus, poſtea ſignificabo. Vale mi, ſuaviſſime Lipſi, & me, uti amare coepiſti, amare perge. Vienna IV. Idus Septembris Anno ∞.D.LXXII.

EPISTOLA II.

JOACHIMUS CAMERARIUS

Juſto Lipſio S. D.

Jenam.

[1] MUlto eſſet mihi jucundiſſimum, eruditis literis veſtris, tuis, inquam, & Ellingeri noſtri diligenter & prolixe reſpondere, & non ſolum συμφιλολογῆσαι, ſed interdum etiam συμφιλοσοφῆσαι. Verum quo minus offi-

1 Reſpondere videtur ad Lipſii Epiſt. VIII. inter editas Offenbachii: ſed in illa hic ſcrupulus ineſt, quod Francofurti ſe fuiſſe ſcribat, & tamen de Jenenſi ſtatione ſcribit, ac ſi adhuc in ea maneret, niſi Francofurto redierit Jenam, & deinde diſceſſerit, non rediturus: nam & in ſeq. Epiſto-

officium iſtud praeſtetur, cum valetudo ſaepe adverſa, tum nonnullae negotiorum neceſſariorum occupationes, quaedam interpellationes quoque & compellationes perturbantes animum meum, obſtant, & ſunt impedimento. Quid autem fieri poteſt tolerabile ſaltem in hoc genere, ſi neque vires integrae ſint, neque ſecuritas aſſit? ſed prooemii ſatis eſt. Tuae literae, quas ante duos menſes fere accepi, valde me delectarunt, & illos abs te emendatos antiquos verſus legens magna ſum affectus voluptate. Eos cum ſemper admiratus, adeo eſſe depravatam ſcripturam tuli moleſte. De *Agellio* quidem Canteri, & aliorum quoque opinionem non ignoro, neque adhuc tamen probare potui animo meo, mihique vetus perſcriptio nominum *A. Gellii* magis arridet. ſed hanc diſſenſionem contentione dignam eſſe non puto. In [1] Varronis verſu *Croeſi* nomen ideo eſt verius viſum, quod & *Perſarum montes* in illo memorarentur, & *Croeſi* nomen ad *Craſſi* adluderet. Quem ita παρηχήσει peti tacite, quam aperte appellari viſum eſt elegantius, ἀλλ' οὐδὲ τούτου περὶ μάχεσθαι ἀξιόλογον. Ut iſtic & libenter degas, & facias quod operae pretium ſit opto. Cl. V. D. Ellingerum ſalutabis meo nomine, & ceſſationem, quod non reſponderim literis ipſius excuſabis. vix enim haec modo qualiacunque exſculpere potui. & nunc veluti paciſci volo, ne vos ideo minus crebras mittatis literas veſtras mihi, ſi ego in reſcribendo tardior ſim. Vale D. xv. Novemb.

piſtola VII. Kal. Mart. 1574. data, adhuc ſcribit, ac ſi Jenae eſſet, a qua tamen, ex epiſtola priori videtur jam diſceſſiſſe. anno vero 1574. Coloniae uxorem duxerat: quare forte nota illa temporis turbata eſt, vel epiſtola illa nona ſcripta ante octavam: nam ſcripſiſſe ſe de conſilio ait diſceſſus ſui, de quo ne verbum quidem in octava, quae Coloniae cum jam fuiſſe, indicat. vid. mox Epiſtolam Ellingeri.

1 Innuit Varronis epigramma, quod eſt in Catalectis *Pithoei* p. 26. & in *Scaligeri* p. 230. in utraque vero *Craſſi* legitur. N. Heinſius eam quoque, ut conjecturam, emendationem codici ſuo adſcripſit, qui cum diligenter ſemper aliorum emendationes conquirere & margini adlinere conſueverat, miror non addidiſſe, ejus mentionem fieri a Lipſio lib. 1. Epiſtol. Quaeſt. 4. qua Camerario reſpondet.

EPISTOLA III.

JOACHIMUS CAMERARIUS

Juſto Lipſio S.

Jenam.

HOdie accepi literas tuas, quaſi ἐκ τῶν κυμάτων αὖθις οὖ γαλήν' ὁρῶν. nam paullo poſt, quam tu nuper hîc me ſalutaſti jam tum, ſicut videre potuiſti, μαλακιζόμενον, tanta vis morbi ſubito corripuit, ut neque animus cogitationi, neque corpus labori ulli ſufficere poſſet. Quod ſcilicet incommodum nunc eſt perferendum & boni conſulendum. Tuum officium mihi gratiſſimum eſt, teque velim exiſtimare, noſtram eſſe erga te voluntatem eam, quae debeatur eruditionis ſingularis doctrina, & virtute pietateque haud vul-

vulgari praedito. Id ita ſeſe habere optarim; & ejuſmodi eſſe vel fortunas meas, vel auctoritatem non prorſus indignam navati ſtudii in optimarum diſciplinarum & artium exercitationibus, ut re ipſa declarari poſſit. In quibus utriſque cum deficiamur, reſtat ſcilicet, ut judicio noſtro, ſi quid in hoc momenti eſt, & promti animi cupiditate ſatisfieri ſibi a nobis patiantur boni, virtutiſque, & ſapientiae, & in primis pietatis amatores, in quorum numero te, mi Juſte, nequaquam colloco extremum ſententia mea. Teque oro, ut benevolentiam, qua me es complexus, conſerves, tibique perſuadeas, quibuſcumque rebus praeſtare concedatur, officia mea qualiacumque tibi nequaquam defutura: de ceteris, quae ſunt in epiſtola tua, non libet ſcribere, nec utriuſque noſtrum dolorem irritare. Tanquam navis quaſſata & fractis remis, ita ſcilicet nunc vehuntur ſtudia noſtra, ut quo procellae ventorum haec ejecturae ſint, admodum verendum eſſe videatur. Tibi ſcilicet praeſens conditio grata habenda eſt, & accipiendum quod datur. patriae tuae calamitas eo magis deploranda eſt, quod cum pertineat ea ad Germaniam univerſam, minus pleriſque curae & cordi eſt, ſpectantibus ſecuris animis vicinum incendium. Cl. V. D. Ellingeri, praecipui amici mei, conſuetudinem & uſum tibi gratulor. Non debent impediri conjunctiones ἀνδρῶν ἀγαθῶν καὶ φιλολόγων clamoribus quorumdam indoctorum aut ſemidoctorum, qui, niſi fallor, melius facerent, ſi qualemcunque copiolam ingenii impenderent potius tranquillitati & paci, quam iſtis conatibus excitandi horribiles tempeſtates, quibus ut ipſi quoque affligantur fieri poſſe non animadvertunt. Fac Cl. V. D. Ellingerum ſalutes verbis meis. Tuas lucubrationes libenter videbo. Bene vale, aegre modo haec ἀσθενῶν perſcripſi. Iterum vale. Lipſiae. D. XVII. M. Novemb.

Lingelshemius ad Goldaſt. Epiſt. CCCXXIX. dicit, Freherum habuiſſe epiſtolas Lipſii ad Joach. Camerarium Jena ſcriptas, quibus uſus eſt etiam is, qui Idolum Hallenſe ſcripſit, quas credo eas eſſe, quae Offenbachii editae ſunt 1610. ubi ſex Epiſtolæ Lipſii ſunt ad Camerarium. Ad primam, quae ibi tertia eſt, haec videtur eſſe reſponſio, data XVII. Novemb. anno, ut ex altera patet, CIϽIϽLXXII. videtur autem querelas ſuas Lipſius ad Camerarium detuliſſe, nec contentum fuiſſe ſalario ſuo. ſed querulas epiſtolas, animi numquam praeſenti tempore acquieſcentis indices, per omnem vitam ſcripſiſſe Lipſium videbit lector, ex infinitis aliis.

EPISTOLA IV.

ANDREAS ELLINGERUS

Juſto Lipſio S. D.

Francofurtum.

VIde quid faciat amor, elegantiſſime Lipſi; poſtquam mandata dederas, noſque mutuo complexi eramus, Te ciſiis per plana volante, me properante domum, aliquanto poſt ex comitatu reverſus filius meus doloris & moeroris ſui ſignificationem dedit admodum manifeſtam, ut lacrimis genae ma-

maderent. Nec alium vultum fuiſſe credibile eſt reliquorum comitum, identidem ſupremo digreſſu hanc vocem repetentium, *Habuimus Lipſium*, ejus ſimilem habituri nunquam. me quoque ad Plantinum literas ſcribentem in illa mentione tui dolor uſque eo abſtraxit, ut lacrimas tenere haud poſſem; nec aliter fere tota domus mea affecta fuit. Quid enim te uno ſuavius & jucundius fieri poteſt, quem ego aeque atque fratres & liberos meos charum habui, habiturus dum vivam. Non potero acquieſcere, dum certior fiam de reditu tuo in patriam, & quam ampliſſima honeſtiſſimaque conditione, qua primo quoque tempore iſtic te frui velim. Nunc interim ardentibus votis poſco Deum, ut ſanctos tibi genios duces & comites itineris addat, qui te reddant incolumem finibus Belgicis, & ſervent animae dimidium meae. Erimus amici inter nos, quoad ſpiremus & valeamus. Mihi moeroris nebula ita obſepſit cor, ut quid ſcribam non reperiam. Scio neminem me hîc habere, cui auſim arcani quid credere, libere, quod ſentiam, loqui. cum diſcipulis, tui ſtudioſis, me oblectabo. In caeteris Laërtis vitam vivàm. utinam pace conſtituta per Belgium, ſalvo tibi iſtic eſſe liceat. ſperabimus optima. Tu fac Francofurto ad me, de rebus tuis. cumque miſeris libellos, quanti veneant indicato. Curaturus ſum ad te & Plantinum precium. Inſerui hiſce quoque ſchedulam, ac negotium dari velim Wolfgango Heilio, ut conquirat eos libros. Quae praeterea edidit Plantinus, & H. Stephanus, ut erant noſtri, fac hortere. Tuo abitu id genus librorum forte metuent emere. O miſeram noſtram ſcholam, miſeriorem futuram, ni principes aliam rationem ineant, in conſtituendo. De Domina Principe, ſi eam conveniſti, tribus verbis ad me. Quaeſo me in gratia ponas apud Plantinum, Chantherium, alioſque amicos tuos. Plantino cum ſuas tradideris, excuſato feſtinationem meam. nunc litore funem ſolvo, teque tutelae benigniſſimi ac propitii numinis committo. Bene vale, Lipſi, decus praeſidiumque meum, & ineptae ſcriptionis taedium devora. XII. Kal. April. CIↃIↃLXXIV.

Ad hanc reſpondit Lipſius epiſtola data Francofurti ipſis Kal. April. hujus anni, quam edidit Pontanus Decad. V 2. quia Lipſius in prima Centuriae I. editione n. 10. eam quidem ediderat, ſed in ſequentibus editionibus omiſerat. Pontanus vero male An. LXXXIV. pro LXXIV. expreſſit: nam *Ellingerus*, quem Lipſius apud Pontanum Epiſtola praecedenti ad Donellum laudat, jam obierat Ann. CIↃIↃLXXXII. Vid. Linden: Renovat. pag. 44. laudat eum Lipſ. I. Cent. Miſc. 2. & epiſt. 76. prioris Editionis. ejus laudes & vitam celebrat Melch. Adam. in vitis Medicor. pag. 240. ubi & Poëtam fuiſſe; & multa carmina ſcripſiſſe docet. in ejus carmina ſcripta epigrammata a Joann. Poſthio habentur part. I. Poëmat. p. 107 & 196. & inter adoptiva ad Poſthium quaedam Ellingeri leguntur. p. 213. 231 & 234.

EPISTOLA V.

GERARTUS FALKENBURGIUS

Juſto Lipſio S. D.

Iſcam.

NOn conquereris, Doctiſſime Lipſi, de meo ſilentio, niſi omnino exiſtimaſſem huc te rediturum. Male ſit iſtis ingratis litibus, quae te in regione litigioſa, tanquam in nervo & compedibus detinent, & te nobis tui ſtudioſiſſimis invident. Gaudeo vero te ſervitutem fallere aſſidua optimorum ſtudiorum tractatione, qua quidem hoc es conſecutus, ut qui te non amet, male de Muſis ſentire videri poſſit. Neque exiſtimo eſſe ullum literis noſtris mediocriter tinctum, qui non admiretur commentarium *Antiquarum Lectionum* tuarum, quem nuper D. Redigero [1] inſcripſiſti, ut eſſet pignus amicitiae noſtrae. Quam inſcriptionem ut re ipſa experiaris gratam fuiſſe, tibi mittit δέπας ἀμφικύπελλον, in uſum laetitiae factum, ut arrabonem animi erga te ſui. Librum III. non ſine maxima voluptate perlegi, in quo quod tamen pace tua fiat, reperi μνημονικὸν ἁμάρτημα [2]: non enim apud Lacedaemonios, ſed Locrenſes ſuadenti legem novam periculum erat à laqueo. De Locrenſibus id narrat Demoſthenes adverſus Timocratem. Reliqui libri una cum convivio tam opipare condito hoc effecerunt, mihi crede, ut in hoc aeſtu, qui alioquin omnibus ſitim adducit, malim poculum, quam Plautum de manibus deponere. Canteri noſtri morte magnum litterae noſtrae damnum fecerunt. Fortaſſis horaria [3] illa & melancholica ſtudiorum ratio hominem perdidit. In Saxonia de ſtudiis eſt actum. [4] *Cracovius* in cuſtodia miſere eſt mortuus. [5] *Eſromus* aufugit in Moraviam. Si quid praeterea in iis

1 *Thomas Rhedigerus*, omnibus iſtius ſeculi viris doctis celebratiſſimus fuit, qui inſignem Bibliothecam poſſidebat, & liberalitate fovebat viros doctos. ipſumque Falkenburgium alebat ſtipendiis ampliſſimis. Vid. Epiſtolam Joan. Antonii Baartwiceni ad Hadr. Jun. pag. 634. & Junii ad Falkenburg. p. 477. ubi *Redingerus* dicitur. multa ejus in Epiſtolis Moravii mentio habebitur. Vid. ad Reineſ. Reinecc. Epiſtol. Hiſtor. pag. 36. & quae Creenius ex Henelii Sileſiographia profert. t. x. Animadv. pag. 138. vid. & Douzae lib. 1. Carm. 11. ad Falkenburgium noſtrum. Vixit vero Falkenburgius hoc tempore in contubernio Comitis Nuenarii, ut notat Val. Andreas, & patet ex epiſtola Falkenburgii ad Bonav. Vulcan. edita a D. Heinſio Centur. Select. Epiſt. 11. 53.

2 Correxit poſtea Lipſius: nam in editionibus ſequentibus, ut A. 1611. in 4. p. 151. Ant. Lect. legitur, *Legem hanc Romae, non Locris ferimus.*

3 Solebat enim ſtudia ſua ita diſpenſare, ut certis horis certa penſa abſolveret. vide Miraei Elogia in Guil. Cantero. ejus vitam Suffrid. Petr. Decad. XII. Cap. 8. de Scriptoribus Friſiae ampliſſimis verbis deſcribit, ut taceam Valer. Andr. in Bibl. Belgica. Melchior. Adam. in Philoſophorum vitis pag. 277. obiit XVIII. Maji A. 1575.

4 Hunc puto eſſe *Georgium Cracovium*, cujus epigrammata quaedam & elegias Graece ſcriptas prodiiſſe Geſnerus narrat Wittebergae.

5 *Eſromus Rudingerus* Gener fuit Joach. Camerarii, Profeſſor Wittebergenſis. multa ejus mentio in Epiſtolis Langueti ad Camerarium. docuiſſe etiam Cygneae, ibique Ludo literario praefectum ſcri-

iis locis accidit, cognoſcam ex mercatore, qui quotidie Lipſia exſpectatur, teque certiorem faciam. *Giphanius* noſter de Agellio ſuo ne verbum quidem ad me. *Douza* [6] in ſecundo ſuorum Poëmatum volumine acriter hominem perſtringit. Vale, mi optatiſſime Lipſi. Giſelino, Modio, & Carrioni JC. ſalutem. raptim Coloniae XVII. Julii CIƆIƆLXXV.

ſcribit Camerarius in praefatione ſua ad Theognidem, ad Senatores urbis Cygneae. A. 1550. cauſſa cur abierit Witteberga fuit, credo, quod noluerit ſubſcribere formulae, & de Euchariſtia non idem ſentiret, quod Theologi iſtius Academiae. vid. Melch. Adam. vit. Philoſoph. pag. 372. obiit Norib. 1591. aetatis 68.

6 Epigramma in *Oberum* legitur, quo *Hubertus* vel *Obertus* Giſanius indicari creditur. vid. lib. II. Epigr. p. 36. & p. 43. in *Burenum:* erat enim Giſanius Buranus. praeterea Douza in Satyr. I. & II. exagitat vehementer Giſanium, & ejus plagia, & praecipue quod *Lucae Fruterii*, qui ſcripta ſua edenda ejus curae commiſerat & legaverat, ſcrinia compilaverat. ubi ſub *Fannii* nomine, ultimas nominis ejus ſyllabas exprimente, latet Giſanius. adde & Hendecaſyll. Carm. I. in fine & carm. III. & Epiſt. III. ad Victor. Giſelen. & lib. I. Carm. 6. ita de eo canit:

Tu praeter omnes, Alpha Legulejorum,
Burene, quem inter buſtuarios verres
Plumis adumbratum, & colore furtivo
Autumnitas Pontana nobilem fecit,
Notiſque transrhenana inuſta frons Gallis.

quae obſcuriora exteris obvenient, ſed explicanda, quia & in his, & aliis hujus aetatis virorum doctorum epiſtolis, multa inde de Giſanio, Fruterio, & aliis lucem accipiunt. pro *Burene* ſecundo verſu in editione reliquiarum Fruterianarum apud Plantin. 1584. legitur *Larane.* neſcio quare. ſed puto male. *Autumnitatem Pontanam* vocat meſſem, quam ex Fruterii ſcriptis fecit. *Fruiten* enim noſtra lingua *Fruges* notant, & quia *Fruterius* Brugenſis erat, & Belgae pontem *Brug* vocant, *Pontanam* inde Satyricus fecit Poëta *autumnitatem.* & cognomen *Pontani* gerit Fruterius in Epiſtolis Hadr. Junii pag. 169. & 374. ultimum verſum *Lambinum* reſpicere puto, qui transrhenanam frontem, id eſt *Hub. Giſanium* Burae, oppido transrhenano, oriundum, notis inuſſit. nam id Douza in Satyra I. clare innuit.

Quod te felicem quondam, Lambine, cerebri
Et vidi, & pleno memini poſuiſſe theatro
Pariſiis, tunc cum miſerandus & hoſtibus ipſis
Fannius introrſum detracta pelle pateret. &c.

& Sat. II.

non ut ineptus
Fannius hic, Fidentini genus, & plagii olim
Convictus, Lambine, tibi, cum fronte retecta
Furtivis riſum movit cornicula plumis.

ſed & Giſanius ſimile de Lambino queritur in Epiſt. ad Muret. 73. 74. & ſeq. & Giſan. Epiſtol. ad Canterum a Gabbema edita pag. 648. ubi etiam de Fruterii morte & ultimo judicio agens, Douzam tangit; credo; nam aſteriſci poſiti ejus nomen tegunt. fuerat enim Douzae comes in itinere Gallico Fruterius: vid. Adam. Vitas JCtorum. pag. 392. & ipſe Douza in Satyra ſecunda narrat; ſe poſt mortem Fruterii quaedam ex ejus ſcriptis deſcripſiſſe. vide Douzae Odar. libr. Od. II. p. 161. & hinc Giſanius inimicitiarum originem inter ſe, Douzam, Lambinum & alios arceſſit; & ipſe negat ſe multa Fruterii habere, ſed Douzam, & alios illa furto ſubduxiſſe: & hinc credo nos habere reliquias Fruterii, *veriſimilia, carminua & pauca quaedam, alia,* quae ſub cura Douzae prodierunt 1584. praefante Juſto Lipſio ad Douzam.

EPI-

EPISTOLA VI.

J. LIPSIUS S. D.

Jano Lernutio.

Brugas.

QUas petiſti Satyras [1] ecce a me tibi: a me? imo a Duza. a quo ignarus inſcienſque exſpectabis aliud donum. In Catullum, Tibullum, alioique Praecidanea ſcripſit, (ita appellat) ex quîs Catullum tibi inſcripſit: Tibullum mihi. vos quid agitis? non feram hoc ſilentium. Giſelini praeſertim. niſi verbis male accipere coram, deſtinatum ſit mihi: nam obfirmato animo ad Kal. Martias adferto omnia Brugas veſtras. Parate vos ſodes. hecatomba non ſolvetis hanc culpam apud Deum Luam. quam riſi in [2] Friderico meo? imo quam dolui? nam jam ante inaudieram. Beatum illum, ſi conſudaverit. Conveniebatne in vaginam ejus macharia militis. Jocor, mi Lernuti, & auguror. ſed ille tamen magnificus nunc eſt Biturigis publice vocatus, amplo ſtipendio, ad Profeſſionem Juris. Dii boni! Papinianus prae iſto non eſt dignus palum figere in parietem. o ſaeclum! & nos beatos, ſi extra hanc fecem in origine noſtri. Vale mi amiciſſime, cum uxorcula tua, cumque liberis. Lugd. prid. Kal. Jun. Anni novi, quem tibi fauſtum apprecor laetumque. CIↃIↃLXXX.

1 Hae ſunt quarum mentio in epiſtola Falkenburgii facta.

2 De hoc *Friderico* vocato Biturigas etiam Centur. II. Epiſt. I. ad Belgas agit. quem vero innuat ignoro: nam *Fridericum Holſtenium*, de quo poſtea, non puto. erravit libtarius forte, & *Ludovico* legendum; ut *Carrion* intelligatur, qui biennium Biturigis docuit jus. de quo poſtea ſaepius agendum erit.

EPISTOLA VII.

J. LIPSIUS

Jano Lernutio.

Brugas.

[1] EXcuſationem non capis, & repoſuiſti mihi quod remordet. Age, niſi iterum in re pari pupugero, non marem me, ſed foeminam cenſe. Emanſor ſtatueram eſſe, vide ne ſim deſertor. Tanti eſt non nimis artam diſciplinam habere, nec ducem eſſe perſeverum. Tamen de autumno iſto quid fiet, videto. & ſi publicae laetiores, Hilaria habebo apud vos. Poëtarum Gallorum electa vide ut matures. Gallorum dico, ne cenſeas modo Belgarum. Pauci enim iſti, atque unus & alter inter bonos. Mediocrium ubique magna copia, & nulla laus eſt. Ego in partem, ecce, venio, & [illegible] mit-

1 Reſpicit Lipſius excuſationem, quam dedit II. Miſc. 9. & repetit I. Miſc. 10. ubi curſim diſceſſiſſe ſe dicit. & notandum ibi moram ſuam Lugduni vocare, *ſcenam cui ſerviebat*: jam tum meditans abitum, ut centies in epiſtolis, ſed obſcurioribus verbis, ſignificare eum videbimus.

mitto quaedam ex meis nugamentis. in hanc legem, ut electio tua ſit, acerba, ſevera, ne famam meam, dum producere vis, laedas. ſerio & cum fide tibi dico, cenſorem ferre poſſum, nec ſum ex iis, quibus omnia ſua placeant. cum Duza velim te ſcripto agere, apud quem ſcio eſſe bonam copiam verſuum Gallicani nominis, qui nunquam viderint lucem. Quaeſo, ut inter ſerias habeas hanc curam, ſciaſque famam tuam auctum iri cum propagatione famae alienae. me quidem auctorem tibi fuiſſe ejus conſilii nunquam poenitebit. a Scaligero literas accepi, quarum exemplar mittam, ſi puero otium erit deſcribendi. Vale, & ſaluta Giſelinum, uxorem tuam cum amicis. Lugd. Bat. VII. Kal. Aug. CIƆIƆLXXXI.

EPISTOLA VIII.

J. LIPSIUS

J. Lernutio.

Brugas.

VUlnus tuum, audivi here, mi Lernuti, nec ſatis ſcio, quid credam, aut quid ſcribam. verum eſſe? cur igitur non tu, non Victor ſcripſiſtis? nam lugere quidem te facile patior, non tamen jacere. conſoler autem? quid ergo ſi vanus ille rumor? detulerunt enim ad me homines, nec tibi, nec mihi ſatis noti. Quid etiam ſi verus? ſcilicet is tu es, qui verbis exemplisque arrigendus ſis. Abi ad libros tuos. una Epiſtola Senecae, unus ſermo Epicteti plura melioraque tibi ſuggerent, quam verboſae & elucubratae epiſtolae meae. Quod ſi amico praeſente tibi opus ſit (vellem hercules adeſſe, & veniam, ſi innuis) habes Giſelinum tuum, qui alloquiis ſuis & aperto illo animo omnia dederit tibi. de litteris noſtris, hoc eſt, de nugis, nihil ſcribo in hoc tempore. Tamen cum paullo firmior eris, habebitis Saturnalium libros duos, qui jam excudi a Plantino coepti. Cetera recte apud nos. fac (ſi me amas, aut amaſti) idem de te hiſque intelligamus quamprimum. Uxorem tuam liberoſque ſalvere multum jubeo voveoque. Lugd. II. Id. Nov. CIƆIƆLXXXI.

EPISTOLA IX.

L. CARRION

Chriſtophoro Plantino.

Antverpiam.

SCripſi ad te ampliter nuper de re Aureliani, eaſque litteras miſi Lutetiam. dedi & alteras Betſio. utraſque te accepiſſe ſpero. interea veniunt mihi a Poretto tuo Saturnalia Lipſii, & Duzae praecidanea. Haec ſemper fui ſimilia,

milia, ut ab homine ſui ſemper ſimillimo, illa & docta, & ejus aetate, jam in maturitatem vergente, digniſſima. utinam reliqua illa, quae in Batavis ſcripſit, ejuſdem modeſtiae notas haberent. non Paſſeratio aliiſque Gallis perpetuam calumniandi occaſionem darent; calumniandi dico: non quin pleraeque caſtigationes etiam magnorum virorum, aut verae ſint, aut non procul a vero; nemo ibit inficias. Amicis noſtris Pithoeis, & Puteano illud ejus de Rhenano & Glareano judicium, tot ſcriptis id teſtatum, non ſine amarulentia, non placet. ſed quis ſe omnibus probaverit? & fortaſſis tres, quatuor Belgae ſunt, quibus probari ſatis eſt, quos etiam probare & laudare honeſtum. ut fiat illud, *Amicorum omnia ſunt communia*. Excuſatio illa Satyrae Menippeae elegans eſt, & prope neceſſaria. erant enim, & in illis primi ſigniferi, qui hoc non pungere vocarent, ſed jugulare; & ſe ipſos non leviter tactos, ſed penitiſſime vulneratos clamarent. Eorum vocem doloris plenam in menſa maximi cujuſdam viri & audivi & riſi. ſed tamen ita hodie vivitur. ſi omnes ad meum exemplum injuriarum patientes eſſent, haec non fierent, & erunt, ſcio, qui non patientiam, ſed puſillanimitatem vocabunt: ſit ſane, dum ego me legum praeſcriptis obtemperare volo, quae homines eſſe ajunt, iiſque eorumque commercio uni viro bono interdicant. ſed haec extra rem. Laevino Torrentio, ſi forte ad eum ſcribis, Tragoediam para, nuntia, eamque non levem. cauſſam noſti, aliud malim. ſed quid facias, ſi hoc jam fatale eſt, ut in iſta raritate hominum literatorum ipſi ſeſe mutuo ſecent & ſcindant. Ego quod in me erit, me ab illis ſegregabo & ſpernam, niſi forte aliquando —— —— os laſſus, tardius pedem, & hiſtoriam ſcribere ſit neceſſe, id eſt, de Pulmanno. velim curari mihi Sedulium Danielis. quem illi utendum dedi. jam ad privata. Alenconium iſtuc inauguratum Brabantiae typis divulgatum eſt. Additur hominum ſermone, etiam neſcio quid caviſſe de religione. quod ſi ita eſt, fac omnino, quid iſtud ſit, intelligam. mea enim valde intereſt. Quid Pamelius non ita nuper de &c. providit? intellige etiam num illa, quae ſcis, iſtic divendita. ac quo in loco res illae ſint; qua de re ad procuratorem meum ſcripſi, & verbo fac intelligam: mi Plantine, quam ſaepe contigit mihi optare hic literarum opibus adflictis viros multos tui ſimiles, vos alio loco. velim jam, quod ante brevi pollicitus es, paullo majore cura & ſollicitudine egiſſes, ut cum Lipſio, ſcis quid velim. Deum teſtor, nihil me pejus habere, quam memoriam utriuſque temporis, quo & conjunctiſſime, & hoc malevolentium culpa &c. ſed haec fero, ut poſſum, quoniam me extra omnem culpam eſſe quidem ſcio, & ipſe mihi conſcius ſum. Modius magnam partem ſuſtinet. Vale, vir optime, & me tui amantiſſimum ama. 1582.

Jano Lernutio Lipſius.

Brugas.

CErte ita timueram, non enim tam diu ſiluiſſes, mi Lernuti, ſine ſontica cauſſa, id eſt morbo. at Saturnales meos ſermones levando tibi fuiſſe (ita enim

enim ſcribis) gaudeo, & quamdiu homo amicus eos probes, cum illa noſtra ſerpens in epiſtola ecce ad Plantinum ſcribat? *interea veniunt &c. quae in Batavis ſcripſit.* Quid mordent te Batavi? an quia teſſeram apud illos cum aeterna infamia tua fregiſti? At antea Profeſſor eſſe ambiebas. Rides? at ſi caetera audias & legas; imo operae eſt ut adjungam, ſtipulatus tamen ſilentii tui fidem, ni temere vulgare videar literas alienas: Addit Hypercriticus noſter, *Amicis noſtris* &c. *Glareano.* At hunc ego ſupra meritum alibi laudavi: de illo nihil uſquam intemperanter ſcriptum, quod meminerim. Denique Pithoeus in ſuis poſtremis ad Quinctilianum notis omnia amica de me & honorifica ſcripſit. *Tres quatuor Belgae ſunt* (nos intelligit, noſtrum indiſſociabilem amicitiae coetum [1]) *quibus* &c. *honeſtum* (mirum ni te laudemus, qui ita te probaſti Gallis, ut univerſa patria brevi tibi exulandum ſit) *ut fiat* &c. Non frontem percutis, non femur? ſed pergit inflare noſter Miſenus. *Excuſatio illa* &c. *eorum vocem*, tuam credo vocem, & tu certe doles tuam vicem. plura ſunt quae omitto, etiam hoc habe. *ſed tamen* &c. O noſter philoſophe! tu patiens, an tui pathici? conſcientia eſt, quae tibi ſilentium imponit, non modeſtia. poſtremo addit, *mi Plantine* &c. *tui ſimiles.* ecquid blandius. neſcio quam parat Lamiam: *ut cum Lipſio.* Tu iterum mecum? tunc, cum lupi cum agnis jungentur, Quo enim merito? an quia me famamque meam impudentiſſime lancinaſti? Magno tamen tuo malo: quia Galli mihi ignoto & ſilenti plus credidere, quam tibi praeſenti & prenſanti: poſtrema haec, *Deum teſte* &c. en, quem illum? quem factis tuis quotidie negas & foedas. *Modius* &c. pullum ſuum accuſat, ſine quo erat, eſurigo illi coſtas fidiſſet. At deum ego precor, ut magis magiſque a te expetat poenas perfidiae tuae juſtas. Hactenus in hominem impurum. nunc ad epiſtolam tuam redeo, plenam mihi adverſus ejuſmodi abſynthia mellis. *Suavia* tua, & in iis edendis praeſcriptione mei nominis tuam benevolentiam, jam nunc diſſuavior. Crede mihi. hanc teſtationem mutuae benevolentiae (& ſcio quam ex animo proficiſcatur) ante omnia beneficia puto. In verſibus iis, quos vidi adjunctos, nihil opus cenſoria nota. Curati, acuti & propitia omnino Venere facti. Baſio VI. *ut Hirudo labellis.* Douzae non placebat comparatio, quia vilior. at mihi aliter videtur. & placet magis magiſque cogitanti. Itidem. *Etſi non noſtri ſis memor inde tui.* malim, *ſis memor ipſa tui.* Etſi video quid ſpectaveris. cetera proba, & quae non Lacon noſter mordeat. tu matura & hoc age. Leidae ... Maj. CIↃIↃLXXXII.

1 *Lipſium*, *Victorem Giſelinum*, & *Lernutium* credo.

EPISTOLA X.

J. LIPSIUS

Lernutio.

Brugas.

TU quoque mutus, & tranſis in Giſelinum? certe inſtitutam viam culpo, qua per menſes iſtos uſus. Unas a te ante dies octo accepi de ciſtis. quae nunc miror ubi haeſerunt per vias. nam valde veteres erant, & vidi ea die. At de re ipſa, ſcito nihil huc advectum. ſi quid tale mittes, hoc etiam ſcito ſervandum ea cura, qua mea. ſed quid ſuadeam, temporibus tam incertis, ſum incertus. Periculo propiores vos eſſe fateor: ſed quo levius fortaſſe defungemini, quam maritimi iſti: pactionum fere in magnis iſtis oppidis res eſt, non violentiae aut armorum. Heu tempora inimica tantum nobis? de Giſelino nihil confecimus illa vi. Machinas nihilominus admovere non ceſſamus. nec ſcio an triumphabimus tandem [1] duro illo muro expugnato. nam revera lapis ille, non homo: quem ut molliorem mihi in parte faciam, [2] de Amphitheatro ſtatui inſcribere Curatoribus tribus. Et tua quando ad nos? o lente! quid ſi ſic in lecto? ſed jocor in re mea triſti. nam ſororem meam abiiſſe ſcibis ad beatos, ante ſeptimanas paucas. Triſtis mihi is nuntius, ſi quiſquam alius. ſed vere dicam, occallui jam ad omnia humana. Douzae Epodon vidiſſe te opinor: Reſponſum ad priores meas litteras exſpecto, non excuſationem. quia nunquam elues, quod Victorem paſſus huc venire es ſine te comite. ſatisfactio una, veniam: quod ut re praeſtes, Deum & te oro. Vale Lugd. Batav. VI. Id. Jan. 1584. Avocabar; ſed redeo ad ſcriptionem & colloquium, quo nihil mihi jucundius tecum: Bona fide, in re Giſelini animi pendeo, ſive quid conſulam, ſive quid conficiam. Quam enim haec noſtra incerta? quam pendent a tenui filo? quam nullius conſilii ſaepe, aut petulantis? Mihi crede torqueor, & niſi *Conſtantia* mea me erigat, concidam ſaepe: nam noſtri illi eunt eandem illam perpetim viam, & ad generoſa aut ſana conſilia clauſae omnes aures. Vetera & praeſentia me fallunt, aut imminet, ſi non exitium, certe mutatio omnium rerum. Cur autem pedem te-

1 Credo P. Buſium intelligi. nam eum in mora fuiſſe, ne Giſelino Profeſſio Leidae mandaretur, apparet ex Epiſtol. ſeq. Non. Martiis hoc anno ſcripta. & alia ad Giſelinum hoc fere tempore ſcripta quae poſtea ſequetur. in editis etiam Cent. I. Miſc. 40. de hoc Giſelini negotio agit, & turbas, inter Magiſtratus & Curatores, occaſione Profeſſoris cujuſdam innuit, creati ſenatu Academico inconſulto, obeſſe huic rei ſcribit. Nimirum inconſulto ordine Juriſconſultorum *Thomas Zoeſius* deſignatus erat Profeſſor Juris, cum ex legibus Academicis non Curatoribus liceret munus docendi mandare, niſi prius conſuluiſſent Profeſſores.

2 Illa dedicatio in ſequentibus editionibus omiſſa eſt, ſed legitur inter Lipſii Epiſtolas a Pontano editas Dec. II. Ep. 9. donatus etiam munere a Curatoribus, pro quo brevi epiſtola, quae nihil praeterea continet, gratias egit VI. Id. Jun 1584 quae inter ejus epiſtolas MS. ſervatur, & quam vidi, ſed operae pretium non putavi, ut ederetur.

temere ille ponat in hanc navim, ſine ſpe ſalutis fluctuantem? niſi ſi quid ex alto Deus. vos quoque jactamini, ſcio, ſed cum ſolatio. tamen brevis morbi. Iterum dico, quid ſcribam? quid ſuadeam? ipſe in his fluctibus rerum fluctuo, & ſapientia mea omnis abit, cum transferre eam conor in turbidum hoc mare. hoc unum mihi ſedet, cunctari. Quid enim, ſi Deus haec dirigat forte in melius Providentiae ſuae immoto clavo? De ſorore ſi quid panges te dignum, valde mihi gratum erit. memoriam enim ejus colere malo, quam lugere. Jani Guilelmi Quaeſtiones Plantinae placuerunt. hoc magis, quod [3] illi diſplicuit, qui nunquam placuit ulli bono. Vale. Hem! Donellus adeſt. . . Jan. 1584.

3 *Ludovico Carrioni.*

EPISTOLA XI.

J. LIPSIUS

Jano Lernutio S.

Brugas.

A fratre Giſelini litteras tuas accepi perbreves: ſed cum excuſatione nuntii abeuntis. Quae juſta & honeſta, ſi vera. In Giſelino tamen quem locum habet? aut cui credam (quod credere me in te vanum) fratrem veniſſe fratre inconſulto? ſed ille profecto crebro in hac parte peccat fiducia meae lenitatis. Quid ſi ſemel accendar? caveat ſibi ab hoc igne. ſed jocor: nulla enim res me irritaverit in illam ſimplicem virtutem. Scripſi autem & ad te per Moretum jam nuper. Nam is hic fuit, & pollicitus literas curare bona fide. Accepiſtine? miror in literis tuis nullam ſignificationem eſſe, cum tamen calculus dierum id velit. At Conſtantiam tu meam laudas, & apud volentem atque etiam (libere ſcribo) exſpectantem. Nam ſi quod ingenii noſtri monimentum, in quo mihi placeam, illud eſt: nec recuſo, quin tantum de me, quantum de illo detrahitur. ex hoc opere poſteritas Lipſium aeſtimet. licet enim apud amicum interdum fundere [illegible] iſtas αὐχάς. In Galliis probant, & jam vertunt. Heu miſer! etiamne veniam in ora vulgi. Epigrammata tua legi, & moriar, niſi in iis parodiae & accentiones ſupra ſpem & votum. felices inventiones; acumina inopinata, & quae inimici tui approbent. ſingillatim tamen & univerſe ſcribam quid ſentiam, cum remittam. Quod intra paucos dies. Nam here accepi, hodie reſcribendum eſt. Douſa abeſt Ultrajecti: in re Giſelini quies, quia & Buſius continenter abeſt, in ſtabiliendo Comite novo occupatus. Nam ille his talibus oneribus Atlas. Liber meus de amphitheatro finem jam ſpectat. & breve mittetur. Illud Plinii libro 33. cap. 3. *C Caeſar, qui poſtea dictator fuit, primus in aedilitate patris, munere funebri, omni apparatu arenae argento uſus eſt feraſque argenteis vaſis inceſſere tum primum viſum*; quomodo legatur in Giſelini libris velim ſcire,

Uſui mihi locus ad venationem. ſed adhaereo ad *vaſa* illa, tanquam ad vada. tu inquire. Douſa veroſimilia edit Fruterii, jamque coepta inprimi. Vale & ad priores literas reſcribe. Lug. Batav. IV. Idib. Febr. 1584.

EPISTOLA XII.

J. LIPSIUS

Jano Lernutio S. ex animo.

Brugas.

SIc habeto, jucundas mihi tuas iſtas litteras fuiſſe, tibi ipſi ſalutares. Valde enim ſilentio huic diuturno iraſcebar. & jam arma & chartam ſumpſeram, & ſtricto in te calamo ibam: cum opportune hoſtiae illae admotae & placamenta, quibus propitium & volens iterum effeciſti Lipſianum numen. De [1] ciſtis ſecurus es. accepi, ſervabo non ut ciſtas, ſed ut filias. Veniſſe tamen eas ad me per denſum imbrem, nuper ſcripſi, & inſpecto opus videri, ne quid in iis pereat aut putiſcat. Hominem certum alleges huic rei oportet. & quem certiorem, quam te ipſum? Nam de Antverpienſi mea via, nihil eſt, omiſi. Oro te per Deos omnes noſtros, arripe hanc occaſionem, & aude imitari facinora Giſelini. Certe nulla mater te retinet, nec uxor quidem, ſi eam novi, ad me iturientem. Mare metuis? te parum marem, & qui fatales meas argutias nondum ſatis concoxiſti. Veni, aude, pedem in navim pone: ego ſalum tibi tam tutum ſpondeo, quam ullum ſolum. Giſelini noſtri rem adhaerere, tu unus repertus es, qui gaudeas. nec injuria. ſcio, qui fructus, quae ſuavitas ſit in tam amici hominis convictu. Et me Hercules, nihil jam miror vota noſtra Deos negligere, cum impediant tua. Amphitheatrum abſolvimus & mittimus. quid cenſes? incluſa illa de Venatione ad Saturnalium priorum exemplum? erras. Via tantum & inductio haec eſt ad illa; quae mihi, ſalvus modo ſim, elaborabuntur cum majore curâ. Nam haec quid eſſe poſſunt? quae, teſtor fidem, ne cogitata quidem mihi aut concepta cum adeſſet Victor. Nec aliter velim legas, quam ut ſubitarium & paucorum dierum opus. At tua ſuavia jam diu mihi depoſco. Victor retinet? amorem & amicitiam ego omnem ſolvo, aut ſolvet illa. Epigrammata tua puriſſima in illum [2] impurum remitto, in quibus amorem tuum quomodo non amem, qui unus, ſcio, dux tibi ad hoc carmen. ſed vide tamen, mi Lernuti, ne periculoſum carmen, in temporibus tam infeſtis. Hoc dico, ſi edatur. Non quia hominem ipſum timendum cenſeam, qui revera, ut Homericus ille verſus eſt — κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχει, κραδίην δ᾽ ἐλάφοιο. Sed quia illos, quibus arrepit. Quis ſcit an poenas ille petere a nobis poſſit per ſuos Poenos? Quanquam de me nihil metuo, cui firmatus jam animus contra

1 Vid. 1. Miſc. 40.
2 Ludov. Carrionem. vid. 1. Miſc. 86.

tra hos terrores. Tibi & ſtirpi tuae ut caveam anxie jubet & cogit me amor. Denique illud magis feram & ſuadeam, ut non ſola illa edas ſaltem, ſed mixta aliis tuis verſibus & inſerta. Primum dignitas in eo aliqua major. quis enim ille culex, quem tu ſingulari libello digneris? Deinde quia magis ipſum laedes. quod epigrammata mixti argumenti, niſi fallor, ſaepius & aeternius legentur. Poſtremo, ſi aliquid a ſapientia mea debeo allinere, quis ille eſt, quem tam ſerio perſequamur! aut quae nobis cauſſa? Ille non homo, ſed hominis vere nugamentum. Ab odio tantum abſum, ut miſerear etiam illius, cum video, quam multa miſellus moveat, quot facies induat, ut faciat ſe magnum. Deus bone quam febriculoſa omnis illa ejus ſcriptio? Quam emendicata verba, quam infirma judicia! Adde jactantiam & ridiculum faſtum in editis aut edendis. quae quoties lego, crede mihi hiſtrionem videre videor ſyrma in ſcaena trahentem a Chorago. Itaque cui jam viro imponit? apud pueros ſuos fortaſſe aliquid valeat. at cor ei jam detrahunt corda omnia Europae. Et omitto flagitia, inceſtus, popinationes, quae vileſcere eum faciunt apud vilem ipſam plebem. Sed enim nos laeſit graviter, & haec nobis inſecutionis cauſſa. Cauſſa neſcio an juſta. Dicta ejus multa in me ſunt: in vos aliquot facta. quid jam? Ulciſcemur ea ſimilibus? aut id iraſcar, ſi illi non placeam, cui nemo bonus? ſi is male de me dicit, qui optime de me ſentit? Hoc enim certo ſcio, numquam illum calumnia aliqua me aſpergere, quin vellicet ac pungat eum interior ille animus acri quodam morſu. Alium me ſcit eſſe, alium me novit ipſe, & omnes qui me norunt. Laſciviam aliquam olim in juventute noſtra fuiſſe non negaverim, nego ullum ſcelus. Tamen dicit & clam ſpargit. Quid nunc mirarer, ſi id mihi non eſſet, quod magnis omnibus viris. Socrati impietas objecta eſt & corruptio juventutis. Senecae adulteria & parricidii conſilium, ſive conſenſus. Ciceroni cum filia coïtus. M. Antonino Philoſopho veneficium & per fraudem ſublatus frater. & vulgus haec avide arripit, imo credit, quia inſitum humanis ingeniis invidere. deprimere volunt & detrahere, quidquid eminet. idque, quoniam virtute non poſſunt, per mendacia & fraudes. ſed quid efficiunt? tela irrita ſunt, & quae a ſolido animo repercuſſa redundant in ipſos. ut enim vitro puro nihil adhaeret, ſic vitae innocenti. calumniis eam aſpergunt, delabuntur. Tenebras offendunt; lucet, & uno verbo, quicquid mprobitas magis deprimit, virtus magis attollit. quae una profecto alumnos ſuos ſuper altum aethera vehet, aeternae Famae pennis. Haec de me dixerim. nec unquam commovebor pallidis & tremulis iſtis calumniis: non certe ejus hominis, qui ambiguum apud omnes reliquit, pejore vita ſit, an lingua. At vos laeſit & facto & ficto. Fateor, & ſi tempora alia ſint, ſcio quid ſuadeam, nunc delabamur quaeſo ad illa priora, & fluctuantem hanc navem firmemus ad ſapientiae anchoram ſacram, quae manſuetudinem & patientiam ingeret, & ferre injuriam potius, quam inferre, imo quam auferre. Qui enim aufert, calumniatorem e meliorem facit, qui fert, ſeſe, Vale, & carmen illud mitte, quod polliceris de ſorore, imo & alterum. nam Conſtantiam noſtram Plantinus iterum parat edere.

dere. quam turpe nobis non ornari nomine tuo & verſu. Lugduni Batav. Non. Mart. 1584.

EPISTOLA XIII.

JANUS LERNUTIUS

Juſto Lipſio S. D.

Leidam.

SCripſi elapſis ſuperioribus menſibus ad te, ad Douſam noſtrum, conjunctim, ideo quod cum ſcriberem tum temporis aeger eſſem, nec faceret valetudini meae ſcriptio prolixior. Nunc iterum ſcribo, ſi fortaſſis priores aut interciderunt, aut perlatae non ſunt. nam a vobis literas recepi nullas. ſcito igitur jampridem Oſtendae captivum me teneri, & omnia paſſum, quae pati inter infenſos colonus ullus carceris poteſt. Vexatus a militibus fui crudeliter, & inhumane, dum pretium redemptionis meae conficere per vim quaerunt, nec ſatis; etiam fui vulneratus, vulneriſque cicatrix ne nunc quidem obducta eſt, fui in vinculis per dies & noctes decem, abſtruſus in antrum obſcurum, & peſſimo foetore inquinatum, ita ut ex putore in morbum inciderem, qui, me lecto affixit, & tantum non confecit, nam minimo minus affuit quin perirem. Certe ſemeſtri pene ſpatio uſum mentis amiſi, & prorſus a me ipſo fui alienus. Quod convaluerim, vel revixerim potius, benignitati numinis debeo, & diligentiae eorum, qui me curarunt pro opibus ſuis ſatis diligenter. Nam hic medicus nullus, ac ne Pharmacopola quidem eſt, a quo vel conſilium vel auxilium petas: ſed quid prodeſt convaluiſſe? emptum me a militibus gubernator civitatis hujus ſibi vindicavit, & nunc nulla ratione tranſigere cum eo poſſum, & tamen obtuli omnia quae poſſum, imo pluſquam poſſum obtuli, & cur plura offerre nequeam, cauſſas ſcripto ſum complexus, quas legit, & juſtas eſſe ne ipſe quidem inficiatur; ſed in propoſito pertendit, & obdurat, & niſi me voces, quae ſparguntur, fallunt, extrema minatur. Vereor ne iterum in carcere habitandum mihi ſit, & compedes gerendae, quod profecto fruſtra non vererer, niſi me commendatio quorundam adjuvaret, & animum ejus mitigaret adverſum me. Scripſit enim, ut intelligo, in gratiam meam praefectus Fliſſinganus, homo mihi ignotus, ſed a noſtratibus, opinor, qui in Mattiacis habitant, rogatus, cauſſamque meam meliorem & molliorem fecit. etiam ex Anglia literae ad eum miſſae ſunt a magnate quodam, pariter ignoto mihi, quae me commendarunt homini. Tu ſi quid potes apud Anglos, aut etiam veſtros, qui aliqua auctoritate pollent, quaeſo te, juva nos bonis verbis, & fac, modo fieri poſſit, ut tandem patiatur ſatisfieri ſibi. Idem dominum Douſam rogo, quem ſcio in Anglia legatum ſemel, iterum fuiſſe, & multos magnoſque habere ibidem in amicis, Credo & Metkerckius mea cauſſa, ſi cognoverit caſum meum, aliquos ex iis movebit, & me ſublevabit lubens & volens; nil dubito de Nanſio, ut nec de Hauteno dubito,

bito, ſi quam ſpem videant libertatis meae, quin in partem adjuvaturi ſint. ſalvete omnes pariter, ſimul cariſſima mihi capita, & valete, tuque imprimis amiciſſime Lipſi, & me tibi habe commendatum; Oſtendae 14. JanuarI A°. 1589. quarto a captivitate meae menſe.

Epiſtolam hanc cum pararem obſignare, allata ſunt ad me verba quaedam Gubernatoris minacia. itaque utroſque vos rogo, oro, obſecro reſecroque, ſi ullo modo poteſtis, ne me deſeratis in his malis.

Ad hanc videtur reſpondere Lipſius 11. Miſc. 53.

EPISTOLA XIV.

JANUS LERNUTIUS

Juſto Lipſio.

Leidam.

JAmdiu quid agas, ubi agas ignoro: nam ſi Lugduni adhuc es, qui fit, ut nihil reſcribas, & me menſibus quinque luctantem cum fortuna adverſa non ſoleris allocutione aliqua familiari? nam literae, quas ſtatim ab initio calamitatis meae miſi, ut omnes aut interciderint, aut perlatae non ſint, vel fama ſaltem noviſſe potes, me hîc captivum adſervari. Per ſacra igitur Muſarum & amicitiae praeſides deos, rogo te, des operam tandem, tandem, ut mittar manu, & poſtliminio redeam ad patrium larem, nec opus eſt molimine magno, ſola commendatione tua juvare nos potes. Habes enim, niſi fallor, amicos in Anglia multos, magnos. non dubito ſi ſollicitentur, quin libenter aliquid effecturi ſint, quod eſſe in rem noſtram poterit. Ego quae potui feci, ſed hactenus nihil profeci; pugna mihi eſt cum Cerbero novo, nulla offa araneantes fame fauces ejus explere poſſum. Coactus itaque confugi ad aras ſacras, & opem deorum imploravi, non omnino, ut ſpero, importune. nam ſimul ac intellexi Metkerkium in Anglia eſſe, ſcripſi ad illum e veſtigio, & carmen per illum Reginae miſi offerendum, petiique pro amico vetere & miſero ne gravaretur vel mentiri. ſcis enim favorem aulicum interdum fumo emi. quae me cauſſa movit, ut in verſibus meis de me paulo fortius locutus ſim. quid egerit nondum ſcio, ſcio perlatum nuper id, quod miſi, exſpectoque non ſine ſpe eventum rei felicem; ſed ſi me dea illa fefellerit, tu, quaeſo te, adjutor accede, & bonis verbis apud tuos age cauſſam meam, ne prorſus hîc peream. Vale amiciſſimum mihi caput, & amicis omnibus ex me ſalutem, Jano Douzae, Franciſco Nanſio, Jano Hauteno, Petro Colvio, ad quem etiam ſcripſi, & Franc. Raphelengio caeteriſque. Hanc epiſtolam per Antonium Colvium, Petri fratrem, miſi, is apud nos per aliquot dies fuit, & mox reverſurus eſt, ita ſi reſcribere volueris habes latorem certum. certus hic rumor eſt adventuros Legatos ex Anglia, ut coëant in amicitiam cum noſtris & foedera jungant. In quorum adventum omnia

hîc ſollicite praeparantur: ſcimus eos Douvrae conveniſſe, & nihil praeter ſecundum ventum manere. Deus proſperam illis navigationem, nobis ſtabilem concordiam tribuat. Teque incolumem diu nobis & Muſis ſervet, cariſſime Lipſi. Oſtendae 26. Febr. 1589.

EPISTOLA XV.

JANUS LERNUTIUS

Juſto Lipſio S. D.

Leidam.

EX Anglia tandem poſtliminio domum redii. & nunc tertius menſis agitur, cum inter meos ago. Quid inquies? Hoc verum eſt? tanto tempore nullas tu ad Lipſium literas: Ignoſce amice, & cauſſam ſilentii juſtam cognoſce. nondum inſula exieram, infeſta ad extremum mihi, quum lapſu equi brachium dextrum fregi. parte interiore ſupra cubitum, fregi: miro caſu non procul a ripa Thameſis, dum in terram deſilio, crurifragium metuens. Eo accepto infortunio quam non fuerim ſcribendis epiſtolis ipſe vides. Volui quidem, & tentavi ſaepe officium meum colere, tibique pro ſummis tuis beneficiis in me collatis gratias habere, ſed uti manu mea ullis modis nequivi: adeo aegre ſolidari oſſa minutatim rupta, & ad munia ſolita, ad priſtinum robur reduci poſſunt. Vix uti coeperam, ecce febris continua me invadit. & dolor capitis, quo graviorem ego ſane non ſenſi hactenus. nec puto ſenſiſſe Jovem ipſum, tum quum Palladem parturiret armatam. Nunc meliuſcule mihi eſt. Laudes gratiaſque illi ago, cujus ſolius ope tot aerumnas eluctatus ſum, Deo immortali vero. Tu qui vales? ubi agis? An Lovanii larem certum, ſedem firmam habes? ita audio; etiam ſtipendium honeſtum, gaudeoque & magis gaudebo, quum reſcivero ex te quomodo, quave de cauſa Lugduno diſceſſeris. Londini adhuc quum eſſem, intellexi: te Leodicum veniſſe, & in collegio patrum illorum, quos honoris ergo nunc non nomino, orationem habuiſſe in laudem Magnae Matris. Id quoniam facinus quibuſdam indignum te videbatur, noſti ſeculum, noſti mores, fuit qui quaereret ex me, an crederem factum: reſpondi, nil temere me credere, tamen ſi verum narrarent, non novum, non malum eſſe; ſi quis illam Matrem Virginem laudaret, quae laudari ſatis digne a nemine poſſet. At, inquit, quare apud iſtos potiſſimum? quaſi vero tantopere hoc nos movere debeat. Vel quia ſic occaſio tulit, reſpondi: vel quod ab iis rogatus eſſet, quibus negare fas non erat. an flagitium cenſetis, quia tu Chryſippi porticum amas; ſi peregre Athenas reverſus aut in Academia, aut in Lycaeo de pudicitia diſſeram, vel virtutis encomium celebrem? cur, quam nobis ipſis libertatem indulgemus, eam aliis cupimus ademptam? nonne quilibet noſtrum citra reprehenſionem ubique locorum, apud quoslibet bene agere, bene dicere quaelibet poteſt? oratio-

tionem vidiſti? quid habes quod culpes? non vidiſti? ſolum propter locum ergo, in quo habita, ſuſpectam eam habebis, & de auctore ſequius ſenties? qui Solis illius aemulus, in quamcunque partem terrarum ſplendoris ſui radios jecerit, incontaminatus ſemper, ſemper ſui ſimilis eſt. ſed haec ad te, de te fortaſſis nimis multa. Erant in eodem coetu, qui adfirmarent Joſephum Scaligerum evocatum a Batavis ex Gallia, ut in locum tuum ſuccederet, jamque aptis & expeditis omnibus nullam illum moram facturum, quin primo vento ſecundo navigaturum ſe crederet. Politica tua legi, probavi, opus doctum, prudens, elaboratum, in quo induſtriam tuam ſatis laudare, mirari ſatis nequeo, qui aliena ſic feceris tua. O memoriam tuam memorandam! O ingenium ſingulare! fructuoſius nihil puto a multis ſeculis exiiſſe in hominum manus. Utinam Deus principibus eam mentem det, ut praeceptis tam ſalutaribus obtemperent, rectumque illud iter ad templum Virtutis & Honoris, quod pandis, ingrediantur pede alacri & firmo. Hoc ſi contingit, non erit cur priſcis aetatem auream amplius invideamus. Centuriam tuam Epiſtolarum ſecundam vidi. Ex eaque animum tuum in me, etſi cognitum ante exploratumque mihi, plane pervidi. Ago tibi gratias, quas debeo maximas: nam relaturum me vix audeo ſperare: tamen quicquid navare in rem tuam potero, viciſſim non committam, ut in eo ſtudium aut diligentiam meam deſideres. Utere, vel etiam abutere me, ſi lubet, ut lubet. Tuus ſum & ero, dum ero, etiam cum non ero: vale, mi amiciſſime Lipſi, & amicis iſthic, ſi qui ſunt, ſalutem dicito, imprimis uxori tuae. Indicem earum rerum, quas cognato meo Sayonio in manum tradidiſti ante abitum tuum, velim mittas ad me. eo mihi nunc opus.

Videri poſſet haec reſponſio eſſe ad illam, quae legitur II. Miſcel. 67. itaque ſcripta poſt Septemb. 1588. nam ibi de rebus apud Sayonium depoſitis mentio. ſed quia de diſceſſu ejus ex Batavia agit, poſt An. 1591. certe poſt Junium menſem illius anni ſcripta eſſe debuit. & forte ſerius, quia ſequens eſſe reſponſoria videtur.

EPISTOLA XVI.

JUSTUS LIPSIUS

Jano Lernutio S. D.

Brugas.

NUnc denique reſtitutus mihi, patriae & meis videor, cum te audio reſtitutum. Bene eſt, Deus audivit mea vota, cui notus affectus meus in te, atque etiam dolor, quem in hac calamitate tua cepi. Verbis ſi inter nos opus, verba haec ipſa perdo. Abſtineo, & illud tantum ex pectore teſtor, exultare me & diffundi. E Batavis quaeris, quid me abduxerit? melior ratio, niſi erro. Jamdiu hoc agito, & in communibus illis turbis ſtationem illam elegeram, non ſedem. quis bonus aut ſapiens iis velit me jungi, quorum

 non

non aequa ſatis cauſſa videtur, nec (quidquid nunc fortuna rideat) firma? Deus nobis & rex ante oculos, atque etiam fama, quam hìc ſervaturi videmur, & propagaturi magis illibatam. Etſi concúſſiunculae & moleſtiae hîc etiam nobis (per te ſcire potes) nec livor aut calumnia ceſſant, aſſidua bonorum flagra. Nos fortiter feremus, atque adeo alacriter. ſi valetudo pro hoc verbo eſſet. ſed jacemus jamdiu, ni Lernuti, interno tabentique morbo preſſi, qui utinam in animam non jus etiam aliquod haberet. Eximia debebat eſſe coeleſtis & immortalis illa pars. niſi quod aliter viſum immortali, cui non refragor. de ſtudiis alias, atque utinam coram aliquando. utinam & illud, quod injeciſſe ante annos te memini, ut ſedem figeres in hoc loco. ſed nihil hortor, tempora & res tuae quod pro re ſit ſuadebunt. Quae depoſueras olim apud me, cum cura & fide habita tradidi Sayono ex praeſcripto literarum, quod ab uxore tua accepi. Rerum indicem hîc habes, tranſcriptum ex eo, quem ejus manu notatum ſervo. ſunt & liberatoriae ſchedulae apud me de pecunia trajecta. ſed ſpero coram ſemel haec omnia recipies, quia per incerta haec viarum mittere non ſuſtinui. Vale, mi Lernuti, & diu fruere tuis ſalvis, in primis tua, quam ſaluto. Victorem noſtrum eripuit mala ſors, grande ſolatium meum, & tibi, ſi jam vixiſſet. Deus voluit. ſumma ſententiae, acquieſcamus. Lovanii III. Kal. Jun. CIↃIↃXCIII.

EPISTOLA XVII.

JANUS LERNUTIUS

Juſto Lipſio S. D.

Lovanium.

OCcaſionem ſcribendi nactus hoc tempore praeter opinionem, Juſte Lipſi, optime amicorum, facere non potui, quin aliquid ad te literarum exararem. Jam enim ſilentio indulſimus uterque, non dico ſatis, ſed nimium diu. qui has tibi meas reddit, filius eſt meus, homo adoleſcens ex ſchola Liekerchii noſtri privata, in Academiam veſtram publicam, cujus tu Lumen, imo Numen es, miſſus ad ingenii cultum meliorem, & liberalium artium copioſiorem veluti mercatum. Eum ego fidei tuae ita commendo, ut magis non poſſim: quaeſoque te, ne grave ſit tibi, curare ut recipiatur per te in claſſem illorum, qui Dialecticam iſthic audiunt hoc anno: nam niſi tu vel tui ſimilis amicus juvet illum in re tali, vereor ne ſerius venerit, inchoato jam & promoto ſtudio iſtius diſciplinae. cauſſa, cur non abierit domo citius, ea eſt, quod in animo mihi erat, illum mittere Duacum, ſcilicet una eademque opera linguam Gallicam ut addiſceret, dum a lectionibus ordinariis tempus vacuum terens feriatur. ſed quum jamjam profecturus eſſet eo, Ecce tibi literae ab homine noto certae, peſtem in illa urbe quinquaginta aedes funeſtaſſe, jamque collegium Jeſuitarum eſſe infectum, unumque ex patribus diem ſuum obiiſſe, ſublatum lue contagioſa. ſic tres mihi ſeptimanae elapſae, dum novum conſilium capio, & quid potiſſimum ſequar, am-

ambigo incertus. Ambitioſe nunc & pluribus verbis contenderem abs te, ut admittere illum in familiam tuam velles, niſi memor eſſem rationum tuarum, propter quas idem petentibus non es obſequutus. ſed ſi quis forte exterorum vel importunitate ſua, vel blanditiis tantum faelicitatis eſt adeptus, inſcio me, velim ſane & mihi liceat venire in partem mihi noto veterique ſodali: tamen non urgeo, facies ex uſu tuo quod erit, neque enim cupio incommodare tibi ullo modo, ut meo meorumque nomine moleſtiam capias vel tantillam. Etſi hoc non impetrem, tot nihilominus beneficiis tuis olim obligatus tibi ſum, ut ſolvendo non ſim. quorum memoriam, ſicut debeo, ſancte colo, & colam ſemper, donec corporis hujus colonus ero, etiam quum non ero. ſalve interim, amiciſſime Lipſi, & vale, filiumque meum iterum commendatum, puta natum tibi.

Brugis Morinorum 7. Cal. Novemb. anno a partu Virginis 1596.

EPISTOLA XVIII.

J. LIPSIUS

Jano Lernutio S.

Brugas.

GRatus mihi tuus fuit, & gratiſſimae una litterae, quibus ſilentium merito excuſas. ſane praeter morem, & poene dixerim jus, tam veteris amicitiae ſuſceptum. Excuſet moeſtitia haec temporum, quae manus, non ſolum animos, lentas reddidit & retardat. Sane, in iſto pectore nihil mutatum, ſciunt (ut internum meum validiſſimum teſtem omittam) ſciunt, inquam, quicumque uſu aliquo aut ſermone juncti mecum fuerunt. ſaepe iis fuit de Lernutio aliquid audiendum, etſi cum verecundia aliqua mea, quod nihil a te audirem. ſed iſta fuerint, & ſi placet & vacat emendentur; ſin autem & te Bellerophonteus aliquis morbus habet (quod de me non nego) age, vel ſilentio amemus. Filium tuum deduxi ad Collegium Falconis, quod vocant, commendavi Regenti & Lectori, ſpero non vane. fama id Collegium floret, & numero quoque lectae juventutis. de mea domo, non potuit, quae ita plena eſt, ut nec amico hoſpiti ſit locus. Primam aperui importunitate unius amici victus, ecce oſtio toto irruperunt, & domus meae angulos omnes impleverunt. Septeni ſunt, praeter meum famulum. Vide quam ſalva mihi tranquillitas, a puero ſemper ſic optata! ſed iſta & plura ferenda, in aevo non mitium hominum aut artium. de ſtudiis quid ſcribam? alienis judiciis & animis potius, quam meo obſequor; niſi quod nunc aliquid philoſophor, id eſt in Civili parte verſor, qua meditatione & tractatione fateor me paſci. Atqui eruditiora alia ſunt; quid id ad me, ſi haec meliora, utiliora? & ſuccreſcit juventus, quae illa noſtra ponit aeque ut nos, aut ſupra nos. quid hîc inſiſtamus. ſunt & litigia, morſiunculae, & juveniles ineptiae devorandae, quae parum ad ſtomachum hunc ſenilem. nam aetas mea, mi Lernuti, ingraveſcit magis, valetudo diu afflicta. tu, ut cum tua diu valeas vivaſque, opto. Lovanii prid. Kal. Decemb. CIↃIↃXCVI.

EPISTOLA XIX.

JANUS LERNUTIUS

Juſto Lipſio S. D.

Lovanium.

VEnerunt heſterno die ad aedes meas patritii aliquot viri, civitatis noſtrae primores, ea mente, ut per me commendent curae fideique tuae cognatum quendam ſuum; per me inquam, potiſſimum, quo neminem Brugis antiqua & veteri amicitia noverunt tibi conjunctiorem. Eorum voluntati quum refragari nec poſſem nec vellem; viſa enim honeſta mihi, nec aſpernanda tibi, epiſtolium hoc de ſubito exaravi ad te, petoque abs te, tam meo quam illorum nomine, ſic tamen, atque ea lege, ſi, ut audio, vacat locus, ſi ſine animi moleſtia facere potes, ſuſcipere in familiam tuam ne graveris adoleſcentem optima praeditum indole, ornatum egregiis moribus, ortumque domo clara: fuit illi pater Reinerius Anchemant, dominus a Marca, cujus maſculae ſtirpis primus iſte haeres. apud Patres hîc longo ſatis tempore operam ſtudiis liberalibus dedit, tantoſque progreſſus fecit in cognitione bonarum literarum, ut eſſe jam alumnus deinceps Academiae veſtrae queat. quod quo majore cum fructu fiat, multum namque refert quibus converſetur tenera adhuc & rudis aetas, propinqui adoleſcentis tradere tibi erudiendum porro nepotem vehementer ardent, utque hoc ipſum tam cupide cupiant, movet & nominis tui fama late divulgata, & domeſticae diſciplinae ratio, qua excellere te audiunt, quamvis longe poſiti. Accendit inflammatos tertia fax, quod intelligant liberos Richardoti Praeſidis, alioſque ex prima nobilitate juvenes tecum vivere, ac mollibus ab annis mirari virtutem & doctrinam tuam. quorum in coetum ſi admittere etiam noſtrum hunc ephebum voles, gloria illi gemina accedet, tum a te ita illuſtri hoſpite, & doctore raro, tum a convictu filiorum tam pollentis viri, qui nunc in Belgica primo proximus eſt. De mercede noli dubitare. parati ſunt luculentam adſignare tibi, vel in menſes ſingulos, vel in annum arbitratu tuo. quod res eſt narro tibi. res ampla eſt, imo ſupereſt pupillo iſti, etiam tutoribus animus, ut remunerentur te: mihi quidem adoleſcens valde probatur, nuperoque congreſſu ſtatim me cepit, capiet te quoque, ſpero, ut videbis, vel aſpectu ſolo; quare iterum atque iterum quantum poſſim, rogo conditionem, quam ferunt, arripias animo volente, mihique ubi primum vacabit, reſcribas quid ſperandum nobis ſit. Hoc feſto Bavonis mittere eum decreverunt in univerſitatem Lovanienſem, ne quod tempus fruſtra elabatur. Vale, amiciſſime amicorum, filium meum non commendo, ne videar diffidere tibi. ſcio te conſtantem ante aliis & tui ſimilem, hoc eſt amicum mihi, ideoque illi pariter ſimul benivolum. Brugis Morinorum A°. a ſalute humani generis data 1597. 15. Kal. Octob:

EPI-

EPISTOLA XX.

J. LIPSIUS

J. Lernutio ſuo S. D.

Brugas.

EPiſtolam tuam ſatis ſedulo & accurate ſcriptam pro adoleſcente veſtrate accepi, atque adeo ipſum (quid ſuſpenſum te teneam?) commendatione tua recepi. Nolo imputare hoc beneficium, plura veteris amoris noſtri cauſa velim & debeam, ſed tamen recenter negaſſe me magnis praetoribus ſerio teſtor. Et ipſa etiam res negat. domus mihi plena, & nec angulus vacat; vix etiam huic, niſi quod intra duas aut tres ſeptimanas unus e meis abit. Ita in locum ille ſuccedet, & tantiſper (ſi ante venit) metaturam tamen illi dabimus, in qua acquieſcat. De pretio & talibus, dixi coram cognato ejus *du-Bloys*, qui hîc inter Patres negotium ejus agit. Eum non ambigo ſcripſiſſe, nec juvat iterare. Hoc apud te tantum. pretii cauſa me nihil facere, quem benignitas Regis facit talis ſubſidii non egentem. Tuum interdum hîc video, rarius quam vellem: & in Philoſophicis adhuc eſſe credo, ubi proprios ſuos magiſtros & directores habet. Siquid juvari à me poteſt, aut ingenium ad noſtra propendet (neque aliter ad ea invitandum) quid niſi rem breviter dicam, eſſe me in tuos ob te pronum? Vale mi Lernuti, cum tua, tuiſque. Lovan. Kal. Octob. CIƆIƆXCVII.

EPISTOLA XXI.

JANUS LERNUTIUS

Juſto Lipſio S. D.

Lovanium.

ROmam evocatum te, Juſte Lipſi, invitamento Principum virorum libenter audio: tamen non ſine doloris aliquo morſu. Libenter, quia virtuti tuae profectionem eam ſpero, imo confido, & honori & emolumento futuram. Invite, quod metuam (pondus in omine nullum ſit) ne haereas, & alligeris novus Prometheus ad colles ſeptem dominae urbis, quam ſcriptis tuis hoc ſeculo noſtro unus omnium maxime illuſtraſti. & ſane ſi gratus eſſe cum Rege ſuo ſenatus ille purpureus volet, mactum conditionibus amplis Civem te Romanum remittet nobis; nolo dicere, retinebit ſibi, nam invideo, ut ingenue loquar, ſidus orbis noſtri tam praeclarum Latio, cui ſimile ab Auguſti aevo non habuit ullum, & fortaſſis nunquam habiturum eſt. utinam ipſe aptis & expeditis ſaccinulis comitari te, & luſtrare iterum una pariter tecum regionem illam poſſim, terrarum ocellum, nihil

hil in votis hoc tempore nec majus nec potius habeo: verum maritali compede impeditus, quod cupio non poſſum, utinam ex filiis ergo meis alterum liceat mihi ſubſtituere ſaltem. ut vices meas obeat ille, & faelicitate pro me fruatur ita expetita. ſi eſt ut admittere eum inter familiares tuos velis, tribus verbis ſententiam tuam perſcribe, utrum malis ê duobus. mittam, quemcunque elegeris; vidiſti nuper majorem natu: juniorem non vidiſti ſcio: ſcito grandiuſculum eſſe, & ad laborem quemvis etiam itineris fortem ſic ſatis habilemque. ſed ſi jam quos tecum ducas optaviſti, Audientis filium rogatus commendo tibi. nam & pater & propinqui hoc ut abs te peterem, pluribus a me precibus contenderunt, non potui negare hominibus notis & probis officium tam leve. Tu, ſi facere ſine incommodo tuo potes, adoleſcentem jam miniſteriis tuis adſuetum patieris haerere in parte comitatus tui. Hoc mihi, certe illis pergratum erit. ſalve & vale, optime Lipſi, proque Admirandis tuis, liberaliter atque amice ad me miſſis, multas tibi & magnas gratias habe. Opus eſt & auctore & titulo ſuo digniſſimum: quod ſine tui invidia, nec praeſens aetas, nec poſteritas ulla leget. Egiſſem eas ante, niſi fuiſſem ſubiratus tibi. Quî poteſt hoc inquis? cave cauſſam ex me quaeras; non committam eam huic epiſtolio nunc. alias, ſi uſus veniat, exponam melius, vel coram. nam quamvis procul a nobis abeas, ſpes tamen me tenet futurum ut congrediamur aliquando, quae ne fallat, Deum Opt: Max: precor, itumque tibi & reditum ſecundum exopto. Noſter in utroque perſevera. Brugis Morinorum 16. Kal: Jul: A°. 1599.

EPISTOLA XXII.

J. LIPSIUS

Jano Lernutio ſuo.

Brugas.

PErgratae mihi tuae, neque hoc neſcis. Quem porro commendas, etiam à ſe eſſe poteſt, ut frontem video, & ſermonem audio, utraque indicia melioris indolis ſive mentis. Sed profecto tua gratia meam illi impertiar, & juvabo ac dirigam, ſi qua opus. Quaeris de fato Duzarum [1]. ita enim loquendum eſt: & duo perierunt è ſeptem liberis maribus, niſi fallor. Omnes novi; omnes, raro exemplo, rarum aliquid & ſupra vulgum pollicentes. At primus ille [2] aetate, dotibus etiam primus: & profecto, ſi vita fuiſſet, ille ſupra omnes Belgas fortean ſcandiſſet, qui nomen adhuc paraverunt. multa in eo eruditio, etiam interior illa & ſeria: ad ſummam, damno patria, nos do-

1 Ex Epiſtolarum Douzae verſibus ſcriptarum octava decima ad Gruterum, colligimus *Janum* & *Georgium Douzas* obiiſſe eo tempore. ſuperfuiſſe *Stephanum*, & *Didericum*, qui per Poloniam & Turciam peregrinabatur, *Wernerum* & *Didacum* in Indiam abiiſſe, *Franciſcum* in Anglia tunc verſari. filiam unam nuptam Friſio, alteram innuptam ſororem comitatam eſſe cum Stephano.
2 Janus.

dolore affecti proxime à patre ſumus. Quidni? ego illi alter parens, & ingenium illud à puero formavi. Abiit, ut boni à nobis & bona: tum aetate proximus, *Georgius*, qui Byzantium viderat, in viam fraternam iverat, is quoque in fatum. Periit nuper, non Gaditanâ illâ expeditione, ut tu reris, ſed Indica & longinqua. Mala febris, & phrenitis ex ea, abſtulerunt. De Italo quod ſuggeris, qui in Politicis à me diſſentit: faciat, illa ſatis firma videntur, nec timere ab illo aut alio (auſim apud te) dente. De [1] Gallo, qui *Latinitatem meam* libro ſuo praeſcripſit: praeſcripſit tantum. Ipſum inſpice, non habet, certe non profert, quid in Lipſium dicat. Cacoëthes hujus aevi noſti: à quo nec ille alienus, qui *De magnitudine* ſcripſit, etſi paullo diverſa, ſed avidus mordere aut pugnare, ſi materiem aut virum repperiſſet. Illa ſatis dura eſt, hic mollior quam ut repugnet: ita deſiit hic ludus, poſt tubae tantum ſonum. nec proluſio quidem juſta fuit. ſed ille quoque deſiit & ad μακαρίτας ivit: bene precati omittamus. Seneca me nunc habebat: neſcio an exſtruam opus, fabro iſto ſaepe languente, faſtidiente, & abitum minante. Fiat, quod Deo viſum: quem volentes ſequimur, & te cum Tua ſalvere animo jubemus. Lovanii, 4. Non: Sept. ∞. ıɔc.

1 *Henrico Stephano*, qui de Latinitate Lipſii edidit librum.

EPISTOLA XXIII.

JANUS LERNUTIUS

Juſto Lipſio S. D.

Lovanium.

ADoleſcentem hunc vides? noſtras eſt, imo proprie meus fieri etiam cupit tuus. Hac enim ſpe Lovanium venit, dignus idcirco ut fiat. fiet, ſi excipere eum ea comitate voles, qua ſoles tali ingenio praeditos. Ingenium illi praeclarum, eruditio rara, certe ſupra aetatem, ante omnia animus ingenuus eſt, & tibi ob virtutem devotus? quid extendo epiſtolam? admitte hominem in ſacraria tua, vel quia te amat, vel quia a me venit. Olim, olim tuo & nunc quoque amico. Utramque cauſſam probabis ſpero. magis tibi ubi innotuerit. Petiturus Galliam noluit te inviſo excedere patria. Bene fecit; Solem te Belgicae poſtquam oculis coram luſtraverit, plenus tui abibit ad Celtas, ut porro illic ſidera alia regionis illius contempletur ex propinquo, videatque quam multis millibus anteſtes omnibus. habebis praeconem virtutis tuae, quum eo venerit, benivolum, & ſincerum. novi nihil illo tibi opus eſſe. Luces enim per te ubique terrarum. quid nocet tamen, ſi quis ſuffragium ſuum adjiciat, & benigno ver. acique ore te efferat apud exteros? Themiſtocles Graecorum ſummus Imperator, etiamſi late notus eſſet, ſpargi nihilominus ac propagari gloriam ſuam lae-

Ad hanc reſpondet Lipſius IV. Centur. Miſcell. 81.

laetabatur aura rumoris ſecundi. Nonne Demoſthenes lumen eloquentiae omnis ad aniculae vocem arrexit aures, atque animum diffudit? quamvis Stoïcorum amans affectus iſtos ſpreveris, abs te longe tamen cornea tibi fibra non eſt. Humanitas te capit, utere ea. & admitte adoleſcentem noſtrum. Haud dubie redamabis illum, & mihi quoque gratiam repones, quod conciliaverim eum tibi. Quaeres fortaſſe aliquid nunc de me, quid agam, quomodo agam, nil ſcribam? vel ingentis epiſtolae inſtar apud te hic erit mihi: cui omnia mea nota ſeria, joca: ſi quid ſcire avebis, ex eo percontare. Interpretem mittere commodiorem non potui. Opus de Veſta & Veſtalibus tuum miſit ad me nuper Swertius. Legi, probavi. Audio epiſtolarum te Centuriam novam parare. Macte hoc animo tuo indefeſſo dignus, & locum in prytaneo perpetuum habere. non fit, ne mireris. Bella haec infeſta ſtudiis liberalibus ſunt. Belle tamen tibi fuiſſe audio & laetor. Utinam diu ſit, nec valitudo tua interturbet. Verum eſt an fabulantur morologi? Iterum languere te vix credo. quum vulgata modo tot tua ſcripta reclament. Reſcribe, oro te, & rerum tuarum nolo me exſortem habere. Quid vis inquies? Libros a praelo recentes mitti ad me per te veteri tuo & vetuſto more. Nam quos alii mittunt non aeque me capiunt. Aquae, ut noſti, gratiores ſunt, quae ex fonte bibuntur. etiam munera, quibus auctor ipſe pretium addit, miſſa officioſe; Centuriam epiſtolarum ad Belgas, Gallos, Germanos non habeo. Nec Politica tua, quod opus perfectum eſſe videor mihi pleno ore poſſe confirmare. nihil in eo ſoleo deſiderare, praeter partes & munia legatorum, de quibus nulla uſquam mentio. num ſtudio hoc ita commiſſum, an per oblivionem omiſſum? perfricui, ut vides, frontem. Pergamus graviter eſſe impudens? Quid ni. Os liberum in Giſelino quondam probaſti. Feres, ſpero, me ſuccedaneum illi. In Centuriis epiſtolarum tuarum nullius etiam magni epiſtolam tenere locum voluiſti, meo indicio recte. quamvis Cicero olim, nuper alii aliter. hoc probo. non illud, quod ſolius [1] Caeſaris Scaligeri putaveris inſerendam. At quam epiſtolam Di boni! plenam gloriae vel venti potius. Ille Maſiniſſae par aut ſimilis? Ille? ſed non libet excutere omnia. Videris mihi captare benevolentiam filii nimis aperte. qui qualis qualis eſt, animo in te prorſus amico non eſt. ſi eſt, ubi pro tot elogiis tuis, in genus illud Deorum (meminiſti opinor verborum tuorum) munem ſe & gratum oſtendet palam? literis privatim blanditur tibi, ſcio: publico ſcripto teſtimonium, quale mereris, non ponet unquam, aut ego animi valde fallor. lib. II. ad Belgas epiſtola LXXVIII. de [2] BusbequI obitu in errore es. non periit, in itinere mili-

1 Vid. II. Centur. 45. & 46.

2 *Lipſius* Epiſtola ad Douzam Fil. Decad. V. 2. a Pontano edita, eum a militibus vel latronibus in via interfectum, juxta Rhotomagum caeſum & ſepultum narrat. *Valerius Andr.* Bibl. Belgica juxta S. Germani Sacellum, ex hoſpitio raptum, ſed non vulneratum ſcribit. & reductum, & febri correptum ad aedes Marchionis Mailloienſis ſe deferri juſſiſſe, ibique paucis poſt diebus obiiſſe. V. Kal. Nov. 1592. Vid. & *Melch. Adam.* vitas JCtorum pag. 317. Excuſſit haec omnia ſatis accurate *Bailius* in Lexcio, niſi quod, Epiſtolam Lipſii II. Centur Miſc. 99. dicat II. Januarii ſcriptam, quae de morte Busbekii, quam V. Kal. Nov. ejus anni eveniſſe narrant, ſcrupulum habet. certe

militum vel latronum violentia: periit domi inter amicos fato ſuo. ex eis hîc apud nos ſunt, quorum in ulnis exſpiravit. Ipſe *Wyngardus* verum hoc eſſe atteſtatur. An nunquam ea de re ſcripſit ad te? monui hominem aliquoties. nunc te moneo, ſi viſum tibi ut emendes, nam quae auctoritas tua eſt, propagari error in plures poteſt. De aetate tua in eiſdem ſcriptis tuis ſparſim fit mentio, incerta tamen & ſic perplexa, ut quidam ſcripſerit, videri te nunquam & ſemper natum. Invaletudinis tuae commemoratio quibuſdam quoque nimis crebra videtur. Jamque apud Gandenſes inter doctos jactatur, Morbos tibi pro aegide Palladis eſſe ad excuſandum te. nolui haec te, quantumvis levia, celare, quo occurrere poſthac dicteriis talibus poſſes, & claudere os Momo ſandalion Veneris culpanti. Sed Gandenſium, quia obiter mentio incidit, velim de epigrammatario ejus urbis judicium mihi tuum perſcribas libere, ejus IX. libros certus ſum te vidiſſe. magnopere tibi obligabor, ſi hîc mihi pectus tuum aperueris, quandoquidem impetrare abs te nondum potui, ut de meis ſcriptis vere & ſevere pronuntiares ſententiam tuam. Salve iterum & vale, amiciſſime Lipſi, ingens ſeculi decus, & exemplar in literis unicum. Brugis Morinorum A°. ∞IϽCIII. a partu Virginis. Eid: Septemb.

Negotium meum, quod in aula habeo cum aerarii praefectis, velim Dno Drynkwart commendes: etiam aliis proceribus, id quale ſit, exponet tibi Schilderus noſter.

te in Autographo III. Idus Jan. 1592. diſertim eſt ſcriptum. difficultatem hanc ego non expedio: nam ante & poſt eam epiſtolam plures aliae circa id tempus ſcriptae leguntur. haec tamen eſt epiſtola, qua melius edoctum Lipſium Bailius indicavit.

EPISTOLA XXIV.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

Litterae tuae, eo loco mihi, quo olim tu: hoc eſt gratiſſimae ac jucundiſſimae, ad quos magis moris cauſſa reſpondeo & amoris, quam quod nunc eſſet epiſtolae argumentum: ſed teneamus, quaeſo, hoc ſollenne, ut etiam ubi res non erit, commeent inter nos litterae, ſi non aliud, ne intercludi iter patiantur veteris amoris. De rebus patriae gratum, quod ſignificaſti. ſequar exemplar, ubi erit copia: nam nunc Antverpia nihildum acceperam. Academiae res bene habent. Praeter vulgus ſtudioſorum, qui cottidie adveniunt, venit nuper quidam etiam Gallus, Lutetiae natus bono loco. dolendum tamen eſt ceſſare eos, quos noſti, qui in rebus ſcholae, ut ille ait, nive Gallica frigidiores reperiuntur. Vale, mi Leeuwii, & me ama. Lugd. Batav. IV. Non. Junias CIϽIϽLXXX.

D 2 *Theo-*

Theodorus Leeuwius. (*Diderik van Leeuwen*) *Adriani* Filius, in Hollandiae Curia Senator fuit, olim Lipſii diſcipulus, & poſtea ſummus amicus & familiaris: repperi inter Lipſii Epiſtolas excerpta quaedem de Familia *Leeuwiorum*, ex commentariis domeſticis, in quibus vidi eum 25. Octob. 84. duxiſſe *Hildegondam van Loo*, quae ſeq. Anno 12. Febr. 85. in puerperio fuit exſtincta, ſimul cum foetu. Conſolatur eum Lipſius Epiſtola egregia, quae eſt 1. Centur. Miſc. 61. & ejuſdem Argumenti, nos alteram damus. Altera uxor, quam VI. Octob. 1587. duxit, fuit *Catharina vander Goes*, ex qua filios *Adrianum*, *Petrum*, & *Theodorum*, tulit. ipſe obiit. 21. April. 1596. ex *Petro* ejus poſteritas propagata, ſummis in patria noſtra, & praecipue Brielae & Leidae honoribus functa eſt, & adhuc floret, licet alio nomine nunc cenſeatur.

EPISTOLA XXV.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

PArantem me reſpondere prioribus tuis literis alterae oppreſſerunt, amiciſſime Leeuwi. Reſpondebo, ut ſoleo, breviter utriſque. Quod quaeris, qui hiſtoriam contexuerint a fine *Vopiſci* aliorumque: non alium habemus, dignum quidem legi, praeter *Sex. Victorem*, qui nuper Antverpiae excuſus eſt a Plantino, & *Ammianum*: ſed *Ammianus*, uti ſcis, pauca tantum de Conſtantio, Valente, & Valentiniano habet, libris ejus amiſſis. Alioqui ſcripſerat continuam hiſtoriam a fine *Corn. Taciti*, ad ſuum aevum, judicio & fide meliori, quam ſtilo. At *Victor* non uſque quaque placebit tibi, brevis, conciſus, in re; in verbis [1] ſciolus & adfectator. quid agas? Solus tamen ille reliquus ex antiquis. In provincia tua, quam ſuſcepiſti, velim conſtanti & erecto animo eſſe te. ita enim decet. Publice hoc expediet (loquor quod ſentio) & privatim tibi. Ita tamen natura comparati ſumus, ut tangant nos praeterita, faſtidiamus praeſentia: Mulierum, cum uterum ferunt, mollities & [2] malacia quae ſit non ignoras. hoc volunt, hoc nolunt; hunc cibum, hunc potum: & pugnant votis ſuis una eademque hora. Prudentiores nos ſimus, ſequamurque ſummum illum Imperatorem, quocunque duxerit, quaſi legitimae militiae auctorati. & ſcio, ſequeris. Philoſophari tamen hoc tecum volui, ut Ennianus Neoptolemus ait, paucis. Alias, ſi ab affectu meo loquerer, mallem omiſſis projectiſque omnibus te eſſe meum. Ea ſigna in te vidi verae germanaeque virtutis. de Advocato Fiſci quae ſcribis, nova mihi & παράδοξα. Cupio ipſe & opto. ſed tentanda prius voluntas eſt eorum, quibus haec in manu. & dabo operam, ut id prudenter fiat, & cum decoro. In locum *Neoſtadii* ſuffectus eſt *Nic. Dalius*, inſtitutionum Profeſſor: rarae ſpei adoleſcens, ſed, ut morbus minatur, non vitalis. Principis adventus utinam, uti ſcribis [3] rebus labentibus medeatur. Cenſura opus certe, eaque non modo ab invidia abſutura eſt, & opinione acerbitatis, ſed contra laudem [4] merebitur benivolentiamque apud omnes. Lentitudine pecca-

1 *Humilis* Crenius. 2 *Malitia* Crenius. 3 *Vobis* Crenius. 4 *Merebimur* Crenius.

catum adhuc eſſe docet haec in rebus noſtris perturbatio, & communis ἀταξία. mors regis Hiſpaniae, Galliae & ducis Albani, nuntiata nobis ſub idem tempus. vera fama ſit in uno ſaltem ex triade illa. ſi quid de rep. habebis, quaeſo, ſcribe: reponere officium ego non poſſum ex hoc angulo, & quia clauſae fuerunt hoc coelo Antverpiam viae. Vale, mi vir cariſſime, & clariſſime. Lugduni Kal. ipſis Decemb. CIƆIƆLXXX.

Editam vidi poſtea hanc epiſtolam a Th. Crenio poſt tractatus de Philologia, ab ipſo conjectos in unum volumen A. 1696. pag. 480. ſed in paucis vocibus varietates adnotavimus, & quia neminem ibi quaeſiturum Lipſii epiſtolam crederemus, hîc noluimus omittere.

EPISTOLA XXVI.

J. LIPSIUS

Th. Leeuwio.

Hagam.

NOn facile aliquid laetius nuntiari mihi potuit, mi Leeuwi, hoc conſilio tuo migrationis. Nam & tua cauſſa gaudeo, qui exſolutus illa compede, liber ambulabis & tui juris. mea, qui amicum recuperabo, in cujus ſermonibus & conſuetudine ſaepe, ut antea, conquieſcam. Itaque de novo munere Conſiliarii, quod iterum moliuntur, moliantur. Tu (ſi me audis) non patiere in hoc brevi curſu vitae elabi eam tibi ſine ſenſu, ſine fructu. Nec ego honori tuo non faveo; ſed dic, ſodes, quae eſt iſta ambitioſorum & occupatorum vita? quando ab impotentiſſimis dominis, id eſt, a ſpe aut metu libera? pendent ex alieno arbitrio, & ſolliciti ſunt, non quid ipſi agant, ſed quid alii loquantur. Ex fama recta, ſive mala, gaudent aut torquentur. At mihi contingant opes illae modicae, & apud me habitatio, &, ut ille ait, *ſecura quies*, & *neſcia fallere vita:* ſpernamus ſuperba tribunalia, & ſceptra omnium regum. De Uxore, quod ſemper cenſui, hoc nunc: non praecipitandum in hanc naſſam. Placet illud neſcio cujus philoſophi; *Ducturire*, *&* *non ducere.* quanquam Graece hoc melius. nec mea unius haec ſententia, ſed ut tempora iſta labuntur, cujuſvis e vulgo. de domo, placet etiam conſilium tuum, & faciet hoc ipſum ad tranquillitatem. Walravius de conditionibus tibi ſcribet, meo animo non rejiciendis. Ad patriae res quod attinet: iterum auxilii ſpecula a Gallis. Adventaſſe XXVI. centurias ad me ſcribunt, & turmas aliquot equitum, quae ſunt in finibus Brugenſium. Hodie ingreſſas ipſum oppidum audivi. ſed haec taliaque & fabulabimur coram interdum, & fortaſſe videbimus. Certe eos, quibus vita elabitur in vanis iſtis rerum. vale, vir amiciſſime, & mihi exſpectatiſſime. Leidae Kal. novi anni CIƆIƆLXXXII.

EPISTOLA XXVII.

J. LIPSIUS

Th. Leeuwio.

Hagam.

EN tibi, mi Leeuwi, ſemina pauca braſſicae florentis, aliud mitti dignum nondum accepi. quidquid nactus ero, ſpondeo futurum id in parte tuum. Quamquam tu fortaſſe de alia cultura cogitas, quam horti, quam opto bene tibi proſpereque evenire. quod ad rempub. nihil ſcriptu dignum, niſi quod meras magnaſque laudes memorant novi ducis. utinam veras! Quod ipſum brevi apparebit: nam ficta omnia celeriter decidunt. Catholici templum impetrarunt Antverpiae S. Michaëlis. Ea lege, ut uno illo contenti ſint. ut regem prius Hiſpanicum ejurent. ut triennium continuum habitaſſe Antverpiae probent. conditiones quo ſpectent vides. intelligo idem futurum Bruxellae. At in reliquis locis nihil mutabitur, ut ajunt. *J. Bodinus* [1], qui Methodum, & de Republica ſcripſit, eſt Alenconio a conſiliis, titulo Magiſtri libellorum ſupplicum. Vir ſane doctus varie, ſed varia item ſentiens: & in iis de republ. ſententiis aliquot fautor, quae non bonae. Familiam cum ales bene eveniat. ſed de familia, ſuadeo eligas πείνην potius, quam κοίνην· ſatis in vita moleſtiarum, ſi non alias accerſamus nobis ultro. & Venus a veniendo dicta, ut Varroni placet, quod adveniat ſponte. ſed jocor. Vale & ignoſce epiſtolae inter ſeria oſcitanti. III. Id. Mart. CIↃIↃLXXXII.

1 Hunc etiam Alenconio conſilium praebuiſſe opprimendarum urbium Belgii ſuſpicatur *Hoofdius* Hiſt. lib. XIX. pag. 843. ubi & Judaicae religioni addictum, obiiſſe ex communi fama refert. vide ejus vitam, nuper a *Polycarp. Lyſero* ſatis diligenter conſcriptam, in Apparatu Literario, ſpecim. XVI. Witteb. 1717. edito. ubi & ſpecimine IV. *Woldebr. Vogtius* de ejus Judaiſmo agit. Ceterum notus ſatis eſt Bodinus.

EPISTOLA XXVIII.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

SOlatio magno mihi litterae tuae, quae meliora de Principis, id eſt, patriae ſalute, nuntiaverunt: nam vere communis ſalus (ut nunc res habent) nixa capite illo uno. Quod diſſidium futurum putas urbium provinciarumque, ſublato uno illo vinculo, quod male haerentes adhuc ligat? nam [1] novi Ducis Auctoritas infirma etiam nunc, nec egit radices. Magna & mira temeritas [2] deſpe-

1 Intelligit Alenconium, cui Belgae detulerant nuper imperium.

2 Joannis Javregui, qui Antverpiae vulnus, ut credebatur, letale Guilielmo I. Arauſionenſi, inflixerat.

ſperati illius capitis. qui rem tantam ſuſcepit, nulla ſpe ſalutis. Quae enim via illi evadendi? at apud alios fortitudo appellabitur, & accenſebunt exemplis priſcis Romanis. Habent Hiſpani ſcilicet ſuum Mutium. ſed tu bene, mi Leeuwi, flectis oculos ad res humanas. vide, quam improviſe, quam ſubito ictu evertitur illud omne, quod appellamus vitam, & quam nihil in nobis certum, niſi ut ſciamus haec incerta. Nos hîc ſane eo nuntio turbati & collegae mei [1] (ſcis quos dicam) jam de ſarcinis cogitabant. Eo magis, quod non bene conveniat iis cum hoc Senatu, quem vellem quibuſdam in rebus moderatiorem. Sed & illos magis lentos, & minus Gallos. de [2] Gryphio noſtro quo loco res eſt? jamne in faſtigio novae dignitatis? an fumos ille captat, & illi vendicat? In horti cura tu prudentior, & eadem ſcilicet cautela, qua in re uxoria. Ego in utraque (certe in altera) praecipitavi. & ſemina mandavi terrae non bono coelo. Pauca tamen mihi ſuperſunt: &, ſi tu aliquid mihi ſubmittes, erit fortaſſe, quo te remunerer. niſi tumultus Antverpienſis ejuſmodi omnes cogitationes familiaribus meis excuſſerit. Vale: Lugd Batav. VIII. Kal. April. qui menſis ſacer Veneris, & ideo conjugio aptus: ineptus, ut ſcis, priſca perſuaſione Majus. quare fac, ſi quid facis. CIƆIƆLXXXII.

1 *Danaeum* & *Donellum* innuere puto, qui Galli, & novarum rerum auctores, multas turbas Leidae ediderunt, & cum Senatu urbano acres contentiones habuerunt, ſibique ideo male conſcii metuebant, ſi moreretur Arauſionenſis. De illis poſtea amplior occaſio agendi occurret.

2 P. Puto hunc eſſe *Bartholomaeum Gryphium*, de quo infra Ep. 30. & in alia ad Caſelium, ubi Syndicum Civitatis Gorcomienſis dicit fuiſſe: hoc ne munus hîc intelligat, an aliud, quod ambiit, neſcio.

EPISTOLA XXIX.

JUSTUS LIPSIUS

Theodoro Leeuwio S.

Hagam.

FAcinus illud [1] a regio juvene, non regium, partim ex litteris tuis, partim ex fama jam acceperam. & de animo meo quid quaeris aut cenſes? ſcilicet miratum & attonitum fuiſſe me? non fui. Nec ſapientiam mihi vindico: ſed eo tamen jam perveni, ut ea omnia, quae divinitus inferuntur, ferenda putem: nec miror accidiſſe quod ſciebam (non auſim dicere praeſciebam) poſſe accidere. Gentem vidimus, & diſciplinam & aulam. illa leviſſima, haec corruptiſſima, & media nulla. ab his quid, niſi tale aliquid exſpectandum? quanquam illud fefellit me, fateor; ſi haec de compacto geſta, & bono Hiſpanorum. Nam Gallos ruere, non ire, & conſiliis ad dominationem praecipitibus niti, ſtatus Italiae nos docuit ante multos annos. Illud [2] Etruſcus Magiſter nos docuit, duos aemulos reges colludere poſſe in tam praeclara prae-

1 *Duce Alenconio.* vid. V. Cent. Miſc. 12.

2 Machiavellus.

praeda: ſed ut hoc ſeculum eſt, omnia nunc credenda, & eventus oſtendet in tempore, quid ſit hujus rei. Ego, mi Leeuwi, quo magis labi res noſtras video, magis erigor ipſe & attollor. Intueor ludibria rerum humanarum; & aleam hanc ambiguae fortunae: quae gaudet jactum aliquem ex occulto jacere, nec exſpectatum. Hinc ille vulgi ſtupor & querela, *Quis putaſſet?* qui non cadit in mediocriter ſapientem, qui jam ante ita meditatus, ut ſciat haec & deteriora poſſe evenire. Quis fuit ille dies, cum hîc & alibi aut inſulae totae aquis abſorptae aut urbes terrae motu? Quis illorum, qui tam magna ruina perierunt, id putaſſet? Nec exempla nobis deſunt talium, quas patimur, cladium: ſed nos ipſi nobis, qui inſito a natura vitio, proni ſemper & creduli ad ſpes meliores. Atqui coërceri ſpes illas tutius, & laxiores potius habenas permittere timori: magna enim & in promtu conſolatio animo, qui ſemper timuit, quicquid potuit timeri. Jure a Romano Philoſopho laudatur ille verſus, *cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.* quem velim impreſſum menti tuae, una cum amore mei, quem meo ſane merito nunquam depones, Prid. Kal. Febr. 1583.

Hanc epiſtolam recudi juſſi, quia Lipſius multum diverſis verbis, & amputatis plurimis, edidit Centur. 1. Miſc. 26.

EPISTOLA XXX.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio S.

Hagam.

DE hortulo tuo non eſt quod excuſes. Frontem non poſuit, quam nunquam habuit. Quomodo enim ille, qui nuper oſtendit ſe nobis tam nudum? ſed tamen ſubvenio ecce in parte, velamenta aliquot illi do, quibus ſe tegat; ſed vide, ne tu quoque mecum agas per velum. Non enim videre mihi (ut mea quidem ſuſpicio eſt) petere haec ſemina horti tui cauſſa, ſed amici. Quando enim tu vacabis horto inter ſtatas illas & legitimas tuas curas? aut quis hic novus ardor in re hortorum? quem quidem dea illa adhuc non reſpexit, quae veteri religione praefecta hortis, Venerem dico. Ubi enim aut quando ſponſa? & praeveniunt ecce te omnes, veteres novique collegae, inter quos etiam noſter ille Amſtelrodamus [1], cognominis Romano primo Regi, qui uxorem duxit & abduxit Delphis. ſi menſis hic Veneris te non aperit: cenſeo (nec aegre feras hunc jocum) fibulam tibi imponamus in omne aevum. De pace cum Gallis quis bonus bene ſperat? ſed mittamus ſemel iſta, ſi ſapimus, & quod argumentum verae ſapientiae eſt, collocemur aliquando extra ſpem & metum. Non eſt ſecurus aut tranquillus ille animus, quem omnes nuntii deprimunt aut attollunt. Externa ita ſunt, ſive fortuita, ſive fata-

1 *Quirinum* videtur appellatum aliquem indicare.

fatalia. quae quoniam in animo & ſponte noſtra non ſunt, ferenda tam aequo animo, quam tempeſtates aut nimbi. Quid proficies dolendo aut querendo? Lapidis iſta ſunt, inquiet aliquis, non concuti, non moveri. Imo vere viri, qui felicitatem omnem in ſe ponit, & cui gaudium omne aut dolor tantum ex ſe ipſo: Ad externa ſi abis; ſi illa momentum aliquod habere ad beatam vitam cenſes, quis finis? Nulla enim unquam prudentia efficiet, ut res publicae omnes ſive privatae fluant ex voto. At illud prudentia poteſt, ut aut ſpernamus ea omnia, tanquam aliena, aut certe feramus. De Gryphio dolui, viro bono, prudenti, docto. ſed cui ἀχαλινὸν ςόμα, ut poëta ait. Mihi autem illud Lyricum ſedet —*fideli tuta ſilentio merces*. de [1] Sapiente Gallo, ſerio videbo & curabo, cum advenerit Plantinus, quem exſpecto in dies. Doctor ille Medicus here hîc fuit, ardens, incitatus. ſcis apud quos, *ô Medici, mediam pertundite venam*. Vale V. C. & me vere tui amantem ama; &, ſi vir es, me ſub hoc Paſchatis feſtum inviſe. Plantinus hîc erit & amici: inter quos tu gratiſſimus: vere hoc, non blande. Id. April CIƆIƆLXXXIII.

1 Credo intelligi *Michaëlem Montagnium*, quem Thaletem Gallicum vocat I. Cent. Miſc. 43. ad eumdem Leeuwium data, hoc anno, menſe Majo.

EPISTOLA XXXI.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

ABiiſti a nobis cito, vel pro more tuo aufugiſti: At vellem liceret nobis una eſſe, non ſolum ſaepius, ſed etiam diutius; quia in his tam adflictis temporibus non minimum ſolatii in colloquiis Amicorum. Scio veram conſolationem verumque robur a ſapientia manare & ab internis: tamen & externa illa libant, & diminuunt aliquid a moleſtiis, quas pepererunt res externæ. Libros, de quibus injeceram, nunc mitto, alterum per famulum trades Dominae, alterum leges tu, ſi voles, & quando voles. Ego quid de iſtis ſentiam, coram audiſti: in eoque perſevero. Velim & tu in me amando. Vale Vir Clme. Lugd. Bat. Id. Jun. 1583.

EPISTOLA XXXII.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

PEccatum a nobis eſt, mi Leeuwi, revera in diuturno iſto ſilentio & intermiſſione ſcribendi; ſed ab utro? vereor, ut culpam regeramus in alte-

terum alter. Itaque componere aequiter hanc litem praeſtat, quam acriter proſequi. Praeſertim cum amicitia noſtra ad eum firmitudinis jam gradum venerit, ut non ſolum hebeti iſto ceſſationis ictu non laedatur, ſed nec ullis malevolentiae aut calumniarum machinis ſive telis. Apud me quidem omnia integra, omnia vetera: & adfirmo tibi Lipſium uſu & mancipio tam tuum eſſe, quam illam, quae nuper tibi convenit in manum. De Rep. ſollicitor magis: quae jam non labitur, ſed ruit. qualia enim haec, quae de Gandenſibus adferuntur, fere monſtra? Captivos ſolutos: & in iis [1] *Champagnium*, eumque etiam ad conſilia publica adhiberi: Pactionem cum hoſte inſtitutam, Legatos ad Iperenſes & Brugenſes miſſos, qui eadem ſuadeant, & addunt quidam, etiam ad Bruxellenſes. Qui omnes tamen excuſatius id fecerint, quam Gandenſes: qui ſola protervia peccarunt, unde & nunc peccant, non telo ullo inopiae aut neceſſitatis. Sed quid dices, ſi pedes & manus huic negotio Miniſtri? ita conſtanter narrant, & rem omnem geri per *Bollios* & *Dathenos*. Heu pietas, heu religio! quam multis hodie in ore es, quam paucis in corde? Abutuntur ea paſſim, & rem puriſſimam ſanctiſſimamque in velum verterunt vitiorum. Cujus ambitio non hac tegitur? quae avaritia non latet ſub hoc mantello? ut nihil mirari debeamus, Deum & omnes coelites averſos a nobis, quos non contemnimus ſolum, ſed ridemus. De Gallia, certum non habeo quod ſcribam, niſi illud, ad cauſſam ſuam & noſtram advigilaturos eos ſero! Capiunt enim incrementa valida illae partes, quae non conterent aut minuent illi, cum volent. Non enim tam faciles cedere aut caedi Hiſpani. Tamen Angli etiam contantur, & dum alter alterum reſpicit, velut fatali omnium ignavia, ad imperium Iberi tendunt pleno gradu. Nam Germani quidem certe parati ad quodcunque jugum. Bonna jam capta eſt, & per Colonienſem illum limitem aditus in penetralia Germaniae datus, quando Hiſpanis cumque viſum. Jam nos ipſi, quid? in media undique flamma ſcilicet expergiſcimur! imo non alias magis ſecuri, ignavi, ſecordes, velut lethargo quodam preſſi imus ad mortem. Ecce querelas. at tu ſolatia malles. Non habeo, niſi illa, quae Conſtantia noſtra dedit: in quibus unus acquieſco. Video, inquam, & fero, & cum erectior mihi animus, rideo. Hortulo tuo & ejus culturae fautor ego, non nunc adjutor. Nam nec ipſe quidem ſeminis adhuc ullum granum accepi, quod conficere mihi ſolet Antverpiae Plantinus. At is nunc hîc eſt. tamen ab aliis aliquid expecto: & ſiquid erit (ut in omnibus meis) pars ejus tua. De adventu tuo ſub has ferias vide ne mutes. Vale. & uxori tuae a me ſalutem, &, ſi lubet, ſuavium. Leidae IV. Idus Mart. 1584.

1 Vide *Hoofd.* Hiſt. lib. XX. pag. 895. qui vocat *Toparchum de Champaigneis.* nomen ejus erat, *Fridericus Perenottus.* has turbas Gandavenſes explicatius tradit Borrius: Lib. XVIII & XIX. Hiſtoriar. Belgicarum Edit. primae.

EPI-

EPISTOLA XXXIII.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio S.

Hagam.

MElonem ecce noſtrum, mi Leeuwi, quid ais? tuine aequiparant, an ſuperant? Quid autem ſi alios videas cubantes etiam nunc magno agmine in hortulo meo, grandes & ſuperbos? diverſos gente, forma, ſapore? Quid dicam? hac aeſtate triumphamus. & fortaſſe meo animo, tam ſerio, quam Hiſpani de caedibus ſuis & ſucceſſibus cruentis. certe magis innoxie. Quem enim hae ineptiae noſtrae laedunt? & tamen ſimplices ineptiae, nec alienae ab homine & animo liberali. Triſtia quotidie de rep. audimus, & niſi paſci nos juvat vana aura ſpei, quid humanitus auxilii videmus uſquam? Clauſi & irretiti ab hoſte undique tenemur, niſi Deus ille diſſipet conſilia perditorum. quod faciet profecto, tarde fortaſſe pro voto noſtro, ſed nunquam ſero. in eo ſperemus & ad eum ſpiremus,

—— qui mare temperat
Ventoſum; & urbes, regnaque triſtia,
Divoſque mortaleſque turmas
Imperio regit unus aequo.

cui te, mi Leeuwi, cum uxore tua & cum adfine tuo Eyndio ex animo commendo. Lugd. Bat. pridie Kal. Sept. 1584. Adjunxi melonem alium viridem Hungaricum. Neſcio an prorſus maturum. Findi tamen, ut vides; ſponte incipiebat, & odorem largiter diffundebat: guſta aut diem unum ſerva.

EPISTOLA XXXIV.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

VAlde mihi grata eſt cura tua de valetudine mea, & gaudium in re paullo meliore. Certe enim difficili morbo implicitus fui, qui ita me dimiſit, ut tamen reliquiae adhuc haereant & veſtigium. Sed clemens ille Deus porro faciet, quod ex ſalute mea cenſebit & uſu. ego quidem non deero moderato victu & humana omni via tueri valetudinem, uti jure quodam naturae debemus. vires mihi valde adhuc adflictae, nec facile eos erigo, praeſertim inclinatione iſta anni. Bene tamen ſpero; reſp. noſtra in majore morbo. cui medicum (coeleſtem illum excipio) non video, niſi Gallum, quem tamen velim foedere quodam cum Anglia jungi, cujus valde intereſt nos non vinci,

ſed illa ipſa Gallicana vereor ut occulte turbent quidam inter potentes. Videbimus, & coram, ſi Deus mihi vires aliquas det, de his loquemur. aveo enim excurrere, & paullum reficiendi mei cauſſa peregrinari. ſalve cum uxore tua, amiciſſime Leeuwi . . . Octob. 1584.

EPISTOLA XXXV.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio ſalutem & ſolatium opto.

Hagam.

AEgre expreſſerim, Vir amiſſime, quanto dolori mihi fuerit dolor tuus. Natura ad miſerationem propendeo, fateor: & facilius poene meum dolorem ferre poſſum, quam alienum. At in te, auget & irritat inſigniter inſitam iſtam mollitiem, amor, quo jamdiu proſequor te (uno verbo dicam) ut fratrem. Itaque cum angi & frangi luctu te cogito, cum triſtitiae circa caput tuum magnam iſtam nubem: ſcio & me involvi, & quidquid pugnavi, genu flectere, ſi non ſuccumbere ad hoc Fortunae telum. Grave revera telum, (cur enim imminuam?) & quod uno tempore percuſſit te duplici plaga. Uxorem amiſiſti. ſimpliciſſimam, probiſſimam, tui certe amantiſſimam: & addo in nova & recenti adhuc copula, in ipſa vi & impetu primi illius honeſtique ignis. Quis non lugeat? Sed ecce alterum etiam vulnus a tranſverſo. proles tibi erepta, quam non ſpe, ſed re jam tenebas. proles inquam prima: in quam ardere ſcimus parentum vota. Quid dicam? juſtiſſimas dolendi cauſſas eſſe tibi ſi negem, valde ipſe ſim injuſtus. Sed tamen dolendi, o mi Leewi, non lugendi: aut ſi hoc; non etiam jacendi. Obſecro enim te per illum Deum, qui nos fecit: da te paulliſper hîc mihi, & praebe ad medicinam noſtram, etſi crudum adhuc tuum vulnus. Pelle parumper fumos iſtos & fucos, qui te obumbrant, qui lumen obnubilant rectiſſimae in te Rationis. Tria haec cogita. Nempe *Homo* es: *Eruditus* es: *Chriſtianus* es. Si homo: quid tibi vis, qui tam impatienter fers haec humana? legem frangere, quae ligat omnes? Fruſtra. nunquam evolves te adamantinis iſtis Naturae vinclis. At enim pauci, quibus tam gravis caſus ingruit. Pauci: ſed tamen aliqui: imo, ut ego ſcio, multi. Sed haec iniquitas magna in humanis rebus, quod laeta aliorum limo & invido oculo facile & ſtatim cernimus: triſtia non appendimus, non attendimus, niſi noſtra. Scilicet primus tu aut ultimus, quem ferit hoc telum? Imo milleni aliquot ante te: milleni poſt te: milleni hoc ipſo temporis puncto, te ipſo quidem arbitro, ſi mentis oculos ſparges per magnum hoc Aevum & Univerſum. An ſolus igitur tu eximius, tu indignus? Agam enim libere tecum, & uram verborum iſto igne, dum ſanem. Erras. Sparguntur haec Fortunae (utamur cum vulgo hac voce) jacula in omnes: & alius aliud capite, pectore, ven-

ventre excipit. & cuique graviſſimum ſuum. Lugentes omnes adi & audi: univerſe haec iniqua libra, ut praeponderare cenſeant dolorem ſuum. Unde hic error? A pretio & amore noſtri: quia indigni videmur iis caſibus, quia laeta & adfluentia ante alios nobis pollicemur, ſtulta ſpe & vana. Hic morbus, qui morborum omnium in nobis cauſſa. Ecce miles cum ad pugnam it, nihil ambigit de futura multorum caede: ſed in quemvis potius miſeram eam ſortem deſtinat quam in ſeſe. Cadunt ante & circum eum multi, non miratur: tum demum ſtupet, cum ipſum attigit lethale telum. Tales nos in hac vitae pugna: aliena vulnera ſatis aequis & fortibus oculis aſpicimus, ingemiſcimus & attoniti ſumus ad noſtra. Hoc ergo primum tibi ſcutum; quo vim reprimas ingruentis doloris. Homo ſum: humanis caſibus a Deo ſubditus. inter eos iſte. Quid volo? quid conor? irritam non faciam diu latam, diu ratam hanc legem.

At ſcutum alterum, *Eruditus* es. Viam tibi a puero litterae ſtraverunt ad Sapientiae & Rationis templum. Cur initiatus ſaluberrimis his ſacris, abis & abjicis te ad profanos? Vulgus eſt, cui omnia nova, mira, gravia: erudito quî poſſunt? Sapientia clamat olim haec eveniſſe, ſemper eventura: & ante oculos tibi ponit ſeriem illuſtrium exemplorum. Ratio ingerit cum Deo luctandum non eſſe, & aeterno ejus fato. An tu haec non noſcis, aut potius non cogitas? Diducerem & diffunderem ubertim verbis, niſi ea ipſa domi & in memoriae tuae theſauro eſſe ſcirem. Prome ea tantum, & a te etiam arma arripe contra hunc vitae & ſalutis tuae hoſtem.

Vere, inquam, ſalutis hoſtem. Jam enim ad tertium illud, *Chriſtianus* es. Si talis: quomodo luges? Inter prima religionis noſtrae dogmata eſt, ſpernere mortem, adſpirare ad veram illam & aeternam vitam. An vere haec credimus, & ſentimus? An legimus & efferimus dicis moriſque cauſſa? Si vere, & ſi Aeternitatis promiſſa illa gaudia ſerio animis praecepimus: inviti profecto manebimus in hac vita. Clamabimus cum ſacro illo Praecone, Cupio diſſolvi. Si nuptiarum aut convivii laetioris dies imminet; ardemus, anhelamus, & tranſilire medium velimus omne tempus. Age, eumdem ardorem ardeamus in epulas has coeleſtes. Non aufert nos mors, ſed transfert. cur eam metuam aut culpem, quae initium mihi vitae melioris? At enim amabas uxorem: & divelli ab ea te urit ac ſejungi. Amaſti: ſcio, & ignoſco, imo laudo. ſed Chriſtianus tamen ille amor ſit, non in te impius, in illam iniquus. Vere enim impius & parum Chriſtianus, quiſquis vivere mallet in Deo, & vera fide jam defunctum. In illam autem quomodo non iniquus? In coelum abiit: tu ad coenum hoc retrahis. Ad beatorum ſedes: tu revocas ad has ſordes. Vide quam praepoſterus, quam Deo adverſus, quam a Ratione averſus hic amor. Sejungi triſte. Eſto. ſed cur falſa fingimus & inania luctus? Nemo vos ſejunxit: ſuſtine paullum, & ſequere. Conjunget vos eadem illa funeſta dea, quae videbatur ſeparaſſe. In villam olim tuam aut ad templum ſaepe cum uxore iſti, ſaepe ſeorſim. non minus hilaris & ſecurus tamen, cum ſolus: quia ſcibas illam ſequuturam. Idem hîc cogita.

 Spon-

Spondeo & certum te facio hujus iteratae copulae & ſequelae. Abiit illa? imo praeiit. Sejuncta a te? imo paulliſper ſepoſita, & quidem in beato & candido loco, quo ſequetur eam mox ſuus Amor. Tu inquam, mi Leeuwi, tu, quamdiu hîc eris? aliquot annis fortaſſe: qui ad Aeternitatem illam comparati, nullum habent temporis momentum. Ego quoque (ut hic morbus meus eſt) brevi praeibo: & laetus ac volens aliquando excipiam & ſuſcipiam laetum volentemque in ſupera illa ſede. Interea dum in hac ſtatione ſumus; fungamur munus, quod Imperator impoſuit, & vitae officia alacres ſubeamus, deterſo omni luctu. Expungetur merito ex coeleſti illo breviculo miles, quiſquis tam ignaviter clypeum hîc abjicit & haſtam. Concludo. Quod hominibus dignum eſt, praeſtemus: quod Eruditis: quod Chriſtianis. Magnus ille Deus te ſervet, te firmet: & una inter nos ſincerum verumque amorem. Lugduni Batavorum, magno & interno morbi mei aeſtu x. Kal. Mart. ∞ . IↃ. LXXXV.

Similis Argumenti eſt alia Kalend. Martiis ſcripta in 1. Centur. Miſcel. 61. & mox n. 41. tertia, circa eamdem materiam verſatur, ut videatur Lipſius, vel eloquentiam ſuam voluiſſe exercere in amici dolore leniendo, qui inconſolabiliter lugebat uxoris mortem; vel diverſis exemplis unam & eamdem epiſtolam formaſſe. ſed ipſe Lipſius, an tam fortis? minime; hae ipſae ad Leeuwium literae plenae querelarum, & deſperationis fere de rebus patriae. ſed ſic ſolemus: aliis conſilia damus, & ipſi aegrotamus.

EPISTOLA XXXVI.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

CUm te exſpecto, litteras a te accipio, id eſt, pro re verba. Itane ſemper fallax? in amicitia id non decet: niſi quod nunc amor te excuſet, & puellae, quas adducis; ab iis abductus, vide ne ſeductus. ſed quando iterum ad hoc jugum? allubeſcere te video, & haec ſunt initia, itiones iſtae & minutae procationes. Deus bene vertat; quod fiet, ſi tu bonam potius & mitem eliges, quam in qua alia externa. De Gravia, [1] heu notam! quae maria nos purgent, quin male audiamus apud exteros, & apud ipſos Britannos? Qui natura ſuſpicaces, magis nunc ex ejuſmodi cauſſis. & ſane quidquid praetexatur aut veletur, res parum geſta ex fide bona. Occulta haec mala, & malos numquamne revelabit tempus? haec ſpina eſt, quae pungit, quae necat; proditores, inquam, immixti nobis, & qui pugnant quaſi pro nobis. Anglorum tibi in Briela luxus viſus, & inviſus bono jure. ſi qua res enim eſt, quae illos perdet, aut ſucceſſus certe eorum tardabit, mollities haec eſt, & abundantia opum ac voluptatum. Animus, robur, prudentia abunde adſunt, niſi quod peritiores eos paullo vellem hominum iſtorum ac locorum, quod

1 Vid. Borrii Hiſt. lib. XXI. pag. 22.

quod tempus tamen dabit. Drakii ſucceſſus mirifici, ut ajunt, in novo orbe naves Indicas XVI. cepiſſe dicitur, & jam mercatores conturbare paſſim in Hiſpaniis. An vera, neſcio: hoc ſcio, in iis partibus vitalia eſſe Hiſpani regni; ſi ea laedas aut adimas. Ipſum Ratallerum, cognatum tuum, amice reſaluto; cui ex animo ego omnia cupio. Ei, ut virtutes ejus ſunt, ſi hac via nihil proficitur, alia aliquid factum iri non ambigo, & ſum ei ſponſor. Premant eum factioſi iſti, ſed non in longum: emerget. Synodus nunc apud vos [1]: Heu! ſatiſne opportune? mihi non videtur. & malim caput nos curare, quam reduviam. de ſalute omnium cogitari, quam de diſciplina: cum video, qui conficiendae praeſunt, turbas vereor ex turbis. Vatem memento haec dixiſſe. intempeſtiva ambitio haec erat, quae etiam ſub ſanctimoniae velo. nos mediocriter valemus, & ſtatuimus excurrere ad Comitem Mauricium ſalutandum. Vale, vir Clar. & ſi occaſio D. Praeſidem Mylium, qui nuper in me valde humanus, meo nomine ſaluta. Leidae 23. Junii 1585.

1. Vid. Borrium d. l. pag. 29. & lib. XXII. p. 79.

EPISTOLA XXXVII.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio S. D.

Hagam.

Litterae tuae exſpectatae, Vir amiciſſime: at tu magis. Quouſque autem nos fallis? Veniam, Veniam, in ore tibi ſaepe: nondum in re aut mente. Quid exſpectas? an ut ipſe veniam, nec ducam te ad nos, ſed traham? Faciam certe. valetudo haec modo paulum perſeveret, quae nunc quidem bona, ſed parum firma. Nutat enim crebro, & vacillat, & cum ſtare mihi maxime videtur, cadit. Quid mirer? Ut ii, qui in ſalo jactati diu fuere, etiam in terra nauſeant & languent: ſic ego a diuturno iſto morbo. Sed Deus, qui vitam mihi ſervavit, vires etiam addet, cum videbitur: aut tollet hoc ipſum quod dedit, me nihil renuente. De repub. querela & ſolicitudo tua non ſine cauſſa. Heu quo illa ſtatu? Fallor, aut profecto labitur hoc Libertatis atrium, imo ruit: utique poſt dejectam grandem illam [1] columnam, quae ſola fulciebat. Status iſti ſiſtant aut firment? mihi non videtur: non certe, cum oculos mentemque flexi ad ſingulos, qui in conſeſſu. E quibus alii boni, ſed imperiti: pars magna mala, lucri cupida, & ſuae, non publicae rei. Itaque multi iſti Sinones facile imponunt pauculis illis Priamis, & Trojam hanc produnt hoſti. Noſti ipſe eorum ingenia & mores: & quam unum hoc curent, ut per publicam hanc tempeſtatem ſarcinulas ſuas ſalvas habeant, imo auctas. Hi ſunt vultures patriae, hirudines aerarii, qui adflixere rempub. iſtam & adfligent, quamdiu locus iis in puppi. Quid cenſes? victo-

1. Wilhelmum Arauſionenſem.

victoriam ſpectare eos aut meliorem ſtatum? imo tumultum, noctem, turbas: e quibus creverunt, & per quae vivunt. Redeant enim & revolvantur ipſi iterum ad ſuas tenebras, ſi ſol aliquis illuceſcat firmae bonaeque gubernationis. Ut blattae & ſtelliones lucem fugiunt: ſic quietem rapones iſti. Atque haec & plura in toga peccantur: at militia ſcilicet meliore loco & lege. Imo adeo contra eſt, ut nemo bonus eam intueatur oculo ſicco. Milites vide. ſine diſciplina reperies, ſine ordine, manibus rapaces, pedibus fugaces: & in quibus linea nulla aut color militum, niſi quod avidi praedae. ſed ejus ipſius tamen incruentae. Adde quod tyrones, quod ſubitarii, quod e faece collecti: in quibus nihil aut virium, aut animorum. Jam ipſi duces quid? temerarii, caeci, properi: ut unam illis proviſionem cautionemque hanc jures, nihil provide agere, nihil caute. Nec miremur. Tyrocinium enim vix militiae ſuae poſuerunt: vis ducant? Parere nunquam ipſi didicerunt: vis imperent? Vitiis luxuque diffluunt: vis caſtigent? ſine peritia autem, imperio, coërcitione, quae poteſt eſſe felix militia? aut quem alium ſucceſſum, quam hunc cottidianum exſpectes, diſſipationis, fugae, caedis? Canes enim ecce ab illa parte & leones prodeunt: a nobis lepores aliquot galeati, quos hinuleus ducit aut cervus. Haec mala ſunt, mi Leeuwi, longo uſu innexa jam huic Statui, imo innata: nec tolli ea facile poſſunt, niſi ut tollas ipſum. Itaque vident & culpant omnes: nemo emendat. quia revera evertenda haec forma reipub. eſt, non convertenda. Confuſio iſta conſiliorum tollenda, πολυαρχία removenda: & caput ſalutis noſtrae ponendum in capite uno. Sed illud quoque unde expedimus? Deus viderit: ego haereo. In nobis enim quis ea auctoritate, prudentia, fide? Ad externos igitur eundum ſit. & jam coepimus, ſed pede parum fauſto. Gallus nos lactavit & ſprevit. Angla quantumvis benigne polliceatur, vereor ut praebeat ſe totam. Mulier eſt, Scotum habet in latere, inſidias in ſinu: nec velle eam omnia ſcio, nec audere, nec poſſe. Regnum ipſum ejus uber ac florens. ſed breve tamen & arctum, & quod impetu validum eſſe non negem, neſcio an firmum ad longum bellum. Jam augemus ipſi has difficultates mora & lentitudine noſtra. Per otium ſedemus, diſceptamus: & manum linguamque ad auxilium vix exſerimus, cum aqua nobis tangat mentum. Denique ſi petimus: frigide, intricate, perplexis legibus petimus, & tanquam qui nolimus impetrare. Et revera quidam nolunt. An ignota Regi illi aut Reginae interna noſtra vulnera ſentis? Ambitionem acrem & avaritiam quorundam? Qui ut dracones, circumplexi aureum hunc Heſperidum hortum incumbunt, adeo eum non deſerturi, ut perire patriam a ſtirpe malint, quam imperium ſibi aut praedam a parte. Tamen ad Anglam, inquies, eunt prompte. Mihi crede, non ut illa plane pleneque imperet, ſed ut per eam ipſi. Arborem, inquam, hederae iſtae quaerunt, cui annixa & innexa nequitia eorum ſerpat. Nec tamen haec accuſatio mea in omnes convenit: veram eam in paucis eſſe, utinam vere neges! Ecce querulam Epiſtolam, & fortaſſe tibi lectu moleſtam, mihi quidem ſcriptu. Angor enim intimis ſenſibus, cum haec cogito,

to, & cum inſtantem florentiſſimae patriae ruinam praecipio mente. Inſtat enim certe, niſi magnus ille Stabilitor & Stator nos reſpicit: qui facile & uno nutu haec convertet, ſi convertimur ad eum ipſi. Quod ut ſerio a Belgis noſtris fiat, ex animo voveo, optoque. Vale. Lugd. Bat. IIII. Kal. Julias ∞. IↃ. LXXXV.

Hanc epiſtolam uni tibi libere ſcriptam, ab uno te velim legi. Querelas enim in vulgus ſpargere, cui rei? metuo, ut illud ipſum per ſe mox ſatis turbidum, etiamſi incendat nemo. praeſertim ſi Antverpia amittitur: de qua timere me cogit multorum timor. At caput illa urbium tam flagitioſe, ſi amittitur: crede mihi plura loca ſecum trahet in ruinam. ſi una cum Hauteno huc excurris (nam de nobis, aura vetat, ut vides) valde gratum id mihi, & dieculam unam alteramque te fruemur. velis, potes.

EPISTOLA XXXVIII.

J. LIPSIUS

Th. Leeuwio.

Hagam.

SIluiſſe te, mi Leeuwi, quid excuſas? etiam ego: ſed adeo non laedit amicitiam ea ceſſatio, ut etiam juvet. ut ignis per intervallum flabello aliquo excitatus acrior reſurgit, ſic amor, quem non languentem, ſed quieſcentem ſuſcitant haec alloquia litterarum. quae ſi continenter ingeras, paene dicam, ſordent. Mihi ſaepius decretum Hagam excurrere, te inviſere. ſed nunc aura, nunc valetudo, nunc occupatiuncula aliqua impedivit. Faciam tamen, ut ſpero, die Mercurii proximo, cum mihi comites Douſa & Hautenus, ſed illi negotiorum cauſſa venient, ego tua. de re noſtra publica bene tu & vere. Quod vivimus, quod in patria ſumus, debemus Anglis. Quid tamen porro futurum ſit, haereo: quoniam multos video, qui imperium & progreſſum eorum tardant ex occulto. Quid, malum, hoc morbi eſt? non imperare novimus, non parere, non libertatem ferre, non ſervitutem. Atqui medium inter iſta nihil, niſi perire. plura coram. litteras adjunctas velim te illico Vilerio reddere, ſi is illic. puto in aula Mauricii Comitis diverſari. ſin abiit jam, & certum hominem habeas (ſed non niſi certum) qui in Zelandiam abeat, ad illum mitti; gratum feceris. D. Ratallero tuo & meo nomine ſalutem. Leidae IV. Kal. Mart. CIↃIↃLXXXVI.

EPISTOLA XXXIX.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

REdeuntem me e peregrinatiuncula epiſtola tua erexit, aeque paene mihi grata, quam ſi ipſe tu. Alcmariam & ea loca cum Hauteno noſtro iveram laxandi & firmandi mei cauſſa, qui etiamnum langueo & aegre reſurgo a morbo diutino. Tamen iter valde me juvit, &, ſi tempora alia, longa peregrinatio liberatio videatur meo malo. ſed quam clauſa & arcta omnia vides: & cingit magis indies hoſtis, qui appropinquat. nos interea non jam ſedemus, ſed diſſidemus, & ſemina jacta video interitus, id eſt diſcordiae inteſtinae. Pietas praetexitur a quibuſdam. Utinam ea ſit! ſed vereor (apud te Leeuwi) ne improbitas tecta mimico illo velo. Ego me reipub. aut conſiliis Principum non miſcui, non miſcebo: nec probare tamen me omnia libere fateor, quae geruntur. Optimus ille heros: non omnes, qui juxta eum. Calor alios abripit, alios imperitia, & plurimos adfectus. Amor aut odium ſaepe in conſiliis, & tertia cupiditas; peſtes ſemper rerumpublicarum. abſint illa, heu quanta occaſio ad res gerendas? potens & florens illud regnum pro nobis, amica gens: & hoſti domi omnia adverſa, ſi non levamen illi a nobis ipſis. ſed fata ſic volunt, quibus me permitto. Ille idem deus, qui conſilia turbida & improvida nunc ſuggerit; dabit alia, cum alias volet eſſe res noſtras. ſed ad privata me vocat, id eſt ad nos ipſos, unum tuum verbum. uxorem iterum cogitas. quid ſuadeam? bene res ſemel ceſſit. nec facile abſterrere ab iſto mari, quod feliciter enavigaſti. multi ne poſt naufragium quidem ceſſant. cur tibi id ſuadeam, cui venti tam ſecundi. Deus eoſdem det, & vota tua ſecundet. Cave, cave tamen, & cogita vitream eſſe illam deam, tunc frangi cum ſplendet. Vale, & brevi ipſum me exſpecta. Lugd. Bat. x. Kal. Sept. CIↃIↃLXXXVI.

EPISTOLA XL.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

SCribere ego, mi Leeuwi, ante iter non potui. Occupatiunculae, interpellationes, addo & comminationes me tenuerunt, & eripuerunt totos dies. nunc facio, ſed breviter, & tantum veteri amori teſtando. qui ſane firmus, & radices in hoc imo pectore altiores etiam egit, quam ramos oſtendat

dat in aperta hac aura. conſilium viae meae non ignoras: cui valetudo cauſſa & finis [1]. Homines aliud loquuntur. garriunt, non me movent. Ego, ut virum bonum & fortem me oſtendam, & procul a me iſti, qui virtutem & conſtantiam colunt verbis. turbae nullae patriae a patria me excludent: hoc excipio, niſi vis animo infertur, & delibatur interna illa libertas. Quod ſane conatos ſcio quoſdam, neſcio an pie, ſcio quod imprudenter. ſed nec pie, quia veriſſimum illud Tertulliani cenſeo. *Religionis non eſſe religionem cogere.* Velant haec verbis & adumbrant, ſed verbis. quicumque auctores ejuſmodi conſiliorum, liquido dixerim patriae eos hoſtes. ſcilicet is nunc ſtatus, ut haec moveantur, & ea tranquillitas, ut excitandi ſint novi fluctus. ſed deus videbit, juvabit. Ego Oldenburgum veni, feliciter ſatis, niſi nunc impediar: nam illae Harpyiae quid, & cui non rapiant? haeremus igitur, itineris etiam totius, ob importunam hanc remoram incerti. Quid ſtatuerim ſcies primis litteris, & inter primos: nunc vale, & me in amore tui & patriae eundem eſſe ſcito, qui fui. Oldenburgi nonis Octob. 1586. ſi quid ad me voles (id autem gratum) ad uxorem mitte, illa ad me porro.

1 Verus finis fuit, ut desereret Batavos, ſed impeditus, quia obſeſſis a militibus viis evadere non potuit. ipſum hoc confitentem ſaepe videbimus. & in Epiſt. v. ad Germanos ſcripta 1591. dicit, *ſe tunc peregiſſe quod ante annos quinque deliberatum erat, cum Bremam uſque pervenerat.* & 1. Miſcell. 34. jam 1585. *deſtinaſſe ſe* Iſcanum *reliquae vitae ſedem.* de Lovanio idem optat 1. Cent. Miſc. 100. immo A. 1584. ad P. Egmondum Epiſt. LV. ſcripſit in eum ſenſum, ut ille intelligere poſſet, Lipſium jam ad locum & religionem mutanda toto animo ferri: nam Perſei ſive Daedali conſilium ſe capturum fortaſſe ſcribit.

EPISTOLA XLI.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio ſalutem & ſolatium mittit.

Hagam.

[1] ATque utinam proveniat! utinam, quam avide hoc facio, tam feliciter faciam, & robur tibi adſpirem ſic jacenti! quam autem te indignum eſt! fortia loqui ſoles, mi amice, memini; &, ſi quiſquam literatorum noſtrorum, libenter & ſerio philoſophari. Ubi nunc ea ſunt? quorum arma haec parata, ſi in pugna non eorum uſus? at duplicem uno tempore plagam accepi, inquies; vel alteri alius ſuccumbat. Uxor obiit, optima, caſtiſſima, mei ſenſus & animi, ipſa mea anima, cur negem? ea obiit in novo adhuc & crudo amore. Quid? ea tantum? in partu obiit, & una cum ipſa deſideratiſſima illa proles. haec tua ſunt, mi Leeuwi, lamenta; & hominum more ac judiciis habent pondus, non negamus. ſed tu, ut illuc redeam, nonne ſuper vulgus aliquid eſſe volebas, & revera eras? Oſtende igitur, & ſapientiam il-

 lam

1 Vid. ſupr. Epiſt. 35. valde vero metuo ne turbatus ſit hîc ordo temporis: ſera enim haec nimis conſolatio.

lam advoca, quae ſolet & poteſt his mederi. Uxor obiit. Quid novi eſt? millenae aliae. At in partu. Idem in millenis, & centies centieſque millenis, ſi oculo luſtras grande illud univerſum. Iſta hora & momento fortaſſe, quo ad te ſcribo, alibi talis ille caſus. Et ne nimis tamen attolle, aut per circonſtantias adauge. Quidquid dixeris, non niſi hominis mors eſt, in id natae, ut moreretur. Adeone haec novitas, aut iniquitas? *Quis queri poteſt* (ut noſter, nam & tuus certe eſt, Seneca) *in ea conditione ſe eſſe, in qua nemo non eſt.* Anni, hora, genus mortis variant. ipſa eadem, atque ut in proelio varia tela, vario caſu ſparguntur, ille capite, oculo, pectore, ventre excipit. ſed una ex omnibus mors ſequitur: ita hîc eſt, & Parca illa nigris equis per univerſum invecta, alio vulnere alium proſternit: ſerio ſi cogites, minus doleas. & iterum minus, ſi Chriſtianus bona fide es, id eſt immortalem vitam laetamque cogitas, poſt hanc brevem & confuſam. Age, hinc quo iniit? in coelum, ut ſperare te ſcio: & ad coenum hoc igitur revocas? Hoc amor eſt? hoc ei, ſupra te, velle? atqui res ita habet: non aufert nos mors, ſed transfert. Quid hiſtrionem agimus, & inania doloris nobis fingimus? amiſſam clamamus, quae praemiſſa tantum eſt. ecce ad villam, aut vicinum oppidum, uxór tua ſine te aliquoties abit. ecquid dolebas? nihil, quia ſubſecuturum te mox & adfuturum ſciebas. confide idem hîc, ſpondeo, & brevi eodem ibis, & ſuccedes praecedenti: menſium aut annorum aliquot intervallum erit: quantulum eſt? Aeternitas te manet, & in aeternis illis gaudiis (ita voveo) amans amantem amplecteris, ſecurus jam fati, aut divulſionis. O ſtuporem humanum? nihil niſi haec brevia cogitare & vilia; iis affici, imo affligi; & aeternam illam in nobis mentem negligere, parum dicam, quaſi non eſſet. Atqui e priſcis illis Philoſophis plures, qui non de immortalitate firmiter credebant, potuerunt alto oculo haec humana contemnere, & digitum porrigere morti minanti. Quid enim iſta ſunt? quamdiu ſunt? quid ſolidi boni habent? quid malorum non habent? magnum pelagus non intro. in litore maneo, & jubeo te duo haec nunc ſpectare, conditionem communem, & vitam illam immortalem. Alterutrum te ſoletur: ſi tamen rationes in animum admittis, quod facere te rogo & hortor, nunc per literas, facturus & ore coram, ſi voluntas tua poſcet, aut uſus. Lugd. Batav. XVI. Kal. Nov. MIↃLXXXVI.

EPISTOLA XLII.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

LIbens tuas litteras reguſtavi ex longo jam intervallo. Rediiſſe te mihi gratum, & defunctum periculo, quod imminuiſſe in mari ſcribis, praeter opinionem & praeter anni tempus. ſed quid homini humanum non timendum?

improviſa lethi
Vis rapuit, rapietque gentes,

ut qui obſidentur, ad omnem ictum & impetum ſemper parati ſunt, ita oportuit nos. de republica ne ſciſcitare. Pendula ea, ſi unquam, nec tam malitia, quam imperitia quorundam, qui praefuere. Britannos amo, & factum iis cupio: ſed quis negaverit, quin ad ſcopulos paene alliſerint hanc ratem cupido & acri nimis progreſſionum voto? Auxilii ſpes ſumma & una (Deum excipio) in iis ſcio. quae tamen in malum & diminutionem noſtram cernis, ſi utrimque pergitur hac via. Illis imperare decretum eſt, nobis non parere, niſi ex lege & more. Et ſane, mi Leeuwi, ut priſci iſti Romani, ita nos, *qui nec totam ſervitutem ferre jam poſſumus, nec totam libertatem.* Plura poſſem & vellem, ſed reprimo; quia intutam ejuſmodi rerum ſcriptionem eſſe didici exemplo. non quin fidei tuae parum fidam (neque tu meae) ſed quia caſus & litteris intervenire poſſunt, & illis, ad quos mittuntur. ſcripſi aliquando ad virum magnum liberius, cui lingua facilius evulſa, quam tale ullum arcanum. ſed is propere obiit, & litterae in manus inciderunt, nec tam fidas, nec tam amicas. Tamen, utcumque praeterita fuerunt, cetera adhuc integra, & inſtaurandi non parva ac incerta ſpes. ſi certa quae illinc audimus: conveniſſe inter ordines & [1] Legatum *Hohenloum* & *Noritzium*: Comitem ipſum exſpectari, denique omnia ad formam & faciem, qua fuerunt. At apud nos hîc turbae. Curatores & Conſules [2] *Donellum* miſſum fecerunt, certis de cauſ-

1 Vid. *Reidani* Annales lib. VI. & ampliſſime narrantem lites inter *Hohenloum*, & *Leiceſtrium* & *Norrizium* lib. XXIII. *Borrium.*

2 Infra ad Epiſtolam LXXXII. ad Danaeum videbimus, *Donellum* partes magiſtratibus Leidenſibus adverſas foviſſe; Deinde vero Leiceſtrianis factionibus ſe immiſcuit, & hoc ipſo anno Leidae factioſi multi cives, & praecipue advenae ex Flandria & Wallonicis Provinciis, conſpiraverunt contra Magiſtratus, ut ex annalibus noſtris notiſſimum. *Donellus* vero (quem vocatum A. 1583. a Noricae reip. Proceribus retinuerant, aucto ſtipendio: vid. I. Cent. Miſc. 92.) non ob ſermones ſolos exauctoratus fuit, ſed quia credebatur auctor famoſi & acerbi libelli in Magiſtratus & Ordines. vid. *Hoofd.* Hiſtor. lib. XXV. pag. 1151. & *Reidan.* Annal. VI. pag. 162. cum vero illi, qui divulgaverant libellum, ab ordinibus Hollandiae interrogati unde habuiſſent, auctores ſuos edidiſſent, tandem ad Donellum erat perventum, ſed ille recuſavit auctorem nominare. praeterea ex actis Academiae vidi, hoc quoque Anno, *Everhardum Blancardum*, qui fuerat famulus *Donelli*, & qui libellos famoſos ſparſerat per vias publicas, & ſeditiones multas excitaverat, licet Lipſius & alii Profeſſores eum tuerentur, immunitatibus Academicis fuiſſe mulctatum, & pro abſciſſo & inutili Academiae membro habitum. In Curatorum decreto nulla cauſſa legitur expreſſa, ſed ſe dimiſiſſe eum, *ob cauſſus ſibi notas*, honori ejus parcentes, pronuntiant. *Lipſius* II. Cent. Miſc. 23, ubi de hoc negotio agit, ſe non immiſcuiſſe ſe ſcribit; ſuſpectum tamen fuiſſe multis conſtat. & ſane *Donello*, *Danaeo*, & *Sarraviae*, turbulentis illis facibus & turbatoribus reipub. ſemper favit, prae moderati ingenii magiſtratibus & profeſſoribus. ſed ſimulandi & diſſimulandi artifex non prodebat animum in ſermonibus, ſed in epiſtolis, ſub verbis dubiis ſubdola mens ejus aperitur. ſic apparet ex *Hottomanni* ad Lipſium Epiſt. 98. illum *Hottomanno* de hac re eum in modum ſcripſiſſe, ut ille tanto boatu quiritaret & paratragoediaretur, quaſi immerenti Donello injuria maxima facta fuiſſet. & *Lipſius* II. Cent. Miſc. 30. cauſſas ſe non dicere ſcribit *Meliſſo.* & Epiſt. 50. etiam, licet *Donellum* a ſe alieniorem fuiſſe in hoc negotio, ſcribat, ſe tamen pro eo laboraturum recipit: immo *Giſanius*, *Donellum*, *Jano Douza* quodam auctore, & eum ſecuto *Juſto Lipſio*, contumelioſe dimiſſum ſcribit in epiſtola inſerta Part. II. pag. 152. *Monumentorum Pietatis & Eruditionis* a Cl. *Miegio* Francof. 1701. editorum.

cauſſis (ita dixerunt) nec iis expreſſis. Rogas? magni fluctus. Ego gubernator ille ſcilicet, & anni hujus Rector in primis involvor, nec ſcio an tempeſtati ſedandae. Suſpicor (tibi habe) ſermones hoc ei conciliaſſe, & linguam parum cautam: Heu otium! quando te fruar? Levicula haec; ſed quae magis pungunt, & abducunt a ſeriis, quam curae graviores. ſi pugnandum eſt, non ſimiam mihi poſcam, ſed cum generoſo illo Aſcanio, aprum aliquem aut leonem. Utinam tui ſimiles; cum quibus ago! ſed qualeſcunque, danda mihi opera nè ſim diſſimilis mei. Tu Vale, Vir Clariſſime, & ex animo a Lipſio tuo ſalve. Lugd. propridie Kal. Maj. CIↃIↃLXXXVII.

Addit & *Douſam* gravis criminis reum Ultrajecti per ſex menſes in carcere fuiſſe, & capitis periculo liberatum, ſaeviiſſe in ſenem optimum. ſed licet Belga eſſet *Giſanius*, de patria tamen non certa ſatis edoctus videtur, dum maneret Altorfii: non enim *Douza*, ſed *Paulus Buſius* a Leiceſtrio A. 1586. in carcerem conjectus erat. vid. *Hoofd.* lib. XXIV. pag. 1073. & alios. clam vero dimiſſus hoc anno. Unum addam. *Grotium* lib. V. Hiſt. p. 266. ita de hoc negotio judicare: *Donellum contactu Liceſtrianarum partium eo abreptum, ut ſui ſtudii haud minimum, quae & privati & inquilini officia, obliviſceretur; & inde vilem Altorfia excepit. Voſſius* in Praefatione ad librum de Hiſtoricis Latin. & Epiſt. ad Grotium XXIV. *Thuani* errorem caſtigat; *Donellum* cum *Fr. Junio* confundentem. Aliud praeterea de *Donello* monendum; temere *Ulr. Huberum* in Hiſtor. Civil. tom. II. p. 413. rem ita narrare, ac ſi *Donellus* in exilium ſit actus, poſtquam illi, qui urbem Leidam opprimere & Leiceſtrio prodere conſtituerant, capite fuiſſent puniti; quem nimis facile ſecutus eſt *Bailius* in Lexico. cum ex hac epiſtola conſtet, Donellum jam dimiſſum menſe Majo; cum nondum Magiſtratus Leidenſes aliquid mali ſuſpicarentur, niſi quod omnibus bonis Leiceſtriana factio timeretur. illa vero conſpiratio inita poſtea demum, cum 29. Septembris Leiceſtrius Ultrajectum veniſſet, & factioſi Leidenſes ad eum veniſſent, & de urbe opprimenda conſilia contuliſſent. ſed re detecta rei graviſſimi hujus criminis 26. Octob. ſupplicio ultimo puniti. ita ut ob ſolos libellos famoſos fuiſſe dimiſſum, non ob has inſidias Civitatibus Hollandiae factas, Donellum conſtet. Quamvis credere quis poſſet, factioſos jam Leidae rem hanc agitaſſe, antequam Leiceſtrium adirent. Decreto vero illo, quo Donellus juſſus ſe abdicare, promulgato, ſtudioſi ſeptem obtulerunt Curatoribus libellum ſupplicem, quo rogabant, ut *Donellus* Leidae retineretur, qui cum juſſi fuiſſent adeſſe, in Curatorum & Profeſſorum conſeſſu acriter increpiti, & libellus laceratus fuit, ut ex actis Academicis didici.

EPISTOLA XLIII.

J. LIPSIUS

Theodoro Leeuwio.

Hagam.

QUaeſiſti me nuper, Vir Clar. nec reperiſti; etſi haud longule fui a domo: nam in hortulo eram, non ſuburbano illo, ſed urbano. Itane feſtinabas? voluiſſem & ſermone tuo aliquantiſper, & certe adſpectu frui, qui ipſe delectat & recreat ab amico. Quantumvis fortes, tamen ut haec tempora ſunt, ſolatia merito omnia, & quaſi fulcra requirimus, quibus fulciatur animus vacillans. Quae audimus? nil niſi diſſidia, id eſt exilia: quia eſſe illa, ſine his non poſſunt. Ego utrobi peccetur, non diſſero. peccari ſcio, ſive per imperitiam, ſive per calorem. non nemo & per contumaciam: quia turpe cenſent redire a ſemel coepto, quanquam eventus refutet & arguat illa ipſa

coe-

coepta: de pace multa mentio: credo, vana, & tamen inutilis, & quae verbulo non tangenda in hoc ſtatu. Confecta talia enuntianda ſunt, non affecta. alioquin plebem alioſque haud tenebis longius ituros, quam ex ſuo voto. Quid in conventu hoc fiet, & an coibunt partes divulſae, avide exſpectamus. Ego, ſi conſultor ſim, ſuadeam quaſcumque gubernandi leges Comitem ſubire potius, quam abire, niſi ſi tamen alius ab Anglia, cum bona ejus pace. Quod quî fiet? video animoſos multos, & affectuum ſuorum potius, quam communium commodorum. Tu propior, plura vides, plura audis: quae gratum ſi ſcribis, cum additiuncula aliqua judicii tui aut ſpei: publice nuper & Academiae nomine ſcripſimus ad Curiam veſtram, ſuper negotio *Guilelmi*[1] *Aſſendelffii*, in quo ipſo vereor, ut quidam vehementiores quam pro re ſint. peccavit ſane; ſed deſiit monitus, & ſi puniendus eſt, apud ſuum judicem id fiet. Te, quaeſo, uti ratio hîc privilegiorum noſtrorum habeatur, & nonnihil meae commendationis: quàm, ſi res feret, perte deferri etiam ad Ampliſſ. V. D. Praeſidem velim, cum officioſa mea ſalute. Vale amiciſſime. Lugd. Bat. XVII. Kal. Octob. CIƆIƆLXXXVII.

De Gallicana victoria veruſne rumor? utinam.

1 *Guilielmus Aſſendelfius*, Ludimagiſter in ſchola publica Leidenſi, diſcipulis praelegerat Catecheſim *Caniſii*, ob eamque cauſſam a Curia Hollandiae citatus, ut dicto die ſe in judicio ſiſteret; ipſe vero, ut membrum Academiae ſe ferens, operam ejus implorarát, nullum alium judicem agnoſcens. Quem Senatus Academicus tuendum ſuſcepit, ut & Magiſtratus Leidenſes; Curia contra tetendit, cauſſam ſui fori eſſe, quia Academia lentior in ejuſmodi homines non animadverteret. hinc ab utraque parte multis ad jus ſuum tuendum ſcriptis, tandem convenit, ut Senatus Academicus de cauſſa cognoſceret, & intra duos menſes ſententiam pronuntiaret, ejuſque exemplum ad Curiam Hollandiae tranſmitteret. ut factum. quid vero decretum, non inveni. Sed hac occaſione Academiae confirmatum ab Ordinibus Hollandiae jus, ne ullum Academiae membrum, in quibuſcumque cauſſis, ſive civilibus, ſive criminalibus, coram alio judice in Hollandia citari poſſet, aut in judicium venire cogeretur, niſi coram ſolo Senatu Juridico Academiae; ut conſtat ex diplomate III. Mart. 1588. ſub ſigillo Ordinum Hollandiae.

EPISTOLA XLIV.

JUSTUS LIPSIUS

Theodoro Leeuwio S. D.

Hagam.

GRata mihi epiſtola tua V. C. ſed non ea parte, qua ſcribis me angi. Ita tibi notus ſum? & quis tibi vanus auctor ejus rei? Aliud eſſe telum debeat, quod me dejiciat, non iſti quidem flocci &, ut cum poëta dicam, pappi volantes. Ab illo nihil mihi aegre eſt, nec eſſe poteſt: aliquid ab iſtis fuit, fateor, inter quos verſor. Sed huic quoque rei jam medicina: & aperuerunt non applaudere ſe: & arridere ſic inſultanti. Hoc ſaltem ad amicum ſcripſi, mi Leeuwi (& iſtinc credo ſermones) non ita me meritum, ut publico convicio exciperer in Batavia veſtra. Nonne ita eſt? idem nunc re-

peto,

peto, ſed ſine ullo animi motu. Qualiter affectus ſim aut fuerim, ſcriptum meum docet: in quo nihil, ut ſpero, turbidum; & indignationis alibi veſtigium apparebit, nuſquam irae. Sed & qui in hac urbe aſſidue mecum, ſciunt non alio tempore (ut valetudo quidem mea fert) hilariorem fuiſſe aut animo magis ſoluto. Ubi ergo iſte angor? de quo me non ſine indignatiuncula purgo: quia tu certe me noſſe debebas, cui uni omnium maxime patuit ſemper hoc pectus. Scribat ille, ſileat: tantumdem eſt. ego mihi nunc ſatisfeci, atque etiam mediocriter bonis, apud quos ſaevitiae invidiam ſententia noſtra habere non poterit ſic expreſſa. Quae intima mihi cauſſa ſcribendi: non hercules ut illum repeterem, abſit, abſit. quia in tali hoc valet: *Ultionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſum dignum ex quo peteretur ultio.* Plura aliquando in ſermone: niſi hiems quidem iſta praematura impediet. Vale Vir Clme. Lugd. Bat.

Scripta haec Epiſtola videtur A. 1590. quo turbae illae de Lipſii ſententia de una religione inter eum & *Cornhertium* ſubortae, quae inter praecipuas cauſſas ejus abitus fuiſſe creduntur. Aperuerat enim occultam animi & diſſimulatam ſententiam Lipſius, & odio ſe videbat exponi Populi, ab inquiſitione Hiſpanica abhorrentis. immo *publico convicio*, ut ait, excipiebatur a Praeconibus Eccleſiaſticis, quaſi faveret huic Tyrannidi, & a puriore religione abhorreret. Miror vero nullas me ad Lipſium Leeuwii epiſtolas repperiſſe. an a Lipſio repetierit Leeuwius, an ille combuſſerit neſcio, multa inde diſcere de actis illorum temporum potuiſſemus.

EPISTOLA XLV.

J. LIPSIUS

[1] *Martino Lydio.*

Amſtelodamum.

Recte dicis. non enim traditae mihi literae tuae. ſi fuiſſent, nunquam commiſiſſem, ut ſilerem ad eas tam obfirmate: debeo enim & defero amori tuo hoc officium libens. *Palmerium*, quem rogas ubi ſit, ubi agat, juxta tecum ſcio. Illud probe [2], adoleſcentem eſſe doctum, acutum, altum, & cujus ſcripta non vulgaris ſaporis. [3] Tertullianum & Arnobium prodiiſſe ſcio. ſed audio vulgare negotium eſſe, nec quidquam elaboratum laborioſiſſimis ſcriptoribus dignum. Libros, quorum inſpectionem mihi amanter defers, vidi, & legi olim pleroſque, nec onus ullum nunc velim impoſitum tibi. iterum tamen inſpiciendi copia ſi fiat, non negem, quod fiat ſine incommodo tuo. *Electa* plura differo. *Commentaria* ad Tacitum brevi videbis. Folia enim aliquot

1 *Martinus Lydius* Antverpia Amſtelodamum vocatus, miniſterio ibi functus ab A. 1580 ad 1585, quando Franekeram abiit. (vid. 1. Centur. Miſc. 69.) ut Theologiam profiteretur, ubi 1600 obiit.

2 De *Jano Mellero Palmerio* judicat Lipſius in Epiſtola ad Douzam 1. Cent. Miſc. 15. quae amplior edita eſt a Goldaſto. 73. vid. & Decad. 11. Epiſt. 7. ad Douz. edit. a Pontano.

3 Intelligere puto Tertullianum & Arnobium Pariſiis 1580. editos a *Renato Laurentio de la Barre*, cujus cura numquam benigna eruditorum ſuffragia retulit.

quot jam accepi. videbis & Satyram *Menippeam* meam, qua luſi in Criticos noſtri aevi: Criticos dico, ineptos, inſulſos, & qui utiliſſimo ſtudio peſſime abutuntur. Vale, mi Lydi, cujus precibus me commendo. Lugd. Batav. XIII. Kal. Febr. CIϽIϽLXXXI.

EPISTOLA XLVI.

J. LIPSIUS

Martino Lydio S. D.

Amſtelodamum.

TArde ad tuas litteras reſpondeo, vir optime, quia nec otium mihi, nec valetudo ſaepe ex voto. Tamen is amor tuus in me eſt, qui vel occupato epiſtolam extorquere debeat, imo & aegro. Laudas *Saturnalia* noſtra, & praeſertim quae in iis ad pietatem aut mores, & gaudeo in judicio tuo: quod mihi, ſi quid deinceps ſcribam, certum eſt ſequi. Fruſtra enim, mi Lydi, fruſtra omnes litterae, ſi non directae ad unum illum ſapientiae ſcopum. Luſus profecto alioqui, & deliciae puerorum. de Agellio meo quod quaeris, ſane ita; miſeram ad Plantinum ante menſes quatuor, cum interea nuntiatum nobis *Giphanium* eumdem jam ſcriptorem habere (ut loquimur) ſub praelo. ſed & in Gallia idem moliri *Carrionem*. Itaque deſtiti, & ſollemni meo more non intervenire laboribus cujuſquam volui aut laudi. nobis in alio agro ſatis magna parata ſeges eſt, ſi ad colendum vires ſuppetunt & valetudo. Tacitum cum pleno integroque commentario vulgare iterum paramus. De Tertulliano & Arnobio quod hortaris, fortaſſe aliquid poſſem (fateor enim utroque ſcriptore eo delectari me, & aliquid in iis plus videre, quam vulgum) ſed neſcio quomodo languet animus, &, ut nunc res eſt, vix ſuſtineo, quae ſuſcepi, nedum ut tollam novum onus. *Janum Guilelmium* jure laudas, & gratulor ipſe Germaniae, quae, uti auguror, habitura in eo novum ſidus. De *Palmerio* jamdiu nihil. Illud tibi nuntio, *Scaligerum* mihi ſcribere, apud Typographum eſſe libros ſeptem de emendatione temporum. doctum haud dubie (hominem enim noſti) & laborioſum opus, & vobis etiam Theologis futurum in uſu. nec plura mihi nunc permittit tempus. Tu vale, vir Reverende, & me precibus tuis apud aeternum patrem juva. Lugd. Batav. poſtrid. non. Octob. 1582.

EPISTOLA XLVII.

J. LIPSIUS

Jacobo Bongarſio.

Lutetiam.

LIterae [1] Holſtenii mei renovarunt memoriam apud me tui. Anno enim ſcripſiſſe te ad me ſcibam, mi Bongarſi: & haerebant animo benevolentiae verba; quibus aditum quaerebas ad amicitiam meam. Ea vero tibi patet non feneſtra, ſed toto oſtio, tuique ſimilibus omnibus, bono jure. Quis enim virtutem hanc doctrinamque, cujus teſtimonia in litteris tuis famaque ſunt, rejecerit, niſi alienus ab utraque. Itaque jam nunc cenſeo te inter eos, quos amo, & a quibus aeſtimem amari. Fragmenta illa, quae miſiſti, Salluſtii eſſe comperi, non T. Livii. commentarium ad Tacitum brevi videbitis, utinam probem doctis. Juſtinum tuum eo animo exſpecto, quo omnia, quae e limatiſſima prodeunt Gallia veſtra: nam caetera profecto nugae. Franciſco rege immigravit in Galliam melior doctrina, atque etiam haeret. Vale, & ſaluta a me Puteanum, Pithoeum, P. Danielem. ad Pithoeum bis ſcripſi. nec ſatis ſcio, quid litteris iis factum. Lugduni Batavorum A. d. XII. Kal. Feb. CIƆIƆLXXXI.

1 *Fridericus* hic *Holſtenius*, naturalis filius Ducis Holſatiae, in Belgium miſſus ſtudiorum cauſſa. de eo quaedam epiſtolae ſunt in ſcriniis inter *Lipſium* & *Antonium Cauchium* Ultrajectinum, qui ejus curam agebat, de pecunia ipſi ſuppeditanda & rebus domeſticis. poſtea in Galliam abiit, Lutetiae & Biturigibus operam juri daturus. ut ex epiſtolis MS. *Lipſii* ad ipſum *Holſtenium* colligo. de eo agit Lipſius in Epiſtolis, quae editae ſunt poſt Hottomanni epiſt. pag. 447. unde apparet apud Lipſium vixiſſe, eique ab Holſatiae Duce ſumptus eſſe ſuppeditatos.

EPISTOLA XLVIII.

JACOBUS BONGARSIUS BODRYANUS

Juſto Lipſio S.

Leidam.

ANnus agitur quartus, Juſte Lipſi, ex quo nobis Thraſeam tuum debes. Mala fide nobiſcum agis, cum & tu ſolvendo ſis, pecuniamque paratam, atque in id ſepoſitam habeas: & nos illo, veluti commeatu, ad hoc difficillimum iter conficiendum deſtituamur. Cui, obſecro, ſeculo, opes iſtas ſervas? meliora & aequiora tempora ſpectas? Et quis, plenis horreis, in vilitatem annonae reſpicit? Quin prome, in tanta penuria, quae habes condita; & tot miſeros, quos famis enecat, exſatia. Medicus, ſi pharmaca ſua graſſante univerſali morbo, in pixides abdita recondat, medicus non ſit, & poenam publicam mereatur. Haec tempora, Lipſi, Thraſeae tempora ſunt: illius

illius artibus, illius machinis, ad nos firmandos, erigendos opus eſt. Neque, arbitror, tu tua ad vulgi ingenium aut judicium fingis: ingenia & judicia noſtra, ad leges tuas, fingenda nobis & formanda ſunt. Dici non poteſt, Lipſi, quantum mihi, Byzantio reverſo, Conſtantiae tuae repetita lectio, conſtantiae addiderit. Legeram domi & relegeram, miſſam a *Groslotio* noſtro, cum alta, in ſpeciem, apud nos pax, neque gravis haec tempeſtas, niſi prudentibus, praeviſa eſſet. Sed, ut placido mari, gubernatorem negligimus: ita diſputationes iſtae, rebus ex voluntate fluentibus, aures feriunt, nec penetrant. Ut autem me, è medio peregrinationum curſu, turbatae patriae nuntius revocavit; & in hoc mare, infame naufragiis, incidi, tum ipſe mecum

—— nimirum haec illa Charybdis,
Hos Helenus ſcopulos, haec ſaxa horrenda canebat.

Concideram animo, perieram, niſi animum mihi & virtutem Conſtantia tua revocaſſet. Dicam de te, merito tuo, quod de Sextio Seneca noſter. *Vivit, viget, liber eſt, ſupra hominem eſt: dimittit me plenum ingentis fiduciae.* &c. Multum Conſtantiae tuae debeo: Velim & Thraſeae debere, & per eum in ſocietatem illius venire, qui

—— metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Sed inprudens, ex creditore facio me debitorem: imo vero volens & prudens debitum agnoſco: & tibi, Lipſi, iſta debeo lubens. Tu modo, ea nobis crede, quae cum credideris, erunt nihilominus apud te, & erunt apud te clariora atque ſplendidiora: nos autem augebunt divitiis ingentibus, & fortunam timere neſciis. Noſti Ennianos verſus,

Homo qui erranti comiter monſtrat viam &c.

Vale, vir Clariſſime: & nos praeceptionibus tuis porro inſtrue, & ad imminentes caſus confirma: Douzam, Donellum, Vulcanium, caeteros iſtis amicos noſtros ſalvere jubeo. Francofurto ad Moenum XI. Kal. Maj. cIɔIɔxxcvII.

EPISTOLA XLIX.

MONSIEUR.

à Louvain.

JE vous repeteray, ce que de vous ay eſcrit de Paris. L'Amour & le reſpect, que je vous porte, s'engendra en moy à l'heure meſmes, que j'eus jetté l'oeil ſur voſtre premier ouvrage: Ut vidi, ut perii. *Il y a vint & quatre ans, Ceſt Amour & ce reſpect ſont venus en moy juſques à la perfection: à laquelle ils s'arreſtent. Je le diray avec verité, Monſieur: Je vous ayme, & vous honore par deſſus tous ceux, qui font profeſſion des bonnes lettres & de ſageſſe. Auſſy eſtes vous par deſſus tous. Permettez moy en vous aymant, que j'ayme auſſy mon Pays, & que je luy en rende preuve, meſmes en vous aymant. Tous les plus beaux fleurons*

de

de ſcavoir, ont honoré noſtre France, ou de leur naiſſance, ou de leur preſence. Vous ſeul, qui eſtes, certes, la fleur des fleurs, ny avez encores mis le pied. Et rien ne nous default que vous, pour la perfection de ceſt honneur des lettres, acquis par voſtre jugement meſmes, à noſtre nation: Ne luy envyez pas plus long temps ce point d'honneur: Vous y eſtes deſiré: Vous y eſtes appellé: & ce par la voix de tous les gents de bien: par la voix du Prince: Prince, duquel j'ay aſſez dict, quand je l'ay nommé. Son nom porte ſon los avec ſoy: Sa Majeſté m'a recommandé de vous en eſcrire, & d'aprendre de vous meſmes voſtre volonté. Il vous offre telle profeſſion à Paris, que bon vous ſemblera: & ſix cents eſcus de gages, avec moyens de faire le voyage. S'il vous plaiſt d'y entendre, vous aurez incontinent un Gentil homme pour vous conduire. J'ay ouy le Roy parler & diſcourir de vous, avec tel feu, qu'il eſtoit ayſé à juger, qu'il brusloit au dedans d'un deſir, de vous voir & honorer. Monſieur donnez ce contentement à ce Prince: Faites ce bien à noſtre France, & aux lettres, & m'obligez particulierement de ceſt honneur: Moy, Monſieur, qui ſuys & ſeray à jamais.

De Sarbruc. 12. d'Octobr. 1594.

Votre tres affectionné ſerviteur
& obeïſſant diſciple
BONGARS

EPISTOLA L.

J. LIPSIUS

[1] P. Egmondo.

BEne factum quod non iſta etiam perierint. Quid enim jam non timendum? ſed ego, mi Egmonde, tutiſſimam viam puto, uti ad Plantinum. aliis, qui amicos ſe dicunt, ne quid fide; re experior fidem manſiſſe apud paucos. Percuſſiſti me autem in litteris de illo [2] Lombardo. quis enim? & qua fama? Vivitne, an ex priori aevo. nulla enim de eo ad nos aura. ſed extra jocum, quiſquis ille, utinam aliquid dignum ad magnum ſcriptorem. ſi vulgare tantum negotium, per me quidem frangentur Lombardo illi lumbi. Commentarium meum ecce vides, ad Annales ſaltim: nam ad Hiſtorias ſubſequetur. utinam eum probem paucis (idem propoſitum mihi) interque eos [3] patrono tuo, imo noſtro. Cujus mentio mihi cum honore fuit, per occa-

1 *Petrum Egmondum* laudat Lipſ. 1. Cent. Miſc. 52. non aliunde mihi notum. Cent. 1. 100 rogat Egmondum Lipſius, ut Lovanium cogitet & illic honorem? vixiſſe in contubernio Busbequii apparet ex his Epiſtolis.

2 Quem intelligat non ſatis pervideo. nam perſonatus ille *Lampugnanus* diu poſt hunc annum prodiit. nec *Annibal Scotus* videtur eſſe, qui demum 1592. prodiit Francofurti. niſi antea in Italia ediderit Tacitum Scotus. ex ſequenti epiſtola patet notas maxime politicam diſciplinam illuſtraſſe, ut *Scipio Ammiratus*, *Malvezzius* inſtituerunt. ſed hi etiam poſt hanc epiſtolam prodierunt. *Julii* etiam *Salinerii* prodiit demum A. 1602. hunc forte Lombardum Lipſius innuit in praefatione editionis ſui Taciti, de qua hic agit, A. 1580. Auguſt. *Politica non attigi* &c. & *audio jam eſſe, quibus proprie ea cura.*

3 Busbequio.

occaſionem lapidis illius Ancyrani. ſed in commentario video jam nunc eſſe, in quibus ſemitam ingreſſus ſum, non viam. Quale illud quod in lib. I. ad ea verba, *in ſuam cognomentum Imperatores adſciſci.* monui, Tiberium non uſum eo nomine. Falſo: repperi enim poſtea in nummis. ſed fortaſſe verius in eo loco legerimus, *imperaturos.* Haec taliaque ſi alii notabunt, quaeſo indica. Id enim amicis, & praeſertim apud me, qui non libenter aberro, & libentiſſime in viam reducor, ἀληθῶς λέγω καὶ ἁπλῶς. de verbo *Explicit* ſubmonitio tua veriſſima. nam morem explicandi volumina tenes. & vide aliquid Senecae Epiſt. LXXIII. initio. de *Impraeſentiarum* fateor, me doces. nunquam enim mihi fuerat in mentem. Nec diſpliceat etiam *Impraeſentiadum*, ut *Hauddum*, *iteradum*, *memoradum* &c. illum, quem ſcribis Antverpiae eſſe, ita audio ex literis Plantini, hominem, ut ſcire te volo, nigrum, & quem pernôvi tarde: non enim ſero. ita capimur ſaepe adoleſcentes ab iis, qui *ore tenus doctrina exerciti, animum bonis artibus non induerunt*; ait noſter. Tu, Egmonde, egoque coeptam amicitiam cum fide colamus, & majorum exemplo. D. Busbequio ex animo me commendo. Lugd. Batav. IV. Kal. Maj. 1581.

EPISTOLA LI.

J. LIPSIUS

P. Egmondo.

LIteras a te accepi, ſed unas. alteris credo factum, quod jam ante, quod nollem. At Tacitus mihi redditus ſalvus; cum Lombardi illius commentariis dico, quos, ingenue pronuntio, titivillitio nollem emptos. tamen etiam facit ſe magnum, & velut alterum Platonem, qui leges & πολιτεύματα nobis ſcribat. o illum fatuum, an eos, quibus haec placent! mihi una pagella patroni tui in Itinerario aut ſuaſione belli Turici πολιτικώτερα videtur, quam illius philoſophaſtri verboſi centones. Culpat etiam oblique Criticos, vel, ut ego interpretor, laudat. Quomodo enim non rectum id, quod diſplicet ingeniis tam curvis. de Faſtis quod dicas, non ſatis etiam capio. tetigiſti, credo, clarius in literis prioribus. Quidquid tamen eſt, in quo uſus tibi mei meorumque eſſe poſſit, impera volenti. In verbo *deliberat* nihil delibero, quin rem tetigeris. At enim Poëtae (nam exempla praeter illud Horatii plura) *deliberare*, non *delibrare*. Scio. ſed litera ſcilicet inſita & recepta in ſermonem vulgi. *Ampla ſacerdotia* apud Criſpum non aliter exaudio, quam ut virum *ampliſſimum* in dignitate. nam lucra ne magiſtratibus quidem tunc adjuncta. unde Sacerdotiis? *Imagines* tempore regum non cenſeo in uſu, ne ipſis quidem regibus. Quod Livius ſic loquatur, non id rarum, ut phraſes veteribus aptent ſui aevi. Nec Virgilium quidem ex fide hiſtoriae audio, atrium Latini regis cum imaginibus depingentem. nos in manibus habemus Satur-

 nalia

nalia (imo Typographus, apud quem jam ſunt) quorum pars inſcripta a me D. Augerio patrono tuo. ſpero, officium ab animo metictur, non a re. Vale, mi Egmonde. nam vocor. Lugd. Batav. III. Eid. Nov. CIƆIƆLXXXI.

EPISTOLA LII.

J. LIPSIUS

P. Egmondo.

DUpliciter erras, mi Egmonde, qui & ſtudiis immori me cenſes, & ea cauſſa ſiluiſſe. Primum enim lente & faſtidiens tango libros (valetudo ita fert) deinde ut diligentiſſime ibi ſim, non tamen illa, aut ulla res me abſtineat ab alloquio tui. Itaque jampridem ſcito reſpondiſſe me ad tuas. nec ambigo, quin eae litterae jam perlatae. de Saturnalibus, tu & ille virorum maximus nimis amanter. ſunt mihi reliqui (ut vides ex partitione) libri tres, quos in tempore edam. languor tantum hic abeat & nauſea ad res bonas. nunc urgent me ut reliqua ad Tacitum. in eoque ſum. Utinam mihi copia judicii unius illius viri? *Cujacium* dico. Nam ego per me interdum exorbito: & ubi pedem maxime figo, labor. Quaedam etiam ſunt, ad quae non adſurgo. Itaque ponam aliquando hanc meam frontem, & ſumam alienam, foreſque pellam amicitiae illius, quas aperuiſſe eam ſcio minus dignis. Nam de illo [1] noſtro quid dicam? quem ego ſciebam non diu laturum perſonam, quam ſumpſerat. quomodo enim apud illos oculos? at ille tamen interea ſe magnum fecit. & rideas, ſi ſcias quae iſtuc ſcripſit. o hominem male fidum, male vanum! perſtrinxere aures meas quaedam ab illo in me jacta, quibus adeo non moveor, ut jam demum mihi placeam, cum coepi illi diſplicere. Sed hoc perniciosum genus calumniae facie amici. vos tamen ſcilicet civilius, & a me ille adeo ſecurus, ut hoc unum illi ad peccandum telum ſit, lenitas mea. Tu mihi crede, in tenui iſto corpore major mihi animus, quam ut in hoc genus adſurgam. laedi me non ſentio, nedum ut ulciſcar. Agellium meum jam ad Plantinum miſeram. pendeo tamen animi, illius exſpectem, an protrudam meum. de Cujacii Liviis recte nuntias, & jam tale aliquid cogitabam. ſed videbo & ſcribam. Nuntiatum mihi *Caſtanaeum* eſſe apud vos, reducem e legatione Romana. *Scaligerum* item exſpectari. Saluta, ſodes, a me magnos viros, ſi occaſio feret. utique Cujacium, quem Deus jure imputat huic aevo. Tu me ama, & quid rerum iſtic geratur, fac me crebro certiorem. Vale. Lugd. Batav. prid. Eidus Majus CIƆIƆLXXXII.

1 *Carrione.* vid. 1. Cent. Miſc. 100.

EPI-

EPISTOLA LIII.

J. LIPSIUS

P. Egmondo.

TArdae tuae litterae, & vere mihi exſpectatae. Nam ex iis locis jam diu ad nos nulla benevolentiae aura. At nunc largiter. de judicio ſine adfectu, quomodo non triumphem? qui vel nominari ab illo viro ἀποθετέος cenſeam. itaque quod jam diu facturio, feci: & epiſtolam ad eum miſi, novam indicem non novi amoris. ea hic adjuncta. cum *Scaligero* jam pridem mihi uſus: & frui defruique ambroſiam illam licuit, via litterarum, plus ſemel. redibo ſcilicet ad epulas, ſimul acceptum mihi de reditu illius [1]. Laconem noſtrum (ita mihi cum cauſſa nominetur) ex re veſtra eſt, ut noritis. & remota frontis illius nebula patere eum jam vobis gaudeo. Mihi impoſuit: ſed olim, quid mirum ſi adoleſcenti, imo puero? certe poſtquam judicii mei fui, non tulit ceruſſa illa hunc ſolem: naevos vidi maculaſque, quarum contage ſorduerunt etiam mea quaedam ſcripta. At animus nunquam, qui (certe dicam) purior candidiorque, quam ut tale aliquid adhaereat. Itaque ante multos jam annos ſolvi hoc jugum, nec tamen abrupi. ſed vetus praeceptum, dilui paulatim amicitiae hunc colorem. Quod ad ſcripta mea: illa quoque depurabo, ſi otium mihi unquam retractandi, nec reſidebit in iis nomen, quod nec me, nec virtutem amat. ſed haec ſcripſerim tibi: nam laedere, aut laceſſere quemquam non meum.

De Agellio adſentior. exſpectemus: etſi exemplar meum miſſum jam ante menſes tres ad Plantinum: ſcio trecentos aliquot locos vero judicio emendatos, e quîs fieri non poteſt; quin quicumque prior eſt, delibet pleroſque. ſed non eſt tanti. contemnere jam iſta coepi, imo videre in pleriſque miſeram & jejunam ambitionem. De Arriani loco bene Scaliger quod monuit: vellem in pluribus & alii plures. Nam Tacitum in folio jam divulgamus, cum pleno commentario in omnes libros. ſed de Lugduno noſtra turbata, quis laevus & levis vobis auctor. Nam nos quidem in alta pace, niſi quod *Lamb. Danaeus* Theologus diſceſſit, cui neſcio quid contentiunculae cum miniſtris inciderat ſuper Diſciplina, uti vocant. Noſti genus ἀγωνίστικον περὶ λόγους. cetera hîc vigent & valent: & benignitas ordinum in nos pro plena. in Danaei locum [2] Germanus quidam Theologus ſuffectus mente quietior, niſi fallor: certe gente. De patriae noſtrae ſtatu quid quaeris? Vocas me in campum, quem longo tempore non percurram. tamen huc quoque ingredior: ſi acceptum id Patrono tuo, & tibi. Alenconium Ducem Comitemque Brabantiae & Flandriae ſolemni ritu

1. Carrionem a furtis *Laconem* hîc & alibi vocari puto.

2. *Johannes Holmannus*, cujus vita eſt in Athenis Batavis. hic legavit bibliothecam ſuam Academiae, quae exordium & fundamentum publicae primum fuiſſe dicitur: obiit ſecundo die Natalis Chriſti 1586. miror, eum praeteritum a Meurſio.

ritu deſignatum, indubie audiſtis, & ut hactenus res eſt, placet pleriſque ingenium ejus moreſque. Mira in verbis comitas, in actionibus providentia. ſed ſine faſtu, ſine contemptu auditio & obauditio conſilii alieni, ut fas mihi loqui cum antiquis. In bello nihil magnum adhuc geſtum, ſed nec detrimentum acceptum magnum, ejus quidem culpa. Hoſtis nunc apud Menium Flandriae eſt, cum potiſſima parte copiarum: ſed deſes. Nam opidum adhuc nullum obſedit: etſi copiae ejus ſatis grandes. Halewium munire coeperat vetandis excurſionibus praeſidii Menignenſis: ſed ante biduum noſtri eruptione facta dicuntur caecidiſſe hoſtem, & quod muniri coeptum diſſipaſſe. Id certum habetur. ſunt etiam, qui de diſcidio muſſent, inter Querulos (ut ſic vocemus) & auxilia Hiſpanorum Italorumque. cum haec ipſa ſcriberem, literae ad me Antverpia, de Inſulis, opido per inſidias ab Hiſpanis occupato, ſed non temere affirmem. Lochemium (in Tranſiſalana oppidulum eſt, ingenio loci hominumque validum) arcta obſidione premebatur ab hoſte, & jam fames erat. ſed ante triduum liberaverunt noſtri, ducibus Comite Hohenloijo & Noritzio Anglo. ſine caede tamen, quia ceſſit hoſtis. Kal. ipſis Octobribus Antverpiam venerunt ſeptem equi phalerati, qui in pompa ducti ad Alenconium, donum, ut ferebant, Galliarum Regis. Res Domini Antonii apud nos incerta. victum eſſe, adſerunt plures. ornantur apud nos naves duodenae grandes, quae ſubſidio illi: ventus duntaxat eas moratur. ſane prudentiores omnes ſcimus grande momentum in illo bello eſſe rebus noſtris. cetera ſcit Deus. qui utinam aliquando quietem patriae noſtrae attribuat diu jactatae. Vale, & niſi diſplicuit haec longa epiſtola, paria fac reſpondendo. ſaluta a me officioſe D. *Busbequium* patronum. *Pithoeos* etiam, ſi convenies. ſed heus tu, de factis tuis cur ſiles? differs opus? nec enim, credo, abjeciſti. utilis ſane ille labor fuerit, & ex re antiquitatum. *Carrio* item ubi & quomodo agit? nec enim id ſcribis. Haec & ſi quid aliud ibi, fac, per te ſciamus. Leidae Octobr. CIƆIƆLXXXII.

EPISTOLA LIV.

J. LIPSIUS

P. Egmondo.

PAullo magis duo menſes ſunt, mi Egmonde, cum ad te litteras dedi, quibus ſignificabam de *Cujacii* Liviis receptis, qui ſane diu in itinere haeſerunt, & tarde ierunt per caerulas illas vias: venerunt tamen, & ſpero uſui mihi erunt in iis, quae paro. E Gallia veſtra jam pridem nihil audivi, nec vidi quidem, praeter emendationum libros *Carrionis*, de quibus taceo. *Scaligero* exortos aemulos audio, neſcio quos, & a qua inſula. neque de cauſſa ſatis ſcio aut argumento: Rumor tantum aliquis me adflavit. ſed quis ille tam laevus, & ſui prodigus, qui provocat illum Hectorem? libros ejus de Temporum corre-

rectione editos audio, ſed nondum vidi. ſed ille noſter *Cujacius* quid agit? & in quam juriſprudentiae partem radios ſuos ſpargit? Ego quidem in philoſophia hos dies fui (ſcripto & ſtilo hos dies, cogitatione & ſtudio ſemper) & ſcripſi de Conſtantia, quae vides. Exemplaria enim tranſmiſi *Busbequio*, *Cujacio*, *Scaligero*, *Pithoeo*, & tibi. Adjunxi etiam Ampliſſimo *Briſſonio*; cujus Formularum libri, deus bone! quam nos juvant! Ceterum editur iterum Tacitus noſter, cum juſto commentario in omnes, aut pleroſque ejus libros. de Faſtis Ovidii ſcripſi in nuperis literis quid ſentiam, & quid ſuadeam: Crede dignum ſtudium ingenii tui & diligentiae decurſu. ſed quid audio? [1] literasne in Gallia paſſim ſpargi, quae a me profectae dicuntur in gentis illius notam? Ita enim mihi ſignificant e Britannia viri magni, & addunt, ſtilum non abeſſe a meo. Quis fuit ille tam effrons, qui auderet, tam excors, qui ſperaret, hac ratione alienare a me poſſe humaniſſimam & cariſſimam mihi gentem? quaeſo, inquire & ſcribe. digna enim res animadverſione, non privata ſolum noſtra, ſed publica; ne tam capitalibus calumniatoribus ſit impune. ubi autem mea manus? ubi germanus ille ſtilus? ubi ſervatus hactenus pudor & modeſtia? ſcilicet valde mihi curae aut cordi, quid Celtae turbent aut Iberi? publica tum curabo, & in iis angar, cum ad ea admotus: nunc remos ſaltem moveo in hac mea cymba. *Donellus* a nobis abiturire videtur Altorfiam verſus. ita, appellant novam ſcholam a Noribergenſibus coeptam. At nos civicae turbae exercent, quas video, audio & contemno. Vale, & ad me, quaeſo, omnia minutatim de *Cujacio*, *Scaligero*, talibuſque viris. Ego te amo & amabo. Lugd. Batav. Non. Octob. 1583.

1 Forte hic eſt ſpurius ille foetus, ſibi ſuppoſitus, de quo III. Cent. ad Belg. 68. ubi in praefatione ſe moniturum promittit de eo Lectorem. nec tamen feciſſe video. ſed ſequenti epiſtola auctorem jam notum ſcribit. & ſaepe alibi de hac re agit.

EPISTOLA LV.

J. LIPSIUS

P. Egmondo.

Romam.

TUne Romae? Laevam meam mentem, quae te Lutetiae eſſe cenſebat. ſed litteras a te nullas accepi, & doleo, imo iraſcor, ſi tamen tua haec culpa: Nam illas, quas miſiſſe te dicis, & in quibus de notis ad Tacitum *Memmii*, non vidi, nec tamen perire eas facile eſt, ſi miſſae ad Plantinum; tamen quicquid hujus eſt, & approbo conſilium tuum, & gratulor in eventu. Certe reginam illam & dominam rerum videri & calcari a te praeſente oportuit, quae auctor nobis & fons tot ingeniorum, tot ſcriptorum. Mea de Conſtantia, niſi fallor, jam certe accepiſti. Si non, miſi tamen exemplar ad *Franciſcum Bencium*, a quo ſumes, inſpiciendum. judicium tuum & aliorum de

de novo hoc genere ſcribendi non me caelabis. ſed *Muretus* viſusne etiam tibi alienior? non ego ab illo. Amo virum, & amavi olim, neſcio qua inclinatione naturae; Aemulatiunculae quaedam intervenerint & velut fumi, quid ad rem? nunquam obſcurabunt hunc ardentem in me ignem. Nugae ſunt, de quibus contendimus, & hoc ſcio judicare *Muretum* ipſum. De D. *Bencio*, haut exprimam verbis ullis, quam mihi gratum. inhaerent ſcilicet veteres illi amores, quos ſpatia annorum nulla deleverint aut locorum. Scripſi ad eum, & fac, exoſculer amicam ejus manum. Etiam *Wincelio* reſpondi benevolo in me, ut video, etſi adhuc ignoto: Illuſtriſſimo *Sirleto* voluiſſem exemplar Conſtantiae tranſmitti. ſed verebar, ne creſceret ſarcina, & tardor id facere, donec de judiciis mihi conſtet ejus gentis. ſpero quidem me nihil in rebus illis arduis, niſi rectum, niſi purum: quid ſi tamen deflexi? ſed redibo in viam monitus, nec unquam in me pertinaciae crimen. De iis, qui illic me amant, habeo gratiam adfectui; qui carpunt; ignoſco item adfectui. Homines certe ſumus. nec ego inter inerrantes aut impeccantes. Scio multa in prioribus illis ſcriptis meis, quae refelli poſſunt, imo debent. ſed quid torquentur? ego ipſe eam operam jam ſumſi, & recudi omnia mea Critica jubeo, (Plantino cupiente) & compingi in volumen unum. ſcripſi de Amphitheatro nuper, & facem aliquam huic rei praetulerim fortaſſe apud Italos ipſos. Res noſtrae porro turbant. At tu me illuc invitas. quî poſſim, cum uxore & familia? Lenta illa vincula, & quae haut facile rumpam. alioquin animus mihi nunquam alienus ad illo ſolo & coelo. Conſilium tamen fortaſſe aliquod capiemus aliquando, Perſei ſive Daedali. Interea tu me ama, tui peramantem, & quos volentes nobis reperies, ſaluta. inter eos *Fulvium Urſinum*. Leidae Non. April. 1584. ſed heus tu? de epiſtola illa meo nomine ſparſa per Galliam ſecurus es. Notus jam auctor, nec quidquam de me, aut ad me. [1] *Antonius Lyranus* plurimam tibi ſalutem impertit.

1 *Antonius Trutius*, dictus *Lyranus*, quia ex Lyra oppido oriundus, ſub ipſis initiis Academiae Leidenſis Philoſophiam docuit, & Ariſtotelem explicuiſſe ex Actis Academiae XIII. Jun. 1582. diſco. Interfuit etiam 1592. Inaugurationi Collegii Theologici.

EPISTOLA LVI.

J. LIPSIUS

[1] *Jo. Metello Sequano.*

Coloniam.

PArtem literarum tuarum Plantinus mihi legit, non ſine dolore meo & morſu. [2] *Manlium* ego tetigi? ne cogitatione quidem, nedum ſtilo. *Suffridum* for-

1 *Johannis Matalius Metellus* Sequanus, Juriſconſultus fuit, qui Coloniae diu vixit cum *Ximenio*, *Uytenhovio*, *Mylio*, *Rhedingero*, & aliis. Ipſe in turbis eccleſiaſticis optabat quidem emendari ſacra;

fortaſſe, ſed non magis quam *Manutium*, quam *Victorium*, quam me ipſum. Quid habent lenes & leves illi joci, quod pungat, quod penetret? nec ſummam quidem cutem ſtringunt, adeo ſanguinem non eliciunt. nam de te inquietando, ſi unquam cogitatione egi, vita mihi inquieta ſit. de nomine ſolo mihi notus es, & tamen (pro judicio quod de te eſt) beneficio potius, quam injuria adfecerim. Idem tibi de *Duza* ſpondeo. Pone ergo hanc curam: nec jambos aut tela eorum exſpecta, qui adeo a laedendo abſunt, ut neſciam an remorſuri ſunt advorſus. de Imperatore laeſo me movit magis. Nam & antea rumuſculos inaudieram. ſed prudentiam tuam & uſum rerum appello. ineptos aliquot & ſolo titulo poëtas tangere non potui ſine injuria Imperatoris? Ego illi vim poteſtatemque tribuendae laureae eripio? creandi equites, comites? abeſt, Metelle, abeſt. riſi duntaxat illos, qui obrepunt ad honores eos merito nullo ſuo. Qui iis ſuffulti ſpernunt contemnuntque nos ex alto; tanquam ſi doctrina & poëſis manare etiam poſſint ab Auguſto fonte. atqui ab ingenio ſunt. ſervilia reliqua. & [3] Satyra illa tota apud prudentem & non alienum lectorem innoxii joci eſt. Haec ultro tibi ſcribenda cenſui, ut ſperneres rumores eos, qui aures tuas fruſtra percuſſerunt, etſi non familiariter mihi notas. Vale, & quoniam de animo meo tibi liquet, apud alios talium calumniarum me purga. Lugduni Batav. Kal. Jul. CIↃIↃLXXXI.

cra; nec ſeparabat ſe tamen *Metellus* ab Eccleſia Romana, licet Jeſuitas vehementer odiſſet. ejus epiſtolae aliquot inter ſelectas a *Dan. Heinſio* editas. & praecipue n. 59. & 69. Vide *Heinſii* Praefationem. ſaepe etiam ejus mentio in Epiſtolis *Latini Latinii*. vid. Epiſt. t. 11. 22. 46. 92. & *Aſchamii* Epiſt. I. 11.

2 Quis ille *Manlius* ſit neſcio. niſi intellexerit *Chriſtophorum Manlium* Gorlicenſem, quem ut Poëtam elegantem, & Hiſtoricum inſignem & diligentem Luſatiae ſcriptorem, celebrat Celeberrimus *Con. Sam. Schurzfleiſchius* in operibus Hiſt. Politic. diſſert. XXVI. pag. 429. & dolet illius memoriam fere exoletam, cum *Joannis Manlii*, Collectoris communium locorum, ſit celebratiſſima. pauca ejus diſticha & epigrammata conjeciit *Gruterus* in tom. IV. Deliciar. Poëtar. German. pag. 244. & ſeq. inter quae non inepta aut inelegantia deprehendes.

3 Spectant haec Satyram ejus Menippeam.

EPISTOLA LVII.

J. LIPSIUS

Jo. Matalio Metello.

Coloniam.

V. C. binas tuas accepi, ſed in charta eadem, tempore etiam magis, quam argumento diverſas. commendas *Succam*; quam non fruſtra, [1] epiſtola mea ad illum dicet. ſententiam tuam de Italico itinere interponis, & jamdiu meam. Quidvis enim potius, quam ut a patria iterum avellar, praeſertim in longinquas illas oras. Et omitto cauſſas alias, quas acute tangis. Nos Lovanium, ut opinor, brevi. In medias turbas? inquies. Ita, ſed in mediis quo-

H 2

1 Vide Cent. ad Germ. 10.

quoque turbis, ut ſpero, quietus. primum quia Deo me permitto, extraneus ab his externis, quae ut cadant, non eſt in mea manu. deinde quia civilis etiam prudentia me docuit non intutum eſſe eum locum, quem non pietas ſolum tuetur, ſed paupertas. Quod expeditionis autem pretium? nec ipſum tenere poſſunt, nec abduxerint ex eo multa. Accedit quod arx Weſterloo, quae periculoſe imminet, nunc obſeſſa ſerio a noſtris eſt. atque illa capta ſejunctiores a nobis hoſtes puto. etiam (ut ſenſum meum revelem) alibi pugnandum potius aut depugnandum totum hoc bellum, quam in Belgica, & Gallia & Italia leges nobis dicent. Quid ſi etiam Germani? Incipere ibi flammam video magis dilatandam fortaſſe, quam cum coepit in veſtro cornu. vires noſtri regis magnae & ſolidae ſunt, fatum Auſtriacae domus praepotens. & qui ſe opponunt, turbant magis, quam frangunt aut ſiſtunt. Quaſi ea quae oculis cernuntur, ſic palam videmus benignitatem numinis in eam domum. Nolo plura; quid enim iſta proprie ad me? qui cymba litus lego, nec do me in civiles illos fluctus. [2] *imo unicum negotium mihi eſt, nec aliud nunc curo quam ne curem.* Vale; mi Metelle. Saluto *Ximenium* & *Hartgerum*. Leodici xv. Kal. Sextil. CIƆIƆXCII.

2 Tertull. de Pallio. cap. v.

EPISTOLA LVIII.

JO. MATALIUS METELLUS, SEQUANUS,

Juſto Lipſio, Salutem.

Leodium.

AD vos *Hartgero Hanoto* Colonienſi, qui has tibi reddet, proficiſcenti, tibique petenti commendari, quia familiaris eſt meus, & eum *Carolus Utenhovius* amat; literas ad te ei negare non potui. Eſt enim adoleſcens bonae frugis, mihique magnae ſpei ſemper viſus eſt, tuique ſtudioſiſſimus. Iſthic habet negotia quaedam, quae auctoritate apud Lampſonios noſtros, & aliquot alios tua ſe ſperat poſſe conficere. Si eum igitur juvaris, gratum nobis erit intelligere, aliquid illum conſilio tuo conſecutum. Mihi praelegit paucis abhinc diebus deſcriptionem [1] Elephanti tuam. Quae mihi propter diligentiam, qua uteris in ejus natura perſcrutanda, ſummopere placuit. nam, quod ad ſtilum pertinet, omnibus, ne alias tuas virtutes referam, nota eſt elegantia, prudentiaque ſcribendi tua, illuſtre vero eſt acumen ingenii tui, brevitaſque a perſpicuitate laudatur. Sunt autem inſignia meae gentis Elephas, quo etiam nomine mihi perjucunda contigit ea narratio. Hoc ei addam de *Petro Gillio*, Vaſcone, viro non ſolum Graecae ac Latinae linguae doctiſſimo, verum etiam ſedulo naturae animalium perſcrutatore, qui a Franciſco primo Galliae Rege in Graeciam miſſus fuerat, ut libros manuſcriptos ve-

1 Vid. 1. Cent. Miſc. Ep. 50.

venaretur, atque coëmeret, inſtruendae Bibliothecae, cujus ni fallor, nunc eſt [2] cuſtos *Joſephus* tuus *Scaliger*, & ut omnia denique piſcium Graeciae totius & Nili genera notaret. Illum ergo adfirmaſſe mihi, ſe in Aſia iter cum Elephante, quem Solimanus Franciſco primo Regi dono mittebat, per quindecim plus minus dies feciſſe, & ejus indolem, mores, ingenium ac virtutes, quo eas in commentarium referret, diligenter obſervaſſe. Inter egregia ejus belluae complura, raraque facinora, ſingula enim referre prolixum foret, hoc animadvertiſſe, neque ſemel, ſed ſaepius oculis inſpexiſſe: cum feſſus videlicet Elephas ex itinere in hoſpitium adveniſſet, ingreſſum è veſtigio fuiſſe pabuli cauſa ſtabulum, & ſi quadrupedem in praeſepi repperiſſet, una cum eo cibum, tanquam ſocium, ſumpſiſſe, Deinde vero, ubi eſca ſibi adferretur, ex ea, illi quadrupedi duplum, vel triplum etiam, dimidiamque partem gratitudinis cauſa, reddidiſſe. Sed ad famam, quae hîc de te, abhinc trimeſtri, crebra fuit, venio. Multi narrarunt, idque pro certo, te a magno, quem appellant, Etruriae Duce, ad ejus populi res geſtas conſcribendas, & publicum bonas literarum, & eloquentiae artes docendi munus, annuo mille octingentorum Coronatorum honorario fuiſſe Florentiam adcerſitum. Quod honorarium, antea nemini in Italia vel alibi noſtro ſaeculo conceſſum, legi vel audivi. Itaque tibi gratulor, te unum ex omnibus delectum, cui haec laus, merito, propter inſignem tuam doctrinam, cujus tot tua exſtant praeclara monumenta, debeatur: Doleo equidem, cum cauſas ignorem, hoc munus, quod ad Belgii tui gloriam pertinet, abs te recuſari. Praefers fortaſſis domeſticum otium, honeſtamque quietem externis pompis & ambitioni. nec tantos labores, opinor, valetūdo ſine incommodo ferret. Reliquum eſt, ut abs te petam, quod ad noſtra Antiquitatis ſtudia ſpectat, num Aſconius Paedianus, commentationem librumve de origine Patavina ſcripſerit, quinamve alius e veteribus. Quid porro ſit vetuſtis in ſepulchris SUB ASCIA DEDICARE, vix, anne ligneum poni, donec lapideum, marmoreumve ſtruatur? intelligo. Gratum mihi feceris, ſi mihi duos hoſce nodos explicaveris. *Petrus Ximenius*, *Utenhovius*, & *Toelemannus Pomeranus*, [3] *Arnolduſque Mylius*, qui propemodum mortuus revixit, te peramanter ſalvere jubent. *Suffriduſ*que *Petrus*, qui tibi ſuum de Friſiorum hiſtoria librum, ut de eo judicium tuum feras, miſſurum ait. Vale. IX. Kal. Martias ∞ D XCII. Colonia Ubiorum Agrippina.

2 Nuſquam hoc reperi in illis, qui vitam Herois illius prodiderunt.

3 Fuit hic *Mylius* Typographus & ſimul Senator urbis Colonienſis. vide Valerii Andr. Bibl. Belgic.

EPISTOLA LIX.

JO. MATALIUS METELLUS SEQUANUS,

Juſto Lipſio S. P. D.

Lovanium.

ETſi *Laevinus Succa*; vir doctrina, eloquentia, ſummaque probitate, clarus, eſſe mihi ad te poteſt epiſtola; multo quidem luculentior, quam alia ſcribi a me queat: quia tamen, poſtquam Leodio Lovanium conceſſiſti, nullas ad te litteras dedi; nec poſtremis tuis reſpondi, ne quibus imagine donaſti tui; ne tui oblitus videar, paucis indicare tibi volui, mihi gratam illam fuiſſe. Ecquid enim eſſe longe gratiſſima non poſſit, cui tua manu ſubſcripſiſti me adloquens, EGO ME D. DEDI? Ego vero, Lipſi, ME TOTUM TIBI TRADO DEDICOQ. In quam imaginem tui epigramma luſi in haec verba.

Corporis effigies, Animi penetralia celat;
Muneraque ingenii, muneraque eloquii.
MORIBUS ANTIQUEIS STANT haec tibi, Juſte, Viriſque.
Quae manus haud potis eſt pingere, FAMA canit.

De privatis rebus, ſic habeto. *Ximenius* noſter, animo valet, & corpore. nervorum tamen crurium, etſi ſine dolore eſt, debilitate ſic adficitur; ut ſcamno, tanquam Lectulo, decumbens, ſemper haereat. *Utenhovius* Horatii, ad Davidem, tranſtulit Lyrica. De ſe loquitur. nam tibi ſcribit. Cujus Carminum praeco eſt, *Succa* noſter. *Iſembardus* hiſtorias omnes vorat, earumque res, verbis ornat, & eas, ut ſcis, eloquenter explicat. Ceteros praetereo, qui te omnes uno ore laudant, & tamquam Belgii Varronem concelebrant. De Rep. nihil habeo, quod ad vos jam perveniſſe non putem. De Gallia, mirantur univerſi ſubitam Navarraei converſionem. Si pietas non ſpectatur, imprudenter eum feciſſe narrant. Nam; Calvinianos ei non amplius auxilia laturos ferunt: cum factus fere totus Catholicus, eos Aula ejecerit. Catholici autem, ei non fidunt. Immo ne quidem Pontifex eum Eccleſiae ſacris reſtituit. amplius eſſe cogitandum, cenſens; & cum Hiſpaniae Rege de re communicandum. quo, cum is Rex ſit Catholicus, Francus vero Chriſtianiſſimus; hi duo Reges, pace coëant, ut una foederati Eccleſiae labanti fulcra ſufficiant; alioqui brevi ruiturae. verba certe plena ſapientiae, modo fiat. Itaque, oportere Navarraeum factis exprimere, quod verbis promiſit, juravit, & ſubſcriptione manus eſt teſtatus. Nimirum: ſe eſſe, perpetuoque fore, Catholicum. In ea religione vivere; vivereque velle, ac mori. Quod ſi ab ea, vel latum unguem, deſciſcat; cenſere, ſe incapacem regni. Quibus teſtimoniis haerens, peregrinationis ergo, Beatam virginem Deiparam, Carnotenſem, Dionyſii Fano, pedes inviſit. Faſtorum Eccleſiae Romanae ſacra feſta diligenter obſervari ſanxit. Diebus prohibitis,

tis, carnibus veſci vetuit. Urbium, & Provinciarum adminiſtratione, Calvinianos amovit. & eorum exercitia, intra quattuor urbes; Rupellam, Montalbanum, Sanctangelium, Genevamque illorum Hieroſolymam, coërcuit. Audit Miſſae ſollemnia. Duos Henrici Tertii Capuccinos ſecum habet. Uno, ad Conciones utitur; alteri admiſſa in aurem tradit, abſolutionem ab eo poſcens. Ad haec, a Cardinali Borbonio fuit perſuaſus. qui, per integrum octiduum, cum Calvinianis, Carnuti, de ſummis fidei Chriſtianae articulis, diſputavit; deque ſola per fidem juſtificatione; Proceribus, & Navarraeo Rege, praeſentibus; deque praedeſtinatione. eoſque viciſſe ſcribitur; ut eos haereticos eſſe planum faceret, atque ſeditioſos. &; in regnum invexiſſe bella, ſeditiones, caedes, latrocinia; Ceteraque omnia, quibus regnum corruit. Propterea; exterminandos eſſe regno. Haec, de Francia. Sed paucis. Multo enim plura ſunt, quae libens praetereo, calamitatum pertaeſus: Quibus, ſi Pannoniae inferioris fata conjunxero; lachrymas viris piis excutiam. Turcae, initio Septembris, Siſechum Croatiae; ad quam vigeſima quincta Julii noſtri quindecim hoſtium millia caeciderunt; evertiſſe narrantur, exercitu ſexaginta millium; & omnes ad unum viros, feminas, & infantes, tum etiam, inaudito genere crudelitatis, beſtias. Adhaec perſcribitur exciſa prorſus hac urbe eſſe in procinctu ad Agriam, quam metuitur captum iri. nam eſſe infirmam. Ecquidnam porro eſt? Turcicum Graeciae Gubernatorem, adventare; cum centum quindecim Turcarum millibus. & Sinanum Baſſam, cum ducentis millibus, in Superiorem Pannoniam, Viennam verſus. Partem horum militum, adpropinquare jam finibus Hungariae. Omnia, percelli metu. Caeſarem, omnibus ſuis provinciis indicere peditum & equitum delectum; quam poteſt maximum. Auxilia, ab Hiſpaniae Rege petere. qui ſe excuſat, quominus praeſtare illa poſſit; propter bellum, quod cum Navarricis gerit. Veneti quoque militem ſe dare non poſſe. Si facerent; Turcam, cum quo Pacem colunt, illis moturum eſſe bellum mari. Sed ſe ſic munituros limites; ut Turca non poſſit in Tyrolenſem agrum penetrare. ac porro; munitionem in Forojuliana provincia excitare; ei diſtinendo. Turca enim eo ſpectat; ut capto Tyrolenſi diſtrictu, Italiam a Germania disjungat. ne Itali Germanis ſuppetias ferre valeant; nec Italis Germani. Viſa ſunt hujus Turcici belli, in caelo, prodigia. Nam Judemburgi, urbe Stiriae, in caelo ſpectata fuere bellica tormenta, ſeſe contra ſolem diſplodere; & ſuper illa, etiam viſa eſt ſtella nigra. Pilae, quas tormenta diſplodebant, erant magnae. & terrae lumen, quale Iridis, inferebant. Ac porro; prope Solem, multa Turcarum cum collo longo capita viſa ſunt. Atque inſuper; prope Solem, magna Ciconia; quae catena tenebatur; adparuit. Continuo etiam ſeſe oſtentavit Cometes. Haec portenta, ſeſe ſub Auguſti finem oſtentarunt. Per capita, quidam Turcas interpretantur, hoſtes. Solem, ſignificare Caeſarem; cui bellum inferunt. Ciconia, pietatis Chriſtianae eſt ſymbolum; Chriſtianos denotans, quos Turca captivos faciet. Sed haec arcana, quis perſcrutari vere poſſit? Ad Deum preces, ut nos tueatur. Vale. III. Kal. Octobris. ∞ D XCIII. Colonia Ubiorum. EPI-

EPISTOLA LX.

JO. MATALIUS METELLUS SEQUANUS,

Juſto Lipſio S.

Lovanium.

AB eo tempore, quo iſthuc Leodio migraſti, mihi nuncius defuit, qui ad vos iret, & huc rediret; quae cauſa fuit, ut hactenus nihil ad te ſcripſerim. Nunc vero gaudeo egregium Adoleſcentem *Gerardum Krachtium* iſthuc ire, & reverſurum. Primum quod ſtudiis Jurisprudentiae deditus ſit, & eruditus, atque mei amans: tum vero etiam *Pighii* noſtri Nepos. Quamobrem abs te peto, ut eum humanitate tua comprachendas, conſilioque tuo ſi qua in re opus erit, juves & per eum mihi reſpondeas. Iſthic habet fratrem, qui navat operam Theologiae; Gymnaſium veſtrum deſerere cogitur; Batavos enim omnibus ſuis edicto mandaſſe, ne in Academiis provinciarum Regis literis incumbant, ſi fecerint, illorum bona addicenda Fiſco. Nimirum ſubditus legem Domino ſuo praeſcribit. Conſanguinei mei Sequani (quoniam multis annis ab iis jam abſum, nec tam cito ad eos redire poſſum) a me petunt, ut eis effigiem meam vivis coloribus ad vivum depictam, mittam; quod eis negare non potui. Quia autem tanta eſt ubique nominis tui celebritas, ut in Sequanis & clara omnium voce praediceris, a te flagito, ut aliquod in eam Epigramma conſcribas, quo de tua erga me voluntate & amicitia teſtari valeam. Tu certe mihi gratum feceris. Ei picturae ſymbolum addidi meum: eſt in mari navicula cum clavo, qui conſpectu Cynoſurae, ad portum contendens, regitur, adjectis verbis RECTO CLAVO; nempe clavus ſine iis verbis obſcurus eſt, & verba ſine clavo intelligi nequeunt. Hoc tamen ea conditione a te peto, ſi tibi probabitur, ſin minus audaciae, quae modeſtiam ſuperet, condonabis. Audio *Peifferum*, Viduae Principis Chriſtiani Saxoniae Electoris Cancellarium, & *Dreſſerum*, Academiae Lipſenſis bonarum artium Doctorem, de genere latine dicendi tuo (te tamen minime nominato) orationes duas ſcripſiſſe. Hîc non proſtant, eas fortaſſis habes. Huc propter peſtem graſſantem, *Marquardus Freherus*, Auguſtanus, JC. & Electoris Palatini Conſiliarius, Heidelberga venit, intra tamen circiter octo vel decem hebdomadas ad eum reverſurus eſt. Cum quo amice locutus fui, de te ſentit magnifice, teque meis literis, ſiquas ad te darem, ſuo nomine ſalutari juſſit. Plurimi ſane te, merito tuo, facit, & amat. *Utenhovius* ad te (ni fallor) ſcribet, conqueritur, te ſuis ad te literis nihil reſponderi. *Yſenbardius* hic eſt, Bruxellam (ut arbitror) brevi rediturus, tuique memoriam ita conſervat, ut eam Elogiis pro dignitate non ſemel ornet. Gratulor tibi, mi Lipſi, quod hoc rerum ſtatu hiſtorici Belgici munus ſuſceperis. Tali ſcriptore opus eſt nobis, qui admirabili rerum varietate nutamus. Et quia fortaſſis, provinciae iſtius

Reſpondet ad hanc Lipſius Epiſt. XLI. edita Offenbachii.

iſtius ſtudioſus, non illibenter quae geruntur, audis, indicabo paucis quae ego habeo. Tibi nota eſt poſtrema Turcae ad Agriam victoria, quae ſuperiori proximo Octobri contigit. Tum qui in rei militaris corruptae cauſas inquiris; non levis eſt ſuſpicio, rei militaris diſciplinam, in nobis admodum frigere, quae niſi (quod in tuis libris mones) redintegretur, arma fruſtra ſumimus. Praefecti muneribus praeponuntur non idonei, pecunia (uti decet) non adminiſtratur, imo diripitur, rei militaris Ducibus non paretur. Has ob cauſas Turca triumphos, noſtro damno, ſibi comparat. Locis, quae apud Pannones obtinet, milites ad hyemandum diſtribuit; ipſe Buda nondum eſt egreſſus. Jactat ſe ineunte primo vere Viennam obſeſſurum, eoque nomine Imperatorem Tartarorum accerſit cum triginta ſex equitum millibus, & octuaginta millibus peditum; alii nihilominus putant Tartaros peditibus nullis vel paucis uti. Rhudolphus Caeſar de periculo ſollicitus, Electorum Comitia Norimbergae indixit, qui Egrae fortaſſis etiam convenient: deliberaturum rumor eſt de Romanorum Rege deligendo. Maximilianum Archiducem quidam proponendum ajunt, ſed Mergenthalii expectatur. Deinde Imperatorem verba facturum, de exercitus ſummo Imperatore conſtituendo. Creandus a nonnullis dicitur Tranſylvaniae Dux. ſed vix hoc onus ſuſcipiet. Adhaec, pecuniae belli adminiſtrandae ſummus quidam Theſaurarius, qui curam gerat, evocandus dicitur. Sed Germanorum conſilia adeo ſunt tarda, ut antequam coëant mora prorſus evaneſcant. Jam vero non dubito, quin tibi perſcriptum ſit, Matthiam Archiducem ante paucos dies fuiſſe Auguſtae, & ipſum eo Arragoniae maris praefectum nomine Mendozam deduxiſſe; qui Mendoza conſcenſo Danubio, Viennam trajecit; inde ad Regem Poloniae (qui Vilnae Lituanorum dicitur habere ordinum Regni conventum,) profectus eſt. Habet in mandatis ab Hiſpaniae Rege, multa, quae commode abſque Poloniae Regis conſenſu confieri non poſſunt, maxime quae Rex idem Philippus contra Turcam de abrogando Polonorum cum Turca foedere, & novo cum piis fidelibus pangendo, proponi cupit. Heri ex multorum literis didici, proximis ſuperioribus diebus, tantam Hiſpanici maris tempeſtatem extitiſſe, ut & Regis Claſſis & caeterarum nationum naves in eo mari magna cum jactura periclitatae omnes, depreſſaeque multae fuerint. Regis adverſarii, affectibus indulgentes, narrant de Regiis tantum, non de ſuis, affirmantes octodecim (quos vocant) Galeones illius, & quadraginta naves, cum ſex militum millibus & ſexcentis Coronatorum millibus, omnique cum annona disjectos. De Francis eis foederatis haec habeto. Navarraeum eſſe Rhotomagi, qua in urbe hyemem tranſacturus putatur, quo ſit Anglae propior, ad conſilia de bello contra nos, Anglorum auxiliis, faciendo, ineunda. Regni Comitia habuit, in quibus propoſuit Majores ſuos (cum de arduis negotiis agendum eſſet,) ordinum Regni conventum habuiſſe, jam vero, eum morem non tam exacte hoc tempore propter diverſum rerum ſtatum ſervari potuiſſe. Proinde quoniam hoſtis Galliae cervici, ad eam vorandam totus inhiat, omnes arma ſumere debere, ſe, quae Regem decent, facturum. Habita

bita Regis concione, Calvinianorum Legatus verba fecit. Reformatorum Eccleſias minime dubitare, quin Rex ipſos eo loco ſit habiturus, quo hactenus, & hoc obnixe rogare. Quod ſi forte fortuna non fecerit, ipſos certe auxilia (ne quid incommodi religio patiatur, vel ipſi ab hoſtibus abſorbeantur) eſſe quaeſituros. Praeterire non poſſum, quin tibi referam Elizam Anglam, apud Turcam habere legatum in exercitu, qui â Turcae latere non diſcedat, & ei adſit conſilio. Is eſt Comes *Pembruckius*, cujus Gentilis, Caleti ab hinc annis multis praefectus erat. Caeſari propoſuit, Turcae nomine, pacis conditiones. Si Caeſar Turcae quae hoc bello occupavit redderet, atque etiam Strigonium & Javarinum, eique tributum, quod ante pendebat, duplicet. Porro ut Tranſylvaniae Princeps Lippam ei reddat, & Ducis ac Principis Tranſylvaniae antiquato nomine, ſe Waiwodam tantum nominet. Imperator reſpondit ſe amplexurum pacem, ſi Mahumetes quae cepit reſtituat, Javarinum imprimis, Agriam vicinaque loca; omneque tributum aboleat. Tranſylvanus autem conteſtatur, ſe nihil acturum eſſe de pace, niſi ex conſilio & autoritate Imperii, ac caeterorum orbis Chriſtiani Principum; illorum enim hoc intereſſe magnopere. Ecce tibi quid nam Turcae foederati per Legatos ſuos agant. Chriſtiani tamen (ſi Diis placet) eſſe volumus. Inter nonnullos audio diſputari, te jam hiſtoriam tuam Belgicam Regiam coepiſſe ſcribere, ſuique rogatus numquid ea de re quidquam intellexiſſem, negavi. Quid me reſpondere velis, ſignifica. Idem *Suffridus Petrus* noſter (qui te perhumaniter ſalutat) petit, & quae de ratione hiſtoriae tuae cogitas, & quem potiſſimum imitari ex veteribus velis, ſcire avet. Tibi ſcripſiſſet, ſed adhuc aqua intercute, quae nobis eum propemodum abſtulit, nondum curatus, decumbit. Ego vero tanta oculorum obſcuritate premor, ut nec (uti vides) mea manu ſcribere, imo nec legere valeam, tento remedia, ſed parum proficio. Vale ex Ubiorum Colonia 17. Calendas Januarias M.D XCVI.

EPISTOLA LXI.

J. LIPSIUS

Franciſco Bencio.

Romam.

ET amor tuus, & cura de me, vir amiciſſime, magnae mihi voluptati: nec ille praeter fidem tuam eſt. nec haec praeter rem & tempora, in quibus verſor. Jactamur enim, mi Benci, una cum patria: nec conſiſtere nobis licitum per internas, externaſque clades. Quibus tamen in turbis omnia potius, quam me deſeram: & efficiam ne quid in me conferri poſſit jure, quod culpam habeat apud [1] bonos. nam ſuſpicionem, quis tam innoxius, qui vitet in

1 Ex hac, & aliis pluribus epiſtolis conſtat, Lipſium ſervaſſe ſemper mentem redeundi ad Catholicos: nam eos ſemper *Bonorum* titulo ornat. & ſeq. epiſt. magis aperte mentem aperit. *Bencii* lau-

in hoc aevo? At meum certe, ut illa ſpernam, te amem & virtutem. uti facturum mi confido, juvante illo, qui ſupra nos eſt. in Antiquis meis fateor ineſſe, quae nollem: & in poſterum me uti a rebus, ita a verbis temperaturum do fidem. nec tempora iſta permittunt mihi plura. Tu vale, vir amiciſſime, cum Mureto, Fulvio aliiſque, quos colo. x. Kal. Decemb. CIↃIↃLXXXI.

laudes vid. Cent. II. Miſc. 54. laudat etiam eum, quod Jeſuitis ſe aggregarit I. Centur. Epiſt. 52. & ex reliquis epiſtolis apparet, illum conſilia de reditu ad Romana ſacra cum eo communicaſſe. (*Bencius* vero diſcipulus *Mureti*, Vir doctiſſimus, & Latinitatis elegantioris ſtudioſus fuit, ut Orationes & Poëmata ejus ſatis produnt. obiit 1594. ut ex Epiſtola ad Borromaeum ſcripta a Lipſio Kal. Sept. 1594. patet. mortem ejus dolet III. Cent. ad Belg. 16. & IV. Miſcel. 78. ſed dum conſulo *Alegambii* Bibliothec. Scriptorum Societatis Jeſu, video ibi dici *Bencium* jam annos XX. natum eſſe adſcitum in ſocietatem XV. Kal. Jun. 1570. An Lipſium id ignoraſſe dicemus? qui A. 1567. & 1568. Romae familiariter cognoverat Bencium, & A. 1584. demum intellexiſſe? neſcio quid dicam.

[1]EPISTOLA LXII.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio ſuo S. P. D.

Antverpiam.

TAndem aliquando, ubi eſſes, & quid ageres, Lipſi eruditiſſime, mihique ſemper merito cariſſime, cognovi: quod quidem ita explevit animum meum gaudio, nihil ut per multos jam annos ad aures acciderit jucundius: cum praeſertim, vere ne...... *An qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt*? conjiciam te non eſſe immemorem noſtri. Quod ſi eſt, ut opto, & jam ſpero: & gaudeo mihi ipſe, & gratulor amicitiae noſtrae, & tibi, amice, immortalis immortales gratias ago: cujus tanta humanitas eſt, ut non gravatus ſis in me derivare aliquam partem cogitationum tuarum. & das amori hoc tu quidem. Neque enim puto excidiſſe tibi tempus illud, cum erat nullus dies, in quo non multas horas ſuaviſſime una conſumeremus, ambulando, ſermocinando, lectitando. Cujus ego ſane rei non memoria tantum delector, ſed etiam glorior commemoratione; cum de te tuiſque rebus, apud viros graves, inter quos interdum mihi eſſe contingit, habetur ſermo: ita ut cum uno ore praedicemus, & admiremur omnes, & ſummum ingenium tuum, & refertiſſimum pectus admirabili cognitione plurimarum rerum, & acutiſſimum ſcribendi genus, in quo familiam ducis, ego novo quaſi ſumpto exordio digrediar in laudem ſuaviſſimorum morum, & mihi jamdiu cognitae perſpectaeque comitatis ac benevolentiae tuae. Quod cum intelligunt ipſi, & te ſuſpiciunt propterea magis, & mihi propemodum iraſcuntur, quod non colam veterem amicitiam aſſiduitate ſcribendi. ſed quid agerem, qui ad te ſcripſi tam ſaepe, nec a te tam

1 Ad hanc reſpondet Lipſius II. Miſc. 75. quae ex hac planius intelligi poterit. inſcriptio erat Antverpiam, Plantino nimirum, qui ad Lipſium curabat.

tam longo intervallo litteram extorſerim? Bis ne ſtultus eſſem, & mittendis litteris, quae neſcirem an perferrentur, & expectandis, quae nullae acciperentur? At unas tu dediſti biennio ante, ita enim vidi in [a] Centuria prima epiſtolarum lectiſſimarum, quam emiſiſti anno ſuperiore: illius enim mihi libri, ſtrictim modo & per tranſennam, inſpiciundi poteſtas facta eſt, per modeſtiſſimum adoleſcentem *Petrum Venium*, qui etiam tuis me verbis ſalutavit. ſed quid? ſi earum fructus ad omnes pertinuit ante, quam mitterer ego in poſſeſſionem. ex quo videlicet intelligis non fuiſſe mihi redditum, quem conſtantiſſime cupio optoque, librum de Conſtantia. Revertor ad *Venium:* cui plurimum me debere confiteor: quod ad me ſua ſponte adiit, quem ſciebat eſſe (ſciunt enim jam hoc omnes) tui cupidiſſimum. Ille vero omnia de te mihi belle jucundeque narravit: Unum illud me vehementer percuſſit, quod nuntiavit, te non imbecilla tantum ſed etiam affecta eſſe valetudine: cauſam addidit, iſtius caeli gravitatem. exclamavi illico, & ingemui. An deportatus eſt in illas inſulas vir unus omnium elegantiſſimus & politiſſimus, ut ſit ei in illis contabeſcendum? Nam quae invidia porro erit noſtro ſaeculo, ſi hoc prodatur annalibus? quis maeror erit meus, quod deſiderium litteratorum? ſed ardet Belgium bello. non ne iſtinc pedem? . . . *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?* malo enim id tibi ſubjicere, quod tibi eſſet, cenſeo, honeſtius, mihique jucundius. Mi Lipſi, mihi crede, amat te noſtra Italia, libentiſſime exciperet venientem, occurreret, & in aliqua cathedra collocaret: ut cujus ſcriptis libriſque jam diu capitur, ab ejus penderet ore aureum fundentis flumen orationis. Suſcipe quaeſo hanc cogitationem utiliſſimam rebus tuis, tuo nomini ampliſſimam. fac te intelligam non eſſe abhorrentem ab noſtro conſilio, ut poſſim id probare, ſi tibi ita videbitur, teſtimonio tuarum litterarum. omnem movebo lapidem, per magnos viros, & principes, notos, ignotos, enitar, laborabo, & ſi Deus volet, efficiam, ut optimis condicionibus accerſaris ad aliquam Academiam. o ſi ad Romanam. quam ego te libenter, quam arcte complecterer, quam praeclarum mihi viderer cepiſſe fructum praeſentis ſolicitudinis meae. Interea dum quid tibi agendum ſit ſtatuis, dum deliberas, etiam ſi ſit certum, non; ſed abſit omen. conſolare me non numquam epiſtolis tuis. Inſtilla huic tuo amiculo non nihil ex illo tuo nectare, reſpirabo. Cogita item atque excogita rationem, qua mutuas litteras demus: qua mittas ad me guſtandum & reguſtandum mel iſtud Hymettium, quod ut apis e floriferis Muſarum ſaltibus aurea delibans dicta Philoſophorum & Philologorum fingis aſſidue. ſed ita, ut ne ſis neſcius, ut nulla mea impenſa. neque enim te fugit, ad quam anchoram navem alligaverim. Neminem profecto habes, qui ad pleniſſimos & dulciſſimos ſapientiae tuae fontes accedat avidius, vel haurire ex iis largius, quod effundat deinde in hortulos, qui quotidiana opera irrigantur. ego ſi quid e quercu umquam exſculpſero, quod videatur ſimile ſimulacro, faciam te, ſi hoc non nolle intellexero, participem & cenſorem mearum ineptiarum.

a Ep. 52. qua laudat Bencium, quod Jeſuitarum Societati acceſſerit.

rum. *Muretum* noſtrum ſcis biennio ante mortuum eſſe. Habui Laudationem incultam omnino & horridam, ſed plenam amoris doloriſque juſtiſſimi. eam fortaſſe ab *Egmondo* accepiſti. cui ſi iſtic eſt, ut dicas, ſi abeſt, quandoque ad eum ſcripſeris, ut adſcribas meo nomine ſalutem, te etiam atque etiam rogo: Vale, Muſarum decus, Romae IV. Id. Quintil. CIƆIƆLXXXVII.

Habes exemplum epiſtolae, quam miſi anno ſuperiore: quam ex eo videlicet ut acceperis vereor, quod non reſpondes. Hinc, obſecro te, ut certo ſciam te accepiſſe, reſponde, & me ama. Romae. Kal. Quintil. CIƆIƆXXCVIII.

EPISTOLA LXIII.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio S. D.

NIhil aeque ſcriptum eſſe ex animo velim putes, Juſte Lipſi, atque haec pauca, quae ad te exaro in improviſo *Viltii* noſtri diſceſſu: noſtrum enim appellem licet, ſi nullam aliam ob cauſam, quamquam & ſunt aliae multae, ob hanc certe, quod tuus eſt. Nam ſi omnia amicorum communia, cur non tua, meaque, ſi modo aliquid in hac mea vita meum eſt, eadem lege teneantur? Quid autem fieri poteſt, quam ego ſim, in amore tui ardentius? & ſuggeret tibi, opinor, hac de re, aliquid *Viltius*, qui me perſaepe audiit & privatim & publice de tuis laudibus pleno ore dicentem: & cum ſuperioribus ceteris, quas ad te miſi, hae quoque litterae teſtes erunt animi mei: ſed neque exprimet ille dicendo, neque ego expromam ſcribendo umquam, quod ſuperat omnem cogitationem. Tu noſtri immemor: qui ad me his quindecim annis ne litteram quidem. At, & loqueris de me, ajunt, peramanter: & circumfertur [1] tua ad *Bencium* epiſtola. Quid, ſi ego nihil audio, & tuam manum non video? ſi conjicior in turbam? Non ego conſimilem ludo ludum, qui te habeo eximium. Vis facere, ut huic tuo amico exiliant lacrimae prae gaudio? Vis veterem emendare culpam? Mitte ad me illos ſapientiae tuae atque eloquentiae theſauros: cum quibus ego non contulerim *Perſarum montes, non atria diviti' Craſſi.* dá operam, quod potes, ut paratum meum influant in ſinum: diſcam alia ferre humanius, & lenietur aliquo modo deſiderium tui. Quamquam, o ſi te liceret in hac patria communi inſpicere? o ſi hiſce haurirem orationem auribus, quovis melle dulciorem? o ſi meus Lipſius in hac viveret luce, & theatrum haberet dignum magnitudine virtutis ſuae? ſed votane haec ſunt amantium, an ſomnia cupientium? Perſcribe ad me quaeſo: effice etiam, ut non nihil appareat in ſcriptis tuis immortalibus, quod noſtram affirmet poſte-

1 Ea eſt I. Centur. 52. ſcripta IX. Kal. April. 1584. Apparet vero *Bencio* nondum redditum fuiſſe Lipſii reſponſum, quod in prima editione II. Centuriae Miſc. eſt Epiſt. 79. in ſequentibus 75. quam editam epiſtolam ſe legiſſe, non ſcriptam accepiſſe teſtatur *Bencius* in ſeq. Epiſtola.

ſteris amicitiam. In qua ego, jam diu judicio ſuſcepta, quoad vivam, & ſi numquam ſcribas, ſed ſcribas malim, conſtantiae quidem ſtudio permanebo, ſed plurimum etiam merito tuo. Vale, lumen noſtri ſaeculi. Romae IV. Id. Mart. CIↃ IↃ XIC.

EPISTOLA LXIV.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio S. P. D.

Lugdunum.

EQuidem vereor meae ut litterae tibi perlatae ſint, Juſte Lipſi, quantum e tuis ſuſpicor, quae, & ſi mihi numquam datae, numerantur in Centuria tua ſecunda rebus omnibus inſtructiſſima, ita plenae amoris erga me, & humanitatis, ut eas cum legerem, prope abfuerim a lacrimis. libere dicam, jucundum erat olim, a viris eruditis, quorum manibus tua ſcripta teruntur, intelligi me eſſe amicum tuum: nunc, eſt etiam amplum, cum frater appellor. utinam vere liceat hoc inter nos nomen uſurpare: quamquam, quod ad me pertinet, ita velim tibi perſuadeas, e tam multis, quos habes ſtudioſiſſimos tui, qui tibi melius ex animo cupiat, quam ego unus, eſſe neminem. Unde id conſtat? teſtem do ſimplicem & alienum a mentiendo animum meum: tum quaere, ut ne nominem, quos minime noſti, de *Venio*, de *Viltio* (ita enim dicam) noſtris, quid ego de acumine tui ingenii, & ubertate doctrinae, aſſidue praedicem: quanti faciam excellentiſſimas lucubrationes tuas: quas tamen quis eſt, qui non faciat plurimi? verumtamen hoc quoque accedit in cumulum. nam quid illud, quod cum *Fulvio Urſino*, quo viro & quanto? tam ſaepe de te? Sic enim habeto Lipſi, te deſideramus, requirimus doctiſſimos ſermones tuos: qui etſi ſpirant in libris, tamen quantum ſit ponderis in viva voce non ignoras. Sed, amabo te, ſemperne ero in deſiderio tuorum voluminum? non iniri a te ratio poteſt per mutua bibliopolarum commercia, ut gratis mihi tuo nomine curentur? nunc quidem oſtendunt amici, at ubi avidius deguſtare incepi, confeſtim rapiunt, ut cupiditas magis accendatur. fac ſi potes: ſin minus, tribue hoc beneficium, ut ne ante ſciant omnes, quid tu me velis, quam ego ipſe: ſcribe tu videlicet, ut exoſculer manum: ſignifica item quid agas, quid cogites, num ſit ſpes aliqua, quod jam dudum mirabiliter cupio, ut aliquando ad nos: & certe hic caelum ſalubrius, ſecurior vita, mors minus timenda. O mi Lipſi, numquam obliviſcar illius diei, cum abhinc annis fere uno ac viginti, te ſum complexus magnam mei partem tecum auferentem. eritne umquam, ut te gaudeam reducto? hoc a Deo immortali precibus omnibus oro atque obteſtor. ſed tu quoque enitere pro virili parte. Scribis, fore tibi gratum, ut ſiquid ex me, ad te mittam. & feci quidem ſuperiore anno per *Viltium:*

tium: nunc mitto [1] volumen plenum verborum, inane rerum, verumenimvero ad amicum: & in aliquibus ſane te ipſe agnoſces: ſed (etſi difficile erat in eodem ſpatio non incurrere in eadem veſtigia) ea culpa vel amicitiae noſtrae, vel eruditionis tuae. quin, vide quam te alterum me eſſe putem, futurum arbitror, ut tu actor primarum partium minus aliquanto contendas quam potes, ut ego aliquid eſſe videar in hoc theatro: & quidem ſatis eſt, ut ne exſibiler: nam ut excitem ἐπισημασίαν ne optare quidem poſſum: ſed ſi non diſplicebo tibi, εἷς ἐμοὶ μύριοι. Vale, aevi noſtri decus, & ſalve a Fulvio. Romae Idib. Decembr. CIↃIↃXC.

1 Forte Orationes, quas Romae habuit, inter quas n. XVII. una eſt in funere *Mureti*, quam Lipſius petierat, & Poëmata. ea enim edidit A. 1590. pridie Kal. Octob. qua temporis nota dedicatio ejus ſignata eſt.

EPISTOLA LXV.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio S. D. P.

Lugdunum.

SCripſi ad te ſuperioribus diebus, & miſi meas aliquot lucubratiunculas in unum volumen conjectas, cum indice eorum, in quibus operae peccaſſent: omnia tibi credo per Moretum typographum Antverpienſem (ita enim mihi receperat amicus certus) tranſmiſſa. nunc tamen cum *Chriſtophorus Raphelengius* tuus me amice conveniſſet (cujus officium fuit mihi longe jucundiſſimum, eritque ſemper omnium, qui me de tuis rebus facient certiorem) nolui eum ad te ſine meis litteris venire, ut me noſcas eſſe, ac futurum, dum ero, tui amantiſſimum. addere hîc erat animus, utinam eſſet mihi pars aequa amoris tecum, ſed nolo diffidere conſtantiae tuae. Vix enim exiſtimare poſſes, mi Lipſi, quam mihi haereas in animo, in ore, in oculis: quam delecter, ubi ab amicis raptim impetro aliquid deguſtandum ex illo melle, quod libas e Muſarum ac Sapientiae pratis, ut conditum in chartis ſic perfundat animos hominum, ut caeleſti liquore illo mirifice recreentur. & verſamur nos in floriferis iiſdem ſaltibus, ſed mel iſtud tuum, divinum plane nectar, noſtrum abſinthium videtur. admoviſti os ſucco, non arguar mendacii: ſed, ſi nihil aliud, quaeſivi tibi gloriam comparatione deterrima: etſi tu jam pridem ſupra commendationem omnium te extuliſti: & nos vulgavimus noſtra, ut venirent tantum in manus amicorum: jam tu mihi amicus ſummus. quod ſi adhuc res eſſet in integro, peterem abs te conſilium, nunc, quando infecta reddi non poteſt, ejus patrocinium ſuſcipias rogo: excuſabor apud ſeveros judices, ſi minus aequitate cauſae, auctoritate patroni: id ego, quae tua eſt humanitas, futurum non deſpero, ſed, tum denique mihi perſuaſero, cum reſcripſeris tua manu: quod ut quam pri-

primum facias, precibus omnibus oro atque obteſtor. Vale. Romae VIII. Kal. Febr. CIↃIↃXCI.

Hanc epiſtolam accepit Lipſius Francofurti, cum Leida diſceſſiſſet, ut teſtatur epiſtola Lipſii ad Bencium, quae edita Offenbachii n. XXXIX.

EPISTOLA LXVI.

J. LIPSIUS

Franciſco Bencio S. D.

Romam.

REverende Pater, exprimam tibi laetitiam, qua ſum affectus? lingua nulla poſſum. Tu ſupple, laetare mecum, & Deo gratias age, qui miſertus noſtri eduxit me ex impuris obſcuriſque locis, & collocavit in luce meliore. Patres tuos meoſque ante omnia conveni, & nunc quoque Moguntiaci iis adſum. O, mi pater, ſi tu me, ego te videam, profecto cum lacrymis rueremus in mutuos amplexus. Ah, quamdiu haeſimus in tenebris? quamdiu per vana circumducti neglevimus vera illa bona, quae ſola faciunt ad ſalutem? ſed redimus, redimus tarde quidem, ſed ad benignum illum Deum ſero nunquam. Tu votis precibuſque me adjuva, & qui indignum amore amaſti, nunc magis, cum nubes aut labes nulla officit ſuſpicionum: Quanquam vere & coram Deo haec teſtor, in ſenſu de religione nunquam ſteti apud paucos. Priſca religio ſemper mihi proba. Egimus tamen in locis, in quibus aliter. ſed bella haec noſti, & quam facile fluctu aut turbine aliquo abripimur eo, unde aegre redeamus ad portum: Epiſtolam tuam Francofurti accepi, quam Raphelengio dediſti. Noli quaerere, quanto gaudio & ſolatio mihi ſcriptio tua ſit, cum recreer ſola cogitatione amicitiae veſtrae & affectus. Libellos tuos, quos adjunxiſſe ſcribis, non accepi: vidi tamen eos obiter, ſed avide hîc apud patres. nam eſt, qui te Romae novit P. *Johannes Buſaeus* Theologus, qui nec amorem tuum me celavit, nec libellos. Cum legero, judicia libera habebis. Nunc in via ſum, & propero Coloniam Agrippinenſem ad illos quoque patres, apud quos fundamenta poſui pietatis & doctrinae. Plura nunc non ſcribo. tu me ama, & ſi me amas, fac ut precibus tuis & ſanctae Societatis juves, & in bona via confirmer. Moguntiaci XI. Kal. Majas CIↃIↃXCI.

EPI-

EPISTOLA LXVII.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio ſuo S. D.

Leodium.

NIhil mihi injucundius tam longo ſilentio tuo, quod privat me voluptate expectatiſſimarum litterarum, ex quibus cum multa de te aveo diſcere, tum illud maxime, quid agas, & an cogites Italiam. hic quidem rumor ſparſus eſt, nec ſane ἀδέσποτος (vidi ipſe epiſtolam *Abrahami Ortelii*) te invitatum ampliſſima condicione & honeſtiſſima, a magno Etruriae Duce, adhuc allici non poſſe. & circumfertur vox tua plena magni animi. *me numquam pecunia cepit, nec capiet.* amo Lipſium meum, deſpicientem res humanas, & ea tantum meditantem, in quibus vera & ſolida gloria. Sed fac, quaeſo, id de te ipſo cognoſcam. Quid enim putas? nemo eſt in hac urbe, ſunt autem plures fortaſſe opinione tua, qui delectetur litteris noſtris, quin te proſequatur benevolentia ſingulari. ita quemadmodum laetati ſunt nuper tuo reditu ad Catholicos, neque enim dicam ad Catholicam religionem, quam ſemper animo retinuiſti, cupiunt nunc audire de integro ſtatu rerum tuarum. Igitur ad me omnes, quem ſciunt eſſe tui amantiſſimum. turpe autem mihi eſt, nihil habere quod pro certo reſpondeam: polliceor tamen futurum, ut brevi habeam. ſed, ut dicebam, nimium longa expectatio. urgent autem non ſolum amici, ſed viri etiam principes: e quibus unus ea dignitate, quae eſt ſummae proxima, ipſeque maximae auctoritatis, ſuperioribus diebus cum me accerſiſſet, diligenter quaeſiit quid tibi eſſet, ubi pedem fixiſſes, an eſſe velis Romae, in hac videlicet luce terrarum ac gentium, ubi ſit futurum theatrum clariſſimis virtutibus tuis: quin & ea de re locuturum cum Pontifice maximo pollicebatur. honorificum mihi eſt intelligi ab omnibus me abs te amari, ſed celari de eo, quod nemo eſt, quin expetat cognoſcere, non videtur dignum amicitia noſtra. & tu recepiſti poſtremis litteris, ad quas reſcripſi ſtatim, futurum ut ſaepius ſcribas. niſi forte impedit magnitudo rerum ſuſceptarum. nam, ut hoc quoque non neſcias, percrebuit fama de tua face hiſtoriarum, quae me vehementer incendit. at nihilne umquam vacui temporis? non dabis amico petenti, vel in ſummis occupationibus, aliquid litterularum? & magnum videlicet negotium eſt Lipſio ſcribere. nolo uti pluribus; ne quod tua ſponte daturus es, videar precibus extorquere voluiſſe. unum hoc addam. preme etiam atque etiam iſtud conſilium de Italia, atque in primis de urbe Roma: & quando nihil te movet utilitas, adhibe gloriam: quae etſi tanta jam tibi eſt, ut augeri vix poſſit, accedat vel ille cumulus, pervulgari multorum ſermonibus, tradique poſteris, a Juſto Lipſio, principe omnis eruditionis & doctrinae, cum expeteretur a pluribus Italiae atque adeo Europae principibus, Romanam urbem, domum virtutis, religionis, ſanctitatis, ut prodeſſet amplius

plius toti orbi Chriſtiano, delectam fuiſſe. Vale, Romae Prid. Cal. Decemb. CIϽIϽXCI.

EPISTOLA LXVIII.

J. LIPSIUS

Franciſco Bencio.

Romam.

ERgo in me culpa hujus ſilentii? non eſt, mi Pater, rem vide. ter omnino ab exceſſu meo e Batavia ad te ſcripſi, nec plures arbitror a te accepiſſe. dedi eas ſingillatim ipſis patribus collegis tuis, & curam fidemque iis fuiſſe in mittendis, non ambigimus. Quid poſſumus, ſi communi hodie ſorte, aut miſſae eae alicubi ſunt interceptae: nam fraudem quoque intervenire & nos experimur. utinam bonus deus hanc ſaltem dirigat, & hoc quaſi ſtilla ardorem deſiderii tui mitiget, donec uberior eum humor ſcriptionis meae ſubſequatur. Quid enim facerem libentius, quam ad te? cujus vetus & verus amor ſenſuum ipſis inſidet (ex animo tota ſunt) medullis. Atque ego te colui. & litteris appellavi etiam, cum apud alios eſſem: nunc ceſſem, cum bonis redditus, etiam corpore apud eos ago. ſum autem, mi Benci, in Eburonum urbe Leodico, in otio, & non niſi meorum ſtudiorum. nam publice quid faciamus? feriatam linguam habeo, dum omnia bellis hic fervent, nec pretium aut cura aliorum artium, niſi quae ad illa. Evocatus ſum a Magno Duce, verum eſt, & ſalario, quod non temere detur iſtic uni. renui haud lubens, ſed valetudo ſic vacillat, ut vix auſim me in aſperam & longinquam viam: adde uxorem, quae haud promte ad alienos. Etſi liberi non ſunt, nec ea ſarcina me gravat. Ego caeteroquin & Italiam amo, & urbem veſtram veneror, & principes viros, qui ſunt in ea. utinam vegetum mihi & alacre illud, quod olim? non diu fortaſſe eſſet, quin bonum illud coelum me videret, atque ego te, pater, effuſum in meos amplexus. de Face Hiſtoriarum miror te inaudiſſe: cumque ita eſt, magno animo eam coepimus; ſed refrigeſcimus, non nego, cum frigus hoc video in noſtras artes. Excitari nos cenſes? injuriis & morſiunculis impedimur. o Italia, altrix ingeniorum, felix in tua pace! quam ut Deus diuturnam tibi det, ac tibi quoque, Pater, ſalutem, precibus eum rogo. ſalutat te pater *Mart. Antonius Delrius*, collega ſocietatis veſtrae, imo noſtrae (immo noſtrae jam olim) qui nuper etiam ad te primum ſcripſit. Vale, Leodici poſtrid. Non. Januar. CIϽIϽXCII.

EPISTOLA LXIX.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio S. P.

Leodium.

SUaves mihi omni ex parte omnes litterae tuae: illud tamen acerbi, quod, ut ſcribis, deſperare poteſt Italia de tuo adventu: quamquam ego hoc tibi

bi conſilium etiam atque etiam premendum puto: nam etſi lux tua numquam erit in tenebris, tamen praeſtaret eſſe in loco, ubi pluribus admirationi eſſet; & Romae quidem multi praecones ſingularis doctrinae & excellentis ingenii tui, ſed in his ego mihi primas depoſco, non ſolum apud eruditos, ſed apud viros etiam principes, quibus ſtat Chriſtiana reſpublica. Salutavi *Fulvium Urſinum*, & quae de eo ſcripſeras oſtendi: is vero maximas tibi gratias agit, litteras autem non ſolum gratas futuras pollicetur, ſed & perſuaſit, ut jurejurando tibi affirmarem: miſit Antverpiam notas ad Latinos Hiſtoricos pleroſque: id volui tibi ſignificare, quoniam te audio in eadem cogitatione eſſe, ſi forte ad rationes tuas pertineret. cum *Latinio* ſene, antiqui prorſus exempli, frequens de te ſermo. is quam delectetur lectione operum tuorum, vel indicabunt pagellae, quas ejus rogatu incluſi in hanc epiſtolam. agnoſco naturam illius aetatis, ſed mos gerendus erat amico: hinc intelliges ejus loquendi libertatem, & erga te benevolentiam utriuſque. quaeres quam conjecturam meam is felicem appellet. non mitterem hoc tempore, niſi a me vehementer contendiſſet. tu, quaeſo, ut judex, rem accipe. In ſexto annalium cap. 20. Taciti tui, tui inquam, quando effeciſti ut loqueretur per ora omnium virorum, ubi ſermo de C. Caeſare, qui avo comes fuit Capreas diſcedenti, locus eſt, quem tu corruptum ac fortaſſe mutilum ſuſpicaris, nec quiſquam emendat, cujus enim id frontis ſe Lipſio praeferre? haec ſunt auctoris verba: *Sub idem tempus C. Caeſar, diſcedenti Capreas avo comes, Claudiam M. Silani filiam conjugio accepit, immanem animum ſubdola modeſtia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce, qualem diem Tiberius induiſſet, haut multum diſtantibus verbis.* improba vox, *diem*, noctem facit. *Muretus* in libro, qui cum reliqua ejus bibliotheca ex teſtamento filii fratris pervenit ad noſtrum Collegium, inducit totum illud, *qualem diem Tiberius induiſſet*. ego, ne longum faciam, duarum litterularum commutato ordine, legendum credidi, pro, *diem*, *idem*: bona ſententia. Cajus nempe apud Tiberium, quo nemo fuit ſimulandi peritior, utebatur ejus artibus, & Siciliſſans cum Siculis, immanem animum ſubdola modeſtia tegens, talem induebat, qualem Tiberius idem induiſſet. hoc ſi tibi placebit, apponas licet tuum calculum, ſin minus, me luſiſſe arbitrere. De *Roberto Titio* quaeſitum nollem: ita injucundae mihi ejus controverſiae: mihi vero? immo fere omnibus, qui de iis inaudierunt aliquid, aut legerunt: audax nimium ille, & parum felix: melius *Villiomarus Yvo*, quiſquis tandem fuit, qui ſuſcepit patrocinium multorum: ſed de Italis ſi locutus fuiſſet paulo humanius, nihil in illo opuſculo deſideraretur: nunc mirum pluribus, cur cauſa unius hominis exagitaverit genus univerſum: haec pauca de *Titio*, qui Florentiae agit, de facie mihi ignotus inviſuſque. nec habeo praeterea quod ſcribam. Fax tua hiſtorica incredibili me deſiderio incendit: ubiubi exierit, confeſtim, quaeſo, aliqua ratione ad me: ad quem etiam, ſi me amas, mitte quicquid tuum. ego certe, qui cucurbitas pingo, numquam permittam, ſicut nec permiſi adhuc, ut deſideres officium meum. video eſſe ad divitem pauperum dona. ſed quid agas? animus quidem apparet, res non ſuppetit.

K 2 mit-

mittam ἔπ☉ diſtinctum ſex libris, quod proxime edidi, ubi reſciero eſſe qui commode ferat: quod ſimiliter faciam de rebus piis & piacularibus, quas cum peteres, incredibili me gaudio affeciſti: novi ſcilicet tuam voluntatem totam eſſe in Dei obſequio & cultu, in quo perſevera, ut coepiſti, ad extremum uſque ſpiritum, mi Lipſi. Haec res una poteſt facere & ſervare beatum. Vale. Romae Prid. Non. Mart. CIƆIƆXCII.

EPISTOLA LXX.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio ſuo S. D.

Lovanium.

PUteolis cum eſſem aeſtate proxima, ex imperio medicorum, accepi litteras tuas: reſpondere nolui ante hoc tempus, ut ante me convaluiſſe intelligeres, quam aegrotaſſe: etſi antequam cederem urbe, certum virum ſubſtitui, qui tibi quaedam meo nomine curaret perferenda. Redii igitur Romam, quam putabas a me deſertam, atque ad officia intermiſſa. Verum audi, Lipſi, tu in ore es omnium: ex eo praecipue tempore, quo te collocaſti in optimo ſtatu vitae: neque quoquam concedo, quin tu ſtatim pervenias ad aures meas: quoniam enim in obſcuro non eſt vetus noſtra neceſſitudo, tuique nominis fama in clariſſima luce, ut quiſque amantior eſt litterarum, ad me accurrunt, cognoſcendi ſtudio de te, tuiſque conſiliis, &, ſi forte, in Italiam adventu. Quot putas eſſe Neapoli, qui jurant nectar eſſe & ambroſiam tua ſcripta, ſic avide ea vorant & bibunt? mitto ceteros: unus certe *Staniſlaus Reſcius*, illuſtriſſimus legatus Poloniae regis, vir ſapientiſſimus longeque doctiſſimus, ita aeſtuat deſiderio tui, ut vix fieri poſſit quicquam ardentius: is quoniam legit in tuis epiſtolis de noſtra conjunctione, quam & ego occultare non ſoleo, magno a me opere contendit (utar ejus verbis) ut ſe ad amicitiam tertium adſcriberemus: quod ſane non facerem, niſi propter ſummam eruditionem rerum maximarum, & quae in ejus voluminibus (multa autem jam ſunt edita) apparet, ſcribendi elegantiam, &, quod tu non facies minoris, pietatem, humanitatem, & erga te obſervantiam, ultro acceerſendus eſſe videretur. crede mihi, ſi hominem receperis in tuam gratiam, erit tempus, cum mihi gratiam habebis. Atque hoc Neapoli. quid exiſtimas Romae? omnium admiratione & benevolentia propemodum in caelo es. *Latinius* & *Fulvius*, qui voluerunt ſibi oſtendi epiſtolam tuam, in tuas laudes effuſi: ille eo prolixior, quo abeſt propius ab exceſſu: nec deſunt, qui te non invitandum modo ad urbem, ſed fere etiam cogendum ferunt. at tu nimium durus: morerer ego profecto libens in tuo complexu. quod ſi mihi non licet te habere, cur non tua? & vidi aliqua abs te poſt aureolos illos libros de Civili Doctrina, ſed in aliena manu. at ego tibi (non commemoro ut exprobrem) miſi,

quic-

quicquid fuit quiſquiliarum mearum: non ſunt quidem illis mutandi uberrimi ac lectiſſimi fructus tui excellentis ingenii: ſed ego tamen is ſum, qui ſive propter flagrantiſſimam cupiditatem, ſive propter vim & auctoritatem promiſſi tui, addo etiam propter communem omnium opinionem, fraudandus non videar diuturna expectatione muneris tui. Vale, litterarum decus, & Catholicae religionis ornamentum. Romae VI. Id. Octobr. CIↃIↃXCII.

EPISTOLA LXXI.

J. LIPSIUS

Franciſco Bencio.

Romam.

QUod pluries ſolemus, triſtes ad te venimus. Quae cauſſa? ab urbe veſtra, & ita ſcribitur inibi eſſe, ut libri mei (nominatim Politica) damnentur & inter improbos referantur. Cogitare per te potes, grave id nobis eſſe, qui tot improborum & acres inimicitias ſuſtinuimus, ut bonis nos redderemus, a quibus non niſi tempore fuimus avulſi. haec praemia mihi apud ipſos bonos? Atqui impia in iis libris & damnanda: ſi palam talia, non recuſo: at ſi tamen ſunt; teſtor ſupremum numen, inſcio atque invito me eſſe. hoc fateor, eſſe quaedam, ſive pro temporibus, ſine pro locis, in quibus fuimus, ſcripta, minus liquide ac clare. Parati ergo ſumus (imo hoc jam agimus) deputare, diducere, & in oculis auribuſque omnium defigere nos eſſe, qui fuimus, id eſt Catholicos, & ſupremo Eccleſiae capiti Romano Pontifici adhaerentes. Atque adeo in libellis de Cruce, qui jam edendi, praefatio eſt ad Lectorem, de induſtria ſic contexta, qua clamo & teſtor, me eſſe talem; & ſaepe aliis in ſcriptis, rem eſſe e mea mente! Patres veſtri, qui hîc ſunt, viderunt & probarunt. Et bona fide, ſi quid in Politicis ambiguum, nonne liber de una Religione illuſtrat noſtrum ibi ſenſum: nam ille quaſi commentarius eſt capitum illorum, quae credo carpi. Ad ſummam peto, nos, qua potes, juves, & ut impedias, aut differas, neque in famam meam tam inſigniter committatur. ſi tamen fiat, fiam conſtantiae meae ſecurus, & feram miſerias in via & veritate, quam inſtiti, & quarum vim ſemel agnovi. nulla res me labefaciet per Dei quidem opem, quam imploro, & ut tu pro me, mi frater, rogo. Deus bone, quam undique quatior? valetudine, calumniis, infamia. da vires, qui ferre me voluiſti, & bonae adverſaeque res meae non me mutent. Lovan. IV. Idus Febr. CIↃIↃXCIII.

EPISTOLA LXXII.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio Viro Clariſſimo S. P. D.

Lovanium.

O Acerbam mihi & quavis moleſtia moleſtiorem tam longam ceſſationem tuam. Neſcis expectari a me, dum reſcribas ad binas meas, ſi modo eas accepiſti, ſcriptas vere proximo ineunte? quamquam & alii, qui te amant in hac urbe (quis autem, modo ſit humanus, & vel mediocriter tinctus litteris, Lipſium non amat?) magnopere audire expetunt, in eo, quod tibi nunc cecidit, fidem ac virtutem tuam minime contremuiſſe, fuiſſe potius tentationem quamdam conſtantiae, quo illa eſſet illuſtrior. oro te, ſi es orandus, quod tua ſponte tam laudabiliter facis, virum te praebe, atque eum, quem, non dico ego (quamquam fuerunt in hoc quoque aliquae meae partes) ſed ipſa tua ad me poſtrema epiſtola, quam viri clariſſimi exoſculantur, poſuit in oculis & in opinione omnium. arbitror quidem contationem compenſatum iri ſanctitate reſponſi, & fortaſſe ſine cauſa me crucio, quod jam jamque ſit afferendum, ſed longitudo itineris celeritatem moretur: tamen videbaris non celandus, quid jam diu angeret animum meum. Miſi hoc die, via alia, per *Baronium* ſcilicet, epiſtolam [1] *Stanislai Reſcii*, de quo viro ad te olim ſcripſi. eſt profecto dignus, quem ames, ac miſſis viciſſim litteris admoneas, non ingratam tibi hanc ejus, ut ſcriberet ultro, voluntatem fuiſſe. Vale. Tuas litteras etiam atque etiam vehementer expecto. Romae VII. Id. Quintil. CIƆIƆLXXXXIII.

1 Haec epiſtola ſuo loco edetur, qua imitari voluit Lipſii modum, quo uſus eſt in Politicis.

EPISTOLA LXXIII.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio, Clariſſimo Viro S. P. D.

Lovanium.

DUas a te epiſtolas paucis diebus accepi, mihi perjucundas. nam & te forti animo eſſe oſtendunt, & ea accipientem, quae circa res tuas tranſeunt per manus hominum, ut a mente Dei. quod re vera ita eſt, neque aliter exiſtimare Chriſtianum Philoſophum decet. Ergo priorem illam, quia plenior, communicavi cum viris magnis, e quibus unus recepit, qua erga me, immo erga te, eſt benevolentia, perlaturum ad Pontificem ipſum, quod grata ei eſſe intelligit, quae de tua pietate nuntiantur. quod ſimiliter afficit omnes incredibili voluptate. ſed antequam ad eas reſcribo, breviter es admonendus, librorum, qui damnabantur, aut ſuſpendebantur, indicem confectum quidem nu-

nuper fuiſſe, ſed cum delatus ad Pontificem eſſet, quaecunque ea fuerit cauſa, tantiſper vetitum exire in vulgus: & ſpes nos obtinet fore, ut ſi approperaris novam ejus editionem, facile occupes. nihil videbatur accidere poſſe opportunius. Jam venio ad tuas, ſic, ut utrumque conjungam. Nos enim hoc cenſemus ſatis eſſe, ſi iſtic tua viro doctiſſimo, Regio & Pontificio cenſori librorum [1] *Cauchio* probas. inſtiti tamen orare *P. Bellarminum*, moderatorem Collegii noſtri, ut quae miſeras tanquam correcta, ſimul recognoſceremus. Probavit pleraque, non nulla ſuſpicabatur liquidius poſſe diſtingui. Verum is, ut ad te ſcripturum affirmat, multis ante menſibus abdixit ſe illo quaſi magiſtratu libros cognoſcendi. Habebis igitur judicium amici, non arbitri. Sepoſui tamen illa in pagina adverſa, ut melius conſtituas, & certe, ex quo defugi non poteſt hic labor, defungi ſemel eo praeſtat, ut effugiatur in poſterum omnis timor. id feceris, ſi nihil relictum noles, quod jure repraehendi, aut in pravum ſenſum detorqueri queat. *Cauchium* ſequere, nec ab illo tranſverſum unguem, quoquo ducat, non errabis. Hîc dabitur opera, ut nemo manum apponat emendationi tuae. Te autem, nunc quoque iterum atque iterum moneo, & hortor ut tuam voluntatem ad Dei, & qui ab eo diriguntur, ut ſapienter ſcribas, accommodes. qui id perſuaſum in animo habent, eis nihil eveniet, quod non optimum, nempe profectum ab optimo, putent. Quin tu perge bono eſſe animo, neque aliunde, quam a coeleſti numine ſuſpenſas habe tuas vivendi rationes. brevi juſtis votis divina aura aſpirabit. etenim ſequitur plerumque ſerenitas tempeſtatem, & jucundiorem facit ſenſum bonorum praeſentium malorum recordatio praeteritorum. Valetudinem tuam cura diligenter. Romae Prid. Kal. Sextil CIↃIↃXCIII.

Siquid ad me voles, quod ſane quam cupio, per patres poteris, qui iſtinc propediem venturi Romam. Utare hac in re conſilio meorum ſodalium. Multa expecto, praeſertim Politica, ſi erunt recuſa: ſin minus alia, quae libebit; cum enim licebit illa. Verum hac conditione, ſi potueris: ut poſſes autem rogo.

1 Puto intelligi *Henricum Cuyckium*, Epiſcopum Ruremondanum, ad quem Epiſtol. 22. Centur. II. ad Belgas. & de quo vide Valer. Andr. Biblioth. Belgic. *Cauchium* vocat Bencius, quia forte cognoverat Romae alios Cauchios, Joannis filios, qui Patria lingua *van Kuyck* vocabantur, & a Lipſio & aliis *Cauchii* ſolent appellari. Pater *Joannes* doctrina fuit inſigni: ejus filios *Torrentius* Romam euntes commendaverat Manutio. Vid. Manut. Epiſt. lib. IV. pag. m. 283. & lib. V. p. 351. ubi de *Cenſorino* & *Prudentio* edendis cum Torrentio agit. hic vero *Cauchius* infeſtiſſimus Haereticorum, ut vocant, hoſtis & vexator. ſed tales debebant eligi, quibus transfuga Lipſius tradi deberet, qui eum omni libertate ſpoliarent, & in Papae ſervitutem traherent miſerrimam. mox videbimus, alterum ejus conſcientiae carnificem *Coſterum* fuiſſe.

Ad Correcta.

Lib. I. c. 4. *Caſus in culpam tranſeat.* in margine, [1] *judicio vulgi:* addendum videbatur, *plerumque inſipientis*, aut aliquid ſimile, rei explicandae.

Ibid. *Non enim votis: ſolis quidem* retinebat.

Lib,

1 Hoc in ſequentibus editionibus adjecit margini Lipſius. ſed non, *plerumque inſipientis*.

Lib. 4. c. 9. [2] *ſed in cauſa.* exiſtimabat poſſe legi, ut olim, ſi ſic emendatur, *ſi deſperes. dummodo nitetur in juſtitia, potiori.*

C. 11. [3] *Puniendo rerum atrocium miniſtros. Praeſertim, ſi & ipſi in aliqua noxa.* τὸ *praeſertim* ſi tollatur minus offendet, ſed quis ignorat haec? tu cogita.

C. 14. *Corruptiunculis &c.* [4] *per verba media & ambigua*: etiam hoc clarius enuntiandum, ut ſit locus diſſimulationi, non mendacio.

Ibid. *Tunc in qua abire leniter ab humanis legibus.* [5] Aut τὸ *ab humanis* ſupervacaneum, aut non eſt ſatis.

Caeterum c. 4. lib. 4. in epigraphe [6] *Doctore primum his opus non tortore*: malebat, *quod ſi Doctor non perſuaſit, deinde tortore*, aut tale quid. totum item caput poſſe illuſtrari, ſi confirmetur magis poſterius effatum, denique quae ſapiunt Machiavelleitatem Catholico ſale condienda; haec autem non praecipiemus modo aut cenſemus dicta, ſed libere & amice admonemus; tibi omnia haec erunt faciliora, Deus aderit laboranti. mihi quaedam ex cap. 13. l. 4. erant moleſta, ut de *fraudis guttula permiſcenda* cum prudentiae liquidae amne. ſuſcipe vel mea cauſſa parumper hanc cogitationem, quaedam ex eo capite examinandi. quod ſi liceret Minervam &c. poſſes adhibere lectionem primi & ſecundi librorum S. Johannis Chriſoſtomi de Sacerdotio. Vale.

2 Correxit, *ſed in cauſſa palam diſpari, meliori. in ambigua, fortiori.*
3 Pro eo ſuppoſuit, *utique ſi & ipſi in aliqua noxa, quod ſaepe.*
4 Hîc nihil mutatum video, niſi quod olim, *ſi aliter; peccatum, & grande peccatum ſunt.* poſtea, *ſi aliter, ſaepe non tantum peccatum, ſed grande peccatum ſunt.*
5 *Ab humanis* additum ſimpliciter.
6 Ita correxit in altera editione. ſed in toto capite multa mutata, & ejecta, quae Inquiſitioni ſanguinariae directa fronte repugnabant. ut *religionem ſuaderi debere, non imperari, neminem invitum cogi* & ſimilia. quae vel ſublata, vel immutata. Quo redactus eras, Lipſi, qui ſemper liberum ingenium, & *interna* illa jactabas, ut nunc, mancipium novum Jeſuitarum, metu mali & Inquiſitionis, dicta & ſcripta non ad tuum ſenſum, ſed ad dominorum importunorum arbitria corrigere cogereris? Priora vero harum correctionum, ſunt verba Lipſii ipſius, quae miſerat Romam, ut viderent Patres illi purpurati librorum omnium arbitri, an ita mutatis verbis ſatisfieri ſibi paterentur. ſed Bencius ex mandato ſuperiorum, nondum haec placere oſtendit. O miſeram illic eruditorum ſortem, quos, ubi noſtra ſcripta legunt, ſuſpirare credo, & invidere nobis libertatem illam auream.

EPISTOLA LXXIV.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio Clariſſimo Viro S.

Lovanium.

SCribo ad te ſaepius, quod nullam videor capturus quietem, niſi audiero de Politicis tuis, quod omnes cupiunt, nempe non ſolum a te recognita, ſed recens etiam edita. audiero autem! immo vero videro: etſi enim magna eſt voluptas aurium, oculorum tamen major, ut fides. Urge opus, nec conquieſce unquam, niſi perfecto; Ego hîc interea non nihil egi, rem tuam expoſui, uti nunc ſe habet, uni e ſeveris Cardinalibus, & probavi: Dederam

nu-

nuper, ut ad te ſcripſi, exemplum tuarum ad me litterarum viro clariſſimo, longeque eruditiſſimo & tui amantiſſimo, *Seraphino Olivario*, principi XII virum ſtlitibus judicandis. Is a ſe lectas Pontifici maximo affirmat ita gratas & acceptas fuiſſe, ut ipſius rogatu fuerint relinquendae. Bono es animo, Lipſi. tua pietas laetitiae eſt omnibus. Nam ſi principi ſummo, quid reliquis cenſes? recude, quae adhuc in lucem dediſti, ſi ita ſit opus, omnia ex *Cauchii* ſententia, dein te ad majora accinge: noli defraudare aetatem noſtram & ingenium tuum: ſic nomen propagabis immortalitati, conſules utilitati multorum, &, quod caput eſt, tuae animae ſaluti; Ego quidem, qui te amo, ut quem maxime, nunc gaudio exulto. ſed tunc vere triumphabo, cum Deo dante complectar te in patria volens volentem. Ita eveniat, te obſecramus, optime ac clementiſſime Jeſu. Habes epiſtolam [1] *M. Antonii Bonciarii*, viri, qui politioribus hiſce literis praeter caeteros delectatur, in quibus Peruſiae, ubi nunc eſt, familiam ducit; commiſerat anno ſuperiore extremo, ut vides: ſed in his motibus, non fuit occaſio mittendi, ac ne voluntas quidem, donec ſedarentur. nunc admonui ipſum delati officii, & ex ejus conſilio mittuntur, die duntaxat immutata. Dignus eſt, quem redames amantem, & ad quem tuo commodo reſcribas. ego ſane non fui amoris conciliator: tua enim hoc virtus facit, Juſte Lipſi, tua incredibilis doctrina, ſed ero interpres epiſtolarum. Tu quod ad te de tuis libris ad me tranſmittendis proxime ſcripſi, ne obliviſcaris; ſic rogo, ut ea ſolemus, quibus nihil eſſe gratius poteſt. Vale. Romae poſtrid. Id. Sextil. CIↃIↃXCIII.

1 De hoc *Bonciario*, Grammatices Profeſſore, & ejus modeſtia, vide *Crenii* Animadv. Philolog. t. XIII. pag. 193. meminit ejus *Jo. Baptiſt. Laurus*, pag. 183. Epiſtol. Select. ad Puteanum, qui eum olim in Italia noverat: & pag. 189. eſt ipſius *Bonciarii* epiſtola ad *Torquatum Perottum*, ex qua de ejus etiam modeſtia, qui aegre adduci potuerit, ut pictori ſe praeberet ad imaginem effingendam; conſtat. & infra ejus epiſtola ad Lipſium edetur, & Lipſii ad eum ſunt quaedam in ejus Centuriis. diſcipulum Mureti fuiſſe, & caecum factum, nihilominus literas profiteri non deſtitiſſe, ex Epiſtola *Andreae Chiocci*, infra edenda, diſcimus. vid. IV. Cent. Miſc. 91.

EPISTOLA LXXV.

FRANCISCUS BENCIUS

Juſto Lipſio S. P.

Lovanium.

NOn ignoras expectari a me jamdiu litteras tuas; quae tum de te, tum tuis de rebus, ac praeſertim de Politicis, narrent quae volumus. Cupiebam etiam mitteres aliquid per patres meos, qui huc e Belgio veſtro ad comitia profecti ſunt. nihil miſiſti: ne litteras quidem: non fuit, opinor, occaſio, ſed cauſa tibi meae expectationis non eſt ignota. egi hic de re cum [1] *P. Franciſco Coſtero*, amico tuo vetere: addidit ſtimulos, currenti ſcilicet, ut ſcribe-

 rem:

1 *Coſterus* Belga, Societati Jeſu, ipſo adhuc vivente *Loyola*, adſcriptus fuit, & acerrimus haereticae

rem: quin & epiſtolam conjuncturum affirmat, & preces. nec tu, credo, te inexorabilem praebebis. dedi ad te, menſibus ſuperioribus, a *Stanislao Reſcio*, viro perilluſtri, & a *M. Antonio Bonciario*, magni in Italia nominis, utroque tui amantiſſimo litteras: ad humanitatem tuam pertinere intelgis, ut reſcribas: neque hoc tibi erit moleſtum: ſed, ſi forte, accuſes licet virtutes tuas, quae omnium, quibus es notus, quibus autem notus non es? incredibiles erga te amores excitarunt. Vale. Romae Nonis Novembribus MDLXXXXIII.

ticae pravitatis inquiſitor, quales omnes fuere, quibus ſe applicuit Lipſius. vide de eo Valer. Andr. in Bibl. Belg. & Alegamb. in Biblioth. Jeſuitarum. contra hunc Coſterum ſcripſit *Franc. Gomarus* de controverſiis inter purioris religionis cultores, & Romanae eccleſiae addictos. vide *Verton* de Satyres qui portent le titre d'Anti: ſcripſit etiam Apologiam ordinis Jeſuitici contra ſententiam, qua a Magiſtratibus Leidenſibus capitis damnatus erat Petrus Panne, qui in Mauritii Naſſovii caedem a Jeſuitis ſubornatus erat, de quo infra agendi occaſio erit ad Epiſtolam Jeſuitae *Schondenchi*.

EPISTOLA LXXVI.

J. LIPSIUS

Johanni Hauteno.

Leidam.

CONvenimus ſuper ea, quam here propoſuiſtis. non viſum ſenatui noſtro aliquem mittere, quia nullum ab Ordinibus mandatum. Appetere videremur id munus (ajebant) non ſuſcipere. & ut verum apud te depromam, mi Hautene, me volente ſententia ea valuit. nam ego, etſi vere, & ex animo cupio magiſtratui, & tibi omnia facta; tamen haeſit mihi decretum illud meum, cantherino ritu, rebus religionis non miſceri. Amburi nolo illa flamma, quae hodie multos involvit. denique quid opus? Octoviri illi huic rei expediendae ſunt, ſine ulla opera noſtra. Itaque peto a te, ut hac in re me apud tuos excuſes (revera etiam ego non in mora) & ſi quid aliud eſt, in quo utibilis ego vobis, poſcite. tuque pro ſancto amicitiae jure impera. D. *Duzae* ſalutem a me, cui mentem meam ſcio me probare: nam nec ipſe mihi imponit, quantumvis interdum ſumat perſonam: Lugd. Prid. Id. Majas CIƆIƆLXXXII.

Huic epiſtolae, (vel codicillo potius, Hauteno in eadem urbe Leida moranti miſſo, niſi Hagae fuerit Hautenus) lucem dabit, quae adnotabimus ad Epiſtolam LXXXIII. ad Danaeum poſtr. Id. Jun. hujus anni ſcriptam. Ut vero plenius intelligatur, ſciendum eſt, multas tunc fuiſſe Eccleſiaſticorum molitiones de *diſciplina Eccleſiaſtica*, quam ita formare & inſtituere volebant, ut ſibi multum juris & imperii arrogarent, & Magiſtratuum auctoritati decederet. & cum in ſynodis ea res ſaepius & acrius eſſet agitata, decretum tandem ab Ordinibus Hollandiae, ut Octoviris mandaretur provincia formam aliquam deſcribendi, ad quam diſciplina Eccleſiaſtica inſtitueretur, & diſſidia Eccleſiaſtica componerentur; ex quo decreto Magiſtratus Leidenſes monuerunt Academicum Senatum, eoſdem voluiſſe, ut unus aut plures Profeſſores deligerentur, qui iſti tractationi intereſſent, & cum ipſas Ordinum literas de hoc negotio Profeſſores ſe deſiderare oſtenderent, miſſae ad eos fuere, quibus unum ex Profeſſorum ordine mitti jubebantur, eaque provincia Lipſio data fuit XVI. April. qui hîc ſcribit ſe nolle ſe immiſcere, cum tamen interfuerit, & XII. Maji jam retulerit ad Senatum, in conſeſſu illo IXvirali decretum fuiſſe aliquid de

de diſciplina; ſed Ordines vetuiſſe vulgari, donec a Principe Arauſionenſi fuiſſet viſum & probatum. Egregium certe ſpectaculum, & digna Lipſio provincia, qui, ut videbimus, cum Romanae Eccleſiae dogmata mente approbaret, & jam tunc evadere moliretur, tamen Eccleſiaſticae diſciplinae inter noſtrorum ſacrorum arbitros ſedebat. haec eſt illa *ſcena, cui ſe inſerviiſſe*, dum in Batavis erat, jactat ſaepius. Hic vero *Johannes Hautenus* (*Jan van Hout*) Urbi Leidenſi & Curatoribus fuit ab actis & tabulario, familiariſſimus *Douzae* & *Lipſio*, avunculus *Orlerſii*, qui Leidenſis urbis deſcriptionem edidit, & multa *Hauteni* inſeruit: diligentiſſimus enim fuit Patriarum rerum & antiquitatum indagator; & cujus adhuc memoria viget inter Leidenſes Senatores & Magiſtratus. librum promiſerat, quo res Leidenſes illuſtraret, quem vocabat *Dienſtboek der Stad Leyden*, ſed cui non fuit ultima manus impoſita. vide Borr. lib. VII. pag. 62. verſ. Edit. pr.

EPISTOLA LXXVII.

J. LIPSIUS

Joanni Hauteno S. D.

Leidam.

TElum tibi injiciam ſtatim initio epiſtolae meae, Hautene, quae ſcribit, Lipſium non redire. Rationes omnes deducte dicere longum hîc ſit, & nolo. Praecipua & ſumma eſt, quam in [1] libello noſtro ad Curatores & Conſules expreſſimus, Valetudo. Non lubet in ea tam adflicta diutius legere, taedia & interpellationes ferre, quas tuli: An non ſum liber? ego nulli mortalium obnoxium me ſentio, aut ad tale aliquod munus operamque devinctum. [2] Celavi te conſilium meum, ignoſce, nolui refutari. ſi de Lipſio bene ſentis, puta eum, quod in magna re agit, agere non ſine magna ratione. Divulſio & diſcidium a vobis mihi dolet, cum quibus hilariſſimos honeſtiſſimoſque dies me habuiſſe, quos in omni vita habui, aut habiturus ſum, opinor. ſed quid, ſi nos deus brevi iterum jungat? quid ſi pace aliqua afficiat provincias has adflictas? id quoque opinor. & id jam non opinor, ſed ſcio multos in his quoque locis eſſe patriae & boni ſtatus amantes viros. *Confide, Deus haec fortaſſe benigna Reducet in ſedem vice.* Nobis nunc decretum quieſcere, & ſerio hoc agere, ut publice nihil agamus. ſi quid hîc peccamus (ego non arbitror, ſed ſi quid) detur hoc atrae bili, cujus portio aliqua in noſtro morbo. Illa nos concinnat fortaſſe delirantes. Quicquid eſt, te, mi Hautene, praeſta nunc, quem eſſe te ſcio, fidum, amicum, & uxori meae re atque opera auxiliarem; Nam illam ad me arceſſii, nec ſtare valetudo noſtra ulterius poteſt, ſine illo fulcro. In extraneis aedibus non poſſumus tractari. Amicos omnes ſalvere jubeo. D. *Banqueemium*, *Leeuwium*, uxorem tuam, & te in primis, quos animo amplector & circumfundor. Deus, da illum diem, ut iterum re ipſa. Vale, filias quoque tuas ſaluto, & filium. Aquis Spadanis poſtridie Kal. Jun. CIƆIƆXCI.

1 Epiſtola illa infra edetur. data Kal. Jun. 1591.

2 In Epiſtola hoc anno VI. Kal. Majas Coloniae Ubiorum data ad *Douzam* & *Hautenum* adhuc diſſimulat, licet jam ejuraſſet ſacra noſtra Moguntiaci apud Jeſuitas. vid. eam editam a Pontano. decad. III. Ep. ad Douz. 8.

EPISTOLA LXXVIII.

J. LIPSIUS

Jano Hauteno S. D.

EN, mi Hautene, libellum ad Curatores & Conſules, & ſeorſim literas ad Conſules, itemque ad *Nicolaum Adriani*, & *Franconem Duykium* Quando & quo ordine dandae ſunt, cupio uxorem a te diſcere. fidem tuam veterem & diu notam mihi hic exhibe. *nunc ſpecimen ſpecitur*, ait ille, *nunc certamen cernitur*. Redde hoc ſupremo beneficio magis magiſque me tuum. Verborum ſatis eſt apud te. Vale. Prid. Id. Jun. CIƆIƆXCI.

P. S. Literae ad privatos ſupprimantur, ſi ita judicas, donec publicae ſint redditae. vide inſcriptiones & conſule. nam omnes fere ſunt illius argumenti. ſi putas etiam prorſus celandum conſilium noſtrum, & uxorem praetextu morbi ad me venire debere, fiat cum bono Deo. ſi tamen honos meus id patitur. quod mihi non videtur.

EPISTOLA LXXIX.

J. LIPSIUS

Jano Hauteno.

Leidam.

SCripſi ubertim in Faſciculo grandi, in quo illae ad Curatores & Conſules, quae omnia judicio & conſilio tuo permiſi. diriges illa, ſpero, imo ſcio (quid enim de tam fido amico dubitem?) pro voluntate mea & pro bono; ſic tamen ut nolim te invidiae aliquid ſuſcipere aut moleſtiae noſtra cauſſa. *Buſium* & tales novi. Publice igitur diſſimula, privatim uxorem conſilio juva. Ego adhuc Spadae ſum, poſt aliquot ſeptimanas, Hojum aut St. Trudonem iturus, atque illic in loco medio & quieto manſurus, donec Deus & bona ratio conſilium aliud dabunt. Sermones multos eſſe, & futuros de me non ambigo. Homines novi, & multi ubique factioſi. ſed non illi me demovebunt ab inſtituto, quod prudentibus & probis viris probabo ſemper, & quod caput eſt, mihi ipſi. Tu me ama, quod debes, tui aeternum amantem. Non ſunt verba: res docebit, ubicumque re opus: Duo vos eſtis (tecum *Douza*) a quibus divelli mihi dolor eſt, & erit. Scriptione eum minuemus. Vale. Spadae XIV. Kal. Jul. CIƆIƆXCI.

EPI-

EPISTOLA LXXX.

J. LIPSIUS

Joanni Hauteno.

Leidam.

GRatias tibi uberes, mi Hautene, debeo, pro benevolentia, quam perpetuam in me oſtendis. Etſi quid in ea novum? mirarer, ſi aliter ille, qui mihi & cui ego, ſemper quaſi frater. Atque ita erimus, ubicumque erimus. Uxor interea ſeorſim, & largiter de cura & affectu in ſe quoque largiter praedicavit. Cupio ac rogo, ut perſeveres. De reditu meo ne ſuade, ne ſpera. jamdiu decretum eſt, atque ita expedit valetudini meae, atque etiam famae. Multa in hac re ſunt, quae coram & in ſermone te ac *Douzam* meum non celarem: ſed litteris non committo. Abjunctio illa, quaeſo, ne tuis meiſque gravis ſit, & leniatur aſpectu duplici, quod nec longa futura, (ita interior animus mihi dictat) & quod animis juncti manebimus, qui vere nos ipſi. Per litteras, mihi crede, ſuaviter & cum titillante voluptate colloquemur. Quod de cauſſis conſilii noſtri alii aliter loquantur & cōjiciant, quidni ſciam? ſed nos pro nihilo habemus, ſatis certi de conſilii noſtri bonitate. Leodici nunc eram, quo evocaverunt me crebrae literae amicorum, apud quos hilariter fuimus, & brevi tamen Spadam iterum cogitamus. ſed vellem cum uxore fieret, quam Antverpienſi via exſpectamus, quia haec per Moſam parum tuta nunc videtur ob copias militares. Tu, iterum te rogo, opera ac conſilio tuo illi adſis. ſeorſim Conſulibus nunc non reſpondeo, nec opus videtur: haec una ſerviet communis, & ejuſdem argumenti. uxorem tuam & filias exoſculor, filium abſentem eſſe credo, ſed ſalutabis a me, cum redierit, & valebitis omnes, o vere mihi cari. Leodici v. Idus Jul. cIↃIↃxcI.

EPISTOLA LXXXI.

J. LIPSIUS

J. Hauteno S. D.

Leidam.

SEmper tu quidem meus fuiſti (nec umquam haeſitavi) ſed nunc maxime oſtendis. At de me quereris, quod vicem non retuli, & appellas ad Amicitiae tribunal. Ego te ſequor, & intrepidus omnem ſententiam exſpecto. Indicare ſi debui hanc occaſionem, non fuit emanendum. Novi tuos & *Douſae* ignes, novi meam mollitiem, & quam nulla frons aut mens mihi ad aliquid vobis pernegandum. preſſi igitur & ſilui. ſi quid laeſa amicitia (ego quidem abnuo) tamen coibit vulnuſculum id facile, quod haeret in ſumma cute. Externa haec res eſt. in animis nec diſſidium ullum, nec plaga. Epiſtolae tuae

primae grandi & uberi (puto ex Ubiis ad me delatam) nihildum reſpondi, quod ad rem faceret. Erant in ea de legibus Saxonum, Longobardorum, aliiſque illis noſtris antiquitatibus quaedam & arguta & argumento mihi grata. Scis quam delector his talibus, & quaſi per remiſſionem inſaniam aliquando inſaniam noſtri *Bertii:* Qui, ita me deus amet, in omni illo acumine parum ſaepe acutum in originationibus cernit, & hoc per exempla te docebo. Lubet enim (niſi tu nevis) ejuſmodi argumentis epiſtolas pleniores reddere, tenues alioquin futuras & exſuccas. de publicis enim nolo, & qui totus jam in aquis, & ad aquas ſum, non tango ullos ignes. ſed hoc fiet, cum ſoluto animo erimus, quem vos adhuc vinctum ligatumque tenetis veteri Profeſſionis nodo. Cur non ſemel & animoſe ſolvitis, praeſertim ſic ambientem, imo quod magis eſt, a ſe jam ſolutum? Nam ego, ut olim Cornelius ille apud Plinium, κέκρικα. Non minae, non preces me reducent, etſi nulla res me, me (id quod vere ſum intelligo) a vobis abducet. Vulcanio alligati ſumus vinclo. *Bertius* noſter (qui jam egregius juvenis, & quem in via hac magis pernovi) eſt Argentorati. Illinc ad me ſcripſit *Hieron. Mercurialem* obiiſſe. quod ſane doleo, & jacturam me feciſſe ſcio vere amici. Invitaverat me in Italiam nuper, & exſtimulaverat ad locum Piſanum capiendum, quem Dux magnus offerebat. Ipſe *Bertius* adhuc inſtar cochleae, cum ſatietur, vivit ſuo ſucco. quod nolim, & benigne ego commendavi: ſed in Germania hodie res arctae & bellorum metu ſuſpenſae. Quid dicam? Mars fortaſſe a nobis abibit ad Martialem gentem. ſane initia ſunt, & neſcio quid circa Argentoratum inardeſcit. ſed alienae a me curae, Valete, & tu (ſenſu alio) mi amice. Kal. ipſis Aug. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA LXXXII.

J. LIPSIUS

Joanni Hauteno meo.

Leidam.

ME quoque commovit & tenereſcere fecit pars poſtrema epiſtolae tuae, quam video ſcriptam a te ex motu. Abrumpis, & ais, non poſſe te multa in diſceſſu meorum: ſcio affectum tuum, mi amice, quem talem eſſe gaudeo, & non gaudeo. Illud ob teſtimonia, quae firmiter de eo promis. iſtud ob dolorem, quem penetrare video in tuum pectus. tempera, ſi me amas, & obſequere huic meo deſiderio, ut magis te amem. Lipſium ipſum cogita, ſicut ego te, te ipſum. & mentis iſtis oculis alter alterum ſaepe videamus, & memoriae quadam lingua ſermones etiam inter nos alternemus. ſed magis chartaceo hoc auxilio, quae fidae adminiſtrae & interpretes noſtrae mentis. Quid vobis deerit? utique ſi alte in animo immerſa mutua haec amicitiae & nullo aevo violanda fides. Ea paſcit, atque etiam praeteritorum ſuavis recordatio, quam ſolam voluptatem Epicurus olim cenſuit firmam & ſinceram. Uxor mea ad me venit ſero (diſcrimina viarum noſti) ſed tamen venit incolumis cir-

ca

ca VI. Kal. Octobris. cujus aſpectus jure mihi jucundus fuit, & praeſentia neceſſaria ad noſtram valetudinem procurandam: ſuperbiant licet mulierculae, quicquid viri dicamus, aegre hoc auxilio caremus. Miſi nuper, ut guſtum habeas, Pſalmum vetere noſtra lingua conſcriptum, ſpero te cum voluptate vidiſſe. quid cenſeas exſpecto. Quid ſi plura ejuſmodi fragmenta a me depoſcas? dare poſſum, & magna pars jam libri apud me deſcripta. votum meum audi. proxima aeſtate, ſi vivimus, ſtatui iterum ad Spadanos fontes. utinam tempora & vitae permittant, ut vos illuc invitemus. Reguſtaremus lepores veteres, & videres in Lipſio nihil mutatum, praeter ſolum: quod ad adfectum quidem attinet. Iterum dico, utinam, & tu, magne deus, votum hoc quoque audi. Curatoribus & Conſulibus pro omni in me benevolentia gratias agi velim, & ſciant, me iis perpetuo addictum. ſed quae audio? ſpes vobis de *Scaligero*? bono Deo diſceſſi, ſi ille ſuccedit, nec quemquam poeniteat mutaſſe hanc lunam illo ſole. Tamen venturum eum, niſi cum venerit, vix credam. A me quod nunciem nihil eſt. niſi hoc vis ſcire, me nunc in hortis eſſe, ſed ligneis & aëriis, in quibus tutelae cauſſa bulbos & florea mea diſpono. ſi certa ſedes (hac aeſtate ſpero erit) certior nobis, & major voluptas. vides quam hîc otioſe otier. Ea vita eſt, & iſto pabulo, ſi ullo alio, aſſurgere debet valetudo noſtra. Tuam & tuos ſaluta. Leodici Kal. ipſis Octob. CIϽIϽXCI. Iterum ad me ſcribitur de Duce Etruriae, offerre eum nobis mille quingentos ducatos. immo ut de voluntate mea conſtet, Actor ejus in ſe recipit de bis mille. non aurum, nec pecunia nos trahit.

EPISTOLA LXXXIII.

J. LIPSIUS

Lamberto Danaeo.

Gandavum.

COmmunicavit mecum litteras tuas, vir reverende, communis amicus *Donellus*, eaſque tam gratas habui, quam ſi ad me ſcriptae. vere enim amo & aeſtimo te, & ambio a te amari. Atque utinam non disjunxiſſent nos ii, qui conjunxerant! fructus caperemus amicitiae noſtrae ex cottidiana conſuetudine uberiores. Cujus vicem quia ſuſtinere ſola ſcriptio poteſt, oro te ut id faciamus & diligenter, & libenter. Res noſtrae fluunt, uti coeperunt; fluant, imo labantur. a Deo ſolo auxilium, quoniam ii, quorum in manu res eſt (certe eſſe deberet) ita lente haec ferunt, ut ſuſpicionem praebeant probantium. ſed quis in Europa hodie locus, ubi omnia ex voto? Ecce ſedes illa ipſa otii & quietis Helvetia, diu turbari nuntiatur Sabaudicis armis. Genevam ſcriptum nobis ereptam, non ſine vi praeſentis numinis, ex faucibus inimici. Ita perite laquei ſtructi, & in partes tracti e civibus primi, qui tamen dederunt poenas. At ille nuntiatur jam aperta vi agere, quoniam de inſidiis non ſuc-

ſucceſſerit. Aldenardum veſtram oppugnari audimus. nos audimus, vos ſcire poteſtis, quos fumus fere perſtringit tormentorum. De Gallia nihil adhuc praeter illud ſolitum, *Venient:* copiae tardae, & de quibus metuo ne dicatur, *Auxilium ſerum.* ſi quid habes perſcribe. Tu cum uxore tua, optima matrona, ſalve, quam ſalutari jubet uxor mea. Lugd. Bat. poſtr. Id. Jun. CIↃIↃLXXXII.

Hanc, & ſequentes ad *Danaeum* epiſtolas edi publice intereſſe credidi, quia res ibi actae in urbe Leida ſignificantur, quae Academiam & Eccleſiam vehementer turbarunt, & fundamenta poſuerunt longi diſſidii inter duplices urbis incolas, veteres Batavos, & advenas ex Flandria & Walonicis Provinciis. maxima erat eo tempore penuria Theologorum, & quia in patria, recens ex Papiſmo liberata, deerant, undique conquirebant Curatores. ſed ubique fere repulſam patiebantur. In Germania obtulerant Profeſſionem *Hier. Zanchio*, *Henr. Mollero*, *Andreae Frehuſio*, *Crucigero*: in Anglia *Cartwrichto*, qui omnes recuſaverant: a Gallis averſiore animo erant Magiſtratus Urbani, quia cum *Feuqueraco* jam ſatis rixarum fuerat: ſed cum *Lamb. Danaeus* Senatui Academico dedicaſſet commentarium ſuum in Magiſtrum ſententiarum, Senatus Curatoribus & Conſulibus eum commendavit, & literae miſſae ad eum & *Bezam*, ut Danaeum auctoritate ſua & conſilio juvaret. Cum A. 1581. 18. Martii receptus eſſet in Collegium Profeſſorum, retulit ad illud, Magiſtratus Leidenſes petiiſſe, ut diebus Dominicis lingua Gallica conciones haberet, ſeque id quidem velle, ſi pace conſiſtorii fieri poſſet, declarabat. Senatus Academicus hanc curam Urbanis Magiſtratibus relinquendam judicavit, qui permiſit, dummodo ad coenam non admitteret Belgas, vernacula lingua utentes. Cum ad eum audiendum magnus concurſus fieret, & ejus fama augeretur, tentavit diſciplinam Genevenſis eccleſiae hîc introducere. menſe Junio etiam invitatus fuit a Synodo Medioburgenſi, ut intereſſe vellet; ſed veniam ab Academia abeundi non videtur obtinuiſſe. Hinc coeptae factiones foveri, & cum *Gaſpar Coolhaſius* & *Hackius* Belgae Paſtores, moderati ingenii homines, a rigore illo Genevenſi alieniores eſſent, in eos propoſiti libelli famoſi, in quos cum non inquireret Senatus Academicus, petiit Urbanus, ut conſilia ſimul inirent de auctoribus inquirendis, de quibus ſibi fere conſtare adfirmabant Urbani Magiſtratus. cum a Senatu Academico haec provincia *Heurnio* & *Vulcanio* daretur, *Danaeus* cenſuit, petendum potius a Magiſtratibus, ut cauſſa, quae libellis his anſam dederat, tolleretur, & *Coolhaſius* ablegarctur. quod niſi fieret, ſe petiturum honeſtam miſſionem, neque enim *ſe ſalva conſcientia ibi poſſe remorari, ubi quod ipſe strueret alter deſtrueret*: re cum Curatoribus communicata, *Donellus*, in quem ſuſpicio omnis incidebat, cum Danaeo petierunt, ut res componeretur, nec ulterius in auctores inquireretur. hinc edictum contra libellos famoſos in poſterum evulgandos a Senatu Academico propoſitum. licet Urbani Magiſtratus ſe ab inquiſitione non deſtituros declararent, nihil tamen tunc ulterius actum reperio. ſed A. 1582. decem ſtudioſi obtulerunt conſiſtorio Eccleſiaſtico libellum ſupplicem, quo accuſabant *Brakelium* quemdam, ut ſuſpectum ipſis, quod in eadem haereſi eſſet, in qua *Gaſparus Coolhaſius*, & ipſi conſentiret in multis capitibus, quorum ille damnatus eſſet. Magiſtratus Urbani in Academicum cum veniſſent, haec ad turbas & ſeditiones ſuſcitandas ſpectare ſibi videri oſtenderunt, & in ſtudioſos animadverti poſtularunt. Senatui Academico viſum vocare Conſiſtoriales, ut coram ſe cauſſam agerent; quo cum veniſſent & accuſatores inceptum ſuum acriter peragerent, *Danaeus* eis patrocinatus eſt. Quare Magiſtratus Urbani, cum id graviter ſe ferre teſtati eſſent, in ſummam profeſſi ſunt, *ſe, ſi Hiſpanicae inquiſitioni reſtitiſſent, facile etiam Genevenſi reſtituros*. Hinc Danaeus teſtatur, *ſe nolle morari, ubi Genevenſis diſciplina, verbo Dei conveniens, non ſolum locum nullum haberet; verum etiam Hiſpanicae inquiſitioni affinis cenſeretur*, & petiit miſſionem. *Donellus* (de quo vid. Epiſt. XLII.) etiam ſtudioſorum & *Danaei* cauſam egit Latine, *Lipſio* ejus verba Belgice interpretante: Senatus tandem cenſuit, has controverſias ad ſeſe non pertinere; & 28. Februar. *Danaeus* in Senatu Academico petiit miſſionem, tribus de cauſſis I. quod Genevenſem diſciplinam Magiſtratus comparaſſent Hiſpanicae ſeditioni. II. quod pro ſeditioſo haberetur. III. quod interdiceretur uſu Coenae Dominicae in Eccleſia Gallicana iis, qui vernaculam linguam callerent: & cum offerrent Profeſſores ſe cum Magiſtratibus acturos, ut de ultimo capite ipſi ſatisfieret. reſpondit hoc ad Magiſtratus non pertinere, ſed tantum, an vellent Eccleſiam Gallicanam in urbe ſua habere, nec ne, reliqua ad Eccleſiam ipſam vel Synodum pertinere, & cum *Coolhaſio* controverſias ſe velle coram Ordinibus vel Synodo Harlemenſi decidere. ſe menſe Aprili omnia convaſaturum, & itineri ſe daturum: Senatui viſum Principi Arauſionenſi haec indicare, qui fa-

favens *Danaeo* & iſti factioni, ad Magiſtratus literas dedit de retinendo *Danaeo*, qui reſponderunt, haec non ad ſe, ſed Curatores ſpectare, ſed quietem urbis curae ſuae eſſe debere. quare ad Senatum Academicum literas dat Arauſionenſis, quibus hortatur, ut *Danaeum* omni modo revocarent ab inſtituto, qui ad preces Senatûs promiſit ſe ad Majum uſque manſurum ſed tandem abiit in Flandriam, & Gandavi tentavit novam quaſi Academiam condere, ſed cum ea urbe excidiſſent Foederati, ad Reginam Navarrae abiit, & 1596. obiit. Haec fere ex Actis publicis exerpta docent, nihil turbandae Academiae & Eccleſiae eſſe aptius calido & vehementi Theologo, & qui non plane brutus eſt, quo haec *Danaei* conſilia ſpectarent, conjicere poteſt. ſed laudanda Leidenſium Magiſtratuum prudentia & conſtantia.

EPISTOLA LXXXIV.

J. LIPSIUS

Lamb. Danaeo S.

Gandavum.

FLagitium cenſuiſſem, Vir ampliſſime, vacuum a meis literis redire ad te *Baudium*. flagitium dico; pro amore eo & cultu, quem tibi debeo libens. Res noſtras ſi quaeris, privatim valemus: publice inhaeret ille morbus, quanquam deſiſtere jam a partibus incipiant quidam, quos noſti, & adjungere ſe bonis. Sed ita lente, ut qui antesignani apud malos fuerint, vix videantur coactores agminis futuri apud noſtros. Ferendum, uti & illud, [1] Theologum nobis e Germania datum: virum, niſi fallor, caetera probum, ſed non ad illos, quos intelligo, & non ſcribo. Rex veſter videtur mihi deſcenſurus in cauſſam: & quidem aperte, ſi vera ſunt, quae de exceſſu Sabaudi Ducis narrantur. Vel illa ſane digna Helena, ob quam pugnent. Tu ſi quid habes, (certe aula, jam apud vos, & confluxus hominum, rerumque novarum) perſcribes. Filium principis apud nos eſſe, credo te audiſſe. *Plantinus* aedes magnificas & amplas hîc emit, & Typographiam in parte videtur hîc collocaturus. Vale, Vir Clariſſe. Scripſi ſubito Lugd. Batavor. III. Kal. Septemb. 1582. uxori tuae S. item D. *Bollio:* & ſi occaſio erit, Viro Ampliſſimo D. Praeſuli *Metkerchio*. Vale.

1 *Johannem Holmannum*, moderati nimis ingenii virum de quo melius ominatus erat, ſcilicet. vide ſupra ad Epiſt. LIII.

EPISTOLA LXXXV.

J. LIPSIUS

Lamb. Danaeo S.

Gandavum.

NOn volui, non debui, vir clariſſime, quin per *Dominicum Baudium* noſtrum verbo te compellarem. Is mihi de ſtatu tuo cetera narravit, quae volui, exceptâ valetudine oculorum, quae tam diu affligit te: doleo communi cauſſa. Res noſtrae privatim ſe habent ut volumus: publice jacemus. cona-

mur erigere, & traximus quosdam in partes: ſed neſcio quomodo deſerimur ab iis, qui non comites, ſed duces nobis eſſe deberent in hoc conatu. Theologus novus advenit e Germania, commendatione Doctoris *Molleri*. Non multa de eo in alterutram partem adhuc auſim ſcribere: quia nondum probe notus. Etiam receptus ſaltem in annum eſt, & velut experimenti cauſſa. Filium Principis apud nos eſſe; credo te jam ſcire. Bona occaſio reſtituendi boni ſtatus, ſi qui poſſent, vellent. Sed illi tergiverſantur & muſſant. & metuunt, credo cum Livio, extendi imperium, cujus vis omnis in conſenſu obedientium ſit. De Rep. Vos ſcilicet omnia: aula enim iſtic, & puto ſaturum te jam rumorum. qui ad nos etiam e Gallia & Luſitania ſatis fauſti. Rex veſter utinam rectam inſiſtat & vere regiam viam! Nam diverticula iſta, & ambages & circumductiones non placent multis. Alenconius adhuc ſe probat probis. Ducem Sabaudiae fato functum hîc audivimus, verane an inani fama? ſi ita eſt: video novam palaeſtram apertam utrique regi. & velim eos jam deſcendiſſe in arenam. Inſulam Sti Michaëlis captam expugnatamque a rege Antonio, ſuadent nobis certo. Magna res, & via ad turbandum novum orbem, quo velimus a nobis abeant bella haec omnia & turbae. Here huc certo allatum, Lochemium oppidum obſidione liberatum a comite Hohenloo, hoſte caeſo & fugato. Deus faxit, ut haec taliaque ſolatia interveniant rebus tot afflictis. Vale, vir clariſſ. & cariſſ. ſalvebit tua uxor, D. *Bollius*, & ſi occaſio erit, unice D. Praeſes *Metkerchius*. Lugd. Batavor. Prid. Kal. Septemb. 1582.

EPISTOLA LXXXVI.

J. LIPSIUS

Lamb. Danaeo.

BInas a te literas accepiſſe me fateor, Vir reverende, ad quas dilatum a me reſponſum, non omiſſum. Diſtuli ideo, quia nec argumenti multum: & quia, quoties ad te ſcribo, facio id cum animi quodam morſu. Dolor innovatur, quem ex diſceſſu tuo cepimus, publica privataque cauſſa. Atque utinam ſaltem ibi res quietae! ſed ut telam hanc exorſam video, metuo, non detexetur ſine turbis. In gente tua nobis ſpes erat, jam firmata etiam apud prudentes decepit, ſi vera ſint, quae Antverpia conſtanter ad nos perferuntur. nec tamen utrum fraus in re ſit, an furor quidam & conſternatio vulgi, adhuc conſtabat. Omnia potius ſint, quam ut perfidiae haec macula inuratur optimae olim laudatiſſimaeque genti. Nos hîc procul a turbis, non a curis. Nam & domeſtica & interna Eccleſiae vulnera nondum conſanuerunt, & non deſunt etiam his locis, qui invident publicae quieti. Schola, praeter Theologiam, mediocriter habet. Nam illa delabitur; & vere dicam; ſpes mihi exigua inſtaurandi. ſi quando ad D. *Bezam* ſcribes, velim eum a me ſalu-

tes:

tes: itemque D. *Lavaterum* & *Stuckium*, cujus convivalia vidi, accurata ſane, & cum juventutis publico bono. Nos ceſſamus, & languemus in parte tot tumultibus circumfuſi, quorum exitum non videmus ſine auxilio divino. Vale. x. Kal. Febru: 1583.

EPISTOLA LXXXVII.

J. LIPSIUS

Antonio Covarruvias Leiva S. dico:

Toletum.

QUid dicam de hac tua humanitate, Nobiliſſime Leiva, niſi plane victum captumque me? Amas ultro, ſcribis ultro. nullo merito meo, fateor, ſed impulſu ſolo beneficae tuae & liberalis naturae. Itaque vere viciſti, imo vinxiſti me nexu, uti ſpero, aeterni, & non morituri amoris. *Scotto* noſtro quantum debeam, ipſe ſentio, qui interpres mihi hujus honeſtiſſimae amicitiae & conciliator. Cui, in iis, quae tibi de me, ac ſenſu meo recipiet, ſerio velim credas. Nam nobis manebit illud fixum, *μηδαμȣ̃ ἀναχωρεῖν τῆς εὐσεβȣ̀ς διανοίας.* Poſtrema opuſcula noſtra, ſi tanti ſunt, juſſimus ad te mitti, commentarios ad Tacitum, Electa & Saturnales ſermones. Nunc neſcio quomodo languemus, feſſi mole publicarum cladium, quas ſuſtinemus tot annos. At tu in portu, ut ſcribis. & gaudeo, felix illud rectumque ingenium tuum in complexu optimarum artium, beatiſſimo otio, poſſe conſeneſcere. otio, quod nec cliens ultra, nec tribunalia interpellabunt: multo minus claſſica & tubae, quae circumſonant aures noſtras. Vale, Vir clare, & Muſis cane. Prid. Non. Jul. 1582.

EPISTOLA LXXXVIII.

ANT. COVARRUVIAS LEIVA

Jano Douſae. Viro Nobiliſſimo & Doctiſſimo Salut.

Leidam.

EGo vero, nobiliſſime & genere omni politiſſime Douza, vel non praetentatis aquis ſcribam tamen ad te, nec forſitan dedeceat Viriathi ſanguinem audacia, his ſane temporibus, quibus ea una, ſi unquam alias, & ſapientiae & fortitudinis omnis inſtar eſt. Nae ego melius, ſcio, melius pudori & exiſtimationi meae conſuluiſſem, ſi laudibus iis, quas tu de me in epiſtolam ad *Scottum* noſtrum tuam prolixe mehercule & liberaliter, & ut illa Pindaro inclamabat, *ὅλω τῷ θυλάκῳ* congeſſiſti, tacitus tacito in ſinu gauderem, ſapiens conſilio Tibulli tui. cum praeſertim tam illae mihi mirae ac novae accidiſſent, quam ſi quis mihi ſuperſtitioſus aut ariolus promiſſo capillo, praedixiſſet fore, ut quandoque ab homine doctiſſimo & diſertiſſimo ipſo laudarer, quod ſcriberem,

 etiam

etiam ne Atticum in morem, non credidiſſem. Homo Hiſpanus, in hiſce leguleorum formulis & ſcriptis aetatem exercitus, vocibus, clamoribusque pragmaticorum hominum tabularumque de foro, utinam dolo dicerem, obſtupefactus. Ergo ego quoque, non ſecus atque Plauto *mulier*, *tacitus bonus eſſem*, *quam loquens.* Nunc video me, dum laudibus deterritus tuis hiſcere audeo, de tabella corvum, & in apertam fraudem incurrere, & committere, ut qui tuas de me laudes legens in hanc epiſtolam aut aliquid aliud hujus inciderit, inſuſurret ſtatim illud Ὁμήρειον, ἀλλ᾽ αἰεί τινα φῶτα μέγαν. Verum enim vero magna me tenet ſpes fore, ut mihi non ſolum venia detur, ſed etiam laus tribuatur, qui nullum nec vanitatis nec ſtultitiae ſuſpicionis periculum extimuerim, quin tam benigne, tamque humaniter oſtentatam gratiam & amicitiam tuam primo quoque tempore ampleсterer, acciperem; mihique ne parum eſſem jurisconſultus, caverem, ne perplexari unquam poſſes, rationem mihi eſſe non poſſe; nec defugere te litterarum tuarum auctoritatem poſſe, nec recuſare quo minus haeream in aliqua parte amicitiae & gratiae tuae, quae quantacunque fuerit, mihi ſatisfuerit. caeterum judicium de me tuum, ſi erit commodum, reſcribas mutesve ut poſtulem, nec pudor meus nec conſcientia patiuntur. Vale. Toleto A. D. III. Kal. Apr. 1583.

EPISTOLA LXXXIX.

ANT. COVARRUVIAS LEIVA

J. Lipſio S.

OFficium hoc ad te ſcribendi, jam ante annos fere decem a me coeptum, longo intervallo intermiſſum revoco, Lipſi doctiſſime. Intermiſſionis illius, & hujus revocationis meae rationem mihi reddendam eſſe video: faciam, idque candide & ſimpliciter, ut & meum ingenium eſt, &, ut perſpexiſſe mihi videor, tuum quoque. Amavi ego te, Lipſi, amavi, inquam, ex eo tempore, quo primum in meas manus ſcripta tua pervenerunt, in quibus deprehendiſſe mihi viſus ſum atque agnoſcere, magnum ingenium, diligentem lectionem ac variam, acre judicium, atque accuratam rerum de quibus ageres, dijudicationem, dictionem ipſam ejusmodi commentationibus aptam, & mihi quidem varie venuſtam ac jucundam: denique eas omnes partes, quae etſi non ſemper ſunt, eſſe tamen debent in iis, qui in id genus ſcriptionis utiliſſimum, mihi certe gratiſſimum incumbunt, κριτικά dico, quae vocatis. Auxit hunc amorem meum, aut, quoniam augeſcere facile non potuit, ita creverat, confirmavit certe, cum ſcriptorum tuorum ejuſmodi crebra emiſſio, cum quidem tu nunquam intermitteres, quaſi donum aliquod offerre literatis & cupidis antiquitatis & omnis elegantiae, tum amicorum quorundam tuorum de tua probitate, religione, fide, omnique reliquo officio commemoratio atque teſtimonium

Reſpondet Lipſius Cent. ad Italos & Hiſp. Ep. 8.

nium. Horum mihi princeps ea tempeſtate fuit, *Andreas Schottus*, amicus tuus, idemque meus, quo dum hîc Graecas literas publice profiteretur, uſus ſum, moribus ejus & doctrina adductus, familiariſſime. Is mihi in ſermonibus ſaepe, non tam de tua eruditione ſingulari, quam utique in libris videbamus, ſed de moribus tuis optimis ac mitiſſimis, de recto de Deo Religioneque Romana ſenſu, cultuque divino a majoribus tradito, denique de fide tua, officio, obſervantiaque in noſtrum, eundemque tuum Principem, mihi volenti libentique commemorare, & ob amorem in te meum facile credulo affirmare, ac fidem facere, ſolebat. Ergo ſcripſi paucis illis diebus ad te bis. primas literas tibi eſſe redditas reſponſio ad eas tua, benigniſſima humaniſſimaque, oſtendit, ſecundæ an ad te pervenerint, hodieque ignoro. Deſtiti ſcribere, non quia mihi reſponſum abs te non daretur, quod nimis jejuni atque puſilli horum officiorum exactores facere ſolent, ſed acerbiſſimi nuncii, mihique moleſtiſſimi rumores, quos tu ſcilicet in tuis ſcriptis, ut non aleres, ſic non magnopere retunderes, cum de tua parum in religione firma, ut debet, conſtitutaque ratione, tum de alieno tuo in juſtum principem atque imperium animo, ſparſi atque allati, toto illo, qualiquali, literarum commercio, me invitiſſimum, & meliora etiam tunc de te ſperantem cogitantemque interdixerunt; Neque vero, ut non nihil de judicio, neque enim fieri potuit aliter, ſic de amore quicquam magnopere detraxerunt; ſemper ex animo tibi bene volui, ſemper te honeſtum eſſe, & bene ſentire, eſſeque cum bonis Catholicisque ac fidelibus optavi, eamque tibi mentem a Deo Opt. Max. aut confirmari, ſi adeſſet, aut dari ſi abeſſet, ſum precatus, etiamque fodicantibus animum malis illis rumoribus ac nunciis bene de te ſperavi. Quare potes facile intelligere, quam optatae, quam gratae, quam & jucundae tuae illae literae acciderint, quas ad D. *Richardum Stanihurſtium* Vir. Nobilem dediſti, miſſas mihi a D. *Joanne Silva* viro principe, Domo noſtrate Toletano, dignitate Comite Portalegrenſi in Luſitania, nunc etiam toto illi Regno, magno cum imperio, Duce Praefecto. Viro domi militiaeque clariſſimo, noſtrorum omnium facile πολιτικωτάτῳ, amantiſſimo ſtudioſiſſimoque tui, certe, ſi tu is es, quem iſtae literae videntur velle declarare. A quo cum propter benignam ejus liberalemque naturam, innumera habeam beneficia, eſt unum hoc vel gratiſſimum, quod ab eo & eas literas habeo, & habui ſcripta tua nonnulla fere primo. Quae me literae non delinierunt perhonorifica illa fratris, meique mentione, non, quanquam id quoque: magni enim facio, aut maximi potius, tale viri talis elogium, quanti autem faciam, malo te exiſtimare, quam me, cum quantum ſentio, non poſſim, dicere. ſed quod in iis, te cum adverſus religionem veram, tum adverſus principem tuum, talem eſſe, qualem ego volebam, & optabam, video, qualemque demum fore, tua mihi virtus, ingenium, judicium jampridem promittebant. Id mihi triumphus fuit. ſuſtuli manus, eaſque protinus ad haec ſcribenda velut armavi; Quibus ſi id conſequar, ut meum in te animum amoremque propenſiſſimum honeſtatis tuae, commoditatiſque omnis cupidiſſimum aliqua ex parte ſignificarim, ſi me tibi gratum, tuae de me toties, tam benignae & honorifice repetitae, me-

memini enim & attendi, mentionis approbarim, ſatis habebo. Nam quid ego te aut doceam, aut moneam? Omnia alia ſunt in te, Lipſi, quae quis tibi & velle & optare poteſt. Unum hoc deſiderari poterat, ut te abs tui diſſimilimis disjungeres, conferreſque te ad eos, apud quos & religio vera, & principatus juſtus eſt. id his tuis ſuaviſſimis mihi literis, quaſi conſignatis tabulis, ſpondes. id praeſta. praeſtabis ſpero, & efficies, ut te quantum volumus, (volumus autem nimium quantum dici non poteſt,) amare poſſimus; Hac una re, confirmo tibi, nihil mihi accidere poſſe aut optatius, aut gratius. Vale. Toleti. A. D. XI. Kal. Septembr. 1592.

EPISTOLA XC.

ANT. COVARRUVIAS

Juſto Lipſio S. D.

Lovanium.

ACcepi, Juſte, literas tuas, accepi Militiam. exſpectas gratias? non ago. quas animo capio, verbis non aſſequar. quas verbis poſſem, nolo, ne illas deteram verbis, paucis, malis, pluribus, pejoribus. ut enim mulieres duae pejores ſunt, quam una, ſic verba mala, multa pejora, quam pauca. ex merito tuo & munere, volo & peto gratiam meam expendas, ſi de me, ut ſpero, bene exiſtimas. Cenſuram? id enim adjungis, apage, non ea vis animi nec tanta ſuperbia aut ignoratio noſtri. Audaciam, niſi ſi ἀπειροκαλίαν, habebis pro cenſura & gratia. Miſit ad me *Pantinius* Πολιορκητικὰ aeque grata, quia aeque tua. animadverti te non ſemel in iis queri, defuiſſe tibi aut afuiſſe, Athenaeum, Heronem, Apollodorum. Heronem vidiſſe ſolum in nube & ſordibus parum eruditae interpretationis, quorum cum haberem fragmenta quaedam, non enim juſta opera, νεμεσητόν putavi me habere, cum tu careas. Adjunxi Heronis στρατηγικὰ, & Onoſandri. Heronis, quia Ἥρωνος. Onoſandri, ſimilitudine argumenti. cum praeſertim Athenaeo & ceteris adjuncti ſint Julii Africani κεστοὶ, ſive πίναξ, ad idem argumentum pertinentes. Quae valde vereor, ne ἕωλα ad te veniant, ſi jam habes, & ἀδιόρθωτα, quia nec pulcerrime nec diligentiſſime exſcripta, ut ſunt fere omnia, quae ejuſmodi ad nos perveniunt. Atque utinam ſalva ad te cuicui modi ſunt. ut ſi non rem, animum certe in te meum perſpicias. Non orno munus verbis. non eſt tanti. ſed nec epiſtolam onero, ſatis fortaſſe munere oneratam; cum praeſertim tantum tamque infeſtum iter conficiendum illi ſit. Itaque jam & eam verbis, & te lectione relevabo. Vale. Toleti. A. D. VIII. Id. Jul. CIƆIƆXCVIII.

[1] EPISTOLA XCI.

J. LIPSIUS

A. Schotto.

Toletum.

VEre hoc eſt amicum eſſe, mi Schotte, non amare ſolum ipſum, ſed in eundem amorem alios illicere. quod factum a te bono, ut ſpero, Deo in conciliando mihi viro nobili *Ant. Covarruvias.* quem dignum magno fratre, & ex teſtimonio tuo jure æſtimo, & ex epiſtola ad me ejus. Ita enim polite, & non ad vulgi ſenſum ſcripta eſt, ut facile mihi, ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν. Itaque duplici gaudio, ut ſic loquar, mactaſti me: & tuis litteris, & acceſſione amici, cui ſiquid ſponſor de probitate & fide mea es; ego ille, qui te non fallam. Ad Senecae patris locum quae notaſti, valde placent. erue caetera, & ſcriptorem eum totum nobis da. Juvabo etiam ego in parte, qui libenter obſervata mihi ad te mittam. Libellos noſtros ſpero te jam accepiſſe: & in Electis memoriam amicam tui: quae non in Tacito, (quid enim tergiverſor) ob ſermones [2] hominis non tibi, non mihi, non bono ulli boni. Haeſi enim, ne quid immutaſſet amor tuus, haeſi, & veniam mereor, quia ingenue fateor culpam, quam egregie tamen emendabo. *J. Duſa* te aeſtimat amatque, a quo has litteras habe. De [3] *Turconii* noſtri morte, valde acerbum. Amabam adoleſcentem, & in corrupta noſtra nobilitate hunc deſtinabam velut gemmam puriorem. De *Papio*, ſcivi jam pridem, qui in magno ingenio neſcio quomodo non tenere mihi rectum curſum viſus, & deflectere a veteribus muſis ad cantus, & hanc muſicam noviorem. ſed cuique videlicet ſua Nympha. In Taciti manuſ. quem componere coepiſti, ſi quid habes dignum, pergratum ſi communicabis. Nam hanc hyemem commentarii noſtri prodibunt, ad eum ſcriptorem totum. Eſt aliud, quod te rogem. Hiſpanorum res geſtae, & novae novi orbis, valde mihi jucundae lectu, imo linguam eam jam addidici, ſcriptores eos terendo. ſed qui poſt annum quinquageſimum ſcripſerit, habeo neminem, nec ſic facile extrico. ſi iſtic aliquid eſt in eo argumento, ſive hiſtoricum, ſive de herbis, ſtirpibus &c. valde peto, ut meo ſumtu ad me mittas. Plantino illic imputa, cui hîc perſolvam: deque eo Plantinum monebo: ſcribe, ſiquid aliud in manibus habes, bono litterarum, & me vere tui amantem ama. Pridie Non. Jul. 1582.

1 Alia ad *Schottum* epiſtola uno die ſerius data, ſed ejuſdem fere argumenti legitur 1. Centur. Miſc. 45. unde, ut ex pluribus conſtat, Lipſium ſaepe aliter edidiſſe literas ac ſcripſerat, colligi facile poteſt. ſed patet cauſſa. nolebat Lipſius publice innoteſcere ejus de religione & fide erga Hiſpaniae regem ſenſum. cujus indicium a *Scotto* ſe accepiſſe *Covarruvias* ſcribit & gaudet Epiſtol. 89.

2 Credo *Carrionem* intelligi, de quo & in Epiſtola modo dicta. vide epiſt. ſeq.

3 *Launoius* dicitur in Epiſtola edita, quem eſſe credo, ad quem Epiſt. 22. Centuriae 1. an hîc ſcriba Lipſii erraverit, an duplici nomine nobilis juvenis fuerit, neſcio.

EPI-

EPISTOLA XCII.

AND. SCHOTTUS

Juſto Lipſio V. C.

Bruxellas.

LAetus mihi nuncius accidit, doctiſſime Lipſi, te in patriam poſt diuturnam illam ἀποδημίαν poſtliminio revertiſſe, pertaeſum nimirum ſoli coelique illius, & quod rei caput eſt, τῶν παραδόξων τῆς διανοίας Iſcanum itaque rus repetiiſſe, cujus etiam domus caeſa ruta belli, ut fieri amat, calamitate, vides: fundus tamen ſartus tectus, & hoc amplius εὐθυμία καὶ παῤῥησία domi tuae in Religione majorum, ut *Martini Lipſii*, patrui: in qua quidem ſapiens obdurabis. nam illic ſummam ſub Miniſtris ſervitutem Batavi ſerviunt. Didici hoc nuper, cum negociorum gratia Valentia Edetanorum Madritum in Carpetanos veni, legendaque mihi *Pantinus* noſter tua dediſſet, de Conſtantia, τὰ πολιτικὰ, & contra Dialogiſtam. Quid quaeris? Ita vivam, ſummam mihi voluptatem de una Religione animi tui ſenſus judiciumque attulit, lib. IV. quod ſit quod reſpondeam his, qui ſecius de te loquerentur, ſermoneſque ſererent, quos parum aequis auribus acciperem. Ita bono tibi reique publicae; & Eccleſiae fore contentionem illam pro veritate, auguror: ut te patria potius, cui natus es, quam Batavicum ſolum, potiatur. Conſtantia quoque ipſa Dea, alloquium nobis in hoc diuturno Religionis gratia exſilio tulit, collectis abs te tot exemplis, ex Annalium monumentis, publicarum calamitatum, nihil ut novi nobis hodie accidere exiſtimandum ſit, & non ſi male nunc, & olim ſic erit. Macte itaque animi, mi Lipſi, & Deo vocanti pare, & quod reliquum eſt vitae in hoc brevi curriculo, coelo tranſcribe. Habes *Torrentium* Epiſcopum, tui ſtudioſiſſimum: & quem non eorum, qui interiores has litteras reſpiciunt? De me, ita animum inducas velim, nihil mutaſſe; eundem me te d'erga fore, & fuiſſe ſemper, aram tenens liquido affirmo: nollem Kalumnia ſequius ad te pertuliſſet, quaſi crebras ego ad illum [1] hominem litteras dederim, qui ſe tibi perpetuo probare non potuit. Quid mirum? At mihi crede, ne pro pagellis quidem ad Cenſorinum mihi inſcriptis, gratias agendas cenſui, tam raro ego ad illum. Amavi quidem hominem, non inficior, quia litteras uterque eaſdem a puero amavit, teque in primis; ut Senatûs principem, quod praefiſcine mihi apud te liceat, nihil gratiae tribuenti, nihil auribus. Tu viciſſim me ut redames amore illo tuo ſingulari etiam atque etiam oro: & intermiſſam pridem litterarum conſuetudinem revocemus. quare ſi quid ope-

1 *Lud. Carrionem*; qui fragmentum incerti auctoris, antea Cenſorino tributum, & ei annexum, Schotto dedicavit A. 1583. Pariſiis, quae editio repetita Lugd. 1593. in qua ad *Schottum* Epiſtola mihi oblique *Lipſium* tangere videtur: nam invehitur, *in homines videlicet antiqui ſeculi, ſed ejus, quo nec Deorum cultus frequentabatur, nec ſuis regibus & principibus honor habebatur, & ultro ſibi magiſterium morum & cenſuram perpetuam accipiunt*, &c. nam & Lipſii ſymbolum *moribus antiquis*, & religionem, & ab Hiſpaniae Rege diſceſſionem iis verbis exprobrare mihi videtur: ſed & poſtea, *omni in deum & patriam impietate contaminatiſſimos* homines vocat.

opera mea uſui eſſe queat, impera. De animo hactenus. de ſtudiis ſic habeto. Quae in Senecae patris Controverſias, te hortante maxime, olim lucubraveram, Gallicae non expertia calamitatis oberrant: ſexennium enim jam factum eſt, cum Lugdunum meas notas miſi cum Antonini Itinerario edolato, ad *Jacobum Dalechampium*, qui Senecam poſt Plinium moliebatur. Poſt non diu bonus ſenex caput depoſuit, & publico, meo certe damno, fuiſſe male narrant. Haeres enim, medicus & ipſe, Rhotomagum, ut audio ingratis, bibliothecam abſtulit, ubi nunc belli tempeſtas deſaevit. Sed excudaturne Seneca ille, út narrant, tu, quando abes a Gallia, Germaniaque propius, ſcire potes. Graecis lacunas hiatuſque ex Covarruviano cod. & Theſeo, pleraque expleveram: ſed ipſum M. S. αὐτόγραφον haeredum opera non redit, urgueam licet maxime, domum ad *Covarruvianam.* Utinam in tuas, vel *Scaligeri* manus incidat. Da operam, ſi potes, quod & *Ortelium* noſtrum, & *Sylburgium* rogavi, extorquerent; ſaltem medici Rhotomagenſis nomen quaeſitum ad me perſcriberent, ut jure experiri liceat, liberque ille membraneus ad dominum redeat. Equidem morae impatiens partum illum prope abjeci, & expoſui, ad majoraque niſi me amo, cogitationem converti: adverſus noſtri temporis Machiavelliſtas ſtylum exerceo; quae peſtis, & fundi noſtri calamitas, Galliam ipſam, qua patet, niſi Deus è machina, funditus evertet, niſi jam magnam partem evertit. atque utinam falſus augur ſim. τὰ Ἑλλωικὰ tracto, ut ſoleo, libenter: & habeo, ut in his terris, non poenitenda; *Pantinus* item, Bruxellenſis jam Decanus deſignatus a rege Catholico, qui & ipſe ita te colit, ut concedat nemini. Haec eo prolixius, ne otiari nos omnino & ceſſare apud Iberos putes. Tuas interim aveo videre. Salutem meis verbis heroibus illis, *Torrentio*, *Livincio*, *Ortelio*, ceteris. Cura ut valeas. Madriti a. d. VI. Kal. Septemb. CIƆ.IƆ.XCII.

EPISTOLA XCIII.

AND. SCHOTTUS

J. Lipſio ſuo S. P.

Lovanium.

DIci non poteſt, doctiſs. Lipſi, quantam mihi voluptatem litterae tuae attulerint, pridie Id. Octob. datae, ut me tibi jam redditum poſtliminio exiſtimem: adeo lepidae, adeo venuſtae illae, ut a Gratiis dictatae viderentur. Carebo itaque poſthac invitus bono tuarum litterarum, quas dum lego, lego autem frequenter, coram audire, veteremque illam λέσχην de litteris videor memoria repetere. Nihil hîc auribus tribuo, nihil gratiae. Quare, commodo quod fiat tuo, Lipſi, crebras a te exſpecto, quibus nihil mihi accidere poterit gratius. Noſtrorum Sociorum opera conſilioque factum eſſe, ut domum reverteres a tam diuturna peregrinatione, legi ſane libenter: Bene tibi, beneque mihi, piiſque omnibus. Immane enim quantum id ad exiſtimationem

tuam ſcriptorumque tuorum profuturum eſt, ut ne quid ſecius de iis poſteri ſtatuant. Quod igitur de Arnobio erudito ſcriptore D. Hieronymus refert, qui ut ſuſpiciones malevolorum minueret (tollere enim quis mortalium potuit?) ſeptem illos adverſus Gentes libros edidit, ut ſe optimarum partium eſſe, conſtantemque in Religione majorum oſtenderet; idem tibi ſentio faciendum, difficillimis his temporibus, Lipſi; quod mihi apud te liceat: παῤῥησίᾳ utendum. Tepidos enim Dominus evomit ex ore ſuo. In hoſtem pugnandum eſt: arma contra ferenda. Sed quid ego currentem incito? Liber de Crucis ſupplicio, mihi crede, etſi tua placuerunt omnia, eo magis in vulgus probabitur, quo utilius id argumentum, graviuſque, quam ad hanc diem tractatum abs te. Christo enim, & quidem cruci affixo, quid majus aut dici, aut cogitari poteſt? quo uno gloriari ſe merito praedicat Gentium doctor: quae res licet Judaeis ſcandalo, Gentibus ludibrio fuit, nobis tamen trophaei ſignum eſt. fremant omnes Sectarii licet, Satanae miniſtri. Sed & Funeralia olim a te promiſſa memini, in Satyra, ni fallor, Menippaea: haud ſcio an partum abjeceris, ſuſtulerisve. pauca enim mihi legere tuorum contigit in his ultimis terris. dedi tamen negocium fratri, qui negociatur Amſtelodami conquirat Critica tua. Redeo ad me. illud praefatus, Ex animi ſententia, ne more hujus ſaeculi illud falſo jactem, idem mihi in mentem veniſſe; De Cruce & ipſe olim multa retuleram in adverſaria; in eamque mentem ingreſſus ſum, quod eſſet penes me *Gregorius* monachus περὶ εὑρέσεως τοῦ σαυρȣ̃ Graece: verum dum, urſarum more, fetum lambendo fingo, antevertit *P. Robertus Bellarminus*; bone Deus! quantus Theologus? qui laudem omnem palmamque, cui nunc nuncium remiſi, praeripuit: nec equidem invideo, miror magis. Sacra quidem ille praeclare tractavit, profana vix attigit, alio, credo, feſtinans, ut quae tu cap. XVIII. Electorum de clavis erudite; de forma item τȣ̃ σαυροῦ. Ego vero tantum abeſt, ut moleſte feram; ut gaudeam etiam, me ab aliis anteverti, qui & ingenio longe antecellunt, & eruditione: juvem etiam in partem non invitus aliorum vigilias, ut in commune conferam, ſi quid forte meditando, quantum id eſt, ſum conſecutus. Quamobrem pace quod liceat tua, pagellam huic faſciculo incluſi, non, ut ſacra, quae collegi plurima, deſcriberem, Nos enim, ut ſcis, eo mentes, eo aures demiſimus: neque ut nomenclatoris officium functus, latus foderem, ſuggereremque tibi πολυίστορα, quis enim ego ſum, qui praeſtare id tibi, ut maxime velim, queam? ſed ut ea loca proponerem, in quibus mihi aqua haeſiſſet, quaeque a te explicari vehementer cupiam. nam & alios in hac ſalebra haeſiſſe facile conjicio, quod, ut fieri amat, taciti ea interpretes, cetera diligentiſſimi, ſilentio praetereant. In his tu unus, potes enim & vis, ſcrupulos eximes, qua es ingenii praeſtantia, & humanitate ſingulari: me certe magno beabis opere, devinciesque amplius, ſi quae modo ad meum in te amorem acceſſio fieri poteſt. Pauca ſubjeci loca, & quidem ἱερὰ, tanquam digitum ad fontes intendens, ſi forte, ut ſaepe fit, fugiſſent: in quo ſi quid peccatum a me, da veniam. De Cruce hactenus. de me, Graeca, quae multa in Hiſpania non otioſus collegeram, poſt naufragium illud

illud Senecae & Antonini, in Gallico tumultu, cum amicis, eruditis hominibus, libenter communicavi, ne & illae ſchidae mihi funditus perirent, damno publico, fortaſſe: in his *Heliodori* Αἰθιοπικὰ, περὶ πρεσβειῶν volumina duo, ex quibus *Fulvius* Polybii ἀποσπασμάτια ediderat: aliaque: nec enim vacat recenſere omnia. *Ortelio* noſtro nuper rerum Hiſpanicarum Annales miſi, Latine conſcriptos, Taciti ſtylo a *Jo. Mariana*, Societatis presbytero. *Pantinus* noſter, qui mihi tuas miſit, teque fert in oculis, in Belgium cogitat: utinam quod opto, & urgeo, ſocius illi accedam, te potiſſimum ut videam, mi Lipſi, prius quam haec lumina claudantur. Quod ſi non conſequar, non conquieſcam tamen, donec potiar. Ille Eccleſiae Bruxellenſi praefectus eſt, regis Catholici liberalitate: uteris itaque, cum aberit propius, amiciſſimo. Tu modo da operam, ſi nos amas, ut te valentem aliquando videamus: & haec aſpera, fac, ut ſoles, excelſo elatoque animo feras, qui conſilium aegrotis dare ipſe conſuevisti. Noli itaque imitari malos medicos, *qui in alienis malis*, ut Ser. Sulpicius ait, *profitentur ſe tenere medicinae ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt*. Te, te ipſum in conſilium adhibe; Eccleſia mater noſtra à perſecutionibus ad extremum uſque ſpiritum libera non erit. Qui perſecutiones patiuntur, beati. portum ecce vides. Quid aliis uſuveniat, neſcio, mihi certe in publicis his malis, diuturnaque ἀποδημίᾳ à patria mea dulciſſima, παραμυθίαν φέρει μεγάλην ἡ κοινωνία τοῦ πράγματος, καὶ τὸ μὴ μόνον πεπονθέναι. Sed tu, Lipſi, alloquio noſtro non eges, cui domi naſcuntur his praeſtantiora. Conſtantiam illam tuam conſule, & quae de optimo Reip. ſtatu quaeſita abs te, Dialogiſtas illos contemne; quod genus hominum ἀναρχίαν inducere ſtudet. Strinxi & ego aliquando ſtilum in noſtri temporis Civiles, vel inciviles potius, Machiavelli aſſeclas. Tibi lampada trado: mihi enim cano & Muſis. Abunde mihi erit, ut vel in tuis de Cruce Commentariis amicitiae noſtrae exſtet memoria; ſi nondum exierunt. Eccleſiaſticam Hiſtoriam ſi ad finem perducere voles, optime de patria unus meritus videberis; quod inchoarunt tantum *Sigonius*, & *Panvinius*: nemo ad exitum perduxit. Tibi haec uni laus laureaque relicta eſſe, quod vertat bene, videtur. Vale, noſque amare perge. Gandiae Conteſtanorum, a. d. v. Non. Mart. CIↃ.IↃ.XCIII.

EPISTOLA XCIV.

AND. SCHOTTUS

J. Lipſio ſuo.

Lovanium.

TAndem aliquando ex Iberia me emerſi. Italiam attigi poſt Cal. Sextiles triremibus. Neapoli ſubſtiti, dum ſe aeſtus frangit: noſti hoc caelum & ſolum ardente Canicula, quanto periculo in viam me darem. Romam hinc cogito: ubi ſi me ſtatim expediero, ad vos poſt longinquam ἀποδημίαν advolabo: ſin majorum juſſa remoram injicient, faciam te tempori certiorem, mea

ut opera utaris pro tuo jure veteris noſtrae neceſſitudinis. In hoc enim nobili Italiae otio, ſeceſſu, vel ocello potius verſanti mihi aſſidue Lipsius obverſatur, & oculis fero. immo, quae mihi res ſummam voluptatem attulit, te noſtris ſociis hîc in ore eſſe comperi; laudari, legi aſſidue: omnibus anteponi, qui interiores haſce litteras hoc aevo tractant, absque illo eſſet, quod Κικέρωνος ſtilum migraris; quem, quod aures impleat numeris ſuaviter cadentibus, magis probant Itali, ut ſcis: quibus non invitus ſubſcripſerim, ſi aliquid ipſe laude dignum praeſtare puſillus homo queam. Liceat id apud te mihi tui, ſi quis mortalium, ſtudioſiſſimo: ſublego enim judicia, tuaque qua poſſum, tueor: debeo id communi patriae. *Bencius* enim tuus, Majo menſe, quod invitus narro, fuit: qui ut tibi plurimum, ſic & tu illi debes aliquid. Me, ſi lubet, adhibe ſuccenturiatum, ſi quid Romae curatum vis. Tuos de Crucis ſupplicio libros, de quibus ad me biennium fere factum eſt, ſcripſeras, in urbium regina ac domina avide legi inaudivi: illic ſitim explere, ut olim in Conſtantia, licebit, legamque, ſi volenti tibi, judicia Criticorum: ibi enim Octobri crebras tuas aveo videre, commodo tamen quod fiat valetudinis tuae ſatis imbecillae. Confirma itaque te potiſſimum, ſalvum, valentemque ut amplectar in Domino. *Pe. Colvium* J. C. Brugenſem vixiſſe invitus hîc audivi: qui mihi juvenis immature, ut fit, ſenex viſus eſt in Notis illis uberioribus, quas Appulejo paene praeſtare, jurare liquit, niſi quid ſecus tibi videatur. idem noſtris hominibus, ſic enim Jurisconſulti tui loquuntur, videbatur: & vero praecoqua illa ingenia, ut fructus, haud temere ad maturitatem pervenire obſervavi. Flaccus enim; *Puer, ut ſis vitalis, metuo.* At non ille fruſtra fuit: nec operam luſit: vivet in poſteris, niſi quid augurans fallor. Facem hiſtoriae tuam ecquando & qualem dabis? fac ſciam: me enim quid fiet, ſtatim ne accurrere licebit θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. quando aliorum me ſemel poteſtati commiſi. Equidem ubi ubi gentium latebo, idem erga te ero: jube itaque ſi quid curatum vis, agam EX FIDE BONA, more majorum: dextram hanc cape, ut ego aram tenens recipio: ſic te valentem videam. idem, quaeſo te, *Torrentio*, & *Ortelio* noſtris a me ſcribe, mihi imperent ſi quid volent in aeterna Urbe. Puteolum cogito, ut rudera inſpiciam & lapides. Salvebis a *Franc. Guerrerio*, *Bencii* κληρονόμῳ, homine peritiſſimo. Neapoli prid. Kal. Sept. CIↃIↃXCIV.

EPISTOLA XCV.

AND. SCHOTTUS

J. Lipſio V. C.

Lovanium.

ROma aeterna in urbe nos eſſe, magne Belga, credo inaudiſſe te, equidem Neapoli ad te literas dederam, quam mihi gratum hîc Lipſii nomen eſſet, teſtatus. faveo enim, ſi quis alius, honori tuo, quod ad me partem pertinere exiſtimem, quem praeſentem olim non repudiaſti. Bononiam venturum te libenter

ter audivi, nondum tamen ut credam, impetrare a me potui: quod & Lutetiam accitus honorifice, recuſaris, gymnaſium illo non infrequentius: omnesque adeo Germaniae ſcholas patrio ſolio poſthaberes: quemadmodum & πολύτροπος ille patriae fumum, luculento igni alieno praetulit. Si erit, ut venire integrum ſit, in Italiam, per ego te hanc dextram rogo, fac ſciam. aberis enim propius, uti te videam, amplectarque in Domino, poſt tam longam ἀποδημίαν. Nondum enim impetrare potui, in patriam excurrere ut liceret: quod ut debet, eo fero conſtantius, quod nondum venti poſuerint. Mos gerendus iis eſt, quorum me ſponte poteſtati commiſi: jubent de ſuperiore loco, in ampliſſimo hoc ingeniorum, nationumque theatro, in Eloquentia, qua careo, praeëam ſociis, exterisque. *Bencius* enim fuit, magno ſui relicto deſiderio: cujus ego ſi locum tueri non potero, apud te ſaltim ut teneam, rogo. Quare mea ſi opera uti libet, pergratum feceris, ſi pro veteri noſtra neceſſitudine, imperabis. Tres de cruce libros legi, & probavi. verum tantam hic exemplorum σπανίαν eſſe, doleo, ut vix inſpiciendi poteſtas ſit facta. De militia Ro. aveo videre, quae commentatus es. De me: narro tibi, Senecam Rhetorem noſtrum tandem repertum Rhotomagi: poſt novem ipſos, ex Horatii praecepto, annos; quot & Cinnae Smyrna latuit. Retractare non lubet, nec tantum abs re mea otii. Audio *Nic. Fabrum* J. C. & *Gruterum*, in eadem palaeſtra ſudaſſe. mea non vendito: conſcius tamen ſum vigiliarum. Salutem meis verbis P P. *Leonardo*, & *Mart. Delrio*: hujus Syntagma Tragicorum poëtarum *Muretum* nobis donaſſe, narrat *Jacobus* frater, cui tuas ad me litteras, commodo quod fiat tuo, mitte. Romae, Kal. Majis. cIↄIↄxcv.

EPISTOLA XCVI.

AND. SCHOTTUS

J. Lipſio ſuo S. P.

Lovanium.

SApis tu quidem, mi Lipſi, qui patriam, ne in turbis quidem deſerendam cenſes, hocque coelo mutandam. nam, quod uni Catoni Uticenſi contra accidit, abſens majorem Italis famam tui concitaveris. Certe DE CRUCE libellus, uſque eo doctis placuit, ac piis, hîc editur aeneis iconibus. De MILITIA Commentarius alter eo ipſo tempore apud Bavaros exibit *P. Valtrini* Collegae hîc noſtri, qui S. Scripturam de ſuperiore loco nunc explanat. neuter vero alterius ſcrinia compilaſſe judicabitur. Saeculum hoc vides: quot Kalumniae? quot fraudes? qua de re querela tua in Notis. Mitto nunc *Chriſtoph. Clavii*, Mathematici ſummi dono, *Scaligeri* Caſtigationem caſtigatam: ut te ad hilaritatem des interdum, cum in hoc modeſtiam non deſiderabis in reſpondendo; in altero quod mireris. nihil ut dicam gravius non patitur meus pudor. illud inaudivi, plures in illum ſtylum ſtringere, & quidem Germanos. omnia dixi. De *H. Stephano* invitus intellexi, in te de dicendi charactere incurrere. Fa-

ctum nollem. Si me audies, nulla citius ratione retuderis hominis petulantiam, quam ſilentio. Cauſas enim odii, ſimultatisque facile conjicio. Si enim reſpondes, & illum magni feciſſe, & honori tuo non ſatis conſuluiſſe videare. Si tamen ſtat ſententia, ede potius aliquid, abundas enim, & potes, Aſiatico ille, & fuſo dicendi genere, ac numeris eorum, qui Ciceroniani apellantur: qualis primus ille tuus Variarum Lect. partus, quo omnium oculos praeſtrinxiſſe mihi videris. Perge porro, vinceſque, mihi crede. Habes conſilium a tui amantiſſimo profectum: ſic te ſalvum aliquando videam, & patriam peſſum, pro dolor, euntem, ut male narras. De Senecae controverſiis & Suaſoriis, quando liberalis es, deſcribe, commodo quod fiat tuo. *Fulvius Urſinus* alterum pervetus exemplum obtulit, teque ſalutat ſenex. De vita *Franc. Borgiae*, Latine a nobis conſcripta, alias. Vale. Romae a. d. IX. Kal. Sextil. ∞. IↃXCV.

EPISTOLA XCVII.

AND. SCHOTTUS

J. Lipſio ſuo S. P. D.

Lovanium.

QUam mihi gratae tuae, doctiſſime Lipſi, quas poſtridie Kal. Junias dederas, noli quaerere: plena enim pietatis, & priſtinae tuae erga me benivolentiae notis. Dederam & ipſe alteras cum *Chriſtoph. Clavii* libello, *Joſ. Scaligeri* anni caſtigatio caſtigata: ut e nundinis primus, vel in primis haberes. ſpero fore ut reddantur. Sapis tu quidem, qui patriam tamen etſi laborantem, Bononiae anteponis. majori enim, mihi credo, abſentis ſcripta in precio erunt. DE CRUCE hic a Bala, me hortante maxime foras datus, ſumma fide, tametſi non pari iconum elegantia: quod valde omnes efflagitarent tua. DE MILITIA ROM. dum in aeterna Urbe verſor videre aveo. Exibit Ingolſtadii *P. Valtrini* Socii ea ipſa de re, ac tempore Commentarius, ſed ut ipſe mihi affirmat, vir ſummae fidei, rudis, quique ut immaturus partus, praereptus ab uberibus. juvabit tamen. Narro tibi, a Jacobo fratre redditae nuper litterae: SENECAM noſtrum Rhotomago Antverpiam miſſum: quas ego Notas, ut te non fugit, decimo abhinc anno, priuſquam Societati me addicerem, apud *Ant. Auguſtinum* V. C. elaboraveram, optimo uſus exemplari. *Ant. Covarruviae* J. C. unde Graecarum ſententiarum hiatus, tamquam e quercu pleraque exſculpta, adeo monſtroſe ſcripta a librario. Depoſitum nimirum Dalechampii heredes, religione ducti, aut precibus victi, quod pridem abnegarant, reddendum putarunt. Et vero, ut ſcite Themiſtocles liberis, ſic ego libris: perieramus, niſi periiſſemus. Optarim itaque, mi Lipſi, te pro veteri noſtra neceſſitudine, ultimam manum addere, commodo quod fiat tuo, ut tuis ἐυςοχίαις nugae noſtrae haereant: noſtramque inter victrices hederam tibi ſerpere lauro. ſic enim placere poſſe confido, & tanquam in bono lumine collocata ſplendeſcent. Tribue hoc, amabo, publicae, cui ſemper ſtudes, utilita-

litati. Juſſi itaque ad te quamprimum, ſi volenti erit, mitti. Mihi certe, ut ſcis, retractare non vacat: (nec poenitet tamen vigiliarum, quod praefiſcine inter nos liceat) ſum enim in hoc interpretandi munere, & quidem in ampliſſ. hoc theatro, ingeniorumque luce valde impeditus: tametſi, verum ut fatear, dum Philippicas utriuſque oratoris compono, uſui eſſe ſuaſoriae poſſint. At quantum loci intervallum, quot pericula non ignoras, ne non tam lateant iterum, quam in Alpibus navem frangant. Denique *Cruſerii*, & *Fabri* Notas nullus vidi, quibus iſtic libris abundatis, ego pridem careo, in Iberia verſatus. Illud tantum, & forte non falſus augur, niſi me ipſe amo, neutrum luminibus obſtruxiſſe. Certe *Muretus* eos libros non attigit. Quare ut rem conficias, abſolvasque, etiam atque etiam oro, obteſtorque. Exſtabit amicitiae hoc noſtrae, conjunctioniſque animorum ſtudiorumque monumentum aeternum. cupio quidem certe. *Pet. Pantinus* cum Card. Auſtriaco Bruxellam cogitat, Flaminum praefectus: habebis alterum me, tui ſtudioſiſſimum. Romae ſi opera mea uti libet, pro tuo jure impera. Erit id per mihi gratum, teque valere, & crebras dare. Romae a. d. XIV. Sept. CIↃ.IↃ.XCV.

EPISTOLA XCVIII.

J. LIPSIUS

Andreae Schotto ſuo.

Romam.

ITaliam & urbem dominam te retenturam, mi Schotte, non opinabar, & videbaris ſpem feciſſe, non litterarii hujus colloquii, ſed mutui adſpectus. ſed ab alieno nimirum arbitrio cum pendes, res iſta non tua in manu fuit, nec aut diſſuadere aut triſtari poſſum, te eſſe in luce illa loci ac hominum, ſejunctum a nobis, veteribus quidem amicis tuis, ſed & a turbis & civilibus diſſidiis, quae ſine intermiſſione tot annos adfligunt nos & vexant. Quid? quod ipſi homines per ea mutati ſunt: non eſt priſca illa humanitas, aut comitas Belgarum, non honos aut amor meliorum artium, ferocia eſt & contemtus, & barbari quidam ac martiales mores. Utinam ille, qui exſpectatur, *Albertus Auſtriacus* Cardinalis, ut animum, ſic vires habeat medendi. nam de illo non dubito, & fuit egregie etiam in *Erneſto* defuncto, quo Principe nihil melius, in moribus & vita caſtigatius, denique qui totus pacis proles erat, eamque fortaſſe nobis reddidiſſet, niſi eum eripuiſſet μοῖρα λινοκλώςȣ δεσπότης ἠλαπάτης. *Pantinum* noſtrum cum Heroë illo venire id mihi volupe, & ſolatium vel auxilium erit. Quod ego etiam tibi velim, mi Schotte, in iſtis ad Senecam: quae vidi nondum, nec temere per viam juſſerim ad me deferri, & ipſe Antverpiam cenſeo me iturum. Ego vero cum videro, quid cenſeam perſcribam, & quidquid opis meae erit fiet, *ut non diſpereant tui labores.* ſed *Faber* multa egregia notavit, & nos tamen quaedam habemus: ſed ita nunc toti in machinis, tum & Politicis ſumus (nam & haec cum plenis notis recudun-

duntur) ut alii nulli curae vacemus, imo vix has ſuſtineamus. ſed, ut dixi, videbimus, & omnia pro amico & publico (id quoque agitur) faciemus. Vale, Reverende in Chriſto pater, & amice. Lovanii IX. Kal. Nov. CIↃIↃXCV.

EPISTOLA XCIX.

AND. SCHOTTUS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

NIhil ego pridem abs te litterarum, mi Lipſi, ſive per negocia non vacat, ſive quod ipſum me exſpectes. Ego vero jam nihil habeo antiquius, quam in viam me dare, ut veteris loci aſpectu recreer, qui nos olim conjunxit: atque utinam, ſi qualem reliqui non licet, aliquam tamen formam reperiam priſtinae dignitatis. Poliorcetica nobis oſtendit, qui has tibi tradidit *And. Dyckius*, vir eruditus, tuique in primis amans: quod exemplum extorſit paene Card. *Sfortia:* qui & me ad ſe arceſſendum curavit: Quantum tua cauſſa vellet, oſtendit. moleſte ferre, quod militari olim, in Belgio enim triennium militavit, de militia non mittas. Noſti aulicorum ingenia: dari omnia volunt. Addebat, patris ſui vitam, hominis ſane in re militari egregii, Italice conſcriptam miſſurum ad te, ut ſi impetrabit, Latine conſcribas. Nae illud omnes uno ore exoptent, mi Lipſi, ſi feneſtram patefeceris? Laudabile eſt enim, maximeque optandum, laudari a laudato viro, ut ait ille, neſcio quis. Sed hac ipſa de re, ni fallor, *Fulvius Urſinus* ad te perſcribet: nec tibi quod reſpondeas officioſe, deeſſe poteſt: De Triumphis tertio pedatu agis, ad Cardinalem forte Auſtrium miſſo augurio. Sunt penes me quaedam hac ipſa de re Socii noſtri *P. Valtrini.* Sed de philologia coram; quod brevi futurum arbitror, & volo, niſi quid acciderit humanitus. Tu quantum nos amas, tantam curam in valetudinem tuam adhibe, Te ut ſalvum, valentemque videam. Salutem *P. Delrio*, *Leonardo*, & *Hovio* tuo. Romae a. d. III. Idus Januar. CIↃ.IↃ.XCVII. feſtinante calamo, quod hic ſine litteris meis deſcedere nollet, ſed πρόδρομον, pignuſque efflagitaret. Vale.

EPISTOLA C.

AND. SCHOTTUS

J. Lipſio.

Lovanium.

VEſtalia munere tuo accepi, doctiſſime Lipſi, & licet me Photius totum poſſideat, aegrotante Collega meo *Dausquejo*, abſoluto atque edolato jam opere evolvere omnia libuit. Atque utinam reliqua cum ſacerdotia Rom. tum Magiſtratus illuſtrare face illa pergas, valetudinis commodo, quam tibi exo-

exopto perpetuam, felicemque. Unus mihi ſcrupulus reſtat, unde me olim expedire non potui. Catilinaria tertia M. Tullii cap. 4. *Fatalem*, inquit, *hunc eſſe annum ad interitum hujus urbis, atque imperii, qui eſt decimus annus poſt Virginum abſolutionem, poſt Capitolii autem incenſionem viceſimus.* Quis ille *decimus annus*, & quae *Virginum abſolutio*? Faſti conſulendi, & forte Pedianus, quibus hîc careo, ut & interpretibus Mureto, ac Manutio. Tu nodum facile expedies, qui illa pridem meditata in numerato habeas. Reditum domum adorno, & nunc cum librariis res erit, ut reliqua deſcribantur. Vitae comparatae Ariſtotelis ac Demoſthenis auſpiciis *M. Velſerii* V. C. lucem aſpiciunt, utinam conatus doctis hominibus placeat: tentarem fortaſſe id genus plura, ut Tullianas Quaeſtiones, ut Homeri, & Heſiodi; Thucydidis, & Salluſtii, Maecenatis, & Agrippae, ſimiliumque comparationes Plutarchi quidem exemplo, illi tamen intactas. Reliquit nimirum poſteritati aliquid, ut & nos poſteris commemoranda relinquimus. Senecam Rhetorem, quem paene amiſſum putabam, tandem ſartum tectum repertum Septembri lucem aſpecturum bene narrat *Gruterus*: extra patriam enim meis ingratiis, domi deſpectus, mittere coactus fui. Addunt Commeliniani *Mureti* in Philoſophum Notas. [1] Meum laborem in tuo nomine apparere volui, pace quod liceat tua, pro veteri inter nos neceſſitudine, ſtudiorumque ſimilitudine, dum Philoſophum tu adornas, ut Tragicum *Delrius* noſter, qui & tibi ſecundas curas obtulit, ut Senecae duo trium Belgarum opera lucem accipiant: Feliciter. Venit in mentem admonere, ſi forte non legiſſes; Cleomedem in Meteoris Graece editum cum Arati Phaenomenis, ſuggerere Stoicorum Phyſica multa poſſe: cetera tu melius. Deſino itaque, & ſalutem apprecor. Inſulis Flandrorum IV. Cal. Septemb. CIↃIↃCIII. Saluto & *P. Leonardum*, & *Bonardum*: nam *Flerontinum* in Eburones profectum, & Brugas *Vandornium* inaudivi: fratres quoque *Viringios* ſalvos cupio.

1 Lege praefationem *Schotti* in Senecam patrem ad *J. Lipſium*, ubi quaedam ejuſdem argumenti invenies, quod in hac epiſtola: reſpondit vero Lipſius IV. Centur. Miſcel. Epiſt. 4.

EPISTOLA CI.

JOANNES POSTHIUS

Juſto Lipſio.

Leidam.

ESt omnino imago naturae & animi oratio. Cum igitur proximis ſuperioribus annis Tacitum tuum Coloniae mihi legendum dediſſet *Hieronymus Berchemius*, videremque orationis formam generoſam eſſe, & convenire in te Homericum illud, σοὶ δ' ἔνι μὲν μορφὴ ἀπέων, ἔνι ἢ φρένες ἐσθλαί: amare te ſtatim coepi amore quodam ſingulari, quem & epigrammate in eundem Tacitum compoſito, quod in Poëmatibus meis legitur, teſtatum publice feci. Hoc meum de te judicium poſtea confirmavit *Andreas Ellingerus*, Med. & Poëta

Poëta doctiſſ. & tui, ſi quisquam alius, amantiſſ. qui Menſe Martio nuper e vivis exceſſit. Quid de *Modio* noſtro dicam? in cujus tu ore habitas, qui virtutum tuarum apud nos buccinatorem agit liberaliſſimum. Is hodie prae gaudio geſtiens ad me venit, [1] tuasque mihi oſtendit doctrina, elegantia, & humanitate non modo plenas, ſed mehercule etiam abundantes. In quibus quod & mei mentionem feceris admodum honorificam, dici non poteſt, quantam ex eo ceperim voluptatem; plane incredibilem. Itaque facere non potui, quin epiſtolam hanc ad te mitterem, qua & te a me mirabiliter diligi, ac plurimi fieri, & me tuae amicitiae cupidiſſimum eſſe, tibi ſignificarem. Saturnalium ſermonum libros abs te nuper editos idem *Modius* mihi dono dedit, quos ego aliis negotiorum tricis impeditus nondum legere potui: ſed obiter ſaltem eos inſpiciens, in iis te tui ſimilem eſſe facilè deprehendi. Quod ſupereſt, ut in epiſtolis, quas editurus es, mei quoque mentionem facere digneris, & *Janum Duzam*, Poëtam nobilem, meis verbis amanter ſalutes rogo. Vale, & nos tui amantiſſimos dilige. Wirzeburgi Id.b. Octobris, A°. 1582.

1 1. Cent. Miſc. 28. ubi ſe *Poſthio* vult excuſari, quod de Poëtis Germanis inclementius in Satyra Menippaea erat invectus.

EPISTOLA CII.

FRAN. MODIUS

Juſto Lipſio S.

Leidam.

Quas ad me dediſti Nonis Auguſti amoris & benivolentiae vere fraternae plenas litteras, amiciſſime Lipſi, eas ego Id. Octobrib. tandem ea cum animi voluptate accepi, ut nugas acturus ſim, ſi tibi hîc ejus quantulamcumque partem exprimere verbis contendam. valde enim verebar, ne te quorumdam ſuſurri alieniorem a me reddidiſſent. non quo ego aut male mihi conſcius eſſem; aut de tua in tuendis amicitiis ſemel junctis, & diutino uſu confirmatis conſtantia dubitarem: ſed quia res timida, & ſuſpicioſa, ſaepe etiam ubi nihil eſt neceſſe, amor eſt. Cui erga te meo cum te tanta humanitate ſupra etiam ſpem meam reſpondere videam, quid mihi credis animi eſſe? Alia ut taceam, injeciſti certe mirum mihi deſiderium vitam ita in poſterum inſtituendi, ut & tua & bonorum omnium amicitia non indignus fuiſſe judicari aliquando poſſim. De praeteritis enim peccatis meis ipſe jam videbam, in quo quantoque errore jam diu verſarer, jamque in viam redieram quidem, ut tamen interim timerem ſemper, ne quid tu, ne quid alii, qui me fruſtra ſaepe antehac revocare contendiſtis, mihi ſuccenſeretis. quem metum nunc, te fretus,

Reſponſio ad Lipſii 1. Miſ. 28. quae plenior eſt in prima editione Epiſtolarum Lipſii, quam in ſequentibus.

tus, pono. teque rogo, ut, quod ſpondes de amicitia bonorum iſtic, praeſtes. ut ea dignus ſim ipſe praeſtabo. conabor certe. Nunc ad alia: De hominibus, quibuſcum hic mihi res eſt, recte tu; rectius, inquam, & melius aliquanto, quam qui omnes eodem numero habent. ſunt enim & hîc, qui & eruditione & omni virtutum genere cum quibuſvis cujuſcumque nationis certare poſſint. rariores fortaſſe, quam alibi, doctrina illa meliore praeſertim, cujus tu paucique alii Belgae, Galli, (nam Italia in hoc genere effoeta jam videtur) duces illuſtratoreſque eſtis; ſed tamen non omnino nulli. cum his amicitiam jungo; reliquos patior ſuis quoque moribus vivere: & memini, me non cenſorem morum & ſtudiorum Germaniae veniſſe, ſed exſulem. Ante omnia jucundiſſimum eſt habere patronum munificentiſſimum, & bonarum artium, litterarumque non tantum ſumme amantem, ſed etiam intelligentem. Ei ego & alia paro, & nunc Epiſtolicas meas dico; quas, quia *Plantinus* ſaepius per litteras a me conſultus, vellet poſſetne eas ſtatim imprimere, reſponſum differt, cum interim mihi differre editionem earum integrum non relinquatur, hîc publicabo. neque ſane valde doleo eas typis Plantinianis non ornari. quod ne meo quidem judicio ſatis dignae illis ſint, cum protrita fere omnia, certe non magni aut ingenii aut doctrinae in illis a nobis tractentur. Et malo *Plantinum* a vetere aliquo ſcriptore, mea opera meliore, noſtri quoque nominis formis ſuis elegantiſſimis celebrandi initium facere. jamque adeo abſolvi notando Silium; in quem mox etiam Commentarium daturus videor. De te, ſi valeres, non dubitabam, quin otii, quod a rebus tibi ſuperat neceſſariis rationem litterariae reip. facile eſſes redditurus; novi tuam hîc aſſiduitatem. illud doleo, ad manum non fuiſſe, cum haec ſcriberem, Tacitum, a me, ut ſcripſi, notatum. jam ad te iſſet. nunc Combergi abeſt, quo non videmur niſi poſt tertiam ſeptimanam ab hoc die profecturi; tantiſper igitur hoc differetur, & tum una mittam excerpta mea ex Propertio, quem cl. *Duzae* nuntiabis (ſi forte minus id aliunde accepit) *Livineio* in manibus eſſe. Tacitus Bambergenſis indignus plane erat labore & ſumtu, quos ejus cauſſa exhauſi Bambergam excurrendo; ubi vidi recentem omnino eſſe ſcripturam ejus Codicis, qui titulum Cornelianae hiſtoriae mentiebatur, cum nihil in illo Taciti, praeter pagellas aliquot ex libello de moribus Germanorum contineretur; quas tamen ad tuam editionem etiam comparavi. Ad nuntium de morte optimi & ampliſſimi *Rattaleri* ingemuimus, ego patronuſque meus: ſed humanae haec eſt vitae conditio ſcilicet. De *Berchemio* faciam quae jubes; etſi ne ipſe quidem ſatis ſciam ubi ſit, an ſit; ita nihil his aliquammultis menſibus ad litteras meas ternas quaternas reſpondet. opinor tamen adhuc agere cum Comite *Carolo Egmondano* in aula Ducis Juliacenſis. *Poſthius*, ut videas quam nihil vir optimus ille ſuſurris iſtorum Manliorum es Metellorum nepotum tribuerit, ipſe tibi ſcribere voluit. Cui te rogo ſaltem tribus verbis reſcribas. meretur hoc candor ejus, & ſtudium de litteris litteratiſque omnibus bene merendi. Vale, amiciſſime omnium hominum Lipſi. quem ego niſi in parentis loco deinceps ob praeclara & amica monita tua pro venerer colamque indignus & illis

& amicitia tua ſim. utinam, quibus adoleſcentia mea credita eſt primum ab aliis temere, mox a me ipſo imprudenter, aliquid hauſiſſent tum ex cara modeſtia, tum ex reliquis virtutibus tuis; non totiens & ſe perditum irent, & alios eidem ſe perdendi periculo expoſuiſſent. ſed ſerum hoc. Iterum Vale, Lipſi amiciſſime, cum *Duza*, *Hauteno*, aliis, quos etiam invitos & amabo ſemper, & nunc ſalvere jubeo. Wirzeburgi VIII. Kal. IXbres CIƆ. IƆ. LXXXII.

EPISTOLA CIII.

FRAN. MODIUS

Juſto Lipſio S. D.

Leidam.

MItto ecce tandem *Duzae* quoque noſtro promiſſas in Propertio variantes lectiones ex codice manu exarato *Poſthii*, quem ille Sambuci donum habet. affatus ipſe fuiſſem *Duzam*, niſi per te, amiciſſime Lipſi, hoc agi maluiſſem: & ſatius exiſtimaſſem exſpectare tuas, ex quibus de ipſius erga me animo certior fiam. De Agellio valde doleo te illi homini conceſſiſſe, cui neque privato, neque publico nomine omnino debueris ut enim prius mittam; quantum intererat a te potius hunc Latiniſſimum ſcriptorem more majorum ſine fuco & fallacia recognitum in vulgus venire, quam [1] ventoſiſſimi iſtius, & paratragoediantis etiam in rebus nihili nebulonis, carnificinae permitti? qui ut multa emendet, non pauciora interim corrumpet, longe enim deflexit ab illa via, quam tu cum *Duza*, & paucis omnino aliis in ſtudio hoc antiquitatis & litterarum cum laude tenes. ſic quoque non damno modeſtiam tuam cum illius perfidia jactantiaque certantem. ſed cum in iſtud ſcelus hominis ſcribere aliquid omnino cogitarem; nupera praecipue inaudita ejus immanitate provocatus; repreſſi me tamen exemplo tuo admonitus, in poſterumque reprimam; ſoloque ſilentio illud monſtrum ulciſcar. Valde exſpecto tuas litteras, quas cui recte dare poſſis & nuper ſcripſi, & nunc quoque moneo Nurinbergam mittantur a Plantino, *Joachimo* aut *Philippo Camerario*. Vale, mi amiciſſime Lipſi, & a *Poſthio* quoque noſtro cum *Duza* ſalve; ſed & *Hautenus* a me ſalveat, de quo etiam exſpecto quid egeris. Wirzeburgi in Aula Neuſtetteriana an. d. X. Kal. Apr. CIƆIƆLXXXIII.

1. Puto eſſe *Carrionem.*

EPISTOLA CIV.

J. LIPSIUS

Franciſco Modio.

Herbipolim.

ERgo nondum tu meas? Atqui iis etiam alterae ad *Poſthium* adjunctae. Quem virum quam amemus, vide ex eo, quod Epoden ſuam *Duza* noſter

ſter ei inſcripſit. Mitto enim exempla. At tuae Novo-Antiquae quando ad nos? dum tu muginaris & ceſſas, *Carrio* ille, ille noſter, duos libros emendationum edidit, nihil abhorrentes a genio auctoris. Multa in iis e Silio, Agellio, Manilio. Nam etiam in *Scaligerum* debacchatur, ſine ullo ſcemate, & ferreos illos dentes homo bliteus provocat ad mordendum. de me quid? omnia honeſta, ego *doctiſſimus in elegantiſſimis Antiquis*, ego, *noſter*. rides? magis ſi legas, & cubantem in libro videas belluam ipſam. [1] ſed hunc mittamus. Ego de Conſtantia nunc edidi libros duos, Philoſophicum opus. ſed expedire ita viſum hoc aevo, & detrahenda illa opinio, quaſi litterae noſtrae ſine ulla ſapientia tantum elegantes. videbis & judicabis. Tacitus etiam meus iterum excuditur, in quo grata mihi diligentia tua, & cum fructu. Quanquam de *Rodolphi* quomodo credam? non inducar eas ut lectiones potius cenſeam, quam conjecturas: quod tu quoque vidiſti. Paramus alia. de Magiſtratibus P. R. de Amphitheatro, de Venatione. Fruimur enim hîc ſummo otio. quod utinam ne videat & invideat Bellona! de te rebuſque Germaniae velim ſcire diſtincte. *Michaëlis Bruti* Epiſtolarum libros vidi! O vere [2] *Bruti*! nihil umquam legi frigidius. ſed tibi habe. *Scaligeri* de emendatione temporis prodiit. doctum & recoctum opus, ſed curae majoris, quam famae. Italia ſilet. Et jam ego, qui avocor ad operas meas cottidianas. Vale, & Patrono tuo Nobiliſſimo, ſi ita fert, me commenda, ac noſtro *Poſthio*. Lugd. Batav. III. Id. Decemb. CIↃIↃLXXXIII.

1. Diſſuaſerat *Modio* illam cum *Carrione* familiaritatem, & ex ea famam illius vacillare dixerat. vid. I. Cent. Miſc. 28. primae editionis: nam in ſecunda & reliquis, neſcio quare, illa omnia de *Carrione* omiſſa ſunt.

2. Epiſtolas *Michaëlis Bruti* intelligit, quae poſt priores editiones prodierunt Berol. 1698. ubi lib. III. ad Joan. Cratonem p. 298. agit te *Diagora* quodam (ficto nomine Atheum quemdam deſignare credo) qui dixerat *Brutum brevi Brutum futurum*, quae repetit pag. 313. Et hujus inimici ſui affectatorem etiam inſequitur, quem *Rhaetum* fuiſſe indicat. quod frigidas vero epiſtolas Bruti cenſeat, nihil mirum. Lipſio enim, brevitatis ſtudioſiſſimo, vix placere potuerunt tam longae, & ut verum fatear, ſaepe taedii pleniſſimae epiſtolae: Certe hodie, ſi ad Reges & viros illuſtres tales quis daret, fruſtra ille eas legi poſtularet. dictio etiam tota abhorret a Lipſii ſtilo, & licet Ciceronianis ſe accenſeri nollet (vid. Lib. V. Epiſt. ad *P. Ang. Bargaeum*) tamen adfectaſſe Ciceronis dictionem ſatis manifeſtum. Prodierunt etiam ejus cura, ſuis mixtae virorum eruditorum epiſtolae variae, apud Gryph. 1561. quae hodie rariores, multum bonae frugis continent, & veterum ſcriptorum quaſdam emendationes. plura de Bruto vid. apud *Bayllium* in Lexico. cujus Obſervationibus, maximam partem ex Berolinenſis editionis Epiſtolis deſumptis, quaedam addi poſſent, ſi hoc locus poſceret.

EPISTOLA CV.

FRAN. MODIUS

Juſto Lipſio ſuo S. P.

Lovanium.

NOn excuſo ambitioſius diuturni mei ſilentii ſeu culpam, ſeu crimen voces; ſed ſimpliciter, praeſertim quando apud vos e medio abiit

is,[1] qui mihi hujus tam longae meae taciturnitatis praecipua, imo una atque unica fuit cauſa, ad intermiſſum hactenus ſcribendi officium redeo, teque ut idem facias efficaciſſime, ut reor, moneo, dum praeeo exemplo. Profeſſus ergo (de quo tamen dubitare te non exiſtimo) me utcumque diu varie jactatus nihil ad te litterarum dederim, animo ſemper erga Lipſium meum eundem fuiſſe (cujus rei teſtes volo eſſe habitos a me de te apud Sereniſſimos & Illuſtriſſimos Principes Bavariae Duces, Epiſcopoſque Bambergenſem & Herbipolenſem ſermones, de quibus erit, ut cum Deo coram aliquando pluribus agamus) ad illud venio, quod tibi longe gratiſſimum audituque jucundiſſimum futurum confido; vivere & valere etiam nunc me, atque interdum libros quoque tangere. Tangere cum dico, verum dico: ſic enim jam me comparavi, ſive illud aetas, ſive profeſſio haec nova facit, ut totum illud noſtrum ſtudiorum genus, in quo olim ita deditus eram, ut ab illo ne convitiis quidem etiam Principum virorum, qui me ad magis ſeria vocabant, abduci, imo abſtrahi poſſem, hactenus nunc excolam: ut ex eo animi quaeram tantummodo oblectamenta, & profundiſſimi hujus mei otii quandam quaſi interpolationem, uſque adeo vere, ut jam dicere poſſim, me mihi illud, non illi me ſubjeciſſe. Meditabar ſic quoque tamen extrudere hac aeſtate Panegyricas meas lectiones, ubi multae, uti ſpero, non contemnendae delectabunt te emendationes & caſtigationes bonae ex libro ſcripto Bertinienſi, non nimis bono illo quidem, ſed tamen tali, ut mihi ad eas faculam praeluxerit, niſi [2] *Moretus*, quod tuum de Machinis bellicis opus, & *Baronii* tomum ſextum Annalium Eccleſiaſticorum prius prelis ſuis ſubjiciendos diceret, librum hoc quidem tempore formis excudere gravaretur: & ego *Henrico Stephano*, qui illum a me anno per litteras Ra-

1 Intelligit *Ludovicum Carrionem*, de quo toties in Lipſii epiſtolis non honorifica mentio, ut vidimus: hac vero epiſtola videtur *Modius* reſpondiſſe ad Lipſii III. Centur. Miſc. 18. quae ſcripta VIII. Kal. Februar. 1595. atqui ſi credemus Valer. Andr. in Bibl. Belgic. *Carrion* demum obiit XVIII. Jul. 1595. non potuit ergo Lipſius de ejus obitu nuntiare menſe Februario. obiit enim Lovanii, ubi & Lipſius vivebat, *Carrion*, Profeſſor Decretorum Regius. *Miraeus* ſibi non conſtat. in Elogiis enim mortem confert in A. 1594. non deſignato menſe. in Scriptoribus ſeculi XVII. in ann. 1595. qui & in Elogiis *Modii* mortem adſignat A. 1590. qui certe hoc anno 1595 & ſeq. 1596. ad Lipſium epiſtolas dedit. *Melchior Adamus*, incertus, quem annum definiat, 1598. conjicit obiiſſe. certe Lipſ. II. ad Belg. Cent. 26. circa hoc tempus etiam ſcripta, agit de *Modii*, adflicti & ad deſperationem redacti, Atheiſmo. *Valerius Andr.* & *Sweertius* obiiſſe ajunt A. 1597. ita ut incertum ſit tempus. ſed ut ad *Carrionem* revertamur, credo fidem habendam *Valerio Andreae*, qui ex Faſtis Academicis hoc ignorare non potuit. ille vero in Faſtis Lovan. pag. 200. in Collegio D. Ivonis IX. Kal. Jul. (id eſt XXIII. Jun.) obiiſſe narrat. in Bibliotheca ergo dies aliquot aberravit. ita ut in Epiſtola Lipſii error librariorum ſit in nota anni. Qui nuper ſub perſona *Adolfi Clarmundi* edidit Germanica lingua vitas eruditorum tom. V. pag. 23. natum eum A. 1556. mortuum 1597. tradit, & anno aetatis 31. obiiſſe addit. calculos certe ſubducere debuiſſet ille biographus, qui quot vitas edidit, tot indiligentiae & inſcientiae monumenta reliquit. narrat idem, *Modium*, cum ex Germania in Belgium redire vellet, incidiſſe in Urbis Machiliniae direptionem, ibique ab Hiſpanis male mulcatum & ſpoliatum. Deinde a cane morſum. ſed haec ipſe *Modius* in praefat. ad Livium ſibi, Bonna capta, accidiſſe refert. hanc ejus calamitatem deflet *Poſthius* Poëmat. part. 2. pag. 98. Accidit vero fine An. 1583. quo Bonna proditione capta a Bavaris. v. Meteran. Hiſt. lib. XI. in fine.

2 Imo detrectat, quia Levinei opera caſtigatas Panegyres cogitat in lucem dare. *Delrio.*

Ratiſbona uſque ex imperialibus comitiis a me cudendum cum ipſis Panegyriſtis expetierat, homini, quod inter nos ſit, jam erroni, & in aulis Germanicorum Principum quorundam non optime audienti, labores meos in incertum committendos non exiſtimem. Erunt igitur illi apud me, dum *Moreto* noſtro ſit ad eam rem otium. Interea ſi habes editionem Viennenſem, aut ſcis unde haberi poſſit, ſolidam apud me inieris gratiam, ſi illam re integra adhuc ad me miſeris, non minus quoque debiturus ſi quid privatim etiam tu (& in quem ſcriptorem non habes?) in illis notaſti. Impetus me non ſemel cepit, ſublato e medio illo, mihi numquam ſatis aut amico, aut inimico, quem noſti, iſtuc excurrendi, vel Lipſii mei ſolius complectendi, in ſuaviſſimumque & fidiſſimum ejus ſinum multa, quae litteris recte committi nec poſſunt, nec debent, effundendi: ſed tenent me adhuc cum turbae iſtae publice, tum privatim res mea familiaris, neque dum ita compoſita (perfidia eorum, quibus nupera Germanica mea profectione fortunas meas omnes commiſeram & commendaram) ut ſumtus in iter illud faciendos commode latura ſit. Bona tamen cum ſpe me, quod hactenus non poſſum, poſt annum unum atque alterum, ſi vita utrique ſuppetet, majore cum fructu & minore cum periculo facturum. Interea amemus inter nos, mi Lipſi, mi anime, & frequentibus epiſtolis nos invicem nobis praeſentes quaſi ſiſtamus, Non eſt nulla colloquendi etiam per litteras cum veteribus praeſertim amicis & multo uſu olim cognitis (quod ſentio haec ſcribens) voluptas. Et de me promitto; de te futurum plane confido, ita ut facias, ſi modo is es adhuc Lipſius meus (& cur non ſis?) qui ab humanitate ad humanitatem factus non magis amabilitati tuae deeſſe hac parte poteris, quam calor igni aut humor aquae. Sed plura, ubi ad has a te reſponſum accepero: quod ut fiat in tanta eorum copia, quibus recte litteras tuas ad me commiſeris, quam citiſſime opto. Ariaci Kal. Aug. MDXCVI.

Haec jam ſcripſeram cum venit in mentem poſſe me tua auctoritate confectum reddere, de quo jamdiu, quorumdam negligentia ſive perfidia eſt, nequiquam laboro. Quod quid ſit, & ut liquido tibi liqueat, nihil non mihi me de te & conſueta tua erga me benivolentia polliceri, nihil non paratum viciſſim tua cauſa facere, rem totam paucis ita accipe. Ille noſter, dum vixit, amicus (quem ego ita mortuum ſpero, ut jus fas ſit mihi ejus manibus bona aeterna precari) dum in Germania abeſſem ante annos IV. V. artificio quodam plane ſibi ſolito pellexit ad ſe Arnobium meum membranaceum contra Gentes, cui etiam adjectus eſt Octavius Minutii. exemplar plane rarae & antiquae notae, quodque mihi, ut debet, auro contra carum eſt. Perſuaſerat homo per epiſtolas ei, qui procurabat hîc res meas, eum codicem ſuum eſſe, & a ſe mi-

3 Cario juſſit teſtamento, ut is liber pertinens ad Fr. Modium, commodato mitteretur utendus ad *Levinum Levineium* Cantorem Eccleſiae Antverpienſis. Itaque *Bachuſius* executor teſtamenti illud dedit Patribus Societatis, iſti porro miſere ad Levineum. ab illo petendus; qui recepit una cum exemplari Romano Fulvii. quod teſtamento ipſi ab eodem Carrione legatum, & collatum cum M.S Regiae Franc. bibliothecae. Si Modio cura libri ſui, Michaëlitici; (hunc titulum praefert) recuperandi, repetat a Levineio: qui ſpondet Arnobii editionem. hoc feſtinandum magis. DELRIUS. manu M. *An. Delrii* erant ſcripta in margine haec & praecedens nota.

mihi olim utendum datum. In quo mendacio cùm ſe poſt reditum meum manifeſtum teneri videret, non dubitavit homo impudens alio ſe tum vertere, & dicere ſibi a me eundem librum eſſe dono datum, quo tempore paucis ante menſibus apud me non ſatis firma valetudine, ingenti meo ſumptu, hîc compluribus diebus ſubſtitiſſet. Quid quaeris? Ego deteſtatus frontem Sycophantae, nec admirans tamen, cum per eum, qui librum ad ipſum miſerat, (nihil enim mihi tanti erat, cur ipſi ad eum mihi ſcribendum putarem) inſtarem, uti is ad me remitteretur, ni mallet ſuam hanc impoſturam omnibus iſtic divulgari, & jure inſuper ad reſtitutionem codicis, quem perfide involarat, cogi, nunc hac nunc illa arte (ita tamen ut hîc nonnihil etiam accuſandum putem oblongum iſtum veſtrum fungum, non hominem, tabellarium dico, qui a vobis ſubinde ad nos commeat) rem uſque eo extraxit, dum qui membranas nollet, redderet animam. Quod igitur a te nunc peto eſt, ut apud eos (inter quos audio eſſe neſcio quem *Backhuſium*, cui ea res in manu ſit) quibus ille moriens res ſuas commiſit, gratia tua, efficias, quo vel nunc ſaltim meus mihi liber remittatur, & defuncti manes hac parte exonerentur. Novit rem omnem, ut geſta ſit, ille, quem dixi oblongus veſtras tabellarius, qui poſt mortem etiam ejus, de quo queror, relaturum ſe ad me eum librum, ſed fide nulla, promiſerat. Quare ni moleſtum eſt, idem illud negotium per te potiſſime confici quam citiſſime velim; ne ille, qui vivus tantum mihi tot annis incommoditatis, ut leviſſime dicam, attulit, mortuus etiam me laedere & ſtudiis meis obeſſe non deſinat. Neque dum has complicaveram, & incidit ecce aliud quaerenti in manus meas forte fortuna epiſtola *Campii* noſtri, olim Bonnenſis Decani, nunc Protonotarii S. S. Moguntinenſis, in qua ad verbum haec de te: *De Lipſio, ſi quid habes, de ejus vita, & ſcriptis, ſi quid nove edidit, aut brevi editurus ſit, ſcire aveo. Nam pridem Leodio ad me ſcripſerat, ſe opus aliquod magis ſerium ſub manibus habere. An id ſit de militia Romana, jam editum? an quid aliud? quod magis puto. Is ſui ſtudioſos multos habet in Germania. qui aliquatenus ſaltim cultiorem deguſtarunt doctrinam, Lipſiani ſunt. Quod nuper a diverſis Germanorum Principum legatis Spirae cognovi, JCtis, Nobilibus, & Aulicis; quod mireris forte. Affirmabant tum quidam de ejus obitu, quod ego negabam, quod Canonicus quidam Leodienſis mihi retuliſſet, eum ad aquas Spadanas fuiſſe, & cum Nuncio Apoſtolico aliiſque a Praedonibus prope deprehenſum, fuga ſe eripuiſſe.* Haec Campius in litteris datis XIX. Novembr. anni proxime elapſi M. D. XCV. Moguntiaci. Ceterum ut reliquum quoque chartae lituris meis impleam, ſi quidem prece vel pretio comparari iſtic poteſt Relatio *Fr. Balduini* ad Henricum Andium Ducem, & cui adjuncta eſt Panegyriſtica oratio ad Theodoſium Magnum, & alia Eumenii de Scholis, cum Notis ejuſdem *Balduini*, gratiſſimum ſit cum quoque librum ad me mitti, remiſſurus cum bona fide, aut pretium ſoluturus arbitrio ejus, qui de illo mihi gratiam iſtam faciet. Amplius; ut ſcias me etiam nunc, etſi aulam effugi, jam ambitioſum eſſe, ſi inciderit ut, cum Praepoſito noſtro aderis, mei forte fiat mentio, aliquid tale jacere te velim, unde intelligat, nos uni-

unice inter nos amare jam olim, occaſionemque habeat, cur cum mihi non niſi bene velle videatur, velit etiam melius. ſed vel jam tandem manum a tabula. Vale ergo iterum, vir amiciſſime & ſalve. Loco & die, quo jam dixi.

EPISTOLA CVI.

J. LIPSIUS

Franciſco Modio.

Ariam.

GAudeo, imo & laetitiae tua ſcriptio mihi fuit, o Modi, repetita ex intervallo. quid manum, aut animum tuum tenuit? ſuſpiciuncula aut diffidentia (nam ſic ſubindicas) de affectu noſtro? Peccaſti largiter. quia Deum meum teſtor, inter Belgas omnes carum ſemper Modium fuiſſe. atque utinam [1] ille, qui divellere conatus eſt, non apud te plus, quam me. ſed abrumpo & omitto, eo magis, quod ille jam abiit. abierunt & ſuſpiciunculae, ſi quae fuerunt, & terſa omni iſta nube, aut nubecula, purus ille ſol amicitiae illuceſcat. Quod in me eſt, fiet: Tu ſequere, ſi videbis praeeuntem. Quaeris de ſtatu meo, & de ſtudiis. Ille benignitate Regis mei ſatis commode habet: haec minus, per valetudinem, quae bellum gerere non omittit. Intermittit quidem interdum, & dat breves quaſi inducias; ſed paucorum dierum, & mox incurrit, & graſſatur. Itaque in hac parte frigemus: quae tibi valet maxime, ut audio, & pluſcula nuntias te parare: nuntias gaudenti, an & adjuvanti? ſic cupis & nominatim, in Frontinum aut Curtium, quos iterum deſtinaſti dare. Videbo ſi quid erit, & poſſum; niſi impedior hîc ſubjungam. de Caniculis quibuſdam etiam ſignificas, quae nos admordent, & te contra eos praeliari. Quid opus eſt, o Modi? non ego me laedi per tales ſentio, nec valde angor, ſi quid in ſcriptis aut verbis etiam meis carpant. proh inſipientiam! cani ſpargere me jam incipiunt, & habebunt ſemper Criticae iſtae aut Grammaticae curae? in aetate ſua utiles & laudabiles, fateor: ſed in aetate, & videmur noſtra ſpatia in hoc Circo confeciſſe, recurrat alius, locum ei damus. atqui lapſi alibi ſumus: nimis ſcio, & ipſe in multis corrigam me aut alterum, ſi per typographos liceret. jamdiu deſtino opera mea ſimul ſic correcta edere: at illi tardant, & nova magis me poſcunt. Quidquid eſt ſcio certo, pauca iſtorum operum diuturna futura, quibus fundamentum eſt in Criticis his ſalebris, aut literariis arenis. Atque utinam vel meo aevo pereant! exoriatur duntaxat unus alterve ſub magno Principe boni judicii, modeſtique ingenii, qui undique noſtra decerpat, & arbitretur, & ſimul ita det, quam optimos, optimos illos auctores. Aſſidue his annotatiunculis, aut diſputatiunculis lectores impediri, damnum illorum eſt, & dedecus literarum. Ita ego ſentio, alii aliter, fortaſſe & tu aliter, ſed di-

[1] *L. Carrion.*

dicendum hoc mihi ſemel apud amicum & intelligentem fuit. Vale, mi Modi. Lovanii v. Kal. Septemb. CIƆIƆXCVI.

EPISTOLA CVII.

J. LIPSIUS

Franciſco Modio.

Ariam.

MEntiar, Modi, mentiar, niſi fatear, litteras tuas ex animo gratas jucundaſque mihi fuiſſe: nonne te novi veterem amicum? nec ſi ſilentium aut interruptio intervenit, diſſidium aut disjunctionem poſſum aut debeo interpretari. nam amavi te, Modi, atque amo. Leporem atque amoenitatem ingenii, aequitatem judicii ſuper pleroſque harum artium in te vidi. Ille, quem nominas (& cui bene equidem precor jam mortuo, malevolo potius, quam malo) culpam hanc ſuſtinuit: qui certe factus non fuit ad amicitias jungendas aut fovendas. ſed nos, niſi a nobis abimus, alter alterum novimus, & bona quoque & vota ſimilia quaedam, quae vel invitos jungant. Diſſimula alibi, ut voles, ſcio in animo Lipſium tibi carum, & aliquo pretio eſſe, quod idem in meo de te eſſe non diffitebor. Ergo carum de te audire, & veterem meum Modium recognoſcere. Atque ut in hoc coepto curſu perſeveremus ad communem illam metam, rogo. De ſtudiis tuis, bene habet. tractare te gaudeo, non ſervire aut ſubjici iis, hoc quoque gaudeo: & profecto peccatum jam olim ab hiſce, qui totos ſe & mancipio (paene dixeram mancipi) iis donant. ſint ornamenta, ſint adjumenta: nolo in poenas & tormenta verti, quod factitatum ſcio, & fieri a multis. Ego, quid ad me? liber ab iis ſum: ſed tranſverſum agunt alii interdum, qui adigunt ad labores, quos valetudine aut judicio fugiebam. Ergo ſcribimus quondam, non pro veteri illa alacritate aut Genio, culpa hominum, (ſed & temporum ſic) qui aliter nos vix alunt. Vides, quam familiariter me aperio. ſed capax hujus aliuſve ſapientiae es, quo toto animo te voco. Ad alta, mi Modi, ad ſeria, mi Modi, & Senecam noſtrum (nam & tu triviſti) poſt divina (ad quae genus vitae te vocat) interdum ſubſere & adde. O quanta res eſt res iſtas omnes ſpernere, & quod ille caput putabat, nil mirari! Pudet me interdum, & vultu quoque erubeſco, cum litigia & certatiunculas recogito, ſuper voculis aut ſyllabis, Criticorum. Atqui hoc egimus. ſed ne ſemper id fiat, ad alia & meliora nati ſumus. In Panegyricis tuam operam exſpecto, bonis hercle oratoribus, & ad Atticae eloquentiae exemplar. Juvare velim, ſed Viennenſis editio non nunc apud me eſt (fuit olim) & habet amicus, qui in eadem hac cura eſt tecum. *Balduini* quod ſignificas, audivi, numquam vidi. Inquiram tamen, & idem in Arnobio tuo: de quo vereor, ut quod periit, fruſtra inquiras. Ad *Campium*, Protonotarium Moguntinum, ſi ſcribis, quaeſo amanter ſaluta, quem vidi in tranſcurſu, ſed non plene guſtavi. Plura alias, ſit hoc

hoc initium ſcriptionis non tardae (ne id exiſtimes) prae tua. quando tuae litterae mihi redditae demum ante biduum fuerunt, quod ſancte teſtor. ubi tres menſes haeſerunt, tu vide; & vale. Lovan. Prid. Kal. Decemb. CIƆIƆXCVI.

EPISTOLA CVIII.

J. LIPSIUS

Hermanno Pollioni Patri S.

Ultrajectum.

REdit ad te D. ſecretarie filius tuus. in quo dirigendo & ſtudiis ejus gubernandis adhibita ex me ea diligentia eſt, quam valetudo & curae aliae permiſerunt. Tu boni conſules, ſpero: de ipſo, ſcio. in quo ea grata animi indoles, ut memoriam mei non ſit depoſiturus, quam diu ipſe memor ſui erit. Teſtimonium illi verum do modeſtiae, diligentiae, pro aetate doctrinae. Ceterum aetas haec in confinio juventutis, curam deſiderat, & cautam attentionem, ne qua deflectat aut aberret. Poſitum hoc in tua prudentia, & paterna caritate: quam temperare ſeveritate interdum expedit. & hactenus temperaſti. Sed ne longius a tuis amicorum oculis remotus, in diverſum ab aliis trahatur, me quoque non ulla cura mordet. Monebis, providebis: quantum humana mens poteſt. Et quod ſupereſt, Deo committes, qui te illumque diu florentes & incolumes ſervet. Lugd. Batavorum Kalend. anni LXXXIII. 8.

EPISTOLA CIX.

J. LIPSIUS

[1] *Everardo Pollioni Filio* S.

Ultrajectum.

NEc mihi adfectus tuus ignotus eſt, nec tibi debet meus. oſtendi eum, quibus rebus ſerio & utiliter potui: & oſtendam deinceps in omni occaſione. Ex oculis mihi ſublatus meus Pollio eſt, non ex mente, quam inhabitabit, quam diu ea iſtud corpus. Tu vide etiam atque etiam, ut amore meo non ſolum ſed bonorum omnium dignum te praeſtes, & ne quid alienum committas ab opinione & ſpe, quae de te concepta. iter veſtrum Gallicanum

 ve-

1 *Everardus Pollio* filius *Hermanni*, quem ſecretarium vocat Epiſtola priore, Ultrajectinus, vixit in domo & ſub diſciplina Lipſii, I. Cent. Miſcel. 16. & in primis ab eo amatus. vid. II. Cent. Miſcel. 8. & 13. ut omnes & hae, & olim editae epiſtolae docent; ſed ſpem, quam de eo Lipſius & alii conceperant, intercepit immatura mors: nam ex tabe obiit. A. 1602. vid. IV. Cent. Miſc. 39. & V. 8. ejus epiſtola ad Scipionem Gentilem edita inter Gudianas Append. n. 5. Familia vero *Pollionum* Trajecti & Amſtelaedami variis dignitatibus & honorum titulis floruit ſemper. licet Ultrajecti, in Clariſſimo *Luca Pollione*, Juris Anteceſſore, Praeceptore olim optimo, deinde collega amiciſſimo, fere conciderit. ſed Amſtelaedami in ſummo ſplendore adhuc viget.

vereor ut impeditum ſit ſcelere [2] illius (ita enim jure appellem) qui falſa & materna ſimulatione oculos praeſtrinxit omnibus nobis. At Deo laus nos remota nube videmus, & maleſana conſilia protracta in claram lucem : ille haeret : nec ſatis ſcio, quomodo exitum reperiet aut rimam. Aeternae infamiae labes eſt apud omnes gentes, quam Sequana non eluit ſuis undis. Libros tuos nuper remiſimus, & adjuncta. ſalvebis, & in hoc otio ac ſolitudine tua efficies cum illo Scipione Africano, ut nihil minus ſis, quam otioſus aut ſolus. IIIII. Kal. Febr. 1583.

2 Ducis *Alençonii* oppreſſa Antverpia. ſequenti tamen anno in Gallia fuiſſe Pollionem patet ex 1. Cent. Miſc. 78.

EPISTOLA CX.

J. LIPSIUS

Everardo Pollioni.

Ultrajectum.

HAc ipſa hora litteras tuas accepi, ut videas me, non tam tardum in reſcribendo, quam tu nunc fuiſti: cui morae tamen ut libentius ignoſcam, facit adjunctum carmen, quod compoſitum non ſine cura. & in ſimili genere exercitii ut aſſiduus ſis, etiam atque etiam te hortor. ea temperie, ut neque lima nimia obſcuritatem adferat, nec facilitatis ſtudium cadat in illam, ut ſic dicam, ſtyli vulgaritatem. Quae enim laus, plebejum carmen condere, & in quo nullum aut verborum phraſiumque lumen, aut ſententiarum paulo altiorum acumen? itaque ſi peccandum eſt, in hoc poſtremo mihi potius pecca. Sed magis eſt ut in neutro. De migratione veſtra, ita deus me amet, ut ſolicitor: cum conſilium illud cepimus, ſperabamus longe aliam ſcaenam rerum! Sed impoſuerunt vanae deae, αἱ ἐλπίδες, & imponent adhuc, ſi impoſtoribus iſtis iterum fides. Gubernatores viderint: Nos, qui in hac patriae navi tanquam vectores ſumus, privata cogitemus. Adjeceram oculos ante ſeptimanas aliquot in Germaniam. ſed ut certo audimus, illic etiam turbat auſter, & ut tractus nubium ſunt, impendet magna tempeſtas. Prorſus nihil ſecuri video in Italia a religione, in Gallia a fide, in Germania a turbis, Helvetia non diſpliceat, ſi liquida tamen ibi aura. Adhuc certe nihil auditum eſt, & tamen metuenda omnia ob grandem hanc & arcanam conſpirationem regum. Baſileae ſcis *Hotomannum* J. C. eſſe, & item *Amerbachium* virum modeſte doctiſſimum ſine faſtu, ſine vanitate. In omnem eventum (quippe confines variae ditiones ſunt) putarem tuto vos illic agere, nec ſine fructu poſſe, ſi tutum modo illuc eſſet iter. At Rhenus infeſtus eſt: & ſi per Embdam aut Bremam vis circumagi, ne terreſtria quidem loca a milite nunc ſecura. ut omittam longum & moleſti taedii plenum id iter futurum. Plane haereo. nec ſcio an illud optimum, exſpectari menſes aliquot potius,

ut

ut clare videamus, quo incumbent hi nimbi. Moleſtum hoc vobis, ſcio; inutile etiam fortaſſe. ſed ut ille ait, optima de malis eligenda. Lugdunum etiam noſtram ad tempus aliquod redire ſi vultis, pronis animis ea vos accipiet: nec deerunt vobis honeſtae aedes, non item ego omni benevolentia, & cura proſequi. *Heurnius*, nunc rector, conduxit Caſpari aedes, olim miniſtri, ſatis amplas. Tu cum optimo parente & prudentiſſimo avunculo tuo delibera, ne quid temere praecipites, poſtea non revocandum. Mihi ſi quid praeterea in mentem venerit, non gravabor ſcribere, & re conſilioque juvare tanquam ſi ex me eſſes. ſancte promitto. Vale, & in hoc aetatis tuae aeſtu circumſpecte ipſum te ſerva, oculos dirigens ad immotam illam ſtellam, id eſt Deum: ſaluto patrem & avunculum. Lugd. poſtrid. Idus Martis ſtylo novo ∞ IↃLXXXIII.

EPISTOLA CXI.

J. LIPSIUS

Everardo Pollioni.

Ultrajectum.

CAtapotia accepi, & eorum uſum. Tamen Deo gratia, uſus adhuc non ſum: quia reliquerant me catharri, fortaſſe novae medicinae metu. Interea grates multas avunculo tuo debeo, & reddo pro benevolentia & ſedula cura. De te, mi Everarde, & manſio tua me angit, & abitio. illa, quia ſine fructu videtur, haec, quia cum periculo futura. Omnino meo quidem ſenſu, haec duo in deliberatione reliqua: aut Lugdunum noſtram redire, aut in Germaniam ire. Redire videatur cum inconſtantia, aut levitatis labe conjunctum: ire diſcrimen aliquod habet; ſed ſi perveneris praeſentem fructum. Nec ego is ſum, qui anceps aliquod conſilium dem, aut probem: ſed revera, ſi mihi proles ſit, cenſeam Germaniam illi utilem eſſe ad mores noſtros, ingenio quodam, ſive genio loci, & hominum, leviores firmandos ac temperandos, contra Germanico ponderi non diſconvenit luſtratio & habitatio Belgicae noſtrae. Mixtura iſta perficit ingenia & polit. Sed quia Germania ipſa turbari ſerio incipit, ſuadeam receſſum in Gallico-Germaniam, id eſt, Helvetios, qui ſitu, forma Reip. (Religionis item ſtudio) apti nobis & fidi. Baſileae amaena ſedes eſt, ſtudiis, fluvio, fontibus, aëre nobilis. Adde commercia variarum gentium, Italorum in primis & Gallorum. ut qui cum judicio illic agat & cupidine diſcendi, haurire utriuſque gentis ibi & mores & linguam poſſit. Baſilea ter me vidit; ſemper invitum invita dimiſit. Hoc ſuadeo ego. cum lege, ut ante omnia de ſecuritate perveniendi cum iis agas, qui periti regionum & locorum. Quod ſi omnia tam exacte, & quod dicitur, ad vivum reſecamus, ut nuſquam lapis objiciatur, nusquam ſcrupulus: quis finis? ubique enim & in omni humana actione adjunctae quaedam morae, & remorae, & ut ille ait, ὡσεὶ θελγκοί τινες ἐπικείμενοι, jacienda aliquando alea eſt, ut recte

cadat. tamen caute, quantum humaniter poteſt: & inprimis de conſilio optimi parentis tui & avunculi; cui utrique parere te aequum jus eſt. Vale, & eos ſaluta, & quid facturus ſis, ſignifica. ab *Henrico Wiltio* ante biduum litteras accepi: ad quas reſpondebo brevi. Nunc ſalutem illi nuncia. Id. April 1583.

EPISTOLA CXII.

J. LIPSIUS

Everardo Pollioni.

Ultrajectum.

MAle de conſtantia mea ſentis, Everarde, ſi te cenſes mihi excidiſſe. Non potes: altiores radices egit hic amor: ſilui tamen aliquod tempus, quia poſt adventum *Plantini* neſcio quid praeter ſolitum occupatior fui, ſive adornandis quibuſdam ad editionem; ſive amicorum adventu & interpellatione, qui eripiunt optimi theſauri (tempus dico) bonam partem. Nam & ſoror hîc eſt cum marito, intra paucos dies tamen diſceſſura. Sed de tuo diſceſſu vel manſione potius quid? Mihi aqua haeret: quia res Germaniae nihil firmi promittunt aut fidi. Gallia autem eſt, quae ſemper fuit, blanditur & fallit. ſubita aliqua tempeſtas omnem hanc ſerenitatem fugaverit, quae nunc ridet. Itaque vere hîc cum ſcepticis ἐπέχω. *Wiltii* contubernalis tui exemplum vidiſti. & hic fortaſſe optimum in his malis. Tempus ſane hujus adoleſcentiae nolim tibi effluere ſine publica iſta, & recepta exercitatione ſtudiorum: nec ab Academiis ante te avelli, quam titulum & honorem aliquem retuleris, vulgi cauſſa: non enim tua: qui contentus es & eſſe debes praemio ſolido ipſius doctrinae. Sed tamen etiam haec ſapientia eſt deſipere interdum cum vulgo. Quid facturus ſis vide, & ad me ſcribe: quem ſcire certo debes omnia velle tua cauſſa. Vale, & avunculum patremque tuum ex me ſaluta. Lugd. Bat. Idibus Juniis 1583.

EPISTOLA CXIII.

J. LIPSIUS

Everardo Pollioni.

Ultrajectum.

TArde tu quidem & lente reſpondes: & tamen urges meas. Sed hîc quoque tibi exemplo praeibo. in conſilio noſtro etiam nunc, ut video, pendes. Sed cum omnia circumſpexeris, nihil erit tutius aut commodius, quam ut oculos reflectas Leidam. Alii aliquot id fecere, qui diſceſſerant eadem, qua tu, mente. Pudor hic aliquis eſt: ſed ineptus, quia in bono. Denique temporanea aliqua iſta migratio ſit: & ſi in Gallia aut Germania aliquid ſe-

ſereni, facile tibi ſemper ex hoc hoſpitio migrare. Ego ita ſuadeo, quia quanquam tempus tibi illic non perit, tamen hîc inter homines quarumdam artium utilius collocaretur. Lectio & auditio, & ſermo aliquid adfricant: quod non hauries ſemper ex ſolitudine & ex libris. Mihi igitur ita videtur, habitandum Leidae, aut certe divertendum, donec melior alibi lux. *Donellus* abituriebat, vocatus a Norimbergenſibus. ſed ſecurim illam amovimus a novellae Academiae corpore, & per [1] Principem effecimus, ut maneret. Haec habeo quae nunc ſcribam: & de conſilio teſtor, me id ſincere & libere dediſſe, quia in te, ut cum Platone dicam, δικαῖος εἰμι, καὶ ξενικὴν καὶ ἱερὰν ξυμβολὴν λεγομένην συμβαλλεῖν. Vale, & patrem ſaluta, nam avunculum intelligo Hagae eſſe. III. Id. Decemb. An. 1583.

1 Qui de ſuo 300. florenos adjecit ſtipendio mille florenorum, quod habebat a Curatoribus. Sed cum hi nollent hanc ſummam adſcribi annuo ejus ſtipendio, iras concepit Donellus, & abitum minatus eſt. vid. ſupr. ad Epiſt. XLII.

EPISTOLA CXIV.

J. LIPSIUS

Everardo Pollioni S. D.

Ultrajectum.

MI Pollio, inter multas amicorum epiſtolas tua grata, ad quam ſtatim legendam invitavit me affectus. Eſt in ea vetus & notus mihi amor, & qui eſſe debet, non quia inſtitui ſolum, ſed quia ipſe quoque merui amando. fuiſti in hoc animo ſemper eximius, & porro eris. Nos conſilium noſtrum merito te atque alios celavimus, non natum tum in via, ſed diu & ſerio ante captum. Deus fortunet me, utcunque res communes ibunt, ejus poenitere non poteſt, qui unum illum finem habui quietis & ſalutis. Alteram adeptus plene ſum, alteram in parte, & per uſum Spadanorum fontium reſpicere me ſanitas quoque caepit benigniore vultu. etſi adhuc plane adſurrexiſſe me non dico. Hominum varia judicia & ſermones de inſtituto meo futuros, quid ambigam? ſuave iis eſt, naturae quodam vitio, ſuſurrare de his, qui paullo notiores, & fere in malignam partem. Nos ſcimus, & ſpernimus: & oculos ad alta & ad nos reflectimus ſecuri & alacres, ſi Deo nos probamus & interiori huic menti. Ah, mi Pollio, quis illum aut hanc fallet? Blandiamur nobis, argutemur: ille aequa & rigida lance de nobis arbitrabitur; & haec ſententiam in nos feret, quae melior pars optimae partis noſtrae. Conſcientiam ſcis me dicere: ad cujus rectam normam, felix, qui dirigit hanc vitam. Quamdiu autem vivimus? & quam breve hoc ſtadium, in quo currimus ad fatalem metam? Imminet omnibus illa

> Μοῖρ' ὀλοὴ, τὴν οὔτις ἀλεύεται, ὅσκε γένηται.
> (*Triſtis Parca, homini nulli fugienda.*)

Demus operam, ô fili, ut ad vitam vita haec nobis ſit, ſed illam caeleſtem & ac-

aeternam. Flecte oculos ad omnia iſta, quae circumſtant, & quae praeſtringunt nos falſa luce: peritura ſunt, imo & perditura, ſi quis amat aut adhaeret. Ego in hoc otio, e ſublimi deſpicere mihi videor turbas & res humanas: quae non injuria quiſpiam olim mimorum & ludorum ſimilia eſſe dixit. Perſonati plerique iſti ambulant, ſed nec diu ambulant, & venit atque exit alius in mundanam hanc ſcaenam. Ite vani & laborate, tu ut opes habeas, tu ut famam: quid illae ſunt? terra, aut neſcio quid e terra: quid iſta eſt? ventus, & quae rapit ingenia maxime ventoſa. Mihi vero tibique pietas primum placeat, pura mens & purae manus: tum etiam Sapientiae ac litterarum aliquod ſtudium, ſed ut ſerviat, & velut ancilletur illi reginae. Non abutar eo ultra in vanitatem; ſed ſi quid melioris ſpiritus Deus mihi indidit, ille idem ad honorem ſuum promere me faciat, dum etiam in bonum proximorum. Haec nunc ſcribo. utinam affari & ſermone edifferere aliquando poſſim! quod non deſpero, quantumvis tempora haec pugnare in ſpem meam videantur. Sed *ſagittae potentis acutae:* quas ille ἑκηβόλος (*Longe-jaculans*) ſemel ſparget, & tollet ſemina & capita haec malorum. Extremum illud eſt, te amo & amabo: tu vide ut me, cum ero atque etiam cum non ero. Patrem tuum ex animo ſaluto, & noſtrum *Wiltium.* Leodici, ubi uxor me ante paucos dies repperit, nec deſeret hac hieme. Poſtrid. Kal. Octob. ∞.ıↄ.xcı.

EPISTOLA CXV.

EVERARDUS POLLIO

J. Lipſio S.P.

Lovanium.

SCriberemne ad te hoc tempore, vir doctiſſime, diu dubitavi. nam & quid officii mei eſſet, ſciebam, nec ignoras fortaſſe quo affectu, & ex adverſum multa dehortabantur, ne officium meum tibi moleſtum eſſet. Tandem eo erupi ut in ſcribendo potius, quam non ſcribendo culpares. Nunc autem dum ſcribo, aeque, & quid ſcribam, dubito. De aliis enim rebus non vacuum tibi, nec mihi convenit ut de ſtudiis, qui in rudi Practicorum Auditorio, ad elegantiorem omnem literaturam obdurui atque obſurdui. Et primum hoc apud te, Lipſi, queri volebam, aliena negotia meliorem partem otii, atque fructum mihi eripuiſſe, exigua utilitate, voluptate nulla, ſaepe etiam cum taedio; poſtquam eo deventum eſt, ut divinarum illa atque humanarum rerum ſcientia, quam ſcilicet profitemur, rixis & litigiis peſſimorum hominum ſubſerviat, nec alibi reperiat ubi ſeſe oſtendat, aut exerceat. pigebat ſane principio in hac operam poſuiſſe, & pudebat porro ponere. ſed tamen tuo conſilio, ut illud uſurpem, deſtinatus obduravi. Et quamobrem primo aſpectu princeps illa artium diſplicebat, ea nunc maxime cauſa magis magiſque dum perſpicio, adlubet, atque etiam haec ipſa noſtra praxis. Video quidem illius praetextu, hujus miniſterio perniciosiſſime peccari, & lites

lites creſcrere. ſed tantum abeſt, ut illi imputem, ut eam ſolam exiſtumem quae amputet, nec alio (quam hujus praxeos) ductu errores qui obrepſere, & regnant, deprehendas, aut corrigas. Quamquam autem plane corrigere non ſit noſtrum, nec, ut ego opinor, cujuſquam ultimo hoc mundi ſaeculo, perquam tamen volupe eſt, cavere, & inter tot anfractuoſas formulas formam tenere, & viam. quod dum ſtudeo, jucundus omnis labor, & abunde eſt, ſi eo pervenio, quo res meas, & quae ad me deferuntur, recte dirigam. Ita tandem in vocatione, quam appellamus, mea acquieſco, quod non parvae felicitatis arbitror, quam ſervet mihi Altiſſimus in conſcientia pura. In reliqua vita dum turbant, mutant, nutant omnia, hoc ſaltem moveor, ut obſtupeam ad rerum inſtabilitatem. cum moneor, ne uſquam conſiſtam: & deflecto ad me. ubi eheu! quam turbida, putrida, inſana, emortua omnia. Caetera igitur tranſibo, precatus bene vortant. A me quantum poſſum effugio ad Dominum & Deum meum, quem ex animo rogo, fiat voluntas ſua, faciat ut velim, conficiat voluntatem meam, perficiat ſuam. Et hîc quidem ſentio continuum certamen, ſed firma ſpe expecto eventum in exitu meo, de quo in eodem duce meo confido. Quam fiduciam vera in me fide adjuvet, atque adaugeat. Haec vota mea, Lipſi, & in praeſenti, & per omnem vitam, & etiam poſt hanc vitam. nec habui de quo convenientius ſcriberem. Reliqua fere a nobis aliena ſunt: & quidem haec etiam a te, qua ad me pertinent: qua tamen ego ad te pertinere ſoleo, & eſſe inter tuas curas, propius fortaſſe faciunt. Quod ſi ita eſt, ut ſpero eſſe, mone, doce, excita. nam verum ut fatear, ut alibi proficiam, in his quae a te, unice inſuper oblecto, & dum licet per occupationes ſuaviter ſaepe e ſcriptis tuis haurio, quam guſtuoſum, ſi tua manu propines atque attemperes! vidi nuper de Cruce tuum, hoc eſt, doctum & elegantem, ſed tamen ſub iis ſignis alio ſequebar: nunc audio ſub praelo eſſe de Militia Romana, & ſpero brevi de reliqua Face. ſed quando Thraſeas, & quae iſtius argumenti, in quîs teipſum ſuperas? *Scaliger* hîc de quadratura Circuli. nunc parat de Emendatione Calendarii. Sed longus fio. Vale, vir doctiſſime, & ſalve cum uxore, & [1] Anna ancilla. Salutat vos pater, qui pro aetate adhuc commode. Ultrajecti XVI. Septembr. anno ∞ IↃXCIII. Stilo veteri.

1 Hanc 26. annos ancillam Lipſio fuiſſe, & tunc taeſam nocturnae ſolitudinis viro ſe junxiſſe, & nuptias, convivia, choreas in ſua domo celebraſſe ſcribit Lipſ. III. Miſcell. 80. & 82.

EPISTOLA CXVI.

J. LIPSIUS

Everardo Pollioni ſuo S. D.

Ultrajectum.

AGnoſcis hanc manum, Pollio, agnoſce & animum, qui eſt, qui fuit; id eſt, in te volens & pronus. An non amem eos, quos in parte feci, aut certe (nec tu negabis) juvi & direxi? Te mihi aſſero, Pollio, meum opus

es, & auſim dicere, Phidiae Minerva. Etenim idem hic affectus tibi in me, controverti nunquam; & quod de me ſciebam, de te confidebam. Siluiſti tamen diutius, atque etiam ego: ſed cauſſae non ignotae, & ignis, quem cineres tegunt, vivere non deſinit, etſi non ſcintillat. Bona & tranquilla omnia privatim apud te eſſe gaudeo: etiam illud, quod in rebus & forenſi juriſprudentia verſaris. Quis ſapiens hoc ſtudium damnet? ſine quo, ut nunc & olim mores, reſpublica non ſtabit: quia non haec ſine juſtitia, & anima ejus ac fomes eſt iſte uſus. Damnavi & irriſi, non nego, damno etiam nunc & irrideo merum hoc forenſe genus, in quibus nihil aliud bonae rei aut artis eſt; vulpiones, rapones, quibus finis actionum quaeſticulus eſt: nunquam iſtos magis ſerios, doctos, & quod fere ſequitur, magis probos. Doctrina enim in peſſimis etiam ingeniis vim aliquam ſui relinquit, directum judicium, ſenſum & ſcientiam boni ac mali. Illud moneo & ſuggero, addi etiam graviores artes, quae animum forment, poliant, ſqualorem ſordeſque judiciorum & affectuum tollant. Philoſophia, ô mi Pollio, quam ſalutaris & efficax eſt! imo in rebus his triſtibus quam laeta! vides continuam temporum moeſtitiam: quae non niſi pelli aut à ſacris litteris poteſt, aut dilui iſtis. Crucem meam tibi viſam, bene eſt: videbis per me brevi, ſi Deus volet Militiam, ſed illam veterem & Romanam. Scio involuta quaedam Polybii in hanc rem eſſe: conati ſumus evolvere; & alia, quae deerunt, in Face noſtra erunt. Patrem tuum vivere & valere, mihi volupe eſt: ſit ita vobis longum, & alter alteri (nec dubito) gaudio eſte. Sed quando tu eum avum? Heus ubi lex Julia de Ordinibus maritandis? ubi Papia? diu exſpectas, & Cenſor te adigeret, ſi nunc eſſet. Extra jocum omnem, maritum te bonae conjugis opto, & ex ea patrem. Lovanii VI. Idus Novemb. ∞.IↃ.XCIIII.

EPISTOLA CXVII.

J. LIPSIUS

Henrico Wiltio S.

Ultrajectum.

Litteras tuas accepi nuper, in quibus aeſtus deliberationis veſtrae non mihi novus & improviſus. Facile enim ex hoc Antverpienſi caſu videbam interclusum omne in Galliam iter; aut etiamſi id non eſſet, manſionem tamen ibi parum tutam: Pone enim pacem iterum coïre: tamen ejusmodi inge-

Wiltius Ultrajectinus etiam fuit, & Pollionis aequalis & popularis. ad hunc eſt Epiſtola Lipſii I. Centur. 55. quae plenior eſt in prima editione, quam in ſecunda & reliquis. ſed Offenbachii n. 55. ediderunt integram. hinc apparet eum A. Gellio emendando mentem adjeciſſe. de multis enim ejus ſcriptoris locis ad Lipſium retulerat, ad quae reſpondet *Wiltio.* per Galliam & Italiam peregrinatum docent Epiſtolae Lipſii I. Cent. Miſc. 48. II. 9. & 54. ſed an hanc quoque eruditionis inde paratae ſpem immatura mors, aut aliud quod fatum interceperit, neſcio; nec ejus mentionem adhuc celebratam repperi. commendaverat hunc juvenem *Bencio* Lipſius, qui eum magni fecit. vid. ſupr. Epiſt. 62. fuit enim diſcipulus Lipſii. vid. Epiſt. ad Theod. Canterum a Pontano edit. Decad. II. 9.

geniis, quae conſtantia, aut genti fides? Meo judicio de Germania potius cogitandum ſit, quae ipſa turbari nunc incipit, ſed ut ſpero, non tota. Quantum enim humana conjectura provideri poteſt, Helvetia ſecura eſt, eritque. eo ſuaſerim de Baſilaea, quae & amaena urbs, & in qua praeter Amerbachium J. C. etiam Hotomannus. adde quod in finibus Galliarum ea urbs ſit: ut ſi quando firmiora tempora videbuntur, facilis tibi in eam provinciam tranſitus futurus ſit. omnino ſaeculum hoc ejuſmodi eſt, ut conſilia expedire in quavis deliberatione difficile ſit: hoc tamen, quod poſui, optimum videtur, ut in malis. patri tuo, viro probo, & tui amanti ex me ſalutem plurimam dices. cujus litteris reſpondebo, ſi otium majus nactus fuero. & has tamen poteris cum eo communicare. D. Cantero eandem ſalutem. ad quem nihil habeo, quod ſcribam, quia his temporibus & muſae noſtrae ſilent, & earum omnes myſtae. Plantinum cum familia & typographia brevi hîc expectamus. Vale & *Everardum* (*Pollionem*) ſaluta, quem miror ad meas nihil reſpondiſſe. Lugd. Bat. Idibus Martiis, quo die Caeſar. 1583.

EPISTOLA CXVIII.

J. LIPSIUS

Henrico Wiltio S. D.

SIlentio tuo diuturno apud me ſuccenſebam, & hoc ipſum ſcito amoris priſci notam. Nam appellari non valde alias aveo (quam ſaepe & quam varie mihi fit?) à te iiſque cupio, à quibus etiam amari. Et ſi animum tuum rogas, merui, mi Wilti, merui: & inſtitutione non nihil, & maxime affectu, quem paternum in vos geſſi. Quid nunc? fidem teſtor, etiam gero. Eo jucundiores iſtae tuae mihi litterae, quae eſſe te quem volo praeferunt, & qui debes. Perſeveremus. Nos hîc in otio & diu optata quiete, etſi turbae circumſonant externae. Sed *Conſtantiam* meam legiſti, & puto aliquid ex ea animo inhaeſiſſe. Itaque inter arma, & turbas quieſcimus: quieſcimus? etiam confidimus, & quaſi rebus florentibus aedificamus. Domus mihi empta eſt, reparatur, inſtruitur, & maxime horti cauſſa, qua voluptate nefas mihi carere. Tu quoque in otio, ut video: & nec hoc agis, ut ex Platonis ſcito adjungas tibi dimidiam tui partem. Quouſque ſic ſolus? quouſque tu unicus, ſpem generis non ſuſcitas? *Et ſimul à cano vulturium capite?* noſti enim illud Catullianum. Sed libri te, credo, delectant: & ſit ita longum, atque ex iis pete Nepenthes illud, quod apud Homerum eſt, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. (*omnium malorum oblivionem inducens.*) Ego quidem ſic experior; & ſtudeo robur animo ingignere; imo & prudentiam, qua velut tabulâ fulti, etiam in naufragio iſto publico rerum, enatemus. *Leemputum*, niſi fallor, noſti: ſaluta à me amanter. patrem tuum in primis. Lovanii, VI. Idus Novemb. ∞.IↃ.XCIV.

EPISTOLA CXIX.

J. LIPSIUS

Paulo Buſio S.

IGnoratus mihi nuper & adventus tuus fuit, & diſceſſus: eo factum, ut litteris mihi committendum hoc negotium fuerit, quod agere ſtatueram in ſermone. Negotium autem, ut ſaepe, alienum ago: ſed amiciſſimi mihi viri, *Chriſtophori Plantini.* qui cum jam ante tres ſeptimanas huc advenerit cum familia omni & ſupellectile, aequum ſane videtur, ut res ejus ſemel D. D. Curatorum auctoritate conſtituatur. promiſimus ei in ſtipendium annuum, ut D. T. ſcit, ducentos florenos. caveri de eo ſibi poſtulat publico inſtrumento. cui ſi aliquid nomine viatici adjicitur; uſitatam rem feceritis & humanitate veſtra dignam. Laborat etiam de immunitate vinaria & cereviſiaria, in qua nihil adhuc actum. & cuperet (quod aequiſſimum ſane videtur, & quod antea *Sylvio* datum) ea parte haberi inter Profeſſores. id eſt, ut idem numerus illi utriuſque liquoris indulgeretur. Peto quod in me eſt, Amp. D. ut haec auctoritate tua conficias apud collegas, quos puto jam praeſentes. Nam D. *Almondium* Curatorem nobis datum libenter & recenter audivimus, eamque illi, imo nobis dignitatem gratulamur. quod feſtinamus, non de nihilo eſt, quia certe *Plantinum* inviti Antverpienſes amicique dimiſerunt: & videndum, ne viro ſeni taedium aliquod aut faſtidium objiciamus in rebus, quas aequiſſime & ex promiſſo petit. caetera in Academia recta. *Donelli* abitus aut manſio adhuc incerta, & pendent e reſponſo. Vale Ampl. D. & te reip. cauſſa cura. Leidae XIV. Kal. Junii. 1583.

Paulus Buſius (Patria lingua dictus *Buyſen*, ut in Chronico Agathenſi apud Matthaeum, in notis ad Rer. Amersford. Deſcript. p. 397.) Amersfortenſis, Toparcha Sevenhovii & Capellae (in agro Trajectino) Juris Conſultus, primum Sindicus Leidenſis, deinde Advocatus Hollandiae & magni ſigilli cuſtos, Curator Academiae Leidenſis, (vid Lipſ. I. Centur. Miſc. 89.) Vir in annalibus patriae noſtrae celeberrimus, & qui variis caſibus jactatus fuit. Anglicae factioni primum vehementer favens, & Eliſabethae deferendum imperium cenſens, ipſe ad eam legatus ea de cauſſa fuit. deinde cum ſe munere Advocati Hollandiae abdicaſſet, a Leiceſtrio concilio ordinum, ut Ultrajectinae civitatis legatus, adſcriptus. ſed poſtea cum vehementiam & dominationem Leiceſtrianam oppugnare inciperet, in carcerem conjectus, multa incommoda ſubiit. cum vero ex cuſtodia Ultrajectina evaſiſſet, & Leida tranſiret, Hagam a *Douza*, *Lipſio* & aliis deductus: vide *Borrium* lib. XXII. pag. 27. qui & lib. XXXI. pag. 34. vitae ejus breviarium exhibet. adi & *Hoofd* Hiſt. lib. v. p. 209. & alios temporum iſtorum ſcriptores, quos adducit *Theodor. Verhoevius* Rerum Amersfordiarum deſcript. cap. v. ubi vitam ejus enarrat, a Matthaeo editam. Vide & *Academiam Leidenſem:* ex qua *Melchior Adam.* in vitis JCtorum pag. 318. ſua deſcripſit: perperam vero a *Verhoevio* dicitur natus A. 1571. vitio credo operarum, pro A. 1531. obiit XXIV. April. A. 1594. Adamus vero mortem confert in XIII. April. 1594. uſus forte calculo Juliano. auctor Academ. Leid. A. 1576. vel 1577. Lipſius, ut vario erat ingenio, ſaepe eum laudat, aliquando durum ejus ingenium arguit. vid. ad Epiſt. x. pro captivo apud *Phil. Sidneium* deprecatur in epiſtola edita inter Praeſtantium virorum epiſtolas a *Phil. Limburgio* editas n. 11. in qua erga Anglos & Leiceſtrianam factionem animum ſuum nudat. Curator Academiae factus A. 1581. cum Senatus Academicus miſiſſet *Hug. Donellum*, & *Corn. Grotium* Delfos, ad Principem Arauſionen. & Ordines, qui hoc ejus

no-

nomine peterent, in quo munere, & curatione Rhenolandiae, licet in Hollandia ſe abdicaſſet Advocati provincia, & ad Ultrajectinos ſe contuliſſet, manſit, ſed cum Conſulibus Leidenſibus acerrimis jurgiis ſaepe concertans. praecipue cum inconſultis iis, & Profeſſoribus, *Thomam Zoeſium* vel *Soſium*, ad Profeſſionem Juris evocaſſet, quod ita aegre tulerunt Conſules, ut *Nicolao Adriani Brouwero* mandaverint, ut apud Leiceſtrium de ejus impotentia quereretur, & cauſſam Conſulum, neglectis ſaevis Comitis dictis, ageret, & oſtenderet illos nolle *Zoeſium* admittere, ut qui acerrimus religionis purioris eſſet hoſtis, nec de quo conſtaret, an obſequium Regis Hiſpaniarum ejuraſſet. de quo *Zoeſio* infr. in Epiſtola ad *Adrianum Romanum* plura dicemus. immo adeo nullam ſuae rationem auctoritatis habitam eſſe indignati fuere Conſules, ut cum eo in Curatorum conventu de rebus Academicis conferre negaverint, & cum A. 1591. ut ageretur de Lipſii epiſtola ad Curatores de diſceſſu ejus ſcripta, conventus indictus eſſet Curatorum, & *Buſius* ſupervenerit, noluerint de eo negotio deliberare. *Morerius* in lexico ſuo plurima hìc commiſit vitia; natum dicit enim in Hollandia, (cum Amersforti fuerit editus.) Anno 1521. pro 1531. patrem dicit fuiſſe Dominum Cappellae & Sevenhovii, cum *Borrius* dicat, praedium illud emptum a *Paulo Buſio* eo animo, ut ſenectutem in illo ſeceſſu quietam degeret. fuiſſe Scabinum Leidae Morerius dicit, cum Syndicus (*Penſionarium* noſtri vocant) fuerit: nihil praeterea de reliquis ejus geſtis addens. non confundendus vero cum *Paullo Buſio* Zwollano, qui circa haec eadem tempora Franekerae Jus Civile Profeſſus fuit.

EPISTOLA CXX.

J. LIPSIUS

Jo. Caſelio.

ET adoleſcens, quem commendas, mihi gratus, & gratior tua ſcriptio, quae iterata ſatis oſtendit altum & non tenui radice nixum tuum in me amorem. Nam & priores tuas litteras accepi per noſtrum *Gryphium:* ſed in hoc intervallo locorum & raritate commeantium defuit non ſcribendi animus, ſed mittendi opportunitas. At ego te, mi Caſeli, vere & ex animo pridem aeſtimo, pridem amo. cujus virtus & elegans eruditio non ſolum ex fama mihi notiſſima, ſed ex ſcriptis. Haec autem non fallunt: cum vana interdum illa Dea: libros duos de Conſtantia nunc edimus, & dolet, quod exemplar mittere ad te non liceat, indicium amoris. *Gryphium* ſcibis adhuc in his locis egiſſe, fungentem munere Syndici apud Gorichomenſes (oppidum in Batavia) quo nomine etiam ordinibus intereſt & conſiliis de re communi. Mihi valetudo nunc non firma, eo brevior ero, hoc ſerio teſtatus amicitiam mihi tuam gratam eſſe, quam alere & firmare non deero omni genere officiorum. *Davidi Chytraeo*, viro vere magno, velim ſalutem ex me nuncies: itemque Domino *Henrico Brucaeo* populari noſtro. Lugd. Batav. poſtridie Kal. Auguſti. 1583.

Licet nihil fere hac epiſtola memoratu dignum contineatur, quia tamen nulla inter editas Lipſii Epiſtolas ad Caſelium exſtat, hanc unicam ex plurimis, familiaritatis inter viros illuſtres indicem & teſtem ſolam edere volui. magnae autem famae hic *Caſelius* olim fuit, qui diu in Italia verſatus, *Victorio* maxime adhaeſit, ut epiſtolae utriuſque oſtendunt. editae *Caſelii* Epiſtolae poſt varias editiones ultimum Francof. 1687. quibus de vita ejus quaedam praemittuntur. quae plenior edita a Reinh. Heinr. Rollio tom. I. memoriarum Philoſoph. Roſtoch: A. 1710. de *meritis Caſelii* edidit Epiſtolam *Jacobus Burchkardus* Guelf. 1707. de epiſtolis etiam Caſelii editis, atque edendis ſpecimen edidit nuper *Polycarpus Lyſerus* in Apparatu Literario Societatis Colligentium Witeb. 1717. pag. 240. inter epiſtolas ineditas vero nullam ad *Lipſium*, vel illius ad *Caſelium* offendi. niſi unam inter editas pag. 734. ſcriptam III. Kal. Maj. 1579. quam vidi autographam, in quibuſdam verbis differre

ferre ab edita. in qua *Ptolemaeus Gryphius* memoratur, qui ſine praenomine in noſtra hac memoratur. vocandum vero *Bartholomaeum* puto: nam inter ineditas a Lyſero memoratas n. CXXVII. una occurrit ad *Bartholomaeum Gryphium.* & *Ptolemaei* nomen noſtrae genti inuſitatius videtur. idem videtur eſſe, cujus ſupra meminit Epiſt. 28, & 30. ad T. Leeuwium. *Johannem Albertum Gryphium* A. 1596. 20. Junii petiiſſe facultatem legendi in Jure ex actis Academiae noſtrae didici, qui an ejuſdem familiae fuerit neſcio. ut nec an ex eade ſtirpe *Guilielmus Criep*, qui memoratur in annalibus noſtris, & qui Cancellarius Gelriae fuit. vid. Borrii Lib. xxx. pag. 56. nec an ad hunc pertineat *Cripius*, quem *Hadrianus Junius* in epiſtola ad *Henric. Junium* pag. 208. memorat. qui fuit ſecretarius primum Delfenſis, ibid. p. 213. & cujus filius fuit *Guilelm. Cripius Secundus*, ad quem Lipſii Epiſtol. II. Cent. 82. & III. ad Bel. 18. vid. *Valer. Andr.* Biblioth. Belgic. *Henricus Brucaeus* vero Aloſtanus Flander, Medicinam & Matheſim Roſtochii profeſſus. de quo vid. Val. Andr. Bibl. Belg. & Melch. Adam. in vitis Medicor. pag. 317. ejus meminit infr. Gruterus in Epiſtolis ad Lipſium.

EPISTOLA CXXI.

JOANNES CASELIUS

J. Lipſio S.

Lugdunum.

HAec ſcribebam, Juſte Lipſi, peregre iturus, quod me abſente *Mellaeus* ſe in iter daret. Hic vero, & de quibus voles aliis, & de mea in te benevolentia, plenius te docebit. Utitur enim me familiariter, cumque una ſumus, crebri de te inter nos ſermones honorifici & jucundi. Oſtenderat mihi neſcio unde acceptum, te accitum Lipſiam, & venire conſtituiſſe. Gaudebam, quod ſic te aliquando viderem, & gratulabar juventuti noſtrae. Verum te forte patria tenet, etiam in iſtis fluctibus, quibus otium litterarium a vobis tam diligenter coli, hoc magis miramur, quo hîc in otio, quod hactenus ſummum eſt, minus agimus. Ipſe tamen in excitandis ingeniis ad cultum virtutis & doctrinae non parum operae pono: proficio, quantum mores noſtrae gentis ferunt. Plaerique enim a pueris ſe applicant ad artes ſive quaeſtuoſiores, ſive τεχνικωτέρας· ὀρθῶς μὲν, εἰ ὥστε πολιτεύεσθαι· ἧττον δὲ εἰ πράττουσιν, ὥστε κερδαίνειν. Nec in hoc forte tenuiores reprehendam: laudo fortunatiores, ſi qui non abripiuntur ſtudio voluptatum: cujusmodi habemus paucos admodum. Nec erat, quod hoc te docerem, qui & noſtros mores & aliarum gentium pernoviſti. Πολιτικῶν exemplum a te non vidi: quod velim non periiſſe, quando manu tua correctum fuit. Legi tamen diligenter librum, & novo modo & doctis ſcriptum. Qui enim in his tirones; non videbunt omnia, quae a te divinitus prolata ſunt. Perge nos ad vitam erudire monumentis tuis doctiſſimis: aveo ſcire, quid modo habeas in manibus. Vale. Helmaeſtadio ex Acad. Julia. XI. Kal. Sext. 1590.

EPI-

EPISTOLA CXXII.
J. LIPSIUS
Alexandro Ratloni S.

Gandavum.

MIhi vero tam grata tua appellatio & interpellatio, quam ante ſilentium ingratum, & multo magis transgreſſio per hanc urbem me nec ſalutato. Amo enim te (ex animo loquor) amo, mi Ratlo, & amari a te pariter in pretio pono. nec exiguum ſpondere mihi coepi de ingenua optimaque natura tua, quam peto ut cum ratione ſequaris. ſequeris autem, ſi juxta ſacras literas etiam illa ſcripta ſapientum tanges, quibus video & gaudeo te nunc addictum. Turbae ubique & tumultus: quae pacis aut quietis ſpes, niſi in nobis & a nobis? Hiſpanum ego video magnos & praeter ſuam quoque ſpem progreſſus facere: & vereor ut ſemel, ruptis Belgii hujus aggeribus, exundet ſe illa vis in Europam univerſam. Conſilia noſtra ignava video, palam mala: & videmur Andabatarum more caeci in exitium praecipitare. Non culpo opidum veſtrum: ſed tamen quidam inter vos ſunt, qui pietatis ſpecie pietatis arcem oppugnant, & velo defendendae patriae, eam evertunt. Non uno ſeditionum vento (utinam fallar) brevi agitabitur haec navis: nec tam ab externa Punica tempeſtate diſcrimen nobis, quam ab hoſtibus internis. cavendum, vigilandum. ubi fides? Nec turbent te iſta. ſolatium ab iis ſcriptoribus pete; quos legis, praeſertim ab Arriano, ſive ut verius dicam, ab Epicteto; quoniam ille ſub Arriani nomine diſſertationum earum verus auctor & pater. Juvent te etiam aliquid fortaſſe hi mei libri de Conſtantia, quos donum tibi do: & quos recens edolavi in uſum meorum Belgarum. De Germania non nimis laeta audiebamus. Terceram etiam amiſſam eſſe ſcis. & tamen quid metuimus? Rem noſtram domi, id eſt intus & in animo componamus: adveniant conjurentque omnes Europae & Aſiae Reges, quem timebo? ſcripſi haec ſubito, recens a prandio amicorum. Tamen hunc Nautam ſine libro meo aut litteris venire ad te nolui. Vale, & me ama. De Loco Arriani jure ex me quaeris (dico de ſacerdotibus Auguſti) & explicavi in commentario meo ad I. Annal. Taciti: illuc compendii cauſſa te nunc remitto. De ſervorum vertigine proximis litteris. Vale Lugduni. XIV. Kal. Octobris 1583.

Hic *Ratlo* Profeſſorem Phyſices Leydae per aliquod tempus egit, & A. 1579. menſe Martio a Curatoribus miſſus, in Galliam ad *Fr. Hottomannum* & *Hieronymum Zanchium* inducendos, ut Leydam venirent, & Profeſſionis munera vellent ſuſcipere. vid. Epiſtolas Hotomanni 67. 72. 80. 82. cum Hottomannus recuſaret, *Donellus*, qui in ſermone cum Ratlone ſpem de ſe oſtenderat, venit. *Zanchius* etiam detrectavit, ut & *Tuſſanus* & *Junius*, quibus Ratlo etiam conditionem hanc obtulerat. rediit vero *Ratlo* XIV. Junii. deinde Ann. 1581. VI. Novemb. cum teſtimonio honeſte, ut petierat, dimiſſus eſt. haec ex Actis Academiae noſtrae: deſultoriam vero vitam egiſſe apparet ex I. Centur. Miſcel. 12. quae paucos poſt hanc epiſtolam dies ſcripta eſt. Credo & hunc *Danaei* cauſſae involutum, & ut ille Gandavum, ita & hic *Ratlo* eo diſceſſit, ubi ſpeciem Academiae vel Gymnaſii inſtituere animum induxerant: ſed fefellit eorum ſpem factioſorum proditio, qui ad Hiſpanos iterum rerum ſummam detulerunt, quod non male hic conjecit *Lipſius*.

EPI-

EPISTOLA CXXIII.

J. LIPSIUS

[1] *Dom. Lampſonio* S.

Leodicum.

ITa vivam, mi Lampſoni, ut moleſta mihi cogitatio eſt tarditatis, qua in te tam humaniter provocantem ſum uſus. cui prima cauſſa tamen ab ipſo te, dum promittis libellum te miſſurum, de quo judicium meum poſtulas: quem nullum poſtea vidi. in me & a me, fateor, cauſſa proxima, qui diſtuli ſcribere, dum id cum munere iſto poſſem, quod nunc vides. Diutius autem liber is haeſit apud *Plantinum*, quam pro mea opinione aut voto. Videbis per eum divertiſſe me etiam ad illa meliora ſapientiae ſtudia, nec ſcio tamen an grato in hoc ſaeculum conatu: Judicia enim multorum corrupta novimus, qui delicias & mella quaedam litterarum magis probant, quam haec firmiora Philoſophiae alimenta, & animo magis ſana. At inter eos, qui ὀρθῶς judicant, & ὁσίως, te in primis habeo. quem & fama & ſcriptis quibusdam (non enim ita premis, quin aliqua ad nos jam olim erumpant) pridem mihi cognitis. Gaudeo & gratulor propiore mihi amicitiae nexu devinctum: Nec enim aliter literas eas interpretor, quas cum tam benigna amoris & judicii tui ſignificatione, velut conciliatores & pararios habeo aeterni amoris. Nec fallere me aut blandiri noſſes, ſi Lipſium propius noſſes. Ad *Dominum de Houtain* (cui praeter veſtra nomina, magnum hoc debeo, amicitiam tuam) litteras dedi ante binos menſes, cum excuſatione aliqua apud te, quas ſpero accepit. Ampliſſimo Domino [2] Archidiacono per te commendari velim: cujus memoria mihi ſemper ſancta. Velim ſcire quid ipſe, quid cognatus ejus *Livinejus* moliantur. Nam hunc Roma jam rediiſſe, e comite itineris ejus intellexi, *Venii* filio. Qui quidem *Venius* (patrem intelligo) carior mihi nunc, hoc ipſo, quod carus vobis. *Plantinus* jam apud nos eſt, non [3] novitatis aliquo ſtudio, ſed quietis. Nam hîc ſane tranquillitas eſt, nec ſervitus in iis, quae ſupera illa tangunt. Vale: Lugd. VIII. eidus Octobr. 1583. ſed [4] *Nicolaum Florentium* unquamne noſti? Ego quidem illum Romae. Valde velim ſcire, ubi

1 Hic *Lampſonius* Brugenſis, Poëta & Pictor, ante in contubernio Cardinalis Poli vixit, (vid. Epiſt. 127.) poſtea Leodici tribus Epiſcopis ab actis fuit. Familiariſſimus Lipſio, & inter praecipuos auctor ſecedendi ex Batavis, ut infinitis harum epiſtolarum locis apparet. incidit in morbum deinde melancholicum, & obiit 1599. vide Valer. Andr. Biblioth. Belgicam.

2 *Torrentio*, qui tum Leodici erat Archidiaconus.

3 Id eſt, non ut mutet Catholicam religionem; hanc ſuſpicionem enim a ſe amotam volebat Lipſius, qui auctor *Plantino* transferendi domicilii fuerat, quia libros ſuos coram ſe imprimi malebat, quam Antverpiam mittere, & tentabat Plantino jus impetrare, ut ſolus excuderet Grammaticam & libellos, quos *Lipſius* in uſum ſcholarum omnium Belgicarum componeret; ut poſtea Hollandiae ordines *Voſſio* id mandarunt: de quo negotio ſaepe in his epiſtolis.

4 Ad hunc ſcripſerat Lipſius epiſtolam, quae inſerta I. Centur. Miſc. 30. edit. primae. ſed poſtea ſublata. ediderunt eam Pontanus Decad. V. ad diverſ. Epiſt. 3. & Offenbachienſes decad. I.

ubi & quomodo agat, ſi reſcribis, memento. Tacitus meus in folio (ita loquuntur) jam imprimitur cum pleno ad eum commentario: libros tres de Venatione ſive amphitheatro, ſi Deus vitam mihi dat, ſubjungam. Salutat te Douza.

1. Epiſt. 1. fuit vero Harlemenſis, & in antiquitatis & literarum ſcientia praeſtantiſſimus, teſte *Boxhornio* in Theatro Holland. in *Harlemo.* Infra ex epiſtola ad eum, in Hiſpaniam in contubernio cujuſdam viri potentis abiiſſe, colligi poteſt. vid. *Lipſ.* de Amphitheatro in initio. *Hadr. Jun.* in Epiſtola ad Lindanum Epiſcopum Ruraemundenſem. p. 389. *Florentii cauſſam laetam accepiſſe coronidem ſe gaudere*, ſcribit. quae illa vero cauſſa ſit, ignoro.

EPISTOLA CXXIV.

J. LIPSIUS

Dominico Lampſonio.

Leodicum.

ADfectus ad ſcribendum me incitat, mi Lampſoni, vetat aegritudo: quae duos menſes jam me tenet morbus ἡπατικὸς καὶ στομαχικὸς, cum taedio & nauſea, nec ſine diſcrimine, ſi perſeverat, Deo meo permitto, qui lucem hanc dedit, adimetque cum volet. Miſſum a te [1] faſciculum accepi: & vere dicam, recreando mihi fuit in hoc morbo. O pium modeſtumque noſtrum *Ximenium*! utinam aditus auditusque talibus conſiliis apud Reges. Magna & ſalutaria reipublicae chriſtianae concepit ille vir: quae ut ad exitum perducat, vota mea ſerio interpono. ſcriberem partite de illius ſyntagmatis, & de tuis. Ignoſce languenti huic manui & menti; non poſſum. Etſi animus enim erectus, vires valde me defecerunt. faſcem fortaſſe per hunc nuncium remittam (perlegi enim) quia detinere haud temere auſim, rebus noſtris & valetudine mea tam incerta. Nutamus hîc enim & momentis variis agimur, ad pacem, an ad bellum ancipiti libra. ſtatum enim vides maritimae hujus regionis, non diſſimilem ſuo mari, ſed iſta Deus viderit, καὶ μοῖρα κραταιή. tu me ama, & ſalve ex animo, cum reverendo viro, Domino Archidiacono *Torrentio* & *Levineo*, plura & firmiora, cum ero firmior. Lugduni Batav. poſtridie Nonas Octobres. 1584.

1 Vid. ad Epiſtol. ſeq.

EPISTOLA CXXV.

J. LIPSIUS

Dominico Lampſonio S. D.

Leodicum.

ETiam nunc jacebam, mi Lampſoni, e diuturno morbo, qui corpuſculum hoc valde exhauſit. tres jam fere menſes ſunt, cum publico careo, & intermitto lectiones & munera omnia, quae ſunt ſanorum. quid me fiet ne-

ſcio. fiat quod Deo meo libet, erit me libente. Solatio mihi interea vere hoc fateor, [1] *Ximenii* & tua ſcripta, quae carptim legi. Univerſum inſtitutum veſtrum mihi probatur, plenum moderationis & prudentiae. quae unica in his diſſidiis ad pacem via. Placent etiam partes, excipio quaedam diſputata cum Lovanienſibus, aut Genevenſibus; ſubtiliter ſane & docte; ſed cui bono? Ego tutius cenſuerim & utilius, rem totam a *Ximenio* proponi, nec ſpargi quidquam in vulgus, priusquam univerſus ille ſol ſe diffundat. Nam minuti hi radii tam ſpiſſas tenebras nunquam vincent. Contradictiones nos monent. non defuerunt unquam, non deerunt, in rebus praeſertim, quae ſacrae. haec quoque inter alias noſtri ſeculi peſtes eſt, quod de pietate loqui omnes volunt, praeſtare eam pauci. At viri boni, & ex animo pii, probabunt illa, quae profecta a vera & interna pietate, quam ſplendentem in animo illo puro *Ximenii* intueor clare. Itaque mittite illos, quos vides τρύφᾶν ὑπὸ πλέτε τῆς σοφίας. ſcribite & edite nobis, qui vero pectore adſpiramus ad verum. hic ager eſt, qui ſubactus & paratus ad ſementem. reliqui tribulae & ſpinae. qui pungent & comprehendent, ſi accedis. de *Plantino* (qui ampliſſimo *Torrentio* & tibi ſalutem) paratum fore ſcito, cum vos parati, niſi tempora tamen iſta virum optimum, & rationes ejus priùs pervertant. Ejus enim rei & quaeſtui vides, quam haec arma & confuſio adverſa, per quae nihil libri aut Muſae,

> Ἀλλὰ φόνος τε καὶ αἷμα, καὶ ἀργαλέος ςόνος ἀνδρων
> (*Sed caedes, & ſanguis, & gravis gemitus virorum*)

ut ait poëta ille, qui mihi ſemper magnus. Saturnalia noſtra & de Amphitheatro iterum imprimuntur. utraque cum figuris habebis, ſi Deus velit, ex noſtro dono. Conſtantiam meam mitto. Vale & ſalve, vir merito mihi & bonis care. Lugduni Batavorum poſtr. Non. Novembris 1584.

1 Ex his duabus epiſtolis conjicio cum *Lampſonio* (qui inter praecipuos hortatores fuit fugae, ut & *Torrentius*, quem αἰδέσιμον ſuum vocat 11. Cent. Miſc. 15.) jam egiſſe Lipſium de mutanda religione, & ipſi miſſum fuiſſe *Ximenii* quoddam ſcriptum, quo ille Catholicorum quorumdam corruptelas & errores mollire conabatur, & ita mendari omnia poſſe oſtendebat, ut ideo ab Eccleſia recedendum non eſſe oſtenderet. Erat vero ille *Ximenius* Hiſpanus, qui Coloniae diu vixit, & aliquando Leodium excurrebat, & ibi haerebat. multis laudat eum D. *Heinſius* in praefatione ad Epiſtolas ſelectas, qui cum *Caſſandro*, & aliis viris moderati ingenii, volebat Eccleſiam in Eccleſia emendare. Multa ejus mentio in Epiſtolis *Jo. Metelli* ſupr. 58. & ſeqq. qui & in Cent. 1, Epiſt. 65. & 68. ab Heinſio Editarum, eum cogitationes ſuas illuſtrare pergere ſcribit (ſcilicet cum *Caſſandro* de concordia religionum communicandas.) ſed queritur etiam cum joco, hunc Philoſophum Epictetaeum, & pauperem Theologum Leodii apud *Torrentium*, & menſas Eburonicas haerere malle, quam de gravibus rebus diſputare, & publicam rem juvare; & ita paſſim in iliis Epiſtolis ejus memoria occurrit, ut adjutoris iſtius emendationis, quam *Maximilianus* Imperator, per *Caſſandrum* & alios mitis ingenii Theologos, efficere conabatur. *Caſſander* etiam Epiſt. 77. *Ximenium* multis laudibus ornat, & pacificandae eccleſiae ardentiſſimo ſtudio praeditum dicit. Hic ergo Lipſii & aliorum, qui nutabant, in gratiam videtur formulam quandam concepiſſe, ad quam ſe componentes redirent ad ſacra, quae vel deſeruerant, vel deſerturi videbantur. quod clarius indicat epiſtola praecedens, ubi Lipſius faſciculum, quo ſyntagmata *Ximenii* & *Lampſonii* continebantur, non audebat ſecum retinere, quia incerta ejus valetudo erat, nec Hollandis adhuc patere animum ſuum volebat; quia jam decreverat ab iis ſe ſubducere. Ex Epiſt. 129. apparet Lipſio miſſum ut emendaret. & hoc eſt illud *ſcriptum promiſſum*, quod exſpectabat Centur. 1. Miſcel. 60. quae tota epiſtola his illuſtratur. & hinc biennio poſt voluit evadere ex Hollandia, ſed ut videbimus, impeditus fuit, ut ſcribit Lampſonio 11. Cent. 15.

EPISTOLA CXXVI.

DOM. LAMPSONIUS

J. Lipſio doctiſſimo & amiciſſimo S. P.

Leidam.

EXſpecto, ſed commodo tuo, aliquid a te litterarum, ut qui poſterior ſcripſerim, non enim offenderunt te, puto, inepta illa epigrammata ad te miſſa, quum potius riſeris, ſcio, ejuſmodi ineptiarum non inſolens. Salutavit te ex animo *Carondeletus*, & *Oranus*, ac tertius *Rolandus à Launay* Canonicus St. Pauli, ſummus & ipſe tui admirator, & una animo eo, nihilo levius tui amans atque admirans *Georgius Thourinus*, Doctor Theologus, eccleſiaſtes, & ſcholaſticus Leodienſis. omnes hi te in intimo animo, & Lipſium in coelum ferunt. *Thourinus* interpretatur gallice Inſtitutionem tuam epiſtolarem, quam & dedicare tibi meditatur. Noveris eum, opinor antehac, quin & memineris. Nihil erat, quod praeterea huic epiſtolae adjungerem. Anhelo ad tuum illud Syntagma de inſtitutione Juventutis, ſed & exſpecto aliquid, ſi pateris, a *Cornelio Venio*, *Othonis* mei patre, & ipſo plus quam meo; illud, inquam, ſuper quo tibi antehac ſcripſi: ſed an non mittes obſecro. (ubi inquam commodum erit,) libellum [1] *Diodori* Dialogiſtae? mitte ſis, mitte; atque hoc etiam munuſculo me tibi arctius obligare perge. *Ximenius* noſter omnino ſpero, opus ſuum ante proximum paſcha abſolverit. Utinam! ſed iſte tamen me ſperare juſſit. Vale καὶ εὐτύχει. [2] Hagae Comitis Jul. 1588.

1 Theodori Coornhertii.
2 Hagae verſabatur *Lampſonius*, cum hanc daret epiſtolam, ut etiam colligo ex reſponſo Lipſii 11. Cent. Miſc. 50.

EPISTOLA CXXVII.

DOM. LAMPSONIUS

J. Lipſio S. D.

NIhil nunc erat quod ſcriberem, ſed ſi meo erga te amori, vel obſervantiae potius indulgerem, maxima de nihilo (nihil minus quam nihilo) ſicut ille canit, naſceretur, uti nunc, ita ſemper hiſtoria ſive epiſtola. *Gaudet noſter amor verboſa, Juſte, loquela.* Hujus autem ſcribendae mihi praebet occaſionem ſollicitudo de valetudine *Cornelii Venii* noſtri, unius omnium optimi, atque humaniſſimi viri: quem ultimo nuncio extreme laborare, id eſt, ἀγωνιᾶν, accepi: fortaſſe jam hoc labore, ſive agone defunctum, ut (κατὰ τὸν θεῖον χρησμὸν) ἀπὸ τοῦ νῦν ἀναπαύσῃ, id a te, niſi gravaris, verbo cognoſcere velim, tum an acceperis epiſtolam, (ſcripſeram antea compluſculas ad *Venium* miſſas, ut tibi redderet ſive oſtenderet,) qua tibi de miſſis Politicis tuis

(opere imprimis docto, Jupiter, & laborioſo: quamquam quid tibi adeo ingenioſo, judicio pollenti, docto, eleganti, ἐπίπονον) gratias egi, nunquam de tam praeſtanti munere ſatis amplas, atque uberes (non aſſentor, ex animo dico) gratias acturus. Utinam modo & illud tuum in nos beneficium accedat, ut reliquum tuarum in totum ipſum opus annotationum, ad eundem, quo coepiſti, modum, praeſtes, non niſi a Lipſio pro dignitate praeſtandum. Vides quantus ego tuorum eſurio; imo helluo. Cupio annotationes, concupiſco de Magnitudine Romana. Appeto Centuriam epiſtolarum perpolitam; inhio alteri Centuriae: anhelo ad Dialogos, ſeu ſyntagma de recta inſtitutione Juventutis. Quae tua non a me tantum (ſive illa Anacreontea, de qua ſaepius jam opinor, ſcripſi: meminiſti enim τροχαιῶν illorum, ἃ ὗς τὰν βάλανον &c.) deſiderari ſcito, ſed etiam a χαλεπωτέροις, (noſti quos non dicam praejudicio laborantes) quos Lipſianae formoſitates, niſi ipſa formae vi, non vincerent: quando me noſti reſpice ad Antiphilam illam in Heautontimorumeno Terentiana, ſordidatam, & ſordidam, non ipſam quidem δύσμορφον. ſed quae τοῖς νῦν ἅμα καὶ ὀφθαλμοῖς λαιμῶσιν, & quidem prima duntaxat fronte videretur. Illud volo, lentos illos Sigonianos, vel invitos, tuos jam feciſti, quos inter, [1] οἶδα καὶ ἐν Ὀβίοις χθονίου διὸς ἄγγελον ὄντα. Qui Antiphilam (Φημὶ δὲ τὴν πειθώ) Lipſianam quam depereat, haud facile dixerim. Noſter in eiſdem Ubiis ἡρωίσκος, Deo gratia, ut pro aetate, vivit, & valet. Scripſit, & ab eo ſcriptum tibi me ſcripſiſſe opinor, ſperare ſummam ſe operi ſuo manum impoſiturum, intra unum aut alterum ab ultimo natalis Dominici menſem. Igitur ἀποκαραδοκητέον. Vale.

1 Intelligi puto nuncium Papae, qui apud Ubios Coloniae agebat: forte *Minutium* de *Minutiis*. vid. Ep. 138. & 140. Ἡρωίσκος autem eſt *Ximenius*.

2 Non addita erat nota temporis. ſed reſpondere Lampſonius videtur ad Lipſii Epiſt. LXXXVI. Centur. 2. Miſcel. quae data Poſtrid. Id. Sextil. 1589.

EPISTOLA CXXVIII.

DOM. LAMPSONIUS

J. Lipſio S. D.

Spadam.

QUam doleo, quam ringor, quam indignor, quam tibi ſuccenſeo, quod Coloniae nuper cum eſſes, ad *Ximenium* noſtrum non inviſeris. quid enim afferre poteris cauſae? quid vis modo, praeter contemtum. Verum Egone ut ſuſpicor contemſiſſe te? Apage, niſi Lipſius deſiit eſſe Lipſius, quod antequam credam, *nulla ſuum mundi pars retinebit iter.* omnino vide, de iſto te graviſſimo peccato ut purges. purges autem, imo ſic expies, ut ſtatim ubi Confluentia Coloniam (ſicuti ſpero, ac Deum ut quam primum fiat oro) revertens pedem in metropolim ipſam intuleris, recta ad ſeniculum properes, & hanc ei epiſtolam oſtendas, cum eoque quam uberrime, nec ſemel

(quid,

(quid, non ſemel? imo ſaepe ac ſaepius) communices atque agas ſuper iis rebus omnibus, quas ab eo, partim etiam a me, unum ab hinc menſem, atque paulo etiam amplius, ad ipſum ſcriptas, cognoſces. Cognoſces autem deſiderium atque optatum ſummum meum, ad ea, quae attinet, quae longe melius, copioſius, ac diſtinctius ipſe tibi coram declarabit, quamque ego vel his, vel ullis omnino literis complecti queam. quamobrem hîc pennam ſiſto, illud tantum oraturus, ut te ſenis noſtri & meo deſiderio ac voto facilem praebeas; (Votorum haec ſumma meorum) & veſtrum ambobus a Deo Opt. Max. vitam vel integri ſeculi integris, ut nunc eſtis, vel, ſi fieri poterit, longiore quoque in robuſtiore etiam καὶ ἀρτίῳ καὶ ὁλοκλήρῳ valetudine, qua digniſſimi toto animo, tota mente precans. Leod. 21. Maji 1591. Has Coloniam miſeram, heri mihi inde remiſſas.

EPISTOLA CXXIX.

DOM. LAMPSONIUS

Juſto Lipſio S. D.

SPero te ſuo tempore, hoc eſt, ante hanc epiſtolam, recte accepiſſe vel acceptururum, poſtremam meam objurgatricem, qua expoſtulabam quod nuper Coloniae cum eras, *Ximenium* noſtrum non inviſeris, vel ad te venire non juſſeris. Quod ſi nondum accepiſti, aut fortaſſe ſuo tempore non accipies: (quoniam enim, ut accipias, ſummopere optas & cupis, vereor tamen ne non accipias, qui vitam in praeſentia ἀποδημητικὴν agas) erit haec epiſtola iterandae expoſtulationi illi, atque objurgationi meae; ac petendo, quidnam tandem allaturus ſis cauſae, quo minus factum? nam, quod fortaſſe dixeris, brevi admodum tempore te Coloniae haeſiſſe; agendum eo ipſo tempore fuiſſe cum multis, &, in his, cum patribus illis tuis (& vero meis quoque) cum nuncio Apoſtolico, cum quo amicum illic quendam ex vero mihi ſcripſiſſe puto mira te communicaſſe & ejusmodi, a quibus ſolida εἰρηνοποιΐα dependeat; e veſtigio (neſcio quas ob cauſſas) Confluentiam tibi diſcedendum fuiſſe, unde te Coloniam propediem reverſurum; officium ad *Ximenium* quod attinet, facturum, ad ipſum inviſurum, cum eo vel uberrime, & creberrime collocuturum ſuper omnibus, de quibus ad ipſum, & ad te ſcripſi, acturum, communicaturum, diſſerturum. haec, inquam, omnia ſi attuleris, aut obtenderis; fruſtra es, mi homo. factum oportuerat, factum, inquam, oportuerat, ſtatim ut pedem in Metropolim ipſam intuleras, &, ſi tibi non fuiſſet integrum, agere cum eo diutius, vel pauca ſaltem illa, & non niſi ſemi horae ſpatium requirentia praeſtitiſſes, inviſiſſes ſenem, verbo ſalutaſſes, & quo minus tibi cum eo diutius colloqui liceret, excuſaſſes: promiſiſſes inter breve tempus reditum, & tunc cum eo, ſic, uti dixi, acturum; atque ita demum vel Confluentiam, vel quocunque malles, abiiſſes. aut certe ſi vel inviſere non li-

licuiſſet, breviſſima ſchedula in diverſorio relicta, haec ei ſignificaſſes. quid cauſaris? imo quid muſſas? taces, & os pallor tibi albus inficit. nam idem hîc te πάσχειν puto, quod Romanos apud Flaccum, in eos ita acerrimis illis verbis; tanquam gladio quodam ancipiti, invadentem; *quo, quo ſceleſti ruitis?* ſed malo, erubeſcere te ſaltem ac pudere, καὶ μετανοεῖν, atque uti poſtremo ſcribebam, graviſſimum iſtud peccatum tuum hac ratione, quam tibi miſer, unam relictam vides, eluere, atque expiare, ut ſtatim, ubi pedem iterum (id quod propediem omnino fore ſpero) in metropoli illa poſueris, recta πρὸς τὸ θεσπέσιον γερόντιον ἐκεῖνο accurras, viſas, ſalutes, peccatum agnoſcas, uberrime, frequentiſſime, aſſidue conferas, communices, diſſeras. ſed & ſi, (uti confido) haec epiſtola te Confluentiae, aliove quocunque loco ante tuum Coloniam reditum deprehendet, confeſtim per uberem ad eum epiſtolam, ea, quae dicebam, ſalutationis & excuſationis officia prolixe praeſtes. Omnino, mi Lipſi, per Deum immortalem, per dulciſſimum illum genium tuum, in omnibus tuis ſcriptis elucentem, &, ut Chriſtiane loquar, ἔμφυτόν τινα ἀγάπην erga proximum ſpirantem, te oro, obſecro, obteſtor, uti te in poſterum ſeni huic noſtro totum des, dices, tradas, & ad laborioſiſſimum illud ejus opus, de quo toties ad te ſcripſi, ea praeſtare, atque efficere non graveris, quae Coloniam reverſus ab ipſomet, & e noſtris aliquot ad eum epiſtolis, cognoſces. Affice univerſum genus humanum hoc tanto beneficio. Negabis poſſe? ego contra, ſcio, & affirmo poſſe, & *repoſſe*. liceat enim mihi illo verbo uti, non latino, quo per jocum utebatur homo Hiſpanus admodum facetus, Indiarum praefectus, *Don Diegus de Azevedo*, qui hiſtoriolam denarrans de *J. Bartholomaeo Caranta a Miranda*, (hunc tu haud dubie vel e ſcriptis, non tantum a fama noveris) commemorabat, cum Rex Noſter Philippus ei (aulico ſuo concionatori) nunc hunc, nunc illum in Hiſpania epiſcopatum obtuliſſet; iſque modeſte, atque uti loquuntur, humiliter (ordinis nempe Dominicani) recuſaſſet, hoc verbo, *No puedemes*; tandem cum oblatus ei foret a Rege inſignis ille Archiepiſcopatus Toletani bolus, ſtatim eum aperto ore reſpondiſſe, *Puedemes, y repuedemes.* Quî enim non poſſes? a quo ſunt, *Conſtantia, politica iſta, & liber de una religione?* Da te modo poſthac, da, mi Lipſi, ad has ſerias meditationes & ſuccedet. ſuccedet vero? imo vel vota noſtra vinces. Da, te, inquam, operi Ximeniano relegendo, recenſendo, examinando, corrigendo, explicando, perficiendo: ſupplendis ex ejus inſtructione iis, quae, quo minus ipſe porro literis mandare poſſit, aetate, & ut ipſe queritur, ingenii per aetatem laſſitudine, atque imbecillitate impeditur. & omnino conare, allabora, atque effice, ut opus, quam maxime fieri poſſit, omnibus ſuis numeris ac membris perfectum atque abſolutum in lucem aliquando prodeat. verum de his, & quae huc pertinent, aliis ipſe tecum ſenex, Deo juvante, diſtinctius aget coram. interim ſcito fieri non poſſe, ut ampliore tibi officio Deum & homines demerearis, quam ſi in ea, quae multis hîc a te precibus peto, & contendo, quoad ejus a te fieri poterit, praeſtando toto animo, tota mente tibi incumbendum exiſtimabis. Ego quidem

Deum

Deum Opt. Max. ut & hanc tibi mentem ac voluntatem & rationes, ac vias, quibus eandem voluntatem perficias, & ad optatum mihi exitum perducas, aſpirare dignetur, omnibus votis, ominibus, ac precibus fatigare non intermittam. Accipio ab amicis, *Goltzium* noſtrum Romam profectum. Probo. *Roma doma*, commune eſt, ut noſti, apud Italos proverbium. Urbs illa hominem nobis refinget, recoquet, atque ut ſpero, eximium Artificem praeſtabit, ſi modo eum remittet. Fortaſſis enim (tanta ejusdem Urbis, ut audio, hac parte potiſſimum, illecebra) retinebit. Retineat; modo ejus operibus, quam plurimis, quamque pulcherrimis fruamur. hoc igitur ejus factum vehementer, ut ajebam, probo. Verum non perinde illud, quod, in itinere, diſſimulato quis eſſet, *Joannem Sadlerum* ὁμότεχνον (& ipſum artificem minime ſane poenitendum) inviſens, opera ſua vel ad apertam uſque vituperationem extenuaverit, aut depreſſerit, ut ſimilem a Sadlero eorundem operum vituperationem eliceret, at deinde per literas in diverſorio relictas hominem amare increpuerit, atque irriſerit. Non, inquam, ſi fecit, probo. ὑπουλόν πως ὂν καὶ δολερὸν, laudo in quocunque artifice ingenuitatem, modeſtiam, comitatem. Nam & *Sadlerus*, tametſi, ſicut ajebam, nequaquam poenitendus, imo egregius, meo quidem animo, atque oculo, Artifex, immodeſtior, ut accepi, & nimius ſui, nec ſine aliorum contemptu, aeſtimator. At erat tamen indignum *Goltzio* eum his vitiis imitari. contenderent virtute, & arte, Hoc Apelleum candorem & comitatem (a quibus virtutibus Plinius ſane Artificum principem laudat) deceret; ſcripſi ad *Goltzium* (ſed hoc facto diſſimulato) alteram παραινετικήν. arbitror, nondum ſcio, eam accepiſſe. Vale Leod. 24. Maji 1591.

EPISTOLA CXXX.

J. LIPSIUS

Dominico Lampſonio S. D.

Leodicum.

Ergo tu ſcis me adeſſe, ὦ πρὸς τοῦ Διός, quis fecit indicium? quis deblateravit? Ego me latere cenſebam, & primum me futurum, qui, non dicam, indicarem me tibi, ſed demonſtrarem tibi, quem jamdudum, ut ſcis, amo κηρόθι. ſed cauſſa tamen mihi unica, mi Lampſoni, hujus ſilentii, quies & ſuper valetudine cura. nunquam firmi ab aliquot annis, hac peregrinatiuncula, diuturna & moleſta, imminuimur. At tu quoque prologum addis, & inclamas me acriter, quia de *Ximenio* neglexi. Per quidquid ſacri eſt, mi Lampſoni, ut invitus; imo & inſcius neglexi. Nam ego ſerio me putabam & brevi reverſurum in Ubios captivum, & tunc denique plenis faucibus guſtaturum & hauſturum e laudato illo ſene. Res aliter neceſſario cecidit, ignoſce dolenti & poenitenti, quacumque via ſarciri culpa illa poteſt, ecce me promptum. Illud miror te, ſcribere, manum me ejus operibus admovere debuiſſe,

&

& quaſi perpolire. Mene? Ego in ea re poſſem? meo judicico εἶπας ἐ κατὰ κόσμον, ut Homerus ait. Quis ille? quis ego ſum? at enim ſenex. Quis ego ſum? aeger & longa valetudine defectus & fractus, ut navim quaſſam haud tuto in mare miſeris, non item me in arduam illam & operoſam ſcriptionem. Adde quod torpore quodam & ignavia quoque langueo, ſimilis iis, qui mandragoram, ut Atticus ille Orator loquitur, biberunt. Nam aſſurgo nunc ad res magnas. Quaeſo te, mi amice, reſurgam paulum (ſi Deo tamen viſum) & recipiam fugitivas animi corporiſque vires, & tunc onus impone quod libet, non recuſabo. nunc quidem in valetudine recreanda unus ſum, quam vereor, ut mihi reddant veſtri fontes. Initia non admodum pro bono. At quam etiam doleo *Geregium* noſtrum medicum obiiſſe, ego illius ope conſilioque uti me ſperabam. Remitto quae miſiſti, non nunc ad meum guſtum. Te ut mea cauſſa commoveas nolo. Atque adeo (ſi quid edictiones noſtrae valent) ne feceris interminor etiam atque etiam, & interdico. paulum in hac ſolitudine me immergam. videbis opinione citius Lipſium illum tuum, tui perpetuo amantem: Salvere amicos juberem. Silere te malo, & me ſalutem coram afferre, utinam me quoque ſalvum! In Spadanis Aquis VI. niſi fallor, Kal. Junias CIↃIↃXCI.

EPISTOLA CXXXI.

J. LIPSIUS

Dominico Lampſonio S. D.

Leodicum.

VIdimus, te, mi Lampſoni, vidimus, ſed valde curſim. Cur libuit ſic fugere? At mihi intueri lubebat, & oculos mentemque defigere, in diu deſiderato, & πολυαρήτῳ (*votis optato*) tuo vultu. Quanquam revera ego te, te, jamdiu vidi & pervidi. Lampſonium inquam ipſum, quo nemo magis ſpirat & vivit in ſcriptis: ſed tamen veſtem quoque hanc & velamentum cupide pervidiſſem, quo ille tectus. Natura ita fert, ut ipſa illa domicilia amemus, & noſſe haveamus, quibus ſe magnus, aut noſtri amans, animus incluſit: Tu tamen indulſiſti in parte; & hoc ipſum niſi magni amoris ſignum interpreter, ſum inſcitus. Alias & brevi, ſi Deus volet, fiet uberius, & plane κατακόρως. (*ad ſatietatem.*) Nam ego toto animo ad vos aſpiro. ut habitem? non, ne erres: nec ut haeream quidem, ſed ut curſim vos quoque videam, ſalutem, diſcedam. Quo igitur? audi, mi Lampſoni, & tecum habe. Non ad Batavos meos, ad quos, etſi valde pronos in me & benignos, periit mihi, ut ait ille, νόστιμον ἦμαρ: (*dies reditus.*) ſed ad locum aliquem vicinum vobis, liberum ab interpellationibus & à turbis. Veſtrum oppidum hoc tempore non placet, quia frequens nimis & grande: atque, ut Varro ait, *omnis turba turbulenta.* Seceſſu vivere placet ad aliquot menſes; & id ob cauſſas, quas pro prudentia tua vides. Timoniam, inquam, meditor aliquam vitam. An commode Tongris veſtris, aut Sto. Trudone poſſim? quaeſo diſpice, & an tuta quoque illuc

via.

via. Mihi lubebat viciniorem Brabantiae eſſe, ob res domeſticas, quae mihi poſt longam incuriam & abſentiam conſtituendae. Iſtae nunc curae, quibus praevertimus: paullo poſt ad interiora noſtra ſtudia, ſi tempus aut valetudo patientur. Valetudo inquam: nam ea vacillat, & fontes veſtri ambiguum animi me habent, laedant an juvent. Me quidem & languor hic diuturnus, & nonnihil moleſta peregrinatio attrivit, & floridum illud ac come in nobis libavit. Ero alius, cum Deo viſum aliter; & nullus, cum eidem viſum. Quae περὶ τοῦ Ἄρχοντος καὶ περὶ τοῦ ἀδελφοῦ dicta, lapidi dicta. & numquam nos praeſcivimus: atque utinam non haec in ore famae! *Homines taceant; jumenta loquentur.* Ad *Torrentium* tu vero audacter ſcribito; & vides ecce, nos ipſi. Quod ſupereſt, amo te, amavi, amabo In Aquis Spadanis. Kalendis ipſis Juniis. ∞. IↃ. XCI.

EPISTOLA CXXXII.

DOM. LAMPSONIUS

J. Lipſio S. D.

Spadam.

CUr enim te, jam uſque adeo meum (intime Deus novit, ex intimo animo tuum) rerum mearum, quicquam celem, earum praeſertim ad *Ximenii* noſtri meditationes pertinentium, de quibus tam multa jam, ac toties, vel ad faſtidium, ſcio, tuum ſcripſi. ſpero tamen amori erga me tuo ea faſtidioſa non fore, vel eumdem amorem tuum ſic mihi, quidquid erit faſtidii, vel offenſionis, libenter condonaturum. Quamobrem ecce, & ternas haſce meas ad *Ximenium* nuper adeo datas; ac poſtremas ejus manu leges. non eas tantum, ſed etiam meum ad eas heri reſponſum. leges, inquam, ſine ullo tuo incommodo; & remittes aut referes. ad eaſdem porro poſtremas quid ſeni, cenſes, reſcribam, niſi illud ipſum, quod ſemper ei occinui, promoveat ac perficiat opus quantum poterit. Utinam modo hic illa abſolvat: 1 poſtremam partem adverſus infideles: 2 de purgatorio. 3 & 4 quaeſtiones de Eccleſia. abſolvat, inquam, vel eo ſaltem uſque perducat, ut deinde a Lipſio abſolvi poſſint. operis ſucceſſum, ac fructum Deo permittat, noſtrorum, & adverſariorum imperfectiones, ineptias, obliquas irriſiones, & accuſationes amore Dei patienter ferat. Illud videlicet ipſum, quod ternis illis meis toties repeto atque nuntio, ſi quid, & quidquid erit corrigendum, ſemper fore corrigendi locum. De inventis, & recte dictis πολλὴν χάριν, de praetermiſſis veniam καὶ ἀνόρθωσιν expectet. ipſe dixerit ſedulo, alii dijudicent. De *Eraſmo*, *Caſſandro*, *Wicelio*, non pauca quidem illi γενναίως. ſed ſenex noſter, ni fallor, alia res. αὐτὸ δείξει: videbit, ſpero, Lipſius meus, ac judicabit. ſenex certe ſciens non fallet, ſat ſcio. Confido te poſtremum meum faſciculum heſterno veſpere vel hodie a tuo *Joanne Omalio* recte accepiſſe, ut quidem ab ipſo tibi privatim, ac ſine arbitro in manum datum. quod vel tribus, obſe-

cro, verbis ſignifica, ut & de hoc faſciculo recte accepto, Vale. pridie Pentecoſtes CIƆIƆXCI. ſub veſperum. Retinui uſque ad 3. Junii.

EPISTOLA CXXXIII.

J. LIPSIUS

Dom. Lampſonio.

Leodicum.

TAndem, tandem a meis accepi literas, idque te adjuvante. Bonam tu & *Mylius* operam navaſtis, meliorem non coibimus, ut jocatur ille. At mihi φιλὸν ἦτορ ἰάνθη, qui jamdiu nihil inaudierat, vel rumoris. Amamus noſtros, ut ſcis, magis avulſi. aut certe amor tunc magis eminet & exſultat: Illud dolet, nondum curata eſſe, quae volueram & cenſueram. eoque differendum mihi conſilium ſuper petenda miſſione. Gravis nuntius Batavis meis, niſi fallor. ſed faciendum ita eſt, quia, etſi illos amo, me plus amo & famam meam, atque adeo ſalutem. Scis quid conſilii in Politicis noſtris dederim viro bono, aut ad rempub. admoto. Lubet obſequi & imitari. Quieſcam in loco aliquo medio, & qui revera partium non ſum, partibus non ultra miſcebor: non utique partibus iſtis, apud quas non ſolum νεωτερισμοὶ, ſed φενακισμοὶ. Nos ſcimus. ſenſum tuum univerſum de repub. non puto a meo diſſidere; amamus pacem: diſſidemus iſto, quod tu bonis conſiliis & ſcriptione effici aliquid poſſe cenſes, ego deſpero. O Lampſoni, quae facies haec reipub. eſt? ubi umbra τοῦ καλοῦ? ubi illa propria quaſi nota Chriſtianae civitatis? ſepulta eſt, & nos fruſtra in pectoribus tam rigidis eam excitemus. Inflemus eloquentiae & ingenii omnes folles, quid niſi γέλωτα παρ' ἄλλων ὀφλισκαίνομεν? Illi rigent & opus eſt, ut ſol ille ab alto θαυμασίως plane eos accendat. En meum ſenſum, qui utinam re ipſa refutetur. Deſperas, inquis. Non equidem, quia μικροθυμοῦμεν natura, ſed quia ratione & πείρᾳ ſic ſuademur. An & morbus hic humilem jacentemque me facit? fieri poteſt, & adſcribe, ſi voles, τῇ ἡμετέρᾳ μελαγχολίᾳ, cujus non negamus partem bonam nos potiri. Videris Tungros praeferre Trudonenſibus, & cauſſam propemodum ſuſpicor, ſed ego tamen ad iſtos inclinabam, ob loci, ut ſcis, amoeniorem faciem & paullo cultiorem. Ipſi incolae magis noſtri. ſed coram audiam, atque etiam obediam. Quaeſo te ſemel, liber eſto & omitte omne, quodcunque ſuſpicare aut tergiverſare apud Lipſium; nam ego quicquid tale tradideris

Ἔξω δ' ὡς ὅτε τις στερέη λίθος, ἠὲ σίδηρος.

vide tantum ut litterae mihi tradantur, in caeterum nihil elabetur: Rogas de *Stanihurſto*, ecquid noverim? Ego vero, & ille me in parte. una viximus Leidae. Introrſum quid hominis ſit non ego tibi dicam: externa humanus, neque indoctus: de hoſpitio quid ego ſtatuam, niſi quod quilibet viator, καὶ εἰς τῶν χυδαίων, in publicum ibo. Hoc mihi decretum eſt. nemo turbet. mirifice ſum tenax, ſi quid ſtatui, &, ut ſic dicam αὐτογνώμων. Patres illos meos

meos inviſam, te, *Petrum Oranum*, & ſi quis alius opera noſtra ad menſam uti volet: ſed parca. Germania non reddit me Germanum: ſatin' hoc eſt tibi? nec diu ſane Leodici commorabor, ob cauſſas. Per literas ſemper confabulari licet, praeſertim e propinquo, & ſaepe ſuavius, quam κατὰ ϛόμα. O tempora, tempora, & o tenebrae, tenebrae, quando vobis fruar? ſed vale, & ride noſtrum hoc aut humile nimis, aut nimis altum. Tu interpretabere. Aquis, quae mihi nondum ὑγιάζουσι, Spadanis. III. Non. Jun. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA CXXXIV.

DOM. LAMPSONIUS

J. Lipſio.

Spadam.

Expecto, mi Lipſi, vel ſcedulam a te aliquam (ſed obſignatam) qua teſtaris heſternum faſciculum recte accepiſſe. Utinam is, [1] cujus nomen in poſtrema epiſtola ad me tua induxi, nobis eſſet φιλόπιστος. Hibernus ille, quem heri nominavi, ac tibi notum puto, mihi aliquando narravit, ſe magnis (ſi fecit, meritiſſime fecit) & multis laudibus apud eum te extuliſſe, ac digniſſimum dixiſſe, quem in familia admitteret, imo ultro accerſeret. Rogaſſe illum quis eſſes. Reſpondiſſe ſe quod res erat. Itaque dixit mihi, ſi adeſſes, effecturum ſe, ut ad ſalutandum eum admittereris, cum eoque ageres. Vix (nam te noram) ad haec reſpondi: aut certe ſermonem ita temperavi, uti convenire indicabam: nam gens illa (Hibernos volo) magis etiam, quam Angli, mihi ſuſpecta, de quibus (Anglis) Cardinalis *Polus*, herus meus (ſancta illa & nivea anima) hoc mihi diſtichum ſaepius inſuſurravit.

Anglicus angelus eſt, cui nunquam credere fas eſt,
Dum tibi dicit ave, ſicut ab hoſte cave.

At enim ipſemet Anglus; ſic eſt, ſed ita locutus, ut de Cretibus ſuis quidam ille eorum (ita Divus Paulus appellat) propheta. Dixit Hibernus, oſtendiſſe ſe illi, quem ajebam, *Inducto*, Politica tua, & hanc ſe tui, ita

 ut

1 Dubitare poterit lector, quem innuat, & quem ſaepe *Inductum* vocet: ſed in autographa epiſtola 131 inducta illa erant, τὰ περὶ τοῦ Ἄρχοντος, καὶ περὶ Ἀδελφοῦ. quamvis in deſcripto exemplari ab amanuenſi Lipſii exſtarent. ſed in alio exemplari erat, τὰ περὶ τοῦ ἱερέως *dicta*: credo Epiſcopum Leodicenſem intelligi debere, quem abhorrere a propoſito illo, quod per *Ximenium* & *Lipſium* *Lampſonius* urgebat, indicat, ſed Veneri & Chemiae deditum egregie deſcribit. fuit autem *Erneſtus Bavarus*, ultimo Februarii 1581. electus Epiſcopus & Princeps Leodicenſis, deinde etiam Archiepiſcopus Colonienſis in locum ejecti *Gebh. Truchſeſii* creatus. Frater *Erneſti* erat *Ferdinandus*, Bavarus. *Erneſto* huic dedicavit *Lipſius* Poliorcetica ſua: Vide vero quid ſaepe Epiſtola plus nos doceat, quam hiſtoria, a blandientibus & adulatoribus Aulicis ſcripta. nam quem *Lampſonius*, qui huic Epiſcopo ab actis erat, & interiorem ejus vitam noverat, & quotidie videbat, ut luxurioſum hîc exhibet; *Michaël ab Iſſelt*, Sacrificulus eſuriens, nobis in Hiſtoria Belli Colonienſ. lib. III. p. 369. ejus virtutes incredibiles enarrans, dicit inter alia, fuiſſe *invicta conſtantis animi adverſum voluptates omnes contumacia, & indixiſſe vitiis bellum.* I nunc, & fidem habe mercenariis ſaepe hiſtoricis, & praecipue ſacerdotibus mendicis, qui reges & principes nobis fere ſemper virtutibus omnibus ornatos deſcribere non erubeſcunt.

ut dixi, laudandi occaſionem arripuiſſe, quod ſi vere mihi iſta narravit; & ſi *Inductus* ipſe te peteret, neſcio an optare debeam, te ut ipſi dares. Hibernus ei jam pridem gratiſſimus διὰ τὸ γυναικάρειον μαλὰ εὔμορφον, an διὰ τὴν ἱερὰν τεχνὴν (ſic enim vani homines χημείαν indigetant) ita ut illum benigne admodum habeat (ȣ̓ φθονῶ) magna ei ad abundantem alitum pecunia non ſemel donata, ipſe Hibernus in praeſentia neſcio ubi abeſt. ſuſpicor, apud Parmenſem. nam & inde ſuſtentatur. noſti illud, *penetrant aulas & limina Regum*, quae limina Heroïſcus noſter ſemper horruit, ὁμῶς αἴδαο πύλησι. ſi igitur is, quem dixi *Inductus* te peteret, & ſi te ei dares, (ſed vereor ne cum Heroïſco ſentias) fortaſſe paullatim eum non tantum ἀπὸ τῆ ἄγαν ἀφροδισίων, ſed etiam a ſacra illa arte, quae perfida multos jam regnaturos mox mendicare (illi quidem a mendicimonio non eſt periculum, dico *Inducto*) coëgit, (quamquam utrumque ſcio difficillimum) abduceres; atque ei inſtillans illa; *Tu regere imperio populos*, *Inducte memento*, *Hae tibi erunt artes*, & quae ſequuntur, alium paullatim hominem, nempe αἰδήμονα, κόσμιον, Philologum, & Philoſophum, atque adeo Theologum faceres. non deeſt ei, ut ſcripſi, ingenium; non: καὶ γὰρ τ' ἀνδρὶ καὶ φύσει φιλόσοφός τις ἐνέςιν, ἀλλὰ τρυφαὶ, ἡδοναὶ, κολακεῖαι, ἀνάλωμα χρόνȣ εἰς ȣ̓τιδανά. ſicuti his fere uſu venit, qui tali loco, & in hujusmodi fortuna nati atque educti, graviſſimo quidem meo dolore (φιλῶ γὰρ καὶ ζηλῶ τὸν ἄνδρα) ſed tamen bona illa enecant, uti tu, ſerpentem hederam vires arboreas, poſtremo ſcribebas; Utinam igitur tu τὸ γενναῖον θήρειον ἐκεῖνο nobis cicuraris. poſſes fortaſſe (dico *fortaſſe*,) recenſendo, atque explicando illi Heroïſci noſtri opere; ſed de his uberius, Deo concedente, coram. Vale, mihi cariſſimum caput a tuo medullitus, quem noſti. IV. Jun. CIↃIↃXCI. Epiſtola tua cras Antverpiam perferetur.

EPISTOLA CXXXV.

J. LIPSIUS

Dom. Lampſonio.

Leodicum.

AN tamdiu ego ſileam? heri reſpondi, & dedi *Omalio*, illi ipſi, qui tuas. Ajebat ſe redditurum, & parare jam iter. Tuae tamen hodiernae me ſubmonent, & flagitant teſtimonium de prioribus illis acceptis. in iſtis ſunt quaedam de noſtro illo Hiberno, qui prorſus eſt ex illis

—— —— —— οἷα τε πόλλȣς
Βόσκει γαῖα μέλαινα πολυσπερέας ἀνθρώπȣς.

Homo alendus eſt, & quid ni cum divina illa arte? in qua illud ridiculum, homines auriferos (utar priſco verbo) ipſos egere auro. Fame pereant, niſi creduli iſti ſunt, quos perdant. At illud belliſſumum, quod me quoque Principi commendavit, & quaſi ad aulam. Tu haec audis, nec rides? in primis ego ab omni aula abhorrui, & is ero ſemper: nunc ſubito allubeſcam ad iſtam?

mi Lampſoni, ſi lucri aut honorum nobis cupido, pedem non extuliſſemus, unde huc venimus. illic parvi, magni, mei amantes & verentes, nec uſquam terrarum ſcio magis experiar in me pronos: plura ab aliis, quam a me audias. Sed Lipſio non harum rerum cura. πολλȣ̃ γε καὶ δεĩ, ait Orator. quid ergo? quietis tantum & inculpatae vitae. Aula illa magni Regis me vocet, non paremus. Invictus mihi animus adverſus opes, & cum Satyrico ſentio, *Bonae mentis ſororem eſſe paupertatem.* Atqui vivere debemus. Ita ſane; atque etiam honeſte volumus. nec deerit, ut ſpero, unde poſſim. Eſt in manu aliquid (vide quam libere apud te) & cum illud deficiet, litterularum iſtud aliquid nos ſuſtentabit. Dux magnus Etruriae jam nunc nuper nos vocavit ad Academiam Piſanam, honorario & viatico, quod ipſi definiremus. Elector Saxoniae jam bis. Etiam Lovanienſes noſtri, ut ex *Orano* inaudivi. ſed Italia longinqua eſt, Saxonia inviſa, Lovanium amo, ſed differo ob cauſſam. De Principe quidem iſto (cui tu feciſti, quod [1] M. Antonio & Commodo olim factum in faſtis) ut vel verbum in aures admittam, ſcito me ȣ̓κ ȣ̔τῶς ληρεῖν καὶ πεπῦφος. At emendare eum poſſum. Egone, qui plane αἰδήμων καὶ ὀλάζης εἰμὶ. atque adeo αἰσχυντηρότερος μᾶλλον τȣ̃ δέοντος. os habeo, & non habeo. Lingua mihi valet, ubi publice atque utiliter loquendum eſt, ubi ad privatos, aut inter fucos, haeret. &, ut cum Seneca loquar, *os mihi corruit & collabaſcit.* vide quem hominem ad aulam vocent, ubi ſola illa Ariſtophanis regnat μεγίστη τ̃ θεῶν Ἀναίδεια. Vis audire intimum meum ſenſum? coepi enim levare aulaeum meum. mihi, ſi arbitrio meo eligenda & capienda conditio ſit, amem privatim, & in domo mea inſtituere juventutem. Non illo ſcholarum more, abſit, nec confuſe & multos; ſed paucos exiguoſque aliquot melioris notae, & ſanguinis, & quos velut Achilles quoſdam producere ad rempub. poſſim ego Phoenix: ſed Deus & ego videbimus. Hi garritus ſunt depoſiti in tuam unius aurem. Vale. quando te exſpecto, inquies. de die non definio, tamen brevi. Nam fontes veſtri a me carmen aut hymnum non accipient. haud valde ad noſtrum morbum. Vale etiam, Aquis Spadanis Prid. Non. Jun. CIↃIↃXCI.

1 Nimirum, quorum nomina in faſtis & operibus publicis eraſa ſunt.

EPISTOLA CXXXVI.

J. LIPSIUS

Dom. Lampſonio.

Leodicum.

QUid autem ſcribo? paene hoc unum, me ſcribere. nam quae materies? ſum hîc in ſolitudine mera, inter montes & fontes: ſed fontes paullo magis mihi, niſi fallor, jam amicos & auxiliares. ſi tamen ſic pergunt. Hoc addo, quia timide aliquid de meliore valetudine ſcribo, ſaepe jam inductus. Dum in portu ſalutis eſſe me cenſui, ſubito in morboniam iterum ſum abreptus.

ptus. ſed fortaſſe Genius peculiaris eſt hujus loci & fontis. Deus faxit, ego illum ſacrabo. Sed quod de ſolitudine dixi; ita eſt: atque adeo ne *Oranus* quidem nunc adeſt, heri Limburgum, ut opinor, profectus. Moleſtam eam mihi cenſes. mea vita eſt, & noſtro animo priſci illi Anachoritae non ſancti ſolum, ſed beati. O quam jucundus ſeceſſus ille eſt, cum animus ſibi vacat ſine interpellatore, ſine turbatore, & velut in ſomno fruitur ipſe ſeſe! nec aliud habet, quod eam gravat & humi retinet, quam circumfuſa haec humus. σαρκίδιον, inquam, iſtud, & ut Stoici definiunt, πηλὸς κομψῶς πεφυραμένος. ut animus cavea libera in coelum ſubvolat. ſic ille. ſed heus, de filio quod injeciſti, quid ille, & qua ſpe? cupio ſcire. aetatem dico, προκοπὴν, indolem etiam καὶ φυὴν. ſcribe omnia, non ut pater, qualis, qualis erit, amabo, quia a te, ſed magis ſi te dignus. Ciſtam apud *Mylium* Coloniae depoſui, nunc repopoſci, & ad te aut bibliopolam notum devehi juſſi. ſi ad te, quaeſo, recipias, & mihi ſerves. libelli ſunt, id eſt, noſtrae opes. quod expendes, ego expungam cum adero. ſed non tam numero fiet, ſi ſic ſalutares mihi aquae, uti nunc ſe oſtentant. Utinam ne fallaces ſint, ut ſolent Nymphae; & tamen ſint, ut volent, mihi remedium. Quid illud? Plautinum,

Animus aequus optimum eſt aerumnae condimentum.

Noſtri Batavi faſtidioſi nunc & feroces, opinor, capta Zutphania. Atqui haec lubrica, & ego ad Irenem inclinare eos mallem, cum Europae totius bono. O ſi ille dies! nam amo certe gentem & locum, quod ſine noxa τῆς εὐσεβείας ſit. Tu vale, & ſi quid publicum privatumque habes, ſcribe, ut ſit quod reſcribam. Aquis Spadanis, cum quibus poene in gratiam redii. III. Id. Jun. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA CXXXVII.

DOM. LAMPSONIUS

J. Lipſio S. D.

Spadam.

HAs trado *Chriſtophoro Rogiers* Lovanienſi, ſororio *Caucio* tuo, qui heri a vobis huc venit. mitto tres faſciculos heri Colonia acceptos. unum tantum ei trado, qui Antwerpiam vel feret vel mittet. Tuum Colonienſem craſtino mane mittam. Quando Lipſium meum exſpectamus? Malim tamen diutius te aquis illis uti, ſi modo eas vel minima ex parte ὑγιάζούσας ſenties. quamquam & hîc uti, credo, nec incommode poſſes. verum quidem eſt huc afferri tantum eas, quae ſunt de fonte *pagano*: nam alterae de *ſauveur*, teneriores, quam ut afferri ſe patiantur. quibus tu, credo, non *paganis* uteris. ſed puto, ad te quod attinet, ambos fontes idem pollere: mihi quidem potanti fons *paganus* apprime placet. Exſpecto hîc tria verba ad poſtremas meas, & has, ut ſciam te tres hos faſciculos recte accepiſſe. Interim ut cum Tirone Ciceroniano ἀκυρολογῶ, valetudini fideliter operam dato. (*dat is te ſeggen: breekt*

breekt uw hooft niet te veel met ſtuderen) noſti dogmata Scholae Salernitanae. ut

Curas tolle graves, iraſci crede profanum,
Nec mictum retine, nec comprime fortiter anum;

puto vos quidem iſtic eſſe tutos. ſed tamen ego non nimium fiderem ambulatiunculae ad fontem *ſauveur*. Tu vide ne longuis a pago aberres. Satis, ſi te moderate exercebis: *πάντα μέτρια*. Vale etiam atque etiam. Leod. XI. Jun. CIↃIↃXCI.

Ex ſententia, ni fallor, *Eraſmi* in praefatione (ſub nomine *Jo. Frobenii* Typographi) ad Chryſopoeiam *Jo. Aurelii Augurelli*.

Τὶς ῥα τέχνην ἐδίδαξε τεχνῶν βασιλίσσαν ἁπασῶν,
Ἥ (1) πάσαις πανάκεια νόσοις, τὰ (2) μέταλλα τελειοῖ.
(3) Ἐντίμους τε λίθων τὰς χυδαίους πρὶν ἐοῦσας
(4) Εὐθρέπτονθ᾽ ὕαλον. ῥαιστῆρσιν ἀγωγὸν ἔθηκε
Πειράθ᾽ ὁμοῦ, χρῆσίς τε διδασκάλω, ἀμφῶ ἀρίστω.

Hi erant verſiculi Graeci, quos praeſcripſeram Chryſopoeiae Augurelli, cum Latinis illis pauculis, quos nuper miſi. Nam *Inductus* ille noſter libellum habebat de ſacra arte Germanica (quam pro adorando quodam *κειμηλίῳ* habebat) quem mihi communicaverat, ſic illa quattuor, quae notavi notis Arithmeticis 1, 2, 3, 4. profitentem

De adventu (quod hodie 12. Jul. ſcripſi) Guilielmi Bavariae ducis, & uxoris; nugae. Nuncquam Bavari illi duci tam notabilem extra ditionem egreſſum permitterent; Noſti Italicum proverbium, *Soſpettoſo come un Tedeſco*. Vale 12. Junii 1591. Noſti manum.

EPISTOLA CXXXVIII.

J. LIPSIUS

Dom. Lampſonio.

Leodicum.

REdeo ad garriendum. Quid enim aliud in his epiſtolis ſine ſubjecta ulla materia, quam *Φλυαρῶ*? ſed non inſuaviter aut *ἀπρεπῶς*; apud amicum ſiquid peccemus excuſet amor. Minaris te cum toto grege amicorum brevi ad nos. at ego interminor & edico, ne id fiat. Quae haec *ἀκρασία*, ſive intemperies affectus eſt? veterem verſum legi, *Amabit ſapiens, cupient caeteri:* vos illud facile, non iſtud. Nimium affectui indulgetis. Atqui ego (dixi nec fallam) brevi ad vos. nunc permittite me paullum in ſolitudine iſta otiari, atque adeo *ἀργεύειν*, & dum nihil ago hoc agere, ut magnum aliquid mox agam. Alicubi ſcriptum, *Vegeta & ſtrenua ingenia, quo plus receſſus ſumunt, hoc vehementiores impetus edunt.* Quid ſi idem mihi? lateo paullum, ut mox luceam, retro abeo, ut vehementius ſaltem. *Petr. Oranum* mei amantem certe,

te ſcio, atque amplius virum doctum eſſe ex epiſtolae, ut ſic dicam, unguibus, quam ad me ſcripſit. deſidero omnes vos videre, & garrire & hilareſcere ſuper menſam, ſi paullum modo firmior ſim. nam fontes veſtri, ut ſcripſi, magis nunc blandiuntur; etſi plene & firmiter auxiliares eos eſſe nondum ego adteſter. Pendeo animi de rebus in Batavia, rebus dico meis, & quae ad familiam & uxorem: nam ab illa jamdiu nihil audio, aut curata, quae volueram. fiet tamen ſpero & fido. ἐπεὶ ἐν ἀνδρὶ θεοῦ ἢ δὲ γε βουλή. Ille diriget te & me, & amicos ſervabit, quos ſaluto, *Carondeletum*, *Oranum*, *Thourinum*, *Launojum*. Aquis Spadanis XVIII. Kal. Jul. CIƆIƆXCI. Haſce ſcripſeram, interea accepi tuas binas priores, imo & alteras quoque, haud valde praegnantes aut rerum plenas. Quid tu aut ego faciamus? poſſimus & velimus ſeria! tempus non vult, parcamus. nam audi, mi homo; quantumvis tu integer, expertus, εἰλικρινής (pro tali habeo & habebo) tamen parum profecto ſapias, ſi chartae credas omnes tuos ſenſus. ne fac, non faciam & iſta in parte, ſimus Tiberiani. Riſi adfatim in Idiotiſmo & Laconiſmo veſtro Leodienſi: Quid cenſes. Sibylla mihi poene advocanda ad capiendum, tamen tandem attigi, apprehendi. Atqui tu novum & παράδοξον aliquid audi, in quo medici ſtupent: ego illa quamquam omnia uſurpo aut praeſto, & tamen agroto. ubi regula veſtra? jacet, Calores iſtos utinam aliquis mihi ſolvat aut temperet, quos tu magnificus Hippocrates diluere vis Hiſpanienſi vino. Tibi habe. ego a multis annis [1] non utor. Scripſi ante, nolle me vos advenire: reſcribo, & ſi commodum ita eſt, & lubet, venite, garrite, bibite. noſti illud Euripideum

—— —— —— Εἴ τι τυγχάνει κακὸν,
Εἰς ὄμματ᾽ ἀνδρὸς φωτὸς εἰσβλέψαι γλυκύ.

Ea lege, ut ſerium nihil agamus, ſed revera animum remittamus, & ut ſimpliciter loquar, nugemur. In morbis chronicis id juvat. ſaepe cum amiculis meis in Batavia ſic ſoleo. De adventu *Bavari* nihil credidi. *Parmenſem* Deus & bona fortuna comitetur, ſed magis illa dea, cujus amore perimus. Vereor ut umquam potiamur. Deus viderit. tu vale: XVIII. Kal. Jul. CIƆIƆXCI.

1 Aquae frigidae potorem fuiſſe Lipſium docemur ex Cent. I. Miſc. Ep. 100.

EPISTOLA CXXXIX.

J. LIPSIUS

Dom. Lampſonio.

Leodicum.

ORdiar a re triſti. de fontibus reſcribo omnia, quae nuper ſcripſi. Fallaciter me juverunt, & biduo iſto peſſime habui, cum neſciam invalitudini me dediſſe ullam cauſſam. haud diutius apud illos haeream. niſi quod ſermo aliorum & promiſſa retinent, qui volunt in chronicis morbis lente & ſpiſſe quoque eos juvare. Audi; ego diem ſummam tibi & illis praefinio. Niſi ſerio

ſerio & bona Romanaque fide intra octiduum juvent; alios lactent & fallant, non me ultra. Abeo ab iis, & ad vos venio quantum poteſt. diſpicere te nuper locum juſſi, ubi maneam & lateam: ſed in illa σκέψει unum non fuit, quod quidem valde mihi allaudant. Cogita. mihi certum latere aliquot menſes in his locis. Latere? imo & otiari atque ſolutiſſimo animo ἀργεύειν. ne carpe, alicubi ſcriptum. *Vegeta & ſtrenua ingenia, quo plus receſſus ſumunt, hoc vehementiores impetus facere.* Quid ſi idem mihi ſit? & dum nihil ago, hoc agam, ut magnum aliquid mox agam. In tenebris pauliſper ſum, ut mox ſplendeam; retro abeo, ut majore impetu ſaltem. non ſolet mihi mentiri ingenium, quaſi bonus & fidus ager, poſt quietem. de vino Hiſpanienſi quod offers, habeo gratiam. mirificus tu Hippocrates es, qui calores iſtos, quos nulla lympha temperet, minutum ire vis acri illo igne. De adventu veſtro, ne vivam aut convaleſcam, niſi gratus ſit. noſti illud

—— —— —— εἴ τι τυγχάνει κακὸν,
Εἰς ὄμματ' εὐνοῦ φωτὸς εἰσβλέψαι γλυκύ.

Et tamen eſt cur nunc nolim. Exſpectate decretorium illum diem; & an manendum, an protinus ad vos adeundum. ſi enim hoc, cur vos commoveritis? ſed illud potius ſit, & cum bono Deo, & cum bona Dea (Hygeiam dico) tunc venite. Ego vos exoſculabor mei tum amantes. Aquis ambiguis XVII. Kal. Jul. CIↃIↃXCI. Literarum quid hîc adjunctum vides. Illos Hamburgum & ad *Rantzovium* (nam eae additae) poteris Colonienſi via curare tuto, ut opinor, per *Prunium* noſtrum. de aliis conſtat.

EPISTOLA CXL.

J. LIPSIUS

Dom. Lampſonio S. D.

Leodicum.

SCripſi here. Quid nunc? hoc unum, haec ſcripta Antverpiam tuto & fideliter cures, atque etiam cito. Ad rem noſtram familiarem id valde pertinet. Nam recepi heri litteras, te curante, uxoris & *Moreti*, quibus hîc reſpondemus. De publicis quid audimus? Daventriam amiſſam? grande Regi vulnus eſt, ſi ita eſt: ſed quod fortaſſe (quis ſcit divina conſilia?) vocet in grande aliquod bonum. Ad pacem facilius utrimque inclinabunt. illi, quia honeſte jam poſſunt; iſti, quia utiliter debent. Quanquam quid haec ad me? qui jamdiu haec talia audire ſoleo, quaſi fabulas in theatro. Velim & voveo omnia optima: ſed curent & promoveant illi, quibus ea cura. Nos gubernatores non ſumus, imo ne remiges quidem, ſed meri ἐπιβάται & vectores. Mi Lampſoni, haec unica aut certe ſumma Sapientia eſt, curare quae ad ſeſe & ad animum, non ſatagere de communibus: quae ut cum Platone dicam, ἀτεχνῶς, ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ, ἄνω καὶ κάτω φέρεται, καὶ χρόνον οὐδένα ἐν οὐδένι μένει. (*aſſidue, tanquam in Euripo, ſurſum deorſum feruntur, & nullum tempus in ullo*

manent.) Sapientem vocem, & fixa mente advertendam. quod ego jamnunc faciam, & huic cogitationi indormiam. Vale, mi amice. Aquis iterum melioribus, xv. Kal. Jul. ∞.IↃ.XCI.

EPISTOLA CXLI.

DOM. LAMPSONIUS

J. Lipſio.

Aquas Spadanas.

MIrus & mire ἐφέλκτικὸς tuus Genius. Ecce epiſtola ab Epiſcopo Antverpiano, quam aperui, quia mihi imperare non potui, quin tuam ad eum aperirem. Ignoſce mihi igitur & hanc ſigilli alieni violationem. ſed & ut utrumque hoc peccatum una ſpongia deleam, addo & tertium. mitto & *Thurini* noſtri Epiſtolam, a me reſignatam, verum quo placatiorem te habeam, mitto & ipſius ſchedium ad me, cum quo epiſtolam miſit. addo & partem Epiſtolae [1] *Minutii de Minutiis*, Legati Bavarici Romae, qua de te agit. vides, quam amanter & officioſe, ut & *Thurinus*, qui te in intimo animo gerit, optimus & feſtiviſſimus homunculus. *Et di vero* (Minutium volo) *e galant' huomo.* In fine: *tutto 'l mundo giubila, che ſi vide, che ſiate fatto noſtro.* ſed ego doleo *Heroiſcum* noſtrum ſenio ac valetudine impediri (inſolabiliter hoc moerens, cetera laetus) quominus opus ſuum perficere poſſit; atque illud magis, non adeſſe ipſi Lipſium, in quem reliqua meditationum ſuarum ſic transfundat, ut hic deinde ſcripto tradere, & quae a ſene etiam perfecta, recenſere ac perpolire poſſit. Vale XVII. Junii CIↃIↃXCI.

1 Hic *Minutius* de *Minutiis*, fuit Cardinali *Madrutio* a Secretis, & miſſus in Germaniam, ut internuncius Coloniae videret, ne quid res Romana detrimenti caperet per *Gebhardum Truchſeſium*, qui deſciverat a Papa, & *Erneſti Bavari* conatus adjuvaret. vide *Mich. ad Iſſelt.* lib. I. p. 212. lib. II. 324. lib. III. 396. & paſſim.

EPISTOLA CXLII.

DOM. LAMPSONIUS

J. Lipſio.

Spadam.

O te πανοῦργον! qui nihil mihi ſpacii ad continuandam meam fraudem reliqueris. ſed hoc bene, hoc gaviſus ſum, quod feſtiva illa epiſtola, ſine ora, ſine lacinia, lubentem te & hilarem oſtendit. video quid ſit. Ejeciſti διὰ τὴν κοιλίαν τὴν κάτω omne malum; belle eſt, ut quidquid a te. Epiſtolam ad Antiſtitem noſtrum (quid ni faciam?) ſed leniter & leviter aperui: dicas hoc eſſe peccatulum noſtri ordinis (Secretariorum.) non audemus. imo ne volumus quidem: niſi in tales epiſtolas, & talium animarum candidarum, & bene abluta-

lutarum ab aquis Spadanis, quae ut nitroſae mirabiliter purgant. Cras epiſtolam mittam, nec ſine mea, quamquam & hodie ſcripſeram. Tu in epiſtola tua κατ᾽ Ἐπίκτητον, lupos mihi & vulpes, & neſcio quas feras ingeſſiſti. Ita eſt, Lipſi, inter feras vivimus, & utinam nos homines! de noſtro *Inducto* quid tu? ſi iſtuc veniet? amplectetur te. Nihil illo humanius (*naa gelegentheydt*) *Ma biſogna eſſer bon compagno*; ut homo eſt ita morem geras. ſic intellexeram, brevi affuturum. falſus ſum, credo. *Dan er iſt ein fogel im feldt. Venti campi.* τὰ πετώμενα διώκειν. ubi cenſeas adeſſe, multis paſſuum millibus abeſt. Tu indulge iſtis aquis, & niſi negotia nos diſtinerent, profecto primo quoque tempore me una cum familia iſtic haberes. nam & uxor locum iſtum nunquam viſum videre geſtit. ſed in agro hoc noſtro ſemper neſcio quid eſt, quod agatur. cave κῆπον illum intelligas; qui menſibus Junio, Julio & Auguſto magis occluſus, quam flos ille Catullianus; nobis praeſertim, ὧν ὥρη ἀπημβλώθη, καὶ θυμὸς minime μενοινᾶ. ſunt, inquam, ordinariae noſtrae functionis occupationes, γελοῖος Κρόιτου λέβης. Advocati noſtri ſuas habent ferias, quas *vacantias* vocant, nos, quibus non licet eſſe ignavis, nullas. Vidi tuam, quam ad *Oranum*, ut & *Orani* ad te. nam ille nihil me celat. ſed & *Thurinus* te in oculis, in animo. Uterque certe commodus ſodalis. videbis, quanquam quid & quos tu non vidiſti? ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθης. Ecce, docuiſti me ſerio ſcribere, qui non reliqueris in epiſtola marginem. Accepi libros, curabo compingi, ut vis, Et jam *Hovio* noſtro tradidi. Invenies hîc, vel ſi voles iſtuc mittam. Vale, & quantum potes ὑδροπότει. Adduxere ſitim tempora. ſed ſerio agamus. ſignifica ad omnem occaſionem de tua valetudine, nam haec demum me ſollicitum habet: ſum incivilior. nunquam ſaluto ſodalem, ſeu comitem illum tuum. ſalveat igitur a me, tanto etiam magis ex animo, quod comes tuus. Vale. Leod. 27. Jun. CIƆIƆXCI.

EPISTOLA CXLIII.

J. LIPSIUS

Dom. Lampſonio.

Leodicum.

JUvant me haec colloquia litterarum, & bene ſit C. Caeſari, qui rationem hanc inſtituit, etiam inter praeſentes. Ego utar. libellos illos quod Colonia petieris, vereor ut fruſtra. rari ſunt & vix in iſtis locis ὤνιοι. Ab amicis parandi ſunt. Niſi Gallia tam turbata, facile id nobis. de *Inducto* amice tu: & profecto, ταῦτα φίλα φρονέων ἀγορεύεις, ὥστε πατὴρ τῷ παιδί. Sed, mi Lampſoni, quae ratio, aut quae ſpes eſt? docere me velles: ſcio poſſe & Suada ac Venere non invita. ſed quis hîc locus, aut occaſio? Juventus nulla, niſi rudior atque infirmior, & ad cujus captum non haec noſtra. Et ſi qua paullo altior aut aptior, abducam ab [1] illis, quos intelligis? At grandiores

 me

[1] *Jeſuitis:* quos offendere timebat, & quibus obnoxius vivebat.

me audient. Ignoſce, non amo hanc ambitionem, nec valde ego factus ad ullam ſcenam. Seria ego amo, & uſum mei libenter praebeo, ubi vere uſus. Meum conſilium hoc eſt (quid te celem?) videre paulliſper & circumſpicere, quo res Belgicae inclinabunt. ſi Lovanii quies aut ſecuritas, recta illuc, non tam profeſſionis cauſſa, quam quia locum amo, & vicinus illic meis agellis. Ii me ſuſtentare poſſunt, ſi fas iis frui. Interea otiari, latere, ſcribere, & cum paucis vobis tempus fallere, qui eſtis veri & veteres amici in hac urbe. ſi tamen juventus induci (ſed honeſte & ſine magno molimine) poſſet ad honorarium aliquod annuum ſuppeditandum, acceperim utraque manu. & is ſum, qui poſſim agnoſcere & rependere, non ſolum mereri. Habeo in manu opus grande, ſed mihi facile, in quo ritus omnes aevi priſci explicantur, ſacri, profani, civiles, militares, publici, privati, & ad ſummam, quidquid in re Romana. Nego eſſe aliquid, aut certe pauca in auctoribus, quod ex inſpectione ejus libri non ſtatim clareſcat. FACEM HISTORICAM appello, & remotis omnibus commentariis ille ſit commentarius (idque facili quadam methodo) ad omnes. Jactare non ſoleo. ſed ſcio plura eſſe in uſu & fructu ejus libri, quam dictum. Ad tale aliquod opus perficiendum juvari a Principibus viris olim & Patrum aevo mos fuit, imo ambitioſe & ultro petebant multi. ſed nos hoc quoque aevum novimus, nec accuſamus. Quidquid eſt, mi Lampſoni, neque propere, aut nimis amanter fiat, ſed σχολῇ omnia, καὶ ἠρέμα. De teſtimonio ſcripſi & miſi ad illum, quem dixi: ubi reſponderit, reliqua videbo, atque etiam haec deliberabo, an non ad illum ſcribam, qui in Ubiis τοῦ [1] Ἀρχιερέως ἄγγελος, qui mihi valde amicus, & ego tibi aeternum. Leodii III. Non. Jul. CIƆIƆXCI.

1 Papae nuntius. vid. Ep. 124. & 141.

EPISTOLA CXLIV.

J. LIPSIUS

Dominico Lampſonio.

Leodicum.

ERgo me iterum Spadae eſſe, non per me ſcias? debes tu, vetuſtiſſimus ille amicorum, quos in Eburonibus habui ([1] *Langium* excipio) καὶ ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. ſed quid? tamen quoque venies? deliberaſſe videbaris, cum poſtre-

1 Intelligit *Carolum Langium*, quem Gandavenſem facit *Valerius Andreas* in Biblioth. Belgica. quamvis notet, *Lipſium* eum Bruxellenſem feciſſe. *Gruterus* in Chronico Chronicorum Eccleſiaſtico Part. II. p. 1166. Brugenſem fuiſſe ſcribit. Canonicus fuit Leodienſis ad S. Lambertum. Mortem ejus deplorat *Lipſius* lib. IV. Epiſtolic. Quaeſtion. cap. 17. ſed cum nota temporis non adſit, incertum aliquem facere poſſet diſcrepantia aliorum. nam *Valerius Andreas* dicit obiiſſe IV. Kal. Aug. CIƆIƆLXXIII. & *A. Schottus* in Epiſtola ad Gruterum ante notas Langii ad Ciceronis officia, cui conſentiunt *Miraeus* in Elogiis, & *Sweertius* in Athenis Belg. Morerius in Lexico mortem confert in A. 1574. atqui Gabbema Centur. II. Epiſt. VI. edidit Epiſtolam *Suffridi Petri* ad Torrentium ſcri-

poſtremo te conveni: atque utinam ſententiam mutaveris, valetudine mutata. Nam ſanum te malo, quam praeſentem. Tamen ſi illa parum proſpera perſeverat, vide ecquid levandae illi ac focillandae non ſolum fontes ſint, ſed etiam locus ipſe varius, inaequalis, factus ad ambulatiunculas, & plane oculis, atque animo recreando. Quid amici? me certe hîc habebis, plura non dicam, noſti illud Euripidis Poëtae Philoſophi. εἴτι τυγχάνει κακὸν, εἰς ὄμματ' εὐνῦ φωτὸς εἰσβλέψαι γλυκύ. Ego valetudini curandae totum me do, vacuus a curis atque etiam doloribus, quorum recens argumentum. Cognatus meus ex ſorore unicus, quem heredem aeſtimabam, periit mihi, nondum viginti annos natus, violenta morte ſive caede, id eſt, ὀξεῖ χαλκῷ. Uſu & ratione doctus jam haec talia fero, atque illud ruminor, ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖς ζώειν ἀρνυμένυς. Mihi iſte dolor, aliis alius. imo mihi ipſi alius, alius. Ambroſiam & nectar non hîc, ſed in ſuperis potamus. in terris pocula moerorum. o me fatuum! quî ſcio an legere tibi haec ipſa libeat? ſcio quid ſit languere, & quamtumvis animus a ſe promptus atque alacer, tamen profecto deprimitur a corpuſculo iſto, καὶ συμπάσχει. Ab ſe ſtare ille poteſt. ſed hoc ipſum quod ſtet, aegre oculis ſubjicit & oſtendit. Vale, mi Lampſoni, cum tua, & ſi potes, manu reſponde, ſin minus, animo, quod ſatis eſt. Aquis inclytis VI. Id. Jun. 1592.

ſcriptam XVII. Maji CIↃIↃLXXI. qua ille mortem Langii luget: quae conciliare nequeo, niſi vitium ſit in Suffridi Epiſtola, & ſcribendum CIↃIↃLXXXI. quod confirmat alia epiſtola ad Torrent. eadem Centur. 74. ubi agit de eodem negotio. & quae eum annum praefert. in eadem Centuria eſt Epiſtola I. *Suffridi* ad Langium, & II. Reſponſio *Langii*.

EPISTOLA CXLV.

J. LIPSIUS

Corn. Prunio.

Antwerpiam.

CUm libros meos *de Conſtantia* ad Senatum veſtrum mitterem, V.C. cujus tu pars es, viſum fuit, ut epiſtolam ad te adjungerem, & ſimul ejusdem libri a me munus. De quo quae tua virorumque piorum ſententia futura ſit, pendeo. Novum enim hoc ſcribendi genus, nec ſcio an inter tot variantes de pietate opiniones ſatis tutum. Quanquam temperaſſe mihi videor, & res illas altas & arcanas, non niſi veteri quodam philoſophorum more, attigiſſe. Sed jacta eſt haec alea: quae non niſi optime cadet, ſi animum manumque ſequetur ſcribentis: ſi qui deterius interpretabuntur, hoc ſaltem conſtantia mea me docuit, ut iſtos e circulis judices audiam & contemnam. Tu, V.C. Vale, & Lipſium inter eos amicos cenſe, qui raro te interpellant, ſemper amant. Lugd. Batavor. 18. Kalend. Novembr. Anno 1583.

1 Ita repperi hanc epiſtolam, quam, ut ſaepe ſolebat, aliter & pluribus verbis edidit Lipſius Cent. I. Miſc. 59.

EPISTOLA CXLVI.

J. LIPSIUS

[1] *Victori Giſelino* S.

FIdem tamen libero: & ſcribam ea, quae ad cauſſam tuam pertinent, etſi non libenter. [2] *Buſius* diem unum hîc fuit, egi cum illo de *Victore* meo; ut debui, amice & fortiter. Nihil peregi. Tricari ille, velle, non poſſe; aerarii inopiam cauſſari: & plura tegimenta, quae hujusmodi hominibus nunquam deſunt. *Douza* item egit, effectu pari. nec aliud ad extremum, quam illam de Haga cantilenam rettulit, & Medico aulae. Nugas. Ego offenſionem non diſſimulavi, & ſcio etiam offenſum ipſum. Quid refert? ea hîc moventur, quae vereor, ut initia ſint majoris motus. ad ſacramenta imus, & ad [3] horcos, & ad Orcos. Deus & mens mea mihi teſtes, quam omnia pro patria velim, & mori poſſim pro bono ſtatu. ſed non firmabimus res labentes iſto vinclo. Ceterum magnus ille rector viderit: ego conquieſco in conſtantia mea, de qua judicia veſtra expecto. Pergone in hoc genere? an deſino ſcriptionem, quae cum invidia multorum & cum paucorum fructu? Habebam tamen in manibus de magiſtratibus P. R. nec ſcio an abſolvam. illud ſcio, & apud vos depono, mihi non difficile eſſe per partes illuſtrare & exſequi omnem rem Romanam. Tu in Plinio quid? nolim ceſſes: Digna te pro-

1 Edita I. Cent. Ep. 45. primae editionis; ſed aliter paullo.

2 *Victoris Giſelini* vita a *Miraeo* in elogiis. *Val. Andr.* in Biblioth. Belg. & *Melch. Adamo* in Medicorum vitis eſt deſcripta: *Valerius* natum ſcribit x. Kal. April. 1543 *Adamus* 1549. quem etiam ſequitur *Lindenus* renovatus. Condiſcipulus & aequalis *Lipſii* & *Lernutii*, inter quos tres artiſſimum Amicitiae vinculum fuit. Ex his epiſtolis apparet, laboraſſe Lipſium, ut Giſelinus in Academiam Leidenſem vocaretur, ſed *Buſium* non potuiſſe perduci, nec *Duzam* fuiſſe facilem, aut non ſatis potentem. vid ad Epiſt. x. *Lipſius* ad *Douſam* Dec. II. Epiſt. 5. a Pontano Edit. privatis amicorum ſtipendiis, & mercede *Plantini*, quam ille pro opera & conſilio ipſi ſolveret, *Giſelinum* retinere volebat: nam ipſe Leidae eo tempore erat. quid obſtitiſſe credemus? an religionem? an *Giſelinus* a Lipſio ſimulare & ſcenae ſervire didiciſſet? praecipuum, quod edidit, ſunt notae in Prudentium, de quibus non benigne ſentit *Barthius* ad Stat. II. Theb. 713. XI. 8. & Adv. IX. 20. & XVI. 4. curas ſecundas ſuperfuiſſe teſtatur Lipſ. III. Cent. Miſc. 76.

3 Vid. ad Epiſt. x. & ſeqq.

4 Credo *Lipſium*, qui ſcenae ſerviebat hoc tempore, ſollicitum fuiſſe, ne novo ſacramento cogeretur fidem ſuam reipubl. adſtringere, & imperium omne regis Hiſpaniae ejurare. *Borrius* lib. XVII. pag. 34. narrat A. 1582. prodiiſſe libellum, in quo firmiſſimis argumentis contendebatur, omnes cives in verba Ordinum jurare eſſe cogendos, & contra Hiſpaniarum regem, patriam & leges eſſe omni ope defendendas. id coacti fuerant jusjurandum praeſtare Catholicae religioni addicti Antverpiani, cum a Duce Alençonio obtinuiſſent publicam cerimoniarum facultatem. vid. *Meteran.* lib. XI. pag. 121. *Hoofd.* lib. XIX. pag. 812. Video *Gerardum Loonium* in recens edita prima parte Hiſtoriae Belgicae nummariae p. 313. adducere decretum ordinum Hollandiae 19. Aug. 1581. quo omnes, qui Feudales agros poſſident, jurarent in nomen Guilielmi Arauſionenſis, cui decreverant ſummum imperium deferre, & Hiſpaniae Regis obſequium ejurarent: ſed de eo non agere videtur Lipſius, qui in illo ordine non cenſebatur. ſed reſpicere ad Edictum Ordinum Foederati Belgii 26. Julii 1581. quod habet *Borrius* lib. XVI. Hiſt. pag. 35. Edit. prioris & p. 38. ubi formula jurisjurandi, decreta XXIX. Julii ejuſdem anni, exhibetur.

provincia eſt, & a qua lauream aeternam referas vere Victor. *Lernutii* noſtri carmina quando gradum addunt ad nos? expectari ea ſciat, ac ſpondere me & reſpondere de typis. *Douſae* Epodon puto me nunc miſſurum. a *Lernutio* litteras expecto. atque item quid ſtatueres de rebus tuis, & quid videatur. Meam ſententiam contra animi mei ſententiam non celo: quae eſt, Nil movere: ſuſpenſa enim omnia, & ſuſpecta. Vale. Kal. Decemb. 1583.

EPISTOLA CXLVII.

J. LIPSIUS

Victori Gizelino S.

Brugas.

IN negotio tuo, mi Gizeline, vere & ex animo loquor, torqueor pro uno & ſummo amico non poſſe hoc me? Fruſtra enim hactenus omnes molitiones, quanquam & *Almondium* oppugnari juſſimus per *Grotium*, aliosque amicos. Sed mirum quam in manu nunc omnia unius hominis ſunt, qui trahit nos ad unum: ſcripſi tibi nuper exacte omnia: & ex epiſtola tua video, nihil dum te eorum reſciſſe. ſi ne nunc quidem, & ſi periit Epiſtola illa, fac ſciam. Mea enim intereſt: quoniam quaedam in eam ſcripſeram παῤῥησιαζόμενος. Exemplar quidem apud me eſt, & per fidum transmittam. *Douza* noſter non dubie vult: ſed ut ſtatus eſt, ſine nervis. Nec tamen ceſſamus, aut ceſſabimus; Tu, tantum quaeſo, ſuadeoque, ne quid praecipites: nec aurum utique putes eſſe, quod ſplendet. ſunt & nobis noſtrae curae, & metus: graviores fortaſſe, quo tardiores. mihi quidem quae de Horcis moliuntur ſpectare videntur ad Orcos. librum de Amphitheatro ne cogitatum quidem, cum hîc eſſes, abſolvimus, & Typographo tradidimus, lucem is dabit largiter muneri utrique, Gladiatoribus, dico, & Venationi: de A. Gellio nihil, ignoſce. eo jam veni, ut famam precibus non emam, Quis nodus in hac re ſit me fugit: qualis qualis, non ego illi cuneus. de *Colvio* jam ſcio, & litteras ad *Egmondum* miſi, cum alteris ad *Cujacium*, in quibus item pro *Jano Gulielmo* laboravi, cujus ingenium, & ſcripta mihi probata ſupra *Palmerium* eum, quem dilaudat. Ab Antverpienſibus munus accepi aureum, ſane honeſtum, cum venies, cernes, & bibes; luctum meum te non celo, qui recens in morte ſororis. Periit mihi illa unica, curis horum temporum confecta & languore; onus mihi duorum liberorum reliquit. mihi: Nam de patre quid expectem aut ſperem? Bonus ille & facilis. ne ſibi quidem regendo par eſt, ne dum ut pueritiae iſtorum. ſed ferimus & feremus, nec indigni Conſtantia noſtra erimus, quae variis quidem apud me litteris probatur indies. Vos de ea quid? An diſplicet ſeverum hoc genus? itaque tranſeo demum ad Venationem meam, & ad ludos, ſi animo tamen imperare poſſum hanc alacritatem: Ea enim in illis dialogis mihi opus eſt. Vale, mi Victor, & me tuum eſſe ſcito pura fide. A *Douza* litteras nondum extorſi. ſi erunt, adjungam. Lugduni Bat. VI. Id. Januar. Anno 1584.

EPI-

EPISTOLA CXLVIII.

J. LIPSIUS

Victori Giſelino.

Brugas.

ACcuſas te, mi Victor, dum excuſas. Oratoriam non didiciſti? abſtine, quaeſo, loci illius, in quo nihil eſt, vel quod probabiliter dicas. Iter periculoſum. nempe hominibus, ſed non litteris. quae ſi pereunt. quid praeter chartam? Nam amica potius, quam ſeria inter nos ſcribimus, ſuavia, quam gravia. At mater irata, quid hoc, ne ſcribas? Miniſtros omnes feci adminiſtros. Di bene vertant, ſi ſubſerviunt tibi jam Dynaſtae. ſed utinam tuae literae unae commearent, pro illarum decimis! Non enim illi ceſſant. Nec homines reperias lingua aut manu minus ignavos. ſed quid nugaris! Macedonem te facito & dic aliquando ficum, ficum. Negligentia ſola eſt, quae te impedivit, & torpor. Sed vide me clementem, & alterum Caeſarem: Oppugno, vinco, ignoſco. De re tua quid etiam nunc ſcribam? omnia circa te tarda, non ſolum ipſe. Nunquam vidi navem magis obhaerentem *Douſiano* huic vado. Nos conamur remis & velis. fruſtra retinet nos una illa torpedo. Amphitheatrum inſcripſi, ut locus eſſet novae gratiae. Quid ſperem? Jovem illum ſcio minis placari potius, quam ejusmodi extis. Tamen illum expectamus, qui a menſibus duobus pedem non poſuit intra hanc urbem. *Lernutius* votis contrariis nos oppugnat: quaeſo Deum, ne ſit impetrabilis. Quanquam ſerio, quid ſuadeam haut plane dum conſtitui. animo & amori ſi obſequor, ſuadeam huc tranſeas. ſi rationi & conſilio, deliberes. Cineres & favillae illic. quis ſcit an brevi hîc ignis? De *Lernutii* epigrammatis quid ſentiam, ſcies ex ipſo. proba & erudita quamvis, ambigimus tamen de editione. *Jani Gulielmii* libellus valde ad meum guſtum. Quod quaedam in me putas ſcripta; nihil doleo aut queror. ſcio amari me ab illo, & honeſtiſſime compellari in eo ipſo ſcripto. diſſentire quemquem a me fas non putas? Imo in multis jam ego ipſe. Denique litterae mihi ab illo recentes plenae charitum & amorum. Plurima vaſa nondum expolivi aut expedivi. Tua quid? jam inania credo, quae in Batavis turgebant. ſi bonus Lupercus fuiſti, tetigeris uxorem tuam cauda non infoecunda. [1] Miſellus noſter Saturedo Lutetiam venit, & ſementem tandem aliquam faceret in Attico Agello. *Guilielmus* ad me ita ſcribit: & ſimul rogat, ignoſcam, quod ſcaenice paullulum tetigerit meum hunc amicum. tenes riſum? Reſcripſi clementer & εἰρωνικῶς. At tu cogitatione, ſcio, me percutis de Agellio: & cur fers, inquies. Fero libens. cur eripiam enim tam bono cultori unum hunc agrum? Qui neſcio an fertilior domino futurus, quam tot pueriles agelluli, quos jamdiu arat infelici vomere & ſine fructu. O me hominem malum! Fateor. adde aptum nunc ridere & nugari, ſi eſſem vo-

1 *Lud. Carrion.*

vobiſcum. Omnia vitra mihi ſtillarent ſale & melle. Sed *Lernutius* huc veniat, ſi vir eſt. Homo tam venuſtus amare metuit? ſumat aliquid de fato aut facto *Carrionis:* magis ab igne. *Douſa* noſter lentus eſt: & neſcio quid genii tui ei adfricuiſti hîc praeſens. ſane ego litteram ad vos nullam ab eo extorqueo. *Metkerkum* Praeſidem hîc expectamus; virum perfectae bonitatis. Sed jam ſeria. Iperâ quid fit? eſtne reſiſtendo? certe illa dedita, recta ad vos itur. niſi quid expergiſcantur Galli. Vide quam belle faciam tibi metum. quem utinam detergeat & deminuat Conſtantia tibi in parte. quem foetum ingenii noſtri niſi ſerio probas, (audebo dicere) non ego te. Sed vale. & ſi omnia contra facturus es, quam ſcribo, ne ſcribe. Uxori tuae a me ſalutem, &, paene addideram liberis. Hem! an omen aliquod eſt in tam improviſo cogitatu? Non opinor, & paene addam non valere te. Ignoſce, ita ſaepe tibi tua uxor. Lugd. Bat. Non. Mart. 1584.

[1] EPISTOLA CXLIX.

VICTOR GISELINUS

Juſto Lipſio ſuo S. P.

Leidam.

CUm vetere igitur morbo, mi Juſte, iterum pugna tibi? Odioſae Litterae: male nuntiatis. Non debuit ad communes atque inveteratos dolores hic privatus novus accedere, afflictiſſimumque hactenus animum dejicere prorſus atque exanimare. Sed unde ego in haec verba? Imo gratiſſimae mihi litterae, & quibus nihil umquam acceptius. Ut enim hodie ſpes ſumma, miſerias noſtras tamdem ad ſummum perveniſſe, eamdem illae mihi ſpem de tua valetudine, ſi non liquide, oſtendunt tamen. Et rationem vide. Cauſſa morbo tuo duplex, animi, corporis. Et illam quidem e *Rondoletio* meo, vel e re potius cognitam tibi & exploratam, tecum gaudeo ſimul & ſentio. Revera enim hepatis eſt calor, inde totius meſaraei, ac ventriculi denique, qui ſine dubio ab obſtructione viſceris, quod τῆς αἱματώσεως officina: qua obſtructione nihil hac ſaeculi parte uſitatius, freqûentius. Craſſus enim ac lentus ſanguis, utpote minus minimumve coctus, compreſſis in corde, diſſipatis in cerebro ſpiritibus, (haec enim ipſi vehicula) torpeſcit facile, ſeque haeſione & mora ipſe ſtipat. Ab hac ſtipatione, meſenterii & hypochondriorum gravitas ſimul & calida intemperies. quae ſi magis magiſque pluſculo tempore increverit; jam fuligines ad os ventriculi, inde in caput, tamdemque (niſi tempeſtivus occurſus) praecordiorum, ut vocant, melancholia. Tu, mi Lipſi, cui cauſſarum iſta ſeries nota compertaque abunde eſt, cuique in hac pugna & lucta tot praeſentes laniſtae Medici, a me nullus monendus, de remediis quidem. perge modo (repeto totidem verbis tua) frigerare, penetrare, aperire, ſimulque addere robur viſceribus & membris. Sive vero majorum more & ratione tibi me-

1 Reſponſio ad Lipſii 1. Miſc. 8.

dicina fiat, confiat, ſive nova arte Recentiorum: tibi gratulabor, & gaudebo etiam iſtos eſſe Deos, qui votis damnare poſſint. Tantum moneo, ut in ipſa victus religione non tam Medicos audias, quam teipſum, praecipue vero in tollenda altera morbi cauſſa, quae ab animo eſt. Ei nullum praeſentius & praeſtabilius remedium Conſtantia tua. cujus eam vim & energiam litteris tuis, imo mentibus noſtris impreſſiſti, ut ipſi videamur potius a te conſolandi fuiſſe, quam tu noſtra alloquia appetere. Eſt & alterum, quod item & penes te, & in te eſt, mentis a publicis rebus & curis aut quies, aut certe interquies; & a ſtudiis gravioribus remiſſio. Cur enim, cum maximam aetatis partem aliis tribueris & conſumſeris; nullam tibi tandem ſumes? Imo ſi amicum audis, ſi Medico obedis; omnino jam interjunges, dum corpori & ingenio vigor priſtinus redeat; vel abjunges potius, tamquam iterum vigentibus tibi proprie uſurus. Quo magis te, mi Lipſi, rogo, atque hortor, ut quod, viribus paullo firmioribus, de Ubiis & Eburonibus aquis decreviſti, omnino perficias. ſi non aliud; remittes ſaltem, laxabiſque adſtrictum animum, cumque aura ſalſuginoſa hactenus prope marcidum, mitiore populari recreabis, adſpirante aliquando diva Irene. Ne dubita, quantum acidae illae aquae corpus juvabunt, firmabunt, tantum patrius ille Zephyrus divinae tibi particulam aurae. Atque haec de vita valetudineque tua (conjungo utrumque, tu disjungis) omina mea, quae litterae tuae obſcure praecinerunt, certo dictat mihi Mens, firmabitque divus Apollo. Nam Morychis ille quid aliud praeterquam mentem meliorem? tanti illi non mihi, ut pertinaciam ipſorum ego ſperem mutare, cui impar ingenioli mei mollities. Multo potior de criticis tuis cura. quando illa, ſodes viſuri? ſpes eſt prope aliquammultos dies. Lacon, uti hariolare, fugit unde abierit, neſcio an ad Gaemonias. Ut enim bonae Menti aliquando litet, ne optandum. Ille ergo cum ſuis vivat valeatque moechis. fratrem nondum conveni niſi per litteras. vult credo ſolide me voluptate perfrui. quam partim videor praecepiſſe, ſi de uxore verum eſt, appuliſſe. ſed rectum neque ſcio ipſe, neque perſcribo. Ab illo meaque uxore, tibi, tuae, communibuſque amicis omnibus ſalutem. Vale, amicorum ocelle. Rotomagi VIII. Kal. Septemb. ∞. IƆ. LXXXV.

EPISTOLA CL.

J. LIPSIUS

[1] *Nic. Florentio.*

In Hiſpaniam.

VIvimus, Florenti, vivimus, & quidem tui memores. Nam modeſtiam & virtutes tuas, quas olim adoleſcentes parum capiebamus; ſuis pretiis nunc aeſtimamus abſentes. Utinam idem animus veſter in me, qui in vos meus. Patrono quidem illi noſtro magno obnoxii & devincti ſumus, & mane-

[1] De *Florentio* vide ad Epiſt. cxx.

nebimus aeternum. Nos, ut poteſt in his turbis, ſtudia tractamus: nec ſatis ſcio an opellae noſtrae manent etiam ad illas oras. Certe non ea tanti: ſed tamen quae de Conſtantia his diebus ſcripſi diviſa in duos libros, non indigna cenſui tuo adſpectu. ſiquid in iis durum vel incautum (etſi vix opinor) facile tamen mitigabit & diluet ſcaena haec & facies rerum, qua ſcripſi. Jam nunc etiam edo de Amphitheatro librum, in quo facio te loqui mecum. Tam vane? inquies, Vane, ſed ex more ſcilicet dialogorum: in quîs a vero abire nobis fas, etſi non a decoro, tu quid agas, quid veteres familiares, valde aveo ſcire, quos velim a me ſalutes & in primis D. *Sexagium*, affectu certe meum. De illuſtriſſimo Domino verbum non hiſco. nec tanti ego, qui interpellem. Votum ſaltem meum in hac chartacea ara tacitus ſigno. Vale, Leidae, quo quies ſtudiorum nos traxit. Cal. An. Nov. 1584. ſororem habes in hac urbe ſive ſobrinam (non enim recte intellexi) ſed tui certe amantem. quae ſaepius me interpellavit, ſiquid a te aut de te: nam audierat in Italia me vidiſſe. ſi videbitur, ſcribe.

EPISTOLA CLI.

J. LIPSIUS

Philippo Marnixio Aldegondio.

Antverpiam.

JUre me delectant tuae litterae, non tam laude Conſtantiae noſtrae (etſi ea quoque me capit a tam laudato viro) quam ſignificatione veri & aperti cujuſdam amoris; quem meruiſſe me nulla re ſcio, niſi forte amore: in quo uno efficere poſſum, ut ne vincar. At [1] hortatio tua ad graviora haec ſapientiae ſtudia, quam mihi cara? ſciebam eſſe, qui damnarent hoc omne genus philoſophandi: quos ego per me antea & nunc fortius contemnam, ſcuto illo judicii tui tectus: Judicii, quod magnum apud me fuit, & erit ſemper. Thraſeam meum, Deo volente, perpoliam; quem moratur tamen adhuc valetudo, non prorſus mihi ex voto. ſcis autem ad haec praelia componenda non ſanitate tantum opus eſſe, ſed quadam etiam alacritate. Interea velut oblectandi animi cauſſa, ſeceſſi iterum paullum ad ludos, & de Amphitheatro his diebus feriatis abſolvi, quem brevi habebis. Non enim verebor poſthac talia iſta ad te mittere, quoniam otium tibi ad haec inſpicienda etiam in negotiis tuis eſſe vis. [2] Commonefactionem tuam ad Principes ante ſeptimanas aliquot vidimus, & probavimus: nec celari auctor ejus potuit, etſi celatus, uti-

1 Vid. II. Cent. Miſc. 85.

2 Prodiit A. 1583. ſine nomine Aldegondi, hoc titulo: *Germani cujuſdam nobilis, & Patriae amantis viri, Commonefactio ad Potentiſſimos ac Sereniſſimos Reges, Principes &c. de Reipub. Chriſtianae ſtatu atque incolumitate conſervanda.* ſed *Aldegondium* auctorem etiam *Borrius* lib. XVIII. Hiſt. Belgicae pag. 29. laudat, & ejus ſummarium exhibet. hunc libellum laudat hîc *Lipſius*, & Tyrannidem, & jugum Hiſpanorum deteſtatur, qui poſtea Hiſpanis totius orbis imperium centies vaticinatur, & Divina providentia Auſtriacae Genti illud deberi adfirmat.

utinam certe ſcripta recte capiant: & prudentiſſimas praedictiones tuas veras ne experiantur ipſo eventu. certe gens illa imminet cervicibus Europae: & pauci advigilant ad jugum illud avertendum, ut noſter ait, *fatali quadam omnium ignavia & ſtupore.* ſed Deus gubernabit. Tu, vir vere nobiliſſime, amantiſſimum me tui amare perge. & hunc *Joannem Moretum*, *Plantini* generum, cum univerſa ejus officina de communibus ſtudiis optime meritum, quaeſo uti habeas commendatum. Vale Lugd. Bat. 3. Non. Jan. 1584.

EPISTOLA CLII.

J. LIPSIUS

Philippo Marnixio Aldegondio.

VIr ampliſſime, amicas valde a te literas accepi, & merito, quia valde ego in te amicus. Jam diu fui, & ex quo virtutes tuas novi, caluit in in me ille adfectus, ſed magis, cum te ipſum; admiratio potius antea, quam amor erat: nunc iſte, quoniam valde tu me amas. maneat aeternum inter nos hic conſenſus, & caeteris me tu rebus vincas, numquam iſta. quia amorem tibi & cultum majorem debeo, quo tu me major. Atque utinam inter nos ſaepius videremus & tempora, quae maligna in bonos, plena ſuſpicionum omnia, & praeſertim in dominanti nunc gente, quae ab hoc vitio non aliena. Aeſtate, ſi quid valeo, excurram, non ut aliquid ſerium agam, ſed ut ruſticer tecum, id eſt, ineptiam, garriam, diſcurram. ita homo ſum. valde me capiunt non ſermones ſolum liberi, ſed aura. Haec tamen nunc ad te ſerio. quid ſuades? ſecedere mihi ex his locis decretum, vel abire. Iſtud turbae ſuadent, & bellum, cui non finis. Illud morbus lentus, pertinax, & cui medici remedium quoque unum ponunt (ſcis illorum morem, & relictum hoc in deſperatione telum) aquas. Ad iſtas igitur propero. & quoniam pelli alia vi malus ille non poteſt, mergam. Acidi fontes in Eburonibus ſunt. quae viae tamen nunc parum tutae. ſed ejuſdem generis & virium mihi eſſe dicti, imo & lecti, apud Andernacum & Confluentes. Huc magis ſpectem. Eâdem fortaſſe de loco circumſpiciam, ubi languorem hunc & otium ponam aut ſepeliam. legere iſtud & docere paullatim mihi moleſtum. Et eſt ad vitam quod ſatis ſit, non multa cupienti. [1] *Gedeonem* adfinem tuum vidi, modeſtiſſimae frontis adoleſcentem; etiam ſermonis. placet indoles. nec ducere eam abnuo, quod in me eſt, & docere. dixi ad me ventitet, & praecipui aliquid jam coepi. de recta inſtitutione juventutis libros tres paramus, ſi in linea aliqua haereo ſanitatis. per hos dies emiſi de pronuntiatione, ludicrum opus & minutiſſimae rei. Ad lectorem ſatisfeci. Tibi otium hoc Deus fortunet, ad internum tuum fructum in primis. ſed utinam & ad noſtrum. quan-

1 Intelligit *Gedeonem Botzelarium de Aſperen*, qui ſub diſciplina Lipſii egregie profecit. vid. II. Centur. Miſc. 85. ejus epiſtolam ad Lipſium infra dabimus.

quanquam id diuturnum tibi fore cave ſperes. [2] Oſtraciſmus hic quidam eſt, magis ab invidia virtutis ortus, quam ab odio. & iidem illi Athenienſes, qui removerunt, admovebunt. vatem hoc dixiſſe puta. Condunt aliquamdiu nubes ſolem, ſed ille emergit. plura vellem. impedior. ſalve ab uno, qui vivus mortuuſque te amabit. Lugd. Batav. Kal. Veneris 1586.

2 Scripta haec epiſtola, cum Antverpiâ captâ *Aldegondus* frigore percuſſus, & rei male geſtae ſuſpectus, ſeceſſit in praedium Selandicum. vid. *Borr.* Hiſt. Belg lib. xx. pag. 47. hoc anno deſerere Leidam Lipſius meditabatur, ſed cum vias obſeſſas reperiſſet, Oldenburgi retentus, rediit invitus, ut alibi videmus.

EPISTOLA CLIII.

J. LIPSIUS

Abrahamo Ortelio. S. D.

Antverpiam.

VAlde me hac humanitate devincis, mi Orteli, etſi antea devinctum. ita enim prompte omnia pia offers, ut oſtendas vere amicum eſſe me tibi, & quod dici ſolet, te alterum. Quae opinio quod in me eſt, nunquam te fallet: reperieſque in Lipſio non doctrinae magis amorem, quam ingenuae virtutis. ſine fuco, ſine dolo; libros tuos in parte remitto, partem adhuc teneo, quia uſui mihi in iis, quae paro: inprimis illa [1] *Serlii*, quem peritum architectum fuiſſe video, & rerum veterum bene intelligentem. Ludicrum opus eſt, vel opella potius, quam nunc damus. ſed quid vetat ſeriis noſtris interdum miſcere ejuſmodi ludos? Tu, ut in iis, quae ad lucem Hiſtoriae & Coſmographiae jamdiu inchoaſti, ſerio pergas etiam te atque etiam hortor. Anne & aliquid de itinerario tuo inaudivi? ſane videor. Perge, & hoc quoque nobis da. His quidem jam turbatis confuſiſque temporibus in ſolo ſapientiae, & literarum ſtudio nobis voluptas & quies. Vale & *D. Vivianum* a me ſaluta. velim & *D. Prunium*, ſi ita occaſio feret. *Chirius Fortunatianus* nec nomine mihi quidem notus. ipſe ſane videre deſiderem, praeſertim in hiſtoria veteri. Lug. Bat. IV. Id. Jan. Anno. 1584.

1 Vid. Decad. III. Epiſt. 5. a Pontano edit. p. 37. quae initio ejuſdem fere argumenti eſt.

EPISTOLA CLIV.

J. LIPSIUS

Abrahamo Ortelio.

Antverpiam.

GRata mihi ſubmonitio tua de *Andrea Schotto*. Ad quem ſane ante menſes aliquot ſcripſi ſerio, & ſignificavi eaſce notas me accepiſſe. etiam *Douſam.*

ſam. Litteris iis quid factum ſit, nihil quaero aut queror. Periiſſe in his turbis & intervallis itinerum quid miror? ferenda iſta, ut plura alia. At *Schottus* noſter ipſe videbit ex editione noſtra Taciti, & laborem & honorem ejus mihi fuiſſe curae. Nominavi enim honeſte & ipſum, & *Covarruviam* in prima operis praefatione. Uſus etiam notis iis ad plures Annalium locos fuiſſem, niſi traditae mihi tarde. Haec ſi ſignificabis meo nomine viro optimo & doctiſſimo, gratum erit. Nam nunc ſcribendi otium mihi nullum, etſi id ago. Quod faciam tamen brevi: Ecce litteras tibi ad *And. Dudithium*, cui partem recentium notarum mearum inſcripſi. Valde te rogo, uti eas cures cum tuis, quas in Sileſiam mittis. Sed res veſtra publica ſatis etiam firma? Vacillant ſane omnia, & vereor ut ſine capite diſcordia ſint iſta membra. Alias, ſi vinclum illud animorum inter nos manet, ſi unum idemque ſpiramus; nihil diſcriminis fortaſſe erit. ſive de pace agemus, ſive de bello. In rep. extremum malorum diſcordia eſt. De Zutphania nihil adhuc adverſi. Adverſarios agere de liberanda ea ferunt. Videbimus quo exitu, & hanc aliaſque res, ſi ſapimus, magno illi Deo permittamus, qui praeter opinionem aut votum noſtrum fortaſſe iſta diriget, non tamen praeter utilitatem. Academia noſtra interea titubat. Vale vir amiciſſime, & *J. Viviano* ſalutem dicito. Lugd. Bat. Non. Sext. 1584.

EPISTOLA CLV.

J. LIPSIUS

Abrahamo Ortelio.

Antverpiam.

MIttimus, ecce mi Orteli, noſtras ad Tacitum poſtremas curas, quibus haut dubie plura erant, quae poſſem addere, ſed quae per haec triſtia tempora nollem. In ſeriis magis cogitationibus & in ſe firmando occupatus animus, quomodo ad haec minora vacet? Conſtantiam etiam noſtram recuſam habes. in qua pauca mutata. epiſtola tantum addita ad lectorem, in qua jure defendo me contra quoſdam pietatis adſertores parum pios, certe parum prudentes. Res noſtrae, ut vides, vacillant. firmabit eas ille arbiter, cum viſum, & ratione fortaſſe aliqua nobis non viſa. Nam in humanis conſiliis aut auxiliis (ut ſtatus hic eſt & provinciae gubernatio) parum firmae ſpei. vobis utinam concordia conſtet. In id laborare debetis omnes boni. Zutphania commeatum accepit; ſed non in longum. Obſidio etiam caſtelli, ſive propugnaculi, non omittitur, nec videtur hoſtis tranſmiſſurus. Tentavit id his diebus parum feliciter trecentis, ut ajunt, caeſis aut merſis. Miſi nuper epiſtolam ad *Dudithium.* ſpero te curaſſe. Vale, vir amiciſſime, & me utere, ut vero amico. Lugd. Bat. x. Kal. Septemb. 1584.

EPI-

EPISTOLA CLVI.

J. LIPSIUS

Abrahamo Ortelio.

Antverpiam.

PArui conſilio tuo, mi Orteli, atque ecce epiſtolam ad *Monavium*, in eam ſententiam ſcriptam. adjeci formulam libelli, in quo ſi quid notandum aut addendum tibi videtur, quaeſo facias, quia te peritiorem paullo harum rerum eſſe ſcio. velim autem Privilegii tenorem generalem eſſe, tam de editis, quam edendis. nam Edita omnia in unum volumen congerere, & ſupremam iis manum imponere juſtis de cauſis volo. ſcripſi ad eum, ut de ſumptibus faciendis tibi, aut mihi ſignificet. Ego eos (uti par eſt) fideliter curabo. Amicis ultra operam moleſti non ſumus. de *Schotto* noſtro lubens intellexi, valere illum & vivere, etſi in literis aut ſtudiis haud multum ultra ab eo exſpectamus. nam ex inſtituto vitae ad graviora ſe dabit. Ego me arbitror hac hyeme hîc manſurum, ob varias cauſſas atque aſpectus. Utinam interea aliqua in Brabantia ſerenitas? cujus exigua ſpes aut ſpecimen eſt, niſi ſi intervenit aliquid divinum, quod in ejuſmodi rebus ſaepe ſolet. cum minimum viſum, momento invertitur orbis hic rerum. ſcripſi nuper ad [1] Praeſulem veſtrum, cujus in me affectui multum debeo de Caeſare manuſcripto. ſi voluntas ejus inclinat, poſſet per uxorem tuto mitti. nam illa brevi, uti ſpero, apud vos. illinc autem ad me recta, quatenus tamen praedones & haec latrocinia non impedient. de republ. nos hîc nihil, niſi aut exſpectari, aut jam eſſe (ita quidam aſſerunt) Parmenſem ducem Trajecti. qui cogitare etiam dicitur noſtros fontes. Vale, mi amiciſſime Orteli. Leodici Non. Aug. CIϽIϽXCI.

1 *Torrentium.*

EPISTOLA CLVII.

J. LIPSIUS

Abrahamo Ortelio meo.

Antverpiam.

NOn epiſtola tua, mi Orteli, ſed liber pro ea appellat. Caeſarem enim ſcriptum ad me mittis, qui etſi novioris aevi, aliqua tamen in parte judicia noſtra diriget & juvabit. Ergo gratiam nunc habeo, & publice etiam dicam. Quod ad *Monavium* noſtrum miſeris, & petitionem allegaveris, gratum. ut amor illius viri in nos eſt ſuſcipiet, atque adeo familiari ejus dicto IPSE FACIET. Rogas tu atque ille de [1] *Chriſtmanni epiſtola ad me*, (ita titulus eſt,

1 Edidit *Jacobus Chriſtmannus*, Profeſſor Logices & Hebraeae & Arabicae linguae in Academia Heidelbergenſi, Epiſtolam Chronologicam ad Juſtum Lipſium, qua conſtans Ebraeorum annorum

eſt, verius *in me*) quid cenſeam? Egone? quod quivis alius, qui mea atque illius inſpiciet. Hominem animi aut capitis eſſe parum ſani. venia dicto meo ſit: non enim gaudeo conviciis. ſed quae cauſſa in me incurrendi? Diſſentit a *Scaligero*, & illum carpit? ergo ego ſuccidaneus fio, & ſtili mucronem excipio, ut per meum latus alter feriatur? Bellum, & Lipſii nomen ad celebrandam hanc fabulam pertinet. Rogo te, ſodes, inſpice Epiſtolam meam & pauca illa verba, ob quae flamma iſta excitata. videbis, aut miraberis irritabilem hanc ſine tactu aut cauſſa ulla (item venia verbo ſit) veſpam. At enim dixi, *durum eſſe cum Scaligero concurſum.* Certe dico iterum, iterumque, & alius Lipſio in Hoplomachum illum exurget. Quid tamen, erravit *Scaliger*? credo, & eſto, quid mea, qui exſors ſum hujus culpae? praedamnaſti meum librum, ait. Ridiculum, ego librum tuum, o bone, quem non vidi. Et quidem videre non curo, nec ſcire, utrum ſis ater an albus homo. At noſter calamus calido illi calide nunc ſcribillat, ſecuro ab omni alia caſtigatione. ut ſapiens puerorum illuſus aut cavillas per viam fert cervice inflexa, ſic ego iſtos τελπτῆρας δικῶν. Atqui & e Weſtphalia audiendus mihi alius ob unius Epiſtolae innoxios, & tamen veros (tu judex eſto) jocos. Ego nationi illi nihil detractum ivi. in rebus aliis bellam & elegantem valde, non eſſe in cultu hoc externo dixi, & teſtificor omnes, qui viderunt. O ſeclum, ſeclum! ſed tu vide, nec praeterea aliquid addam, quod offendat. tamen haec etiam, ſcripta honeſtoſque conatus meos non tardabunt: iſtae remorae nec navem noſtram plenis velis euntem ad portum boni publici. Leod. IV. Kal. Octob. CIƆIƆXCI.

norum connexio demonſtratur. Francof. 1593. in 4. Cujus *Chriſtmanni* vita eſt deſcripta a *Melchiore Adamo*, inter Philoſophos pag. 518. Epiſtola autem, qua Lipſius eum tetigiſſe videbatur, eſt in Centur. II. Miſcell. 91. ubi perperam *Chryſmannus* legitur. vide *Voſſ.* lib. III. de Matheſi cap. 37. §. 36. & cap. 42. §. 15. *Franciſcus Junius* in Epiſtola infra producenda, ſcribit *Meliſſum* & ſe deterruiſſe *Chriſtmannum*, ne ſcriberet contra Lipſium.

EPISTOLA CLVIII.

J. LIPSIUS

Abrahamo Ortelio S. D.

Antverpiam.

POſtremas tuas accepi, mi Orteli, cum faſciculo Monaviano. Reſpondebo ipſius, & adjunctis aliis, cum erit Francofurti; aut recta eo mittam. In tuis quod de pace abrupta ſignificas, nihil novi: nam ego non aliud praeſagii, quam aut nullam, aut inutilem actionem. Pacis ille ſupremus auctor eam dare debet, nec ſcio an pactione, ſed victoria potius & mutatione grandi rerum. Ita nunc ſtatus Europae eſt. De privilegio impetrato gratum. Valeamus modo & paullum vivamus, utile ad multa erit. Sed quid nuntiat *Monavius* noſter de novo hoſte? quae haec conſpiratio eſt? nec aemulatione, ut video, ſed odiis in nos certant. Ridicula autem, quae addit de rebus

Jenen-

Jenenſium, mihi quidem, qui illa ſcio. Quid enim in iis omnibus, non dicam inhoneſti, ſed indecori? Adoleſcens tunc fui, fateor, ſed nihil tamen temere aut inſipienter nimis geſtum, niſi quod illic egi. Audi rem totam. Ante annos viginti circiter, cum fugerem patriae meae turbas, opidulum illud veni. Oblata profeſſio eſt, accepi. Docui Hiſtorias & Eloquentiam cum fructu, ut ſpero, juventutis; ut ſcio, cum applauſu. Ea res mordere Collegas meos alios, nos celebrari, cóli, in ore & laudibus eſſe,

Ipſos in tenebris volvi coenoque queruntur.

Ut dicam cum Poëta. Erupit is affectus, cum ex more Scholae, Decanus Facultatis Artium (utamur receptis & lenibus verbis) creandus eſſem; coëunt & ſe opponunt. Negant Magiſtrum Artium me eſſe, nec per leges creari, niſi talem. Ego adſerere, illi teſtimonium poſcere. Protuli de Baccalaureatu in utroque jure, quod praevalere etiam cenſebam, & praeponderare titulo magiſterii. Illi ridere & rejicere. Quid te teneam? ad Principem itur. Is publicis imperioſiſque literis jubet pro magiſtro me eſſe, & haberi, & creari illico Decanum. Factum eſt: atque eo jure magiſtros pro more noſtri aevi creavi. Quod crimen hîc admiſſum? Nam quod ad titulum ipſum pertinet, ſciant me Coloniae Ubiorum legitima ſpatia Philoſophiae decurriſſe, ad ipſum titulum admotum fuiſſe, examinatum jam & admiſſum, niſi quod grandis illa & ſaeva peſtis Anni LXIII. (ſi memini) me fugavit, & honore illo, nihil volentem aut ſitientem ejus, ſpoliavit. Haec veritas eſt. Aliud ſi quid dicent, a ſe dicent. Atqui diſceſſum etiam meum ab eo loco culpant. Quî poſſint, miror. Non ſane diu ibi egi, & invita & lacrimante juventute illinc abii. Sed tamen honeſte petito commeatu, honeſte impetrato. Literae ejus rei exſtant. Etiam convivium ſollemniter collegis meis dedi, & maxima frequentia ſtudioſorum abeuntem me deduxit. Miror iterum, quomodo calumnia haec invertet, aut rebus factiſque claris quem atrum colorem allinet: Etſi non miror, cum oculos ad aevum retuli, in quo laus eſt illaudatiſſime ſe gerere, οἱ γὰρ πολλοὶ (ut Orator) τὴν μὲν ἀλήθειαν ἀγνοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσι. *Plerique quod verum eſt ignorant, ad opinionem autem convertuntur.* Imo nec hoc tantum, ſed ad calumnias patulas lubenteſque aures habent, atque etiam ii, qui alias nobis non iniqui. Vitio communi & quaſi inſito fit, ut lubenter & avide detrahamus, ſi quod extolli videtur, & maculas aliquas quaerimus, ſive affigimus iis, quae ſplendere nimis videntur. Itaque, mi Orteli, haec & talia ferre neceſſario debemus, qui ita innotuimus. Si iter vitae ingrediendum eſſet, quod pene peregimus, deliberationem res haberet. Nunc ſerum eſt, & illud nimis ſapiens, λάθε βιώσας, nos fugit. Sumus in fama, patienda igitur, quae Famae adjuncta, livor, obtrectatio, & ea, quae niſi mors (& vix illa) finit. Haec lubuit tecum paullum philoſophari, nec ingratum, ſi per te *Monavius*, atque amici illic ſcient, quos video & gaudeo mihi bonos eſſe & multos. Ejuſmodi lumina valde diſſipant illos fumos. Vale, mi amice. V. Id. Febr. CIƆ IƆ XCII.

Haec epiſtola refutat facile illos, qui clam diſceſſiſſe Jena Lipſium calumniantur, faſtiſque ejus nomen eraſum fuiſſe. vid. *Paullin.* Annal. Iſenac. p. 180. & *Obſervat. Hallenſ.* t. III. obſ. I. §. I. immo cum venia Aulae Coburgenſis diſceſſiſſe, & ſignificaſſe Conſiliariis Saxoniae Ducum conſilium abeundi, ſimulque trimeſtris ſtipendii ſolutionem petiiſſe docet Epiſtola *Lipſii* edita a *Cl. Cypriano* in Epiſtolis ex Gothana bibliotheca editis n. cx. in qua nota temporis me cruciat. data enim dicitur XII. Mart. 1574. & ſcribit *Lipſius* ſe intra ſex dies proximos abiturum. Atqui in Epiſtola ad Conſules & Senatum Francofurtenſem in Centuria ad German. LXVIII. clare dicit, ſe primo Martio abiiſſe, quod de prima parte menſis Martii ſi intelligatur, de die ſexto poſt duodecimum capi non poteſt. niſi dicamus in Epiſtola Jenae ſcripta Juliano, in altera Lovanii data Gregoriano ſtilo fuiſſe uſum. De Decanatus negotio agit Lipſius in ſequenti epiſtola Gothanae Biblioth. ad *Ellingerum.* Alia etiam Lipſii eſt Epiſtola ad *Dorotheam Suſannam*, viduam Principis Vinarienſis, data XVI. Kal. Jul. 1573. ubi ſe politam miſſurum Orationem in funere Principis habitam pollicetur. ſed in Epiſtola ad *Ellingerum* edita a *Pontano* decad. v. Ep. 2. ſcribit, ſe Vinariae ab Illuſtriſſima Principe comiter acceptum, & eam egiſſe de vulganda oratione, gratia & praemio propoſito, ſed ſe negaſſe, ut quibuſdam viſus fuit, ſubruſtice & inſipienter. non ergo praeſtiterat, quod priori epiſtola promiſerat: ſi enim miſiſſet orationem, vulgare eam invito Lipſio poterat Princeps. & vulgata etiam fuit, ſed poſt ejus mortem Francof. 1608. ubi inter octo prima habetur. quae ſi vera *Lipſii* eſt, nil miror, noluiſſe edi, cum animo ſemper adhaeſerit Papiſmo, in quem tamen ibi vehementer invehitur, & *Saxonicam ſtirpem, ad Dei hoſtes exſtirpandos, errores evertendos, peſtem Pontificiam exſcindendam donatam divinitus & conceſſam Eccleſiae dicit*, & plura ejus notae. in fine conceptis verbis Deum precatur, ut *Eccleſiam Saxonicam & Scholam confirmet, conjuratos Euangelii hoſtes Hiſpanos, & alios ab aris & Templis ſuis, a vita & fortunis omnium arceat.* En hypocritam deteſtandum, qui dum haec ad Deum fundit, animo Papiſta erat, ut fatetur in Epiſtola d. ad Senatum Francofurtenſem, ubi non negat ſe fuiſſe Jenae, & ita ſcribit, *haec alia* (ſc. religio) *ſed non ideo animo ſe alium fuiſſe, & ſi quid in verbis aut ſcriptis forte excidit, vere excidiſſe, & ſe poenitentiam talium agere.* & hanc ſufficere ad *omnes ſcriptiunculas ſuas una ſpongia eluendas.* ſed nulla ſpongiarum copia deteſtabilis haec ſimulatio elui poteſt. de altera oratione, de *duplici concordia*, de qua ibi Lipſius agit, nihil dijudico, cum non viderim. ſed de illa multa mentio fit in Epiſtolis ad *Goldaſtum.* & illam Tiguri impreſſam ex Epiſtola 18, quae eſt *Stuckii*, apparet, & *Goldaſtum* fuiſſe auctorem editionis ex Epiſt. 31. 33. 34. & ſeqq, patet.

EPISTOLA CLIX.

ABRAHAMUS ORTELIUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

PUgillares, quos ſcribis *Moreto* noſtro te accepiſſe, clariſſime Lipſi, veniunt tibi per me, non a me; ſed a *Monavio.* Ab eodem tibi quoque tot ſalutes, quot mihi litterae. habeo autem fere ſingulis ſeptimanis. Salutem tibi adſcribi ſuo nomine voluit etiam nuper vicinus meus Dn. *Carolus Malineus*, vir Senatorii ordinis apud nos, doctrina & conſulatu clarus, tuorumque ſcriptorum amator & admirator ſingularis. Non ita *Domannus*; hoc addo, quia eccum quid a dicto habeo *Monavio:* eum nempe parare libellum, cui titulus *Antilipſius*, contra epiſtolas ejus tres, Antverpiae editas. Non haec tibi communicaſſem, mi Lipſi, niſi te ejuſmodi contemnere poſſe, etiam ex tuis ad me, aliiſque, didiciſſem. Neque nocebit haec te ſcire, prius quam omnes ſciant. A *Raphelengio* habeo litteras, in quibus ait, Leydenſes *Scaligerum* jamdiu ab Ordinibus invitatum, tandem ſerio & certo expectare. Ap-

pel-

pellatus erat etiam ab iiſdem [1] *J. Gruterus*, & ut ſcribit ipſe mihi, etiam iviſſet: at retinetur a Comite Palatino, qui eum adlegit in Profeſſorem hiſtoriarum publicum. *Carolus Cluſius* illuc ibit, poſt nundinas Francofordienſes proxime venturas. hoc ille ad me. De publicis nihil, ut ſcis, praeter bellum. Noſtri ante Gertrudobergam haerent, cogitantque de novo, per agros ab hoſti inundatos, exſtruendo aggere, perque eundem annonam aliaque neceſſaria in urbem advehendo. Inter Gallos hîc apud nos multus ſermo, magnaque ſpes, inter Navarraeum atque Ligarios pacis. fruſtra, ni fallor. Dies docebit, utinam & nos. Vale. Antverpiae IX. Junii. 1593.

1 In actis Academicis 17. Febr. 1593. reperio *Joh. Heurnium* Rectorem expoſuiſſe Senatui ſtatutum eſſe, ut deinceps ex concilio Profeſſorum ordinariorum novi Profeſſores vocarentur, & deliberatum, an non neceſſaria eſſet Profeſſio Ethices, dignuſque, qui ad eam vocaretur *Janus Gruterus*, hoc tempore Heidelbergae agens. ſed vocatum hunc non reperi.

EPISTOLA CLX.

J. LIPSIUS

Abrahamo Ortelio ſuo. S. D.

Antverpiam.

Literas *Monavii* ad te legi. Quid dicam de illo viro? Solide me amat, & ſolide hoc ſcio. O virum autem bonum & candidum, & te illo amico beatum! Crux noſtra in tempore ad eum veniet, quae apud me quidem (candide dico) haud magni aeſtimatur. An non alia poſſemus, & in re alia; ſi [1] aevum hoc vellet? ſed *pareamus, ne pereamus.* In militia Romana, quam paeniſſime abſolvi, magis mihi placeo: atque illa etiam iis, quibus res veteres Romanae. videbis illam brevi, & me una. quoniam imagines plures diſponendae & delineandae ſunt, nec ſine me poſſunt. ſed nec, ut ſcriptio mea eſt, ſatis correcte noſtra excuduntur me abſente. videbo, quid *Moretus*, & quando poterit. De *Furca* (quae nobis *Vorck*) quod monuiſti bene eſt. ſed quis originem Latinam non videt, ut in *vallo* & aliis? de Etymo *Gabali* neſcio; ipſi viderint, qui peritiam eam praeferunt, quam ego nec habeo, nec aveo quidem. Linguae iſtae longinquae aut barbarae, quid ad prudentiam, ſive etiam ad doctrinam conferant, haud video. ſed libet aliquid praeter alios ſcire, & ita ingenium humanum eſt. fiat, me non invidente. ſemel ad amicum te ſcribere debui hunc animi mei ſenſum. Praeter Graecam & Latinam cuſtodes, & velu quaeſtores quoſdam Theſauri ſcientiarum, alias haud magni aeſtimo; niſi ſi quae vicinae, ob commercia & talem uſum. Vale, mi Orteli. Lovan. Idib. Mart. CIↃIↃXCIV.

1 Imo non aevo hoc adſcribendum, ſed iis, ad quos tranſierat Lipſius, quibus debebat fidem facere, ſe bona fide Papae in verba juraſſe. quod cum libris de cruce, quae ſolo fere titulo placere poterant Papicolis, qui fabulas de inventione Crucis, de cultu & alia in Lipſii libris quaerebant & petebant, non praeſtitiſſe videretur, coactus fuit, *parere*, *ne periret*, & de *Divis Hallenſi* & *Aſpricolli* nugaces illas fabulas contexere. interim notabilis hic locus, ubi ſe invitum haec ſcripſiſſe fatetur, & ne periret, contra animi ſententiam fabulas concinnaſſe. vide Epiſtol. *Schotti* ſupra XCIII.

EPISTOLA CLXI.

J. LIPSIUS

Abrahamo Ortelio S. D.

Antverpiam.

TUas, & una *Velſeri* noſtri accepi, itemque e *Monavii* literis excerpta, quae de me erant. O illum & hos amicos! ſcio & vicem affectu jam reddo. ad illum ſcripſi: ad hunc in occaſione, vel potius otio, fiet: quia nunc Hercules diſtringebar, & non fas mihi, quoties appellor, *redhoſtire*. liceat cum Plauto ſic loqui, & antiquarium eſſe, quod illi accuſant. Meam. bilem an riſum dicam? ubi ſum? cedo loca, cedo verba: provoco omnes, qui me lambunt, aut rodunt, vix totidem iſta, quod in hac ſtructiuncula ſunt, dabunt. Excipio decem aut altera tanta; in Criticis fortaſſe noſtris reperient. Et quid mali eſt judicio tale aliquid ex extimis ſcriptoribus non olim deſitum, ſed nunc neglectum eduxiſſe? ſed profecto ita habet, ſerpunt nec adſurgunt iſti, &

Ardua dum metuunt, amittunt vera viai.

Ecce iterum Archaiſmum: vapulo. ſed mitto hominum nugas. de reſponſo ad N. N. illius Itali quaeris: vidi nunc te mittente, nec ante, ut cenſes. quod autem?

Deficit oppreſſus, ſoloque pudore repugnat.

Acheloum cum Hercule certantem legiſti? hic eventus eſt, niſi quod non altero, ſed utroque cornu, ut mihi videtur, fractus abit. Militiam ego noſtram abſolvi, nec ex meo voto, ut rem dicam. Cum relego, agnoſco alibi aut torporem, aut certe languorem, qui ut nubes inumbrat, nec ulla mea aut medicorum cura *potis eſt ſejungi ſeque gregari*. Magno animo patior, utinam tam magno alius ignoſcat. hoc glorior in ordinem redegiſſe, quidquid eſt militiae veteris: & viam ſtruxiſſe, non ad intelligendam ſolum, ſed imitandam. Utinam faciant. aut potius non faciant, atque haec

—— —— —— Fera moenera militiai
Per maria ac terras noſtras ſopita quieſcant.

nonne ſperas? plerique hîc omnes in adventum novi Praefecti, quem laudant, exſpectant. ſive quia meruit, ſive, *qui mos populis, venturus amatur*. Ad illum militiam noſtram ire & inſcribi, plerique mihi ſuadent. diſſentio, & nec ominis quidem cauſſa nunc velim. Ad Principem Hiſpaniarum potius, quem utinam ad generoſa haec & alta ducamus, & ſimul ad externa & glorioſa illa bella. Deus audiat, te, mi Orteli, meum & mecum ſervet. Lovanii III. Idus Junias CIƆIƆXCV.

EPI-

EPISTOLA CLXII.

J. LIPSIUS

Abrahamo Ortelio.

Antverpiam.

RAro ſcribo, ſemper amo, te veterem, te fidum & probum amicum, quod Europam totam velim ſcire. ſimile in *Monavio*, *Velſero*, aliis, ad quos non ignavia, aut contemptu abſtineo ſcribere, ſed occupationibus, aut interpellationibus vetor. Per te hoc ſciant. Una Italia, quae jam vocavit, quot putas literas meas expreſſit? ſupra quinquagenas, quod ex fide tibi affirmo. I nunc & aliud age, lectionibus vaca, & libros etiam ſcribe. Haec mea conditio eſt, & publica, ut ſic dicam, ſervitus. Caeterum, quod quaeris, Italia me non habebit, etſi honeſte, imo ambitioſe invitat. Quies & manſio huic aetati jam conveniunt, & magis valetudini, quae concuſſionem & mutationem fugit. In re machinarum ſum totus, & ſcriptum hoc jam peregi. ſed figurae & iconiſmi reſtant, in quibus poſſet me fortaſſe bibliotheca tua juvare. Vide ſodes, ſi quid habes. puto in Columna *Viviani* Carrobaliſtam expreſſam me vidiſſe. ſi ita eſt *vander Burchtius* quaeſo deliniet, & ad me mitte. An Caeſarem aliquem habes cum imaginibus accuratioribus? an Vitruvium *Danielis Barbari?* an aliud huic rei, quod ignoro? pro amicitia noſtra poſtulo, & tu mitte. Vale, mi Orteli. Lovanii XI. Kal. Octob. CIↃIↃXCV.

EPISTOLA CLXIII.

ABRAHAMUS ORTELIUS


J. Lipſio S. P.

Lovanium.

SIlentium tuum numquam miratus fui, nec ſum, ego: quamvis alii. novi enim tuas occupationes. aliorumque ſine intervallo interpellationes. Amicis, ut petis, cauſſam aperiam. at feci hodie *Monavio*. Machinas te machinari jam diu intellexi: ſi in mea bibliotheca, quod iiſdem conferre poſſem, eſſet, ad te lubens & merito deſtinarem. idque te credere credo. Caeſarem, quem innuis, cum imaginibus accuratioribus non memini me vidiſſe. D. Barbar. ad Vitruvium vidi quidem, non habeo autem. Ad calcem libri Notitiar. ejuſmodi quaedam. at hoc tu non ignoras. Columnas meas perluſtravi. in manu delineata nihil prorſus. in excuſa nihil praeter haec, quae hîc en a

 ma-

manu mea habe. & vale, verum antiquae hiſtoriae lumen. Antverpiae III. Kal. Octob. M.D.XCV.



EPISTOLA CLXIV.

J. LIPSIUS

[1] *Othoni Hartio* S.

Antverpiam.

MIhi ex animo gratae tuae literae fuerunt, Vir ornatiſſime, indices non obſcurae tuae in me voluntatis. Renovas amicitiae priſcae memoriam. quae mihi cogitatione ipſâ grata & jucunda eſt. & quam in primis illis annis, & ſpatiis juventae cultam, opto animo & voveo in meliore hoc aevo perducere ad metam. Sane neſcio, quomodo magis afficiunt animos, in iiſque inſident primi illi amores; & ſeriae ſaepe graveſque amicitiae initae & contractae in puerilibus illis ludis. Quo in numero ut nos ſimus, valde te rogo. Placuit enim olim mihi ingenium tuum, mores, candor: & nunc in te ea eſſe ſcio, quae

1 *Otho Hartius*, Cauſſarum antea potronus (vid. 1. Cent. ad Belg. 13.) poſtea Conſiliarius in ſupremo Mechlinienſi Senatu. Hunc, ſub ſpecie privatorum negotiorum, petiiſſe, ut fide publica liceret in Foederatum Belgium venire, ſed revera, ut res novas moliretur, ut monuerat *Calvardus*, per literas *Oldenbarneveldium*, refert *Borrius* lib. xxx. Hiſt. Belgic. pag. 42. ubi Neomagenſem origine fuiſſe narrat, (cujus nominis nos ibi etiam noſtra aetate novimus aliquot) & ingenium ejus deſcribit. Libro etiam XXXI. pag. 27. *Hartium* & *Jac. Comannum* JCtos ab Erneſto Hagam miſſos narrat, & quid egerint, late exſequitur. *Hartium* vero, ut Gelrum origine, multos ex proceribus noſtris familiariter noviſſe, & ita ſe inſinuaſſe, ut quoſdam ad res novandas induxerit, inde poſſet confici, quod idem *Borrius* narret lib. XXXI. pag. 82. ſuſpectos fuiſſe *Ar. Dorpium* & *Jacobum de Menyn*, commercii cum hoſtibus, medio hoc *Hartio* habiti, & de Danis (qui hoc tempore minus aequi erant Batavis, & ad quos Hiſpani legationem ſplendidam miſerant.) in rempub. ſuſcitandis illum laboraſſe inde colligi poteſt. Hagae fuiſſe ipſe mox Epiſtola 167. ſcribit Lipſio: ubi rationem itineris ſui partim verbis dat Lipſio, partim a *Franciſco Marchantio* ipſi reddi poſſe ſermone ſcribit.

quae apud te non laudo. Si Antwerpiam me venire brevi contingat, aut etiam quandocunque continget, non id fiet inſalutato meo Hartio: cui jam nunc animum iſtum ſincerum do, dico: ejuſque etiam pignus, hoc ſcriptum. Vale Lugd. Batav. III. Idus Febr. 1584.

EPISTOLA CLXV.

OTHO HARTIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

DOctiſſime domine Lipſi. Pudet me hujus praeventionis. *Oudardo* dixeram me ad te ſcripturum prius, & adventum tuum iſtis in locis tibi congratulaturum. ſed ut officio non ſatisfacerem mature, occupationes meae, & pulvis iſte, in quo verſor, impedierunt. Interea certum habe, me ſemper ita fuiſſe, & futurum tuum, ut me a tui amore nulla ratio divellere poſſit, & quamvis rarius inter nos litterae commeaverint, quidquid tamen illi a te, aut *Morendorfio* ſcriptum, mihi commune fuit, neque ſubſtiti, quin ſtatim omnibus viribus & promptitudine vota tua & conſilia juvarem. Id aliquando coram intelliges, cum res dabit. D. *Richardotum*, virum ſingularem, & ad omnem laudem natum habes, habebiſque ſemper amicum. Cum eo praeſtantiſſimos quoſque & bonos omnes, quibus aliquid ineſt judicii, licet is unus inſtar omnium eſſe poſſit. Conſilium tuum magnopere probo, ut ibi valetudinem cures, & tempus ducas, tum ne Batavos tuos accelerata domicilii conſtitutione his in partibus offendas, & in te provoces; tum quod omnino exſpectandum putem, imminentis nobis mutationis ſcopum aut formam. vix enim ſcimus, quid de nobis futurum ſit, quid tempora ferent, quî ineluctabilis fatorum vis erumpet. nutant hîc omnia: optemus, ut ſi cadendum, levi & molliori lapſu ſit. quod ſi tempora fluent ex voto, curabunt amici ne quicquam tibi deſit, quod ad te ornandum, honeſtiſſimoque ſalario ex publico retinendum pertinebit. Jam enim ejus rei initae ſunt rationes, ut opus non ſit per varia pericula ad exteros decurrere, ſpreta & omiſſa patria. Hoc tantum a te petimus, verbo ut indices, quantum tibi annue aſſignandum putabis: dic libere: agis enim cum illis, quibus debes, & potes. dic ſatis amplum, dignum ingenio & ſtudiis tuis; ut decernatur nobis curae erit. Tu tantum valetudinem cura, & illud, ut domum meam Bruxellae, cum aliquando iſtuc venies, plane tuam putes, meque ſummi beneficii & honoris loco habiturum, tua hoſpitatione onerari. putes autem vere & ex animo me ita velle, nec iſta curialia verba ex more & ſenſu manare curiali. Uxori, cum Bruxellae aderit, conſilio & omni ope adero. Diploma efficacius, ſi opus erit, in tempore curabimus, & tuas ad *Richardotum*. Vale, Antverpiae 2 Jul. 1591.

EPI-

EPISTOLA CLXVI.

J. LIPSIUS

Othoni Hartio.

GRatulatio tua mihi cara, ſicut tu ipſe; veni Lovanium, nec niſi Deo duce, quia humana commoda aut res externas, ſi in oculis habuiſſem, alia me terra habuiſſet. jactare abeſt, & abſit ab hoc animo, tamen varii principes inſolito ſtipendio nos appetierant, cui praeferimus patriam, utinam in nos gratam: nec ego gratitudinem a modo aut magnitudine ſalariorum aeſtimo: ament me, & bona fide, quae offerunt, ſuggerant, nihil deſideramus. Quies mihi & aliqua valetudo ſit, ſpero nos nec ſine fama hîc futuros, nec ſine fructu. Ipſum tamen Lovanium, mi Harti, mirifice jacet: & ſi unquam mente concepi, quid ſit labi & ſeneſcere urbes, oculis & ſenſibus nunc uſurpo. nempe res ita humanae ſunt, nihil firmum aut immobile, praeter eum, qui firmat omnia & movet. ſed firmat in ſuum tempus, ipſe extra tempus, imo ſine tempore, ſol ſine occaſu, & ſine ortu. poteſt tamen hoc ipſum Lovanium ſic collapſum reſurgere, ſi adnitentur & manum porrigent ii, qui debent. Profecto dedecus publicum ſit & nota apud poſteros, pati non langueſcere, ſed mori optimas artes, quae ſolae faciunt ne mortui moriantur: memoria enim rerum & propagatio temporum ab iis eſt, & Deus hoc fine praeſertim dedit. Ego ſpero Illuſtriſſimos & primariae provinciae Ordines, vel aemulatione ſaltem factum iri, & non conceſſuros, ut decus hoc ad Germanos aut Gallos tranſeat retentae in Belgio literaturae: ſcio tempora nunc alia, & averſiſſima eſſe ab hac cogitatione; ſed in eo ipſo prudentia elucet, videre quae uſui ſint, etiam cum non eorum uſus. Paucorum annorum (utinam menſium poſſim dicere) hoc bellum erit: Pax artes pacis requiret, fruſtra, ſi nunc earum antiſtites negligimus & cultores. Mihi haud multum ſeritur aut metitur, ſine prole, ſine onere, quae in rem videntur profero, ſolo amore aut pietate potius impulſus in publicam parentem. ſane proſtrata jacent omnia civilis belli aut impetu, aut tractu: ſed excitanda animoſe ea ſunt, & hoc magis, quo tardiora remedia ſunt, quam mala. *ut corpora lente augeſcunt* (ait prudens ille meus ſcriptor) *cito exſtinguuntur, ſic ingenia ſtudiaque oppreſſeris facilius, quam revocaris:* quorſum haec? non ad tuam epiſtolam, tamen ex tua, quia juvit mentione ſtudiorum injecta, ad te virum prudentem & eorum amantiſſimum aliquid dicere quod pro ipſis. nunc proprie ad tuam ſcriptionem. Commendas mihi cognatum tuum *Renerium Ryſwickium*, nolo alios titulos, ſatis quod cognatus. Ipſe & tu experiamini, quoties uſus erit, quid pro eo velim. Adfuit mihi heri ſub veſperam, ſed ante epiſtolam tuam apertam: & quod optimae indolis interpretor, verecundia quadam non ſe notum fecit. Benigne tamen reſpondi, redire juſſi, & me etiam frequentare ipſi vacuum & apertum. inter alia vitia mea hoc, ut ita dicam, vitiorum meum eſt, quod nimis

me

me vulgo, & conſecro iis, quos amatores cenſeo meliorum literarum. Multum temporis mihi ereptum hac humanitate (ſive quo alio nomine appellandum eſt) ſentio, & ſine poenitentia agnoſco. Aut enim virtus ea eſt, aut non longe certe ab illa. De Antverpienſium in me prolixa voluntate nunquam controverti, & ſcio oppidum, viris virtutibuſque foetum, amare etiam alienos: quod idem in Bruxellenſibus meis experior, natis ad honeſta. *Oudartus* ad me de ſuffragio eorum ſcripſit. Vale, Vir Cl. & me amantiſſimum tui ama: Lovanii v. Kal. Sext. CIƆIƆXCII.

[1] EPISTOLA CLXVII.

OTHO HARTIUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

ORnatiſſime Domine. Binis epiſtolis tuis reſponſum debeo, quod dilatum hactenus propter ingentes occupationes & diuturniorem abſentiam, jam exſolvo, &, ut puto, cum iſto foenore, quod a Theſaurario juſſum mihi ſit, ut te certiorem faciam, quotannis ſe curaturum, ut ſupra honorarium, quod Ordines praeſtant, adjiciatur tibi, *para aduidade coſtas*, ut Aulici loquuntur 400. 500. vel 600. florenorum ſumma, prout res & opportunitas ferent, quod etiam a Domino *Breugelio* indicatum tibi exiſtimo: nam novam penſionem aerario Regni, in uſum profeſſionis tuae, imponere inconſultum viſum: non quod tibi non debeatur, qui longe majora mereris, ſed propter conſequentias, & quia res non careret invidia ac aemulatione aliorum, quibus prae tenuitate aerarii, & ſummam rerum omnium neceſſitatem commode ſatisfieri non poſſit. Unum hoc magnopere & ipſe & alii, qui hîc valent, a te contendunt, ut libros de priſca militia & noſtra pares & abſolvas, ac Sereniſſimo Archiduci inſcribas, cui hoc munus gratiſſimum futurum, & non ſine gratia, ſcio. Quod ad me per *Bernartium* libros de Cruce miſeris, magnam gratiam habeo, & ſi tam grata eſſent noſtra, quae circa lites, mitterem majori cum foenore & complerem omnes arcas tuas, ſed ſufficiet tibi una [2] lis tua, tanto gratior, quod petitoris partibus fungaris, & ſi perdas, nihil feres, quam quod inanibus ſumptibus, non expenſo prudenti JCti conſilio, te vexaveris. ſed abſit omen, pugnabimus pro te & cauſa acriter & omnibus viribus, ut rem & ſumptum feras. Vide tamen ne altera, & pluribus impliceris, aut recudendum erit, quod alias in Cauſidicos a te ſcriptum, nec qui ſunt noſtri ordinis admittent diſtinctionem, quae tibi in mente. Apud Batavos tuos ab omnibus comiter & magna cum benevolentia exceptus fui: paſſim honeſtiſſima tui mentio & deſiderium, etiam apud ipſum *Mauricium*; conſilium deceſſus tui non improbantem; quem tamen non vidi, ſed ab illis, qui

1 Reſponſio eſt ad Lipſii II. Cent. ad Belg. 9.
2 Vid. I. Cent. ad Belg. 13.

qui circa illum ſunt, diligenter cognovi. Laborabat tum is quartana, non ſine periculo, quam in expeditione Brugenſi, ex lapſu & demerſione in paludem contraxerat. Unus exſtitit, qui ſe vehementer laboraſſe oſtendit, ut orationem habeat, Leodii a te in laudem divae Virginis habitam, & ut per me habere liceret, magnis precibus egit; ſed quia, ut ſuſpicor, non bona fide, & cum fuco, nec hominem nomino, neque ut mihi ejus copiam facias, inſto. nec mireris, me orare ut neges, res habet ſuam cauſam. Quod in poſtrema epiſtola nobis de Victoria noſtra in *Lauro*, littera *L*. dempta, gratularis, vanum. Vicimus quidem nos, ſed nihil *Scorza*, quod condempnatus ſolum verterit, & circa columnas latitet, non eas, quae in foro, ſed quae in aedibus ſacris, ita oleum & operam perdidit infelix litigator; niſi quod victoriae fumum magno comparaverit. Nos cum cauſa ventilaretur & cliens doleret, curavimus accipere, & cecinimus tuto triumphum ante victoriam in *Lauro* ſine *L*; ſed quo progredior? jam enim rurſus vereor, ne me cauſidicis tuis adjungas, aut te exemplo, (ita enim forte ſuſpicaberis) commonefaciam officii in tua liticula; abſit. Totus enim tuus ſum, non aulice, ſed amice, vere, & tuo merito: ſed primus litteris jocos dediſti, quos jam tibi repono, Vale, & plurimam ſalutem ab Antiſtite Buſcoducenſi, & Domino *Oudardo* vero noſtro, accipe, Bruxella 15. Martii 1594.

Latori huic, *Franciſco Marchantio*, qui mihi annis aliquot fuit a manibus, & liberaliter ſervivit, ac jam continuandi ſtudii cauſſa iſtuc venit, ut nutu & favore tuo, ſi quid meret, adſis & patronus fias, vehementer te rogo. fidem da ei, ſi quid ulterius de meo itinere lubet cognoſcere.

3 Hinc apparet in edita epiſtola Cent. II. ad Belg. 9. vitio librarii locum obſcuratum eſſe. nam pro, O *triumphum veſtrum in lauro. an L litera detracta?* male *an in litera* editum: intelligit vero in *auro* triumphaſſe.

EPISTOLA CLXVIII.

J. LIPSIUS

Othoni Hartio JCto S. D.

R*Yſwyckium* ecce tuum habes. tuum, inquam, & quid eum commendem? aut quis auctori ſuum opus? plurimum tibi debet, debebit omnia, ſi nunc quoque provehis & adjutas. Bona materia eſt, acre & firmum ingenium, judicium rectum, & tu artifex Mercurium aliquem feceris ex hoc ligno. Placet omen, & lucri hic Deus dederit illi lucrum. De Rep. noſtra deſiimus hîc jam loqui pene & ſperare. Non de ſumma quidem rerum, quae ex voto fortaſſe noſtri regis erit: ſed de Belgica proprie, quia affligitur, & porro videmus iri afflictum. Nam quae ſpes? aut quam ſalutis arcem prendimus? bellum incurioſe aut ſolute ab hac parte geritur: pacis Actio inſtituta omiſſa eſt, aut potius deſperata; niſi quid tamen [1] a Dano ſpeculae, qui legatis Batavis

1 Vide *Borrii* Hiſt. lib. XXXI. pag. 38. & ſeqq.

vis reſpondit, quod hîc mitto. Viam ſternere ad hanc actionem videtur; & magis affirmarem, ſi ipſe jam potens & prudens regnandi eſſet. ſed aetate deficitur & conſiliarii pauculi regunt, inter quos facile unus aut alter pronus in adverſas partes. Ipſi quidem reges natura & lege regni adhorrere debent popularia haec conſilia, vel exemplo periculoſa ipſis. Omitto publica, id eſt, triſtia: de me, aedifico, hortum inſtruo, arcam exhaurio, dic ſodes, an non majore animo, quam conſilio? nam quietis noſtris ſtudiis quid inter turbida haec loci? ſed tamen vel conſtantiae cauſſa perſeverabo, & officium undique praeſtabo boni civis; in te etiam, mi Harti, boni amici. qui ſum, & ero, itemque Ampliſſimi Theſaurarii (cui commendari cupio, & ſalutem dici) cultor. Lovanii 8. Kal. Octob. 1594.

EPISTOLA CLXIX.

J. LIPSIUS

Othoni Hartio S. D.

V. Cl. Here ſub veſperam litteras tuas accepi, & quæ ad ſenatum hunc adjunctae. Video & agnoſco veterem veſtram non benevolentiam tantum, ſed & beneficentiam in Lipſium, & factis atque opera amicos eſſe. Quid, ergo acquiritis? non animum modo Lipſii, qui jam diu in veſtro nexu, ſed & rem ejus familiarem, quam ope veſtra itis ſtabilitum. Haec in veſtibulo; ſeria tamen, nec in pompam. Jam de re? Libellum vidi, undique probavi, excepta ea parte, quae de ſeſquianno non ſoluto agit. Quis vobis tam definite hoc ſcripſit, aut dixit? non ego profecto, & generatim de *improba, & maligna ſolutione* ſum queſtus. Idem nunc facio, & Vos, conſultiſſimi Juris, videte an jure dixi *improbam*. Nempe non ad formulam eſt & legem dictam. In totum hunc annum, qui jam intra paucos dies finit, die 17. hujus menſis acceperam modo *centum florenos*. cum ad vos ſcripſi. interea crebra curſatione uxoris, & ſaepe repulſa expreſſi binis vicibus iſtos *alteros centenos*, nec id, puto factum, niſi admonitione aliqua *Maſii* aut alterius, quia ſemel uxorem ſuam ultro ad me cum quinquaginta illis miſit. ſi tempora & communem creditorum ſortem aſpicio, fateor non peſſime mecum agi: ſi quod ſolet, & debet in mei generis homines, cauſſam habeo querelae. Honoraria haec ſunt honeſte & liberaliter ſolvenda, nec in Ordinem redigendi ſumus, petendi, ambiendi, ne quid aliud addam. mi Harti, tu ſcis, & te appello: alibi aliter mecum actum: & me appello, alibi aliter agendum, ſi velim. Adde ad iſta, munuſculum mihi ab Ordinibus decretum *trecentorum florenorum:* pro quo gratus equidem animo & judicio ſum, ſed tamen ſcito, me in hunc diem obolum ex eo non vidiſſe. Iſte idem Quaeſtor debet. An non aliqua cauſſa querelae? praeſertim homini, qui aedificat, qui veterem omnem parcimoniam & reconditum, ut ſic dicam, aerariolum in hanc rem exhauſit? te

judicem capio & adigo. Jam ſcripſi etiam *maligne ſolvere.* Id vero eſt, ut porrecta fronte tecum loquar, quod mordet. uxorem quoties mitto, contemptim aut ſuperbe excipitur: & non mentiri me ſciunt, qui virum norunt. Saluſtii hoc de Lentulo fuit, *Perincertum vanior an ſtolidior:* vereor ut in noſtrum cadat, ſi vir alius eſſet, gravis, modeſtus; qui benigne & fideliter diceret, *non poſſum*, breve & tali die fiet, acquieſcerem. ſed ita remittit uxorem, ut in ſuſpenſo ſemper habeat, imo verba interponat, quae ſpem etiam adimant futurae ſolutionis. Modo onera alia conqueritur, jam recenter [1] tumultus *Sichemenſes*; nihil in aerario eſſe, & plura, quae non opus ſcribere. Haec ipſa vos veterani in hiſce rebus ridetis fortaſſe, & noſtis ingenia, ac technas iſtorum moratorum. Ego quoque aliquid: ſed ſi ſcio, nolo uti. Abſit ut per me mala noſtra publica augeantur, ut alimentum praebeam ſanguiſugis, quae optimum omnem ſuccum noſtrum ad ſe trahunt. Ad ſummam, ingenuus ſum, liberalium artium myſtes, & animo albo ac liberali. pone me in quocunque loco ac fortuna, idem ero, non contumax adverſus potentes, non humilis in pares, unus ſemper & fidus in amicos. ſatis de Quaeſtore, quem admonitio veſtra, & Ordinum vix eſt ut meliorem faciat, aut non certe in longum. Recens hoc telum juſſionis punget, & ad me vertet: ſed valentior natura mox evincet, & altera natura, conſuetudo. Conſilium, ut in iſtis rebus, optimum de Antverpia, aut Bruxella; ſi firmum aliquid eſt futurum & manſurum. Hîc venti & levitas. Alterum de Militia noſtra, quae jam coepta excudi, & recta ad Sereniſſimum ibit. Quid ni audacter ſub magni illius Praeſidis ductu & auſpiciis? quem profecto ſerio mei cognovi amantem. Ego viciſſim, non dicam, amo, ſed veneror, & colo, quod talibus debemus. Quam primum igitur accepero (intra duos menſes fiet, aut circiter: nam opus grandiuſculum eſt) mittam ad vos, & ad ipſum Praeſidem, ut ad pulvinar illud ſiſtat, ſe eo manuducente. Opus eruditis, ſpero, non diſplicebit. Sunt plura, quae ordine dabimus, nec ſine memoria amicitiae noſtrae, quae dialogum jam inſedit. Ampliſſimo Domino Theſaurario ſum arcte devinctus, & eum ſcis mihi adoptatum inter Patronos, & tutores. Iſta ſunt, quae ad tuas volui & debui, & exſpectabo, quid in augmento fiet. ſi nihil, certum eſt non voluntate, ſed neceſſitate me migraturum. Vivere tantillo iſto non poſſum, nec debeo: cum intertrimento non valetudinis ſolum (quae largius aliquid aut benignius poſcit) ſed ſtudiorum, quibus inſtrumenta non ſuppedito; ſed honoris etiam, qui inviſentibus non exhibeo me, quem cenſent. alii e ſtudiis alia pepercre aut pariunt; ego adhuc nihil praeter bonam famam: quae tamen mihi ſuper Attalicas omnes opes. deſino & te rogo, ut illud de ſesquianno excuſetur, ubi opus eſt, quum calumniari nos non decet: tum alia ut agantur pro prudentia veſtra, quibus rem totam hanc credo ac permit-

1 Italici milites, *Gaſparis Spinolàe* ex cohorte, rebelles Sichemum oppidum oppreſſerant, indeque praedas ex vicinis agris egerant, unde maxima perturbatio orta. vide *Borrii* Hiſtor. lib. XXXI. pag. 77. & ſeq.

mitto. *Oudartus* noſter ſalveto, & haec legito. Lovanii, Poſtridie Nonas Decembres A°. 1594.

EPISTOLA CLXX.

J. LIPSIUS

Othoni Hartio.

TRiplici argumento tuas vidi, mi Harti. Priore commendas *La Faillium*, quem ſcito jam hoc ſolo nomine meum eſſe & (quod illi in ſermone largiter oſtendi) patere me ipſi ad colloquia, ad conſilia, & qua parte mei uſus erit. Argumentum alterum de filio, & quod cupis eum apud me eſſe. Breviter & fideliter tibi reſpondeo. negavi multis, & primis quibuſdam amicorum, & ſcis inſtitutum meae vitae, tibi tamen, nam mihi eximius es, extra ordinem & legem aliquid dabo. uno verbo, admitto eum; praeſertim talem, qualem deſcribis, modeſtum & (quod ipſe obſervavi) reverendum. Tertium de Pace cum Batavis, quae neſcio quomodo (doleo & triſte augurium eſt) animo meo non allubeſcit, aut certe non infigitur & adhaereſcit: Nihil, inquam, aut parum ſpero. Novi homines, & nihil novi video, quod valde impellat. Illa, quae jactantur de Anglis, vetera ſunt, & odium inter eos eſt, ſcio, ſed continet major ille metus. Niſi Danus ſe commovet, metus ad eos non venit: ſine metu autem Pax nos non videbit. Ita ego ſentio: tamen inopinata multa bona homini etiam ſcio eveniſſe, & tanto igitur gratiora. ſed hoc reſponſum quod [1] *Liesfeldio* datum, non placet. Cum Ordinibus agere volunt; quid ergo? Regem prorſus excludere? at diſplicent miniſtri exteri, quid? nonne populares & gentiles etiam ſunt? nonne Conſilium Status? ſed vereri aliquis poſſit, ne haec eant non ad concordiam, ſed ad diſcordiam, & diſſenſionem aliquam quaerant in nobis. Scio, mi Harti, non omnia ex voto, aut pro antiquo ſtatu apud nos eſſe. Sed fructus nempe bellorum iſta ſunt, & illi mederi poterunt: & poterunt opportuna pace. Hi differunt: quid niſi ſe ſic perdunt, nos affligunt? meum ſenſum habes, & ad tua tria reſponſum. Ama me ſemper tuum. Lovanii VIII. Kal. Majas CIↃIↃXCV.

1 Vide *Borrii* Hiſt. lib. XXXII. pag. 28.

EPISTOLA CLXXI.

J. LIPSIUS

Othoni Hartio.

POſtquam a vobis abii, ſpes mihi fuit iterum te hîc videre, cum adeſſent amici communes Antverpienſes. Ipſi & ego voluiſſent. quam amoeni & hi-

hilares fuiſſemus? ſed alias reparabis hoc quidquid eſt jacturae, & convictum noſtrum Lovanienſem ſerio reguſtabis. Nunc de rebus meis. in cauſſa cum *Barone* quid ſit? perage, ſodes, ſed maxime in hanc ſententiam & partem, ut mihi jus meum maneat, & nihil rei ſit cum domino, ob cauſſas dictas, aut cogitandas. ſi ita cenſes, & jus meum liquidum eſſe, nec cauſſa quidem eſt, cur exſpectem quid decidat, quia proprie cum illo res mihi non eſt aut erit, ſuade & ſtatue, & litteras aut inſtrumenta mea cognato, ſi lubet, trade. Quod ad pecuniarium negotium (me miſerum) paene dixeram, qui talibus occupor! aliquid a *Breugelio* audivi, ſed quale apud iſtos ſolet. Ergone ſic ſemper lenta & ardua? ſic ſemper exprimenda? o Italia, cur non audio benignius aut honeſtius vocantem? nec quid facturus ſim etiam ſcio, imo neceſſario aliquid tale facturus, ſi iſti ſic manent tales. de Militia Romana ecce habes, opus pro priſcis potius, quam noſtris moribus, & quod ſequitur, nec iſtis nimis approbandum. At ego intra me non ſperno, & ſcio laboris judiciique rem fuiſſe, imo & acuminis in pleriſque locis. miſi ad noſtros pleroſque proceres, & inſcripſi Principi Hiſpaniarum, non ſine Hiſpanorum laude. ſed nempe in re militari, nec puto me a vero iiſſe. Iſta nunc ſunt, & propere ſcribo (hodie credo ad quindenas epiſtolas) & cras aut perendie in Eburones eo, quorum Princeps iterum iterumque ad ſe invitat. Vale, mi Harti, & meus, qui tuus ſum, eſto. *Ryſwychius* ſalveto, cum tua & tuis. Lovanii XII. Kal. Jul. CIƆIƆXCV.

EPISTOLA CLXXII.

J. LIPSIUS

Othoni Hartio.

AD lectionem meam ibam, tamen hunc, qui tuas dedit, redire meis vacuum ad te nolui, & haec ſubito exaravi. Gratum eſt, ſi conficitur, uti ſcribis, de perpetua delegatione ſtipendii mei, quod alioqui inutile futurum praevideo, & non niſi in imagine donum: etſi ille ipſe, cui ſolutio imponitur, tardum omnino nomen eſt & lentum; ſed hoc praeſtat, quam infidum aut nullum. De [1] Ambiano, o triumphum & victoriam? & mihi crede, plures hic noſter fortaſſe & majores hac aeſtate dabit. confide, confide in Deo & fato, quae palam eſſe pro Auſtriacis vides, ut uno verbo dicam, ad imperium natis. Vale, & a me ſalvete, tu *Henrice Schotte*, tu *Henrice Wuene*, uterque tam ex animo, quam ipſum me velim. Invideo triumvirali convictui veſtro, atque ego hic ligor, & convictores habeo, id eſt cuſtodes. Lovanii XIV. Kal. April. CIƆIƆXCVII.

1 Picardiae urbe, *Amiens*, quam *Hernantellus Portecarrera* dolo oppreſſit & diripuit. vid. *Borrii* Hiſt. XXXIV. p. 16.

EPI-

EPISTOLA CLXXIII.

J. LIPSIUS

Othoni Hartio.

IN re cum *Barone de Baſſigni* putabam ad finem perventum, & vellem. Quid autem opus ipſum valde inſequi & urgere, ſi jus noſtrum clarum eſt? niſi ſi me oportet (quod fere video) eſſe ad exemplum ſummi illius, qui ſe ſcribit, ſed ſileo. Ego pleriſque placere, & dare me debeo? non ſic olim ſoleo, nec video vel nunc cauſam, niſi quia volo. o degenerem in morbo hoc Lipſium! & patere me ſemel verum apud te dicere. In Italiam cur non eo? cur non in Germaniam? & ſine ſuperbia? eam ad extremos Europae fines, ambior, non ambibo. De pecunia iſta regia, fiat quod volent, & cum volent. rogo te per amicitiam, ut honoris etiam mei cauſſa, ne ultra urgeas, & ſinas mores mores eſſe. ſi ſemel Melancholia mea incaleſcit (& in eo jam eſt) non reſtinguent eam blandientium ſermonum guttulae, & ſerio me vindicabo a contemptu. Ipſa illa Euangelica lex, quam dicis, non me tenebit, etſi hactenus, nec falleris, ea ſola me devinxit. de Filio tuo, cum mittes, gratus erit, & affectum re ipſa oſtendam, ſi non hîc haereo, comitabitur me, aut ad te redibit. Liticulam in Iſcano mihi motam aegre fero: & ſic motam. Si quid ambigui aut controverſi erit, aliter agendum, apud me praeſertim, qui cum jactura malo paciſci, quam cum lucro vincere. Amo *Hartium*, ſed non ut Advocatum, etſi eo quoque, quia appendix illa *Hartii*, ſic utor. *Oudardo* noſtro ſalvere, cujus elegans & lepida epiſtola me affecit, nec ignoro ejus ſenſum. Lovanii XIII. Kal. Septemb.

EPISTOLA CLXXIV.

J. LIPSIUS

Othoni Hartio, Conſiliario in ſuprema curia.

Mechliniam.

QUod novi & inopinati in domo mea evenerit non debeo te, pro interiore noſtra amicitia celare. Noſti [1] *Balduinum*, illum Theſaurarii ex ſorore nepotem, & in bona parte, ſi voluiſſet, heredem? is heſterno die in coetum D. Franciſci ſe dedit, ſecreto mundo & omnibus externis. Nihil de

1 Fuit *Balduinus Junius*, filius ſororis *Joannis Drenkwairtii*, Theſaurarii, vid. III. Cent. Miſc. 38. contubernalis Lipſii ab initio A. 1599. vid. ibid. & Epiſt. 48. & 49. aufugit autem a Lipſio & ſtudiis ad Franciſcanos. vide Epiſt. 51. forte quia non ſatis liberaliter ipſi ad ſumptus ſuppeditabatur: vide & in eadem Centuria Epiſt. 80. & 82. & alibi ſaepe. an vero manſerit in Coenobio dubito, quia inter epiſtolas ineditas una eſt Lipſii ad hunc *Balduinum* Idibus Sept. 1602. quae nihil niſi communes ſalutationis formulas habet. ſed uxori & ſponſae jubet ſalutem dici. neſcio cujus uxori, ſed, ut puto, Balduini ſponſae.

de ea mente colligi a me indiciis aut vocibus potuit. adeo firmiter & caute, quod miremur in illa aetate, clauſum ſepoſitumque habuit, quod agitabat. imo ſermones ejus, praeſertim apud familiares, ubi liberior erat, alio ibant & ducebant, faceti, amatorii, interdum & de nuptiis aut puellis. Ecce autem in ipſa domo mea nuptiae ſequenti die futurae erant, atque ipſe interfuturus, & ut ajebat, choreas ducturus, & vel princeps futurus in ſaltatorio illo orbe. ſed ajebat, aliud ſentiebat: & ſtatim a prandio, ubi hilaris fuerat, & ſolita omnia uſurpaverat, in coenobium vicinum ſe contulit, omnibus etiam tunc ignaris. Sarcinulas ſuas compoſuerat, & epiſtolas binas ſcripſerat: ad me, & ad materteram, quae Bruxellae agit. Eas per hominem Britannum, ſola facie mihi notum, ad me miſit. videbar manum agnoſcere, & unde iſtas, inquam, & a quo? Neſcio, inquit, datae mihi ſunt tibi dandae. ſimul propere abivit. Ego reſigno & nimia mira lego. ſententia erat, mundo & mundanis ſe valedicere, fortaſſe cum riſu aut inriſu aliorum. ſed faciant, inquit: Deo ego parui, qui palam me vocavit: Profani inſultent & impugnent etiam, ſi volent; ſcutum mihi ab illo, imo ille erit: & victor audiam, & de terris in coelo triumphabo. At tu, ajebat ad me, vale, vale, cum triſti hoc morſu, quod vixi erga te, & moriar ingratus. Haec Latine & partim Graecis verſibus, aut ſententiis opportune inſertis. Quid dicam? ſtupor me habuit, & dolor in animo, mox in oculis & vultu ſe oſtendit. Etſi cur dolor? revoco & gratulor magis tam animoſo incepto, & votiva apprecari, quam mirari aut moerere conveniebat. Et reduxi me ac feci. ſed tamen pallio ſumpto ſtatim ad Quaeſtorem, adfinem ejus ivi, & in parte aliqua Curatorem. Rem, uti erat, dixi, litteras oſtendi: & ſimul convenit inter nos alteras illas ad materteram aperire, uti clarius certiuſque liqueret de ejus mente. Factum, reſignamus, eadem aut ſimilia, ſed diffuſius legimus: & plena omnia pietatis, & mentis cum ardore ad alta iturientis. Scripſi eodem die ad Avunculum Theſaurarium: ſed mente adhuc confuſa, & ut mare a ventis ſolet, etiam cum ſerenitas rediit, turbata. Itaque brevior fui, nec judicia mea promſi, nunc apud te liberius: nihil mali factum, ſi modo incepta, ſed recta illa via, perſeveret, ad quam non impetu, ſed conſilio videtur ſe dediſſe: nam cum omnia reputo & ruminor, quaedam huc ibant, quorum cauſſa tunc nobis inobſervata aut ignota antea erat: veluti, in cubiculo interdum cantu ſe exercebat, illo chori & templis uſitato: quod ego interpretabar per jocum & animi cauſſam fieri. In menſa abſtinebat a cibis delicatioribus, oleribus fere aut carne bovilla contentus, me carpente & increpante. Sanitatem ille & robur ſtomachi praetendebat, revera exercitium, aut tentamen erat, ecquid viliores cibos illos ferret. dicta etiam ejus quaedam nunc adnoto, tunc in joco aut luſu habita. ut nuper, cum *Richardoto* & *Rubenio* abeuntibus elogia ſcripſiſſem, amica & benigna: ille apud amanuenſem ea legit, & in menſa, o teſtimonia, inquit, invidenda, & vel morte poene emenda! Apage, inquam, & tu, cum JCtus renunciaberis, habebis eodem, aut pleniore modo. JCtus, inquit: imo cum inter Franciſcanos nomen profitebor. iſta nunc & talia ego meique repetunt: & Lovanii

paſ-

paſſim ipſe fabula eſt & ſermo. Nemo non factum approbat (quis Chriſtianus aliter) nonnemo damnat modum, & quod ſine venia aut notitia ſuorum couſque ſit progreſſus. Excuſat quod interpellari aut ſiſti noluerit, ex ſapiente illo verſu

—— —— —— mortalia quaerunt
Conſilium, certus juſſa capeſſe Dei.

ſicut ii, qui hoſtem fugiunt, per abrupta etiam properant, ſic itidem iſti, qui bono impetu inſidiantem mundum. Rem habes, judicium etiam meum habes, ſed tibi; ſi videtur: nam apud Avunculum fortaſſe intempeſtivum ſit. nec fortis haec medicina faciat crudo adhuc dolori. Tu mitiga, & haec, aut talia ſuggere

Quippe viri molles aditus & tempora noſti.

Vale, vir Clariſſime. Lovanii VII. Kal. Octob. CIↃIↃCI.

EPISTOLA CLXXV.

JANUS GUILIELMIUS

J. Lipſio S.

Leidam.

PUdet me pigetque jam diu cunctationis in reſponſo meae, eruditiſſime Lipſi, neque ſatis, quo me tibi pacto purgem, repperio: niſi quod recreer humanitate ſingulari tua. Vix enim videris poſſe ita derepente rejicere, quem humaniſſime in tuam mihi exoptatam familiaritatem receperis, nullius praeſertim flagitii compertum, praeterquam ignaviae. Noſti autem, quam mala ea & venefica ſit beſtia; quamque ſibi ipſa blandiatur, & peccati conſcia peccare pergat. Et tamen aliquam hîc partem ſuſtinet *Plantinus* noſter, apud quem cum ab anni ſuperioris menſe Junio jacerent *Veri-ſimilia* mea, ſperabam fore, ut is liber una cum litteris ad te perveniret, ne inanis harum ſermo tibi moleſtus eſſet; ſed id opinione mea tardius fuit. Itaque ſive has ſolas accipies, ſive cum libro, quod equidem ſpero, & a *Plantino* petii, magnopere te oro, mi Lipſi, ne aliter in me ſis, quam fore polliceris in Epiſtola; quam ut obſidem & ſponſorem amicitiae noſtrae cuſtodio, & ut a me omnia exſpectes, quae ab amantiſſimo & ſtudioſiſſimo tui proficiſci poſſunt: Quem enim ignotum e libris & ſuſpexi ſemper, & amavi merito tuo plurimum, ejus jam certe e literis cogniti non committam, ut aut amori parum reſpondiſſe, aut humanitatem non agnoviſſe videri cuiquam poſſim. Quae innuas invidiae & calumniae flabra, propemodum intelligo. Verum ita me non movent, non magis mehercule, quam eorumdem hominum de litteris judicia, ſive ſomnia ſunt verius. De litteris miſſiculandis vix quidquam polliceri audeo: conſcius mihi ipſi noxae & ſilentii tam diuturni; ſed profecto hanc quoque partem ſatisfaciam voluntati tuae, & ſuperiora reſarciam; ſi id tibi non injucundum fore ſciam. Librum meum, ſpero, ita leges, ut ab Adoleſcente

ſcriptum, & eo his ſacris veſtris vixdum initiato. quodque in hac re valet permultum, in Germania & nato & inſtituto. quod ſi tamen hi conatus non omnino diſplicebunt tibi, & iis paucis, quibus haec noſtra probari cupio, ad majora, Deo faciente, progrediar. Bene vale, Eruditiſſime Lipſi, & me ama hactenus, ſi mutuum a me fieri intelliges. Nobiliſſimo *Jano Douzae*, Poëtae unico, multam a me ſalutem. ad quem Muſaeum quid pangere nondum audeo, ne ejus mundicias meae impolitiae collutulent. Colon. XII. Kal. Februar.

Jani Guilelmii, multum Lipſio amati, immatura mors multum damni literis, & moeroris viris doctis attulit. Laudat eum in Epiſtolis editis paſſim *Lipſius*. vid. I. Cent. Miſc. 63. mortuum nuntiat *M. Lydio* Cent. I. Miſc. 79. & deflet eum lib. II, Elect. cap. 16. Carmina ejus edere voluiſſe *P. Meliſſum* (ad quem de morte etiam Guilelmii ſcribit *Lipſius* I. Cent. Miſc. 83.) patet ex Cent. II. Miſcel. 30. ſed diſſuadet *Lipſius*, quia non pro cetera ejus fama. edita tamen inter delicias Poëtarum Germanorum t. II. Egregium ipſi elogium dat ipſius familiaris & amicus, *Hier. Groslotius Lislaeus* in epiſtola ad *Jac. Lectium* in Epiſtolis Philologicis a Goldaſto editis LXXXIX. *Rittersh.* ad Oppian. I. Cyneg. 6. vocat *Saxoniae ſuae ſidus, ſed nimis cito praereptum terris. Gabbema* ejus Epiſtolas quaſdam ad *Suffridum* Petrum edidit, cujus in contubernio vixit quatuor annos. vid. Centur. II. 88. & religionem mutaſſe colligo ex Epiſt. 82. & idem *Gabbema* in Centur. III. pag. 667. quaedam produxit ex Veriſimilium Libro ſexto, cum tres tantum prodierint. Plautinas ejus quaeſtiones laudat vehementer *Lipſius* Cent. III. Ep. 60. a Gabbema editas: in ejus Veriſimilibus & Quaeſtonibus quaedam leviora, & fere memoriae peccata corrigit *Th. Crenius* Animadv. t. XV. p. 121. & ſeqq. plura de hoc juvene Erudito vide apud *Melch. Adam* in vitis Philoſoph. p. 317. & *Blount.* Cenſur. pag. 830.

[1] EPISTOLA CLXXVI.

JANUS GUILIELMUS

Juſto Lipſio S. P. D.

Redditae mihi ſuperioribus diebus literae tuae, vir Clariſſime, valde me delectaverunt; ſive enim amorem cogito in me tuum, per mihi honorificum videtur, ab eo amari, quem omnes boni omnesque docti viri tantopere in oculis ferunt, quemque ego ipſe, ex quo literas adamavi, unice ſemper amavi. ſive judicium ſpecto, ſane quam gaudeo probari ſtudia mea abs te, Lipſi: quem & poſſe de illis judicare ſcio, & ut in eam partem inclinarit ſententia tua, in quam vellem, vehementiſſime deſiderabam. Tametſi te illa noſtra aut ſtrictim attigiſſe dumtaxat videam, aut credidiſſe amicorum nimis fortaſſe in me propenſis teſtimoniis. Nunc accepto a me cum literis libro, ſi illa tibi tanti non videntur, quaeſo abs te, ut feſtinationi meae tribuas: paucis enim diebus prius paene evulgavi, quam excogitavi: magis colligendae gratiae aliquot doctorum hominum, quam famae conficiendae. qua in re abunde nactus quod optabam, de cetero minus mihi curandum exiſtimo. Illud quidem quo tu me cohortaris, quoque mea me natura ducit, perficiam, ut, ſi

1 Vid. Miſc. 74. editionis Offenb. Epiſt. XXI. quae eſt *Guilelmii*, qua Plautinas lectiones mittit. in prima editione erat, Cent. I. Miſc. 38. cui reſpondet Lipſ. I. Cent. Miſc. 39. cui haec eſt reſponſio, & ad hanc reſpondet Lipſ. I. Miſc. 74.

ſi minus adjumenti in haec ſtudia potuero conferre doctrina, at illis ne dehoneſtamento ſim vita. Praeſertim his exemplis propoſitis hominum certorum, quos eo ipſo miſeriores eſſe judico, quo illi ſe in flagitio & nequitia feliciores putant. E quo numero iſte, [2] quem innuis, nunc hîc agit: ea infamia apud illos etiam ipſos, quibus ſe venditat, ut meam quoque, ita mi Deus amet, miſericordiam ſaepe evocet; ſibi tamen ipſi in coelo videtur, quia inter adoleſcentes aliquot veſtrates helluandi de alieno facultas ſit. Gellium *H. Stephani* lente & per partes dedit imprimendum. is enim hîc futurus hunc annum dicitur, & a me etiam quaedam Ciceroniana petit, verum non impetrat. ſed ipſum, de quo occeperam, niſi hoc libro quid aſſequatur, quo egeſtatem ſuam toleret, vaſa collecturum, & in ſaginam Leodienſis Principis ſe conjecturum audio; ad quem viam munitare cogitat per *Torrentium.* Ampliſſimum *Busbequium* nuper die ſereno vidi, & tuis eum verbis diligenter ſalutavi. is te non deſinit Deum facere, & omnibus ſermonibus prae ſe ferre, quantopere admiretur acrimoniam ingenii & elegantiam judicii tui. Sed literas nuperrimas non accepit, magno dolore meo, cum librum acceperit. Id eo factum, quod epiſtola, ita ut erat ſignata, ad *Egmondum* in Italiam miſſa eſt. Itaque excuſari ſe petit de ſilentio. & te perhumane ſalutat. ſi ſcripſeris, quaeſo abs te, mi Lipſi, illius de me judicii nonnihil adſperge: non quia mea interſit, aut quidquam ambiam, ſed ut retineam ſummi viri honorificam benevolentiam, quam praeſertim tentet labefactare ille vetus ſodalis tuus, meus novus inimicus, illius, velit, nolit, cotidianus bene convictor. nam domum ut reciperetur, cum rogaret, repudiatus eſt, ſed a praeſepi arceri non poteſt. *Scaligerum* hodie, aut ſummum cras, in urbe exſpectabamus, ſub dies feſtos etiam *Cujacium*, cujus hîc opera aucta & recenſita tum abſoluta erunt ſane; facile, magna cum laude ipſius, ſed etiam tua. Uterque amoris in me ſui ſignificationes multas ſaepe dedit. Quod petis, ut certiorem te crebro faciam, ſi quid hîc in re Muſica edatur, aut paretur, equidem faciam & libenter & ſaepe. nunc magnopere nihil erat: niſi ſi ſcire vis *Guil. Fornerium* JC. amicum meum, ad Tit. de Verborum ſignificatione notas advocatis, & literatis etiam utiliter edidiſſe. *Petrum Fabrum* ad Juris noſtri Regulas commentarium, multo limatiorem & uberiorem, typographo dediſſe. Jam de *Marſilii* cujuſdam in Amphitheatrum Martialis ſcholio non arbitror te eſſe ſollicitum. σκολιῶς τε καὶ σχολαστικῶς συγκεχυμένῳ. Tuum hîc amphitheatrum impatienter deſiderant omnes eruditi. *Joſiae Merceri*, ſodalis mei, magno ingenio & multa doctrina adoleſcentis, in Nonium opera diligens & fructuoſa brevi apparebit. Eum, cum ſcribere pararet, profectio Bituricenſis excluſit. me, ut te quam diligentiſſime ſalutarem, abiens rogavit admodum. Idem hoc praeſentes amici mei *Bar. Briſſonius*, qui de Conſtantia miſſa multum te amat, *Er. Memmius*, *N. Faber*, *Fr. Pithoeus*, *Jo. Paſſeratius*, cui partem tuarum literarum oſtendi. Quid? quid his adjungere geſtiebam aliud? etiam. Quod tam prolixe te mihi totum dedis extremis litteris, ne valeam, mi Lipſi, niſi in animo meo accendit vim quamdam ardentiſſimi amoris, cui ut tu reſpon-

 de-

2 *Lud. Carrion.*

dere, pro innata tibi bonitate naturae, velis & perſeveres, non ego quidem quod facere me jubes, impero; ſed ita abs te contendo omnibus precibus, ut hoc unum ſi conſequar, omnia ea me abs te conſecutum ſim exiſtimaturus, quae ab amiciſſimo maxima ampliſſimaque proficiſci poſſunt. Cl. viro *Jano Douzæ* multam a me ſalutem. Vale, & opera mea in Gallia, dum ſum, ita utere, ut illius, qui tua cauſſa velit omnia. Lutetiae Pariſiorum III. Non. Martias CIƆIƆXXCIV.

EPISTOLA CLXXVII.

J. LIPSIUS

Theod. Coornhertio.

Harlemum.

VIr ornatiſſime. ſententiam tuam de Conſtantia noſtra, quod tam libere ſcripſeris, valde mihi gratum. Ut enim libertatem eam judicii in alienis ſcriptis libens adſero, ſic eam aliis aequa lance permitto. Sed tamen illa ipſa, quae te initio offenderunt, aut in quibus etiam nunc adhaeres, ſi examinas ea mente, qua ſunt ſcripta, fortaſſe non plane improbabis. Quaedam enim veterum Philoſophorum verbis & judiciis ſcripſimus: quae exacta ad puram & rectam Chriſtianae Theologiae normam, fateor, non recta prorſus & pura. Sed juvanda ea ſcilicet ſunt, & dirigenda miti quadam interpretatione. Animus quidem meus in omni eo ſcripto non niſi bonus, & ſine contentionum ſtudio (a quibus natura & judicio abſum) propendens, ſpectanſque ad publicam & privatam cujuſque ſalutem. At de vertendo & interpretando eo ſcripto, quod mecum agis. quomodo id improbem, ſi tanti tamen videtur, ut in eo horas tuas ponas? Ego vero libens id permiſero, cum ea lege, ſi publice ita judicabis expedire. Cum *Plantino* egi: & is prompte recipiet imprimendum. Hoc te moneo (ſi laborem eum aggrederis) ut libertate quadam in vertendo utaris, quia lingua quaevis ſuas quaſdam phraſes & dictionis Genium habet; quae ſtricte & ſerviliter non vult abduci in alienum ſolum. Itaque non ſolum phraſis ipſa interdum tibi commutanda eſt, ſed & ſententia diffundenda aut coërcenda, ut videbitur ex uſu & captu lectoris: ſiqua loca erunt, de quibus quaeſito opus erit, me habebis paratum tibi honeſte in his aliiſque tibi gratificari. Leid. 18. Mart. 1584.

Notae ſatis ſunt lites poſtea ortae inter *Lipſium* & *Coornhertium* de ſententia Lipſii de una religione. vita hujus *Coornhertii* breviter, ſed accurate, deſcripta eſt a *Petro Borrio* Hiſt. Belg. lib. XXVIII. pag. 9. ſed miror *Coornhertium* voluiſſe vertere Lipſii libellum de Conſtantia, quod anno ſuperiore 1583. jam aggreſſus erat *Joannes Moerentorfius*, ad quem de ea re Epiſtola Lipſii lib. I. Cent. Miſc. 72. ubi eadem fere monet Lipſius, quae hîc.

EPISTOLA CLXXVIII.

J. LIPSIUS

Theod. Coornhertio.

Harlemum.

ALteram epiſtolam tuam accepi, & in ea mentis tuae diſſenſum ab iis, quae antepenultimo capite Conſtantiae meae ſcripſi. cave, putes aegre me ferre hanc libertatem admonendi. Moneri & corrigi paratum eſſe me verbis teſtatus ſum, & re oſtendam. Et quamquam a diſputatione omni abhorreo, (quae raro ad veritatem pervenit, niſi amice inter amicos ſuſcepta) tamen ſi mihi cauſſas opinionis tuae ſcripto aperueris, idque breviter, non refugiam aut meam ſententiam declarare, & firmare uberius, aut amplecti, (ſi verior erit) tuam. Sane in iis, quae de *fato* diſputo, credo me nihil novi adferre, ſed ſententiam eam, quae eſt a peritiſſimis Scholaſticis Theologis olim recepta. & tamen cur tantopere de quaeſtione hac angamur, cum certe in ea re, quam tracto, nemo fatalem illam vim & gubernationem neget? Publicas rerum converſiones (ea autem libri mei prima materia) quis neſcit ſuperne eſſe, & extra limites arbitrii noſtri. pauca quaedam, quae intexo de privata hominis voluntate, ſi omnino improbas, nihil impedio, quin omittas. Id enim malo, quam mutes. ſcribe tamen ad me, ſi placet, de tota re clarius, ſcribe, inquam, quia ut ipſe huc venias, non mihi, non tibi tam commodum videatur; quia ſaepe impedior quotidianis meis occupationibus, & ſcripto conſideratius de re tanta videor poſſe agere, quam ſermone, qui calidus ſaepe & praeceps. Hoc fac, nec reperies promiſſa mea fallacia, de mutanda ſententia, ſi meliora docear: nec alienum me a diſſertationibus, quae ſine contentione aut dolo malo. Vale Lugd. Bat. 9. April 1584.

EPISTOLA CLXXIX.

J. LIPSIUS

Theod. Coornhertio.

Harlemum.

MEntem tuam ex epiſtola longa & non longa, (uti haec quidem res eſt) ſatis videor cepiſſe: neſcio an tu plane meam. Nam in verbis iis, quae culpas, *libere igitur neceſſario peccat*, non ea vis aut ſententia prorſus eſt, quam efformas. Non enim hoc dixi, aut dictum ullo modo volui. Hominem neceſſario peccare (abſum ab iſtis vocibus, quae durae & cum periculo) ſed ut ex priorum connexu facile vides, haec ſententia, ut homo, quoties peccat, neceſſario libere peccet. Sed quaeris ultra, an providentia divina coactionem non adferat ad peccandum, an non neceſſitatem? Me judice, neutrum; reſpectu hominis quidem: Nam ut plane pleneque me capias, ita ſentio. Homi-

minem Deus liberum creavit. voluntatem indidit, qua eligere, appetere, deliberare, fugere poſſet. haec illi a natura ſunt, ſemperque erunt. Ad peccatum abit? voluntate id fit. ad bonum? voluntate; ſed a Deo adjuta. Quae igitur hîc neceſſitas? in homine quidem nulla: non enim aut Deus aut vis ulla adjacens, aut interna eum impellit, ſed ipſe ſeſe. Tamen Dei & providentiae reſpectu quid dices? neceſſitatem non eſſe? errabis. Coactio non eſt, fateor, neceſſitas tamen hoc ipſo eſt, quod Deus providit, id te facturum. neceſſitas, inquam, in eventu. Sed nonne hoc irritam facit deliberationem, conſilia, electiones? non facit. Deus ecce liberum te conſtituit ad peccandum, ad non peccandum. Sed ut immenſa & imprehenſa illa ſapientia & ſagacitas eſt, ab aeterno videt te libertate tua uſurum hoc & illo modo; vidit, inquam, te electurum bonum, malum &c. Itaque quod providit, neceſſario evenit; non quia libertatem tuam tollit, ſed quia praenovit inclinationem. Praenotio autem ejus non fallax. Haec neceſſitas eſt, quam conditionatam appellant. id eſt hactenus id neceſſarium eſſe, ſi Deus praevidit, non autem a ſe neceſſarium. non eſt naturalis neceſſitas, ut in igne comburendi, in lapide deſcendendi. Itaque non deſcendam facile illuc, ut cum quibuſdam hodie Theologis dicam, *Decreta a Deo eſſe peccata*, *ſancita &c.* ſed *praeſcita* duntaxat & *praeviſa*. Priores illae phraſes in Labyrinthum nos ducent, quem nullo rationis filo evadam ego. Et tu ſane, fateor, hoc bene capis. At etiam ad peccatum originis me vocas. quod an peccatum in nobis ſit (poſteros intelligo) an poena ſaltem, nihil nunc diſputo, quia non ad ſcriptum meum aut inſtitutum. Etiam ſimilitudines illae de navi, de curru, de chorea, quas addidi, teſtor ſpectare eas in primis ad publicum mundi regimen & directionem, nec aliter reperies. Illud non omitto, cenſere me in vera intelligentia & cognitione providentiae divinae maximam partem pietatis contineri. Non enim quiſquam bene ſentire de ſummo illo Deo, revereri ex animo, & uti oportet, majeſtatem & immenſam ejus vim poteſt, niſi qui diffuſam illam ſapientiam capit, aut, (ut verius dicam) credit. Quis enim capit? Arcana haec ſunt, & ignis ſine aduſtione non tangendus. ſi bene capio ſcripta tua, & ea, quae immiſces ex libro de providentia a te edito, non valde a me abis. Quem tamen librum ſive libros non vidi: & gratum mihi erit, ſi ad me mittes: libenter enim lego quidquid in tam ardua & ſublimi re ſcriptum praeſertim ab iis, qui mihi videntur non in tenebris ea de re dimicare. Nam multi non diſſerunt ea de re, ſed litigant: quae profecto non niſi verecunde tractanda & cum metu. Quod ſcripſi ſententia quadam, *ne peccatum quidem fieri invito Deo*, veriſſima eſt ſententia quadam, quae a Scholaſticis priſcis petenda. Diſtinguunt enim, & recte, voluntatem. Sed non plura adjungo, quia revera occupatiſſimus, imo aliquoties interpellatus haec ſcripſi: alioqui paratus gratificari, & ſive diſcere a te quaedam, ſive docere, ut res feret. Lipſio quidem nihil reperies ſincerius & amantius bonorum. experire, ſive literis voles, ſive etiam ſermone, cum occaſio ſe dabit. Plura volo, & nunc non poſſum, at ſi quid omiſi, (de iis dico, quae ad librum meum proprie faciunt: nam tota materies haec diffuſa) ſubmone

ne. item, ſiqua alia loca erunt, aut expediam, aut certe ſimplicem ſententiam meam tibi proferam, & ſine fuco. Vale Lug. Bat. 15. April 1584. Mitto tibi folia duo de Conſtantia, quae iterum nunc imprimitur, quia notae quaedam adjunctae ſunt interdum ad lucem. Mittam & ordine reliqua.

EPISTOLA CLXXX.

J. LIPSIUS

Theod. Coornhertio.

Harlemum.

RESponſum ad epiſtolam tuam differre non debeo, etſi pluſculum nunc occupatus. in ea diſcrimen illud quadruplex, quod adfers, probo, nec negavimus hanc unquam neceſſitatem cum voluntate, & magis cum libera voluntate, pugnare, ſi in eadem re & eodem reſpectu ea jungas. At ſi diverſam conſideres: quid vetat ea in una re bene dici? Exemplum; Chriſtum a Judaeis interfici neceſſarium fuit, ex aeterni Dei decreto aeterno: at Chriſtum interfici liberum item fuit, ex Judaeorum voluntate. Ita de peccato concipio neceſſitatem in eo conſiderari poſſe, providentiae reſpectu. at hominis veram meramque libertatem. Quam libertatem quo magis ſtabilire poſſum, quam cum ſcribo, ita eam inſitam homini, ut neceſſarium ſit, ſed quoties peccat libere, eum peccare? haec enim mens ſubjecta meis verbis, *libere igitur neceſſario peccat.* Sed neceſſitatem tamen a providentia nullam eſſe vis, quia coram Deo (inquis) nihil futurum aut praeteritum, omniaque tempora ſimul & in ſe & in ſpeculo cernit. Fateor, vere & pie dicis. *Deus enim tempora ſine tempore intuetur*, ut Gregorius ait: & quicquid hîc diſcriminis eſt, nos proprie tangit, non illum. Sed tamen ecce in eo ipſo ſimili tuo, nonne tale aliquid eſt? Pone ante me & te ſpeculum: geſtus ede, corpus attolle, deprime, obverte, circumverte. nonne ex ſpeculo poſſum dicere te nunc neceſſario edere talem geſtum: Ex ſpeculo, inquam, ſi id quidem non ſit fallax. Et tamen liberum tibi fuit edere alium geſtum, ſed quem ſpeculum jam ſuſcepit, eum profecto neceſſario reſpectu ſpeculi edis. Tale in nobis; in bivio conſtituti ſumus a Deo ad bonum flectendi, ſive ad malum: videt euntes nos ad malum: ratione ad illum, neceſſario imus. Nihil enim apud Deum fortuitum aut contingens eſt. quae verba tantum ſunt humanae caliginis & inbecillitatis. Recte, etſi parum Latine, quiſpiam ex antiquis: *Deus ſcit certitudinaliter & evidenter etiam futura contingentia.* Nec tamen haec ſcientia ejus cauſſa eſt, cur malum fiat: ſed quia fit aut futurum eſſet, ideo ſcit ſive praeſcit. Sententiam meam in hac re conſignabo Auguſtini verbis tractatu 53 in Evangelia Johannis, ut mihi videntur ſubtiliſſimae veritatis: *Non propterea*, inquit, *quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit, ipſorum enim praeſcire peccata, non ſua, nec cujuſquam alterius, ſed ipſorum. & quia ipſius praeſcientia falli non poteſt, ſine dubio non alii, ſed ipſi peccant, quos Deus peccaturos eſſe praeſcivit. Fecerunt ergo pec-*

peccatum Judaei, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet: ſed facturos eſſe praedixit, quem nihil latet. Et ideo ſi non malum, ſed bonum, facere voluiſſent, non prohiberentur, & hoc facturi viderentur ab eo, qui novit quid quiſque ſit facturus. Non ergo cauſſam peccati Deum facimus aut providentiam (abſit) ſed neceſſitatem quandam eventis rebusque omnibus inſitam agnoſcimus, ut non turbetur tamen aut corrumpatur definitus ille agendi ordo. Jam quod ad notam illam meam attinet, quae mora eſt? *Quadam etiam ſententia volente:* nec pecco, nec a te, niſi verbo, diſſentio. Tu permiſſionem nudam appellari id vis: ego, ſenſu quodam voluntatem. Et praeter veteres Scholaſticos, a me etiam eſt Auguſtinus: *Non fit aliquid*, inquit, *niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo.* Itaque vult etiam quodammodo Deus, dum ſinit: *& in malis* (ait Thomas) *habet ſe Deus ad modum volentis.* Hoc ſentio: & tu ipſe ea approbas in libro tuo de permiſſione & decreto Dei §. 104. in cujus fine etiam cauſſam addis. De duplici illa mea ſimilitudine, equi claudi, lyrae diſcordis &c. non etiam capis meam mentem. Nam haec ſpectant non ad publicam gubernationem, ſed ad objectionem diluendam, quae Deum facere videtur peccati cauſſam. Et eſt ſane (ſi attendis) objectio acris. Nihil, inquiunt, virium in homine eſt externarum, ſive internarum, niſi a Deo. In illo & per illum vivimus, movemur, nec digitum exercere ſine illa vegetante vi poſſumus, ad bonum ſive ad malum; imo quod voluntas etiam noſtra impellitur (ita ajunt) eſt ab illo. Quomodo igitur, ſi ipſe omnia in me movet, movet me etiam ad peccatum? quo modo non cooperatur in eo, & adjuvat? Ad hoc eſt, quod reſpondi per ſimilitudines. Moveri quidem omnia a Deo, ſed non in malum. a nobis & in nobis peccatum eſſe, & hanc cum virtute diſcordiam, non ab illo &c. Itaque verba illa, *Deus auctor, verſtaet hier by, dat Godt ook der quaden werken ten beſten beſchikt* &c. non habent hîc locum, ſed habere poſſunt apud ſimilitudines illas de chorea, de navi, de curru, quae ſequuntur. Et hoc eſt quod nuper tetigi. De libris ad me miſſis gratiam habeo, mitto etiam nunc folia duo, miſſurus reliqua, quia quaedam in ipſo textu immutavi, aut aliter diſtinxi, ſed pauca. Vale, & ſaluta a me D. *Stuperum*, virum doctum & probum, ut audio, etſi parum mihi notum. ſed virtutem & modeſtiam ſane amo apud omnes. Item a te peto in D. *Sirleno.*

EPISTOLA CLXXXI.

FRANCIS. RAPHELENGIUS

J. Lipſio ſuo.

Leidam.

CUm ego patrem Andreae ad vos proficiſci cognoſcerem, eum ſine meis ad te litteris abire non ſum paſſus; ut de noſtro Antverpiam reditu aliquid intelligas. *Spiringio* igitur ſub mediam noctem in portu vale dicto, Neptunum nobis faventem conſpicientes, navem conſcendimus; quae panſis ve-

velis aequor ſulcare non deſtitit, donec, vento plane nullo mota, e regione inſululae Doulii quieſcere cogeretur. Ubi cum fere maximam noctis partem conſumpſiſſemus, excubiis ibidem per vices a nobis peractis, (interim dum omnes naves excubitoriae verſus Hulſtum ad aggeres perrumpendos confluxerant, ſed adverſo Marte) ſub crepuſculum diei, iter inceptum aggreſſi ſumus Auſtro non ſatis propitio utentes: quem contra nixi tandem die Saturni ſub horam ſeptimam mane urbem ingreſſi ſumus: ubi omnes ad unum domeſticos, affines ac familiares incolumes incolumis reperi: pro quo quidem beneficio non ſatis dignas Deo gratias agere queo. Verum in memoriam nunc revocans dulciſſimam veſtram, parentum, amicorumque iſtic praeſentiam, à qua me tam praecipiti conſilio ſubduxi, non mediocri dolore afficior: eoque magis, quod comes itineris vix mihi tantum ſpacii reliquerit perluſtrandis urbibus, quas nondum videram. Roterodamo enim iter facturos nos ſperabam, ubi *Eraſmi* effigies conſpicienda viatoribus antiquitatis loco publice extare dicitur. Delphos tranſcurſim vidi. Hagam Comitis tantum à limine ſalutavi: ita ut ſane gravior mihi quotidie fiat meae tam ſubitae navigationis recordatio, praeſertim coelo hoc tam ſereno, cujus mutationem ſemper cum iſtic eſſem, timebam: ſed dolorem hunc animi aliqua ex parte lenit ſpes, quae in me novum ſuſcitat deſiderium ſub finem aeſtatis vos reviſendi. Ut autem illud lenius feram, reviſam meas Muſas Perſicas & Arabicas, ex quibus interim colligam ea, quae non ingrata tibi futura ſint, cum iſtic, vel hîc (ſi forte hac aeſtate nos inviſas) illa tecum communicavero. Interea poſtquam revolvi meas ſchedas, viſum fuit quaſdam voces tibi mittere adjungendas iis, quas tibi dedi: Perſicas dico: ut videas, quantum habeant affinitatis Perſae cum Cimmeriis Becanicis. Quid dicam? Experior unam linguam ab alia juvari, ut inquiunt Thalmudiſtae. Quî enim ſcirem *Buſtan* ſignificare Hortum (ea voce utuntur Turcae, & Chaldaei) niſi legiſſem in Geneſi Perſice ſic vocari: *Kaſt*, apud eoſdem, eſt Arca, ciſta. *Band*, ponitur pro prohiberi, coërceri, quaſi vinculo conſtringi. Invenio etiam *Dare* pro oſtio (pro *deure*) nam non magni facio vocales, cum harum ſit tantum formare varias dialectos. *Man*, ego, meus, a, um. *Nah.* id eſt *non* (vox Germanis uſitata) *St*, ſubſtantivum verbum, pro *Eſt* in compoſitis, ut *Zan toſt*, *uxor tua eſt* (: nam *Tu* idem, quod *Tu*, *tuus*, *a*, *um*) *Menaſt*, *mea eſt*. *Du*, duo. a Latinis vel Graecis, ut *Hapht*, ſeptem. Quid dices, de *Lapz*, labium denotante? Et ſic de aliis, quae affinitatem habent vel cum Arabicis, vel Graecis, aut Chaldaeis. In ſumma, tantam farraginem ſimilium vocum congeram, ut cum *Scaligero* non incommode aliquando de eis conferre poſſis, ſi ita tibi conſultum videatur. his vale, meque amare perge. Antverpiae XVIII. Maji CIƆ IƆ LXXXIV.

Uxori chariſſ. plurimam ſalutem. Gandenſes videntur reſipiſcere velle, ut videre eſt ex eorum ſcripto ad *Ryhovium* miſſo; cujus exemplar miſimus ad ſocerum. *Alençonium* vivere credo, atque ita eſſe, hinc colligo: quod *Templius* literas non dudum ab eo accepit (ut ferunt) & quod Cameracenſes equi-

tes numero 600. devaſtarunt ſeptendecim pagos, Duaco ac Valencenis propinquos, ac poſtea eoſdem incenderunt.

Raphelengii vitam, ex Profeſſorum Leidenſium vitis deſcriptam, habet *Melch. Adam.* in vitis Philoſ. pag. 423. & *Valer. Andr.* Bibl. Belgic. & *Franc. Sweertius Zeltner.* Centur. Corrector p. 458. Quam ſectam religionis ſecutus fuerit non inveni. quia vero *Plantino* tota domus Romanenſi addicta fuit, eum quoque non aliis ſacris operatum credo, niſi ſi Lugduni mutaverit ſpeciem, &, ut Lipſius, ſcenae ſervierit ſed nihil certi adfirmare poſſum, nec facile videntur Curatores eum Profeſſorio munere ornaturi fuiſſe, ſi profeſſus fuiſſet Papiſmum. ex Epiſtolis vero his & filii, qui Lovanium etiam ad Lipſium ſtudiorum cauſſa abiit, conjicere licet de mente ejus. nam & Epiſtola 191. ſcribit, *Lovanium* ſibi quoque eſſe, *locum expetendum*, *ſi tempora ferrent.* Filium certe placita eccleſiae Romanae ſectatum teſtatur *Voſſius* Epiſtola ad Pareum CLXXI. quae inter ſelectiores eſt CCXXVI. haec & alia fata hujus viri & aliorum eruditorum potius indagare debuiſſet, meo judicio, *Baylius* in Lexico ſuo, quam longam de matrimoniis felicibus aut infelicibus notam conficere, & in locum communem, (ut ſaepe ſolet) quem nemo in talibus libris quaerit, excurrere & philoſophari.

EPISTOLA CLXXXII.

J. LIPSIUS

Franciſco Raphelengio.

Antverpiam.

TAndem redit ad vos uxor, opinione tua & ipſius voto tardius. quid faceret? aliud animus, aliud amici ſuadebamus, ille iter, nos manſionem. Nam tempeſtas, quae & quam ſubito exorta ſit, vides, nec aquae ipſae ſatis tutae, in quibus hactenus ſpes noſtrae. Deus iſta gubernat, mi Raphelengi, Deus: eaque ad meliorem aliquem finem e turbis iſtis concinnabit, praeter ſpem noſtram atque opinionem. Fide tantum. Nos hîc jure turbati, morte illius [1] magni capitis. tamen turbati, non dejecti conſtamus adhuc. nec diſcrimen tam praeſens videtur, ſi ordines concordiam cum praeſentia animi conjungant. De Zutphania omnia molitus hoſtis, ut ſuccurrat, adhuc fruſtra. ſed nunc majore quodam apparatu adventat, Arembergio duce. Ducet iſta quoque Deus. Ego Electorum Librum ſecundum paro. in eo [2] caput de communibus verbis Perſarum cum Germanis: velim & plura de lingua poſſe aſpergere, te ſuggerente. Mitte, ſi quid habes. Audio, imo in indice ita lego exiiſſe, in Italia *Rob. Titii* Burgenſis locorum controverſorum libros decem. valde velim eos quomodocumque mihi confici, ſive emptione, ſive uſu tantum & inſpectione. Age cum *Moreto* noſtro, aut cum amicis. Filium tuum putamus (ita avo viſum & mihi) in Galliam brevi iturum ad ſtudia promovenda, ad judicium formandum, ad linguam, ritus noſcendos. Tibi quid videatur velim ſcribas. Avus quidem valde nunc pronus in eum videtur, & ſerio manſuetior. mihi quidem (ut hae turbae & haec tempora ſunt) placet non differri eam profectionem: Nos enim ipſi quamdiu hic erimus? Sept. 1584.

1 *Guilelmi Arauſionenſis.* 2 Non reperio hoc in editis Electorum libris.

EPI-

EPISTOLA CLXXXIII.

J. LIPSIUS

Franciſco Raphelengio.

Leidam.

NOs, mi Raphelengi, Moguntiacum venimus, ea ſpe, ut fontibus Swalbacenſibus, qui ſunt ad valetudinem firmandam, uteremur. Deus bone! quam omnia ibi horrida? ſolus ſi eſſet locus, aut quies, ſed in diverſoriis haerendum. quae taedia illa hoſpitum & potorum. Omitto alia tibi non ignota. diſceſſimus ergo Confluentes, atque illinc Coloniam, hoc conſilio, ut ad Spadanos fontes irem, atque illic me reficerem apud homines, & aërem mitiorem. ſed hîc quoque impedimenta: viae omnes praedonum plenae, & arceſſitum recens incommodum, bellum, quod infert Aquisgranenſibus Juliacenſis: ita hac nullus tranſitus. Conſulam & deliberabo, an per Treviros circumagar, an potius Confluentibus, aut in vicinia (quod primum meum conſilium fuit) ſubſiſtam. Timonis vitam aliquot menſes vivemus. Certior eris, cum aliquid ſtatuero; nunc filium habes, qui in praeteritis pro Epiſtola tibi erit. Vale, & uxorem tuam & utrumque filium ſaluta. *Franciſcus* meus quid agit? ſcire velim. literas a diſceſſu nullas accepi; ad *Mylium* mitte, ſi quid vultis: miror nec uxorem quidem ſcripſiſſe: Coloniae Ubiorum VI. Cal. Majas. CIƆIƆXCI.

EPISTOLA CLXXXIV.

FRANC. RAPHELENGIUS

J. Lipſio S. P.

MIraberis, ſat ſcio, cur hactenus nihil ſcripſerim. ſed quid dicam? cum videremus te tandiu, in Vlieta haerere, deſperantes de tua profectione, incerti eramus, quo literas noſtras deſtinaremus. nam Francofurtum mittere, non videbatur conſultum; praecipue cum nihil eſſet, quod ſcriberemus. Itaque tandiu expectavimus, donec certo conſtaret, quo te conferres. Nunc gaudeo ſcire quî valeas: ſed doleo iter tuum tot ac tantis difficultatibus impediri. Eaſdem moleſtias mecum ſaepius perpendi, ex quo diſceſſiſti, uti etiam cum apud nos eſſes, non ſemel dicebam profectionem, quam ſuſcipiebas, arduam ac gravem tibi fore, videri. Si Spadanos fontes ſine periculo adire potes, bene erit: nam non eſt conſultum, ut alios in Germania adeas, cum nulla ſint in illis locis commoda, uti ſcribis, hoſpitia. Aquiſgrani eſt abunde, quod te reficiat, humanitas incolarum & loci amoenitas, ac, ſi placet, amicorum conſortium, qui nihil tibi deeſſe patientur. Nunc temporis video uſui venire

operam amicorum, etiamſi invitus ea utaris. nam barbaris & ignotis nulla fides. Hoc dico ideo, quia ſi nimium te ſubtrahas ab iis, qui tibi gratificari cupiunt ex animo, contentus propria quadra vivere inter hoſpites rapaces, ac plerumque inhiantes praedae alienae; contingere poſſit aliquod infortunium, praeſertim cum humaniſſimi quique, ob bellorum furias, ab antiquis moribus degenerarint. Non verſaris jam in Hollandia noſtra, ubi licet vivere ut vis, ac etiam exſpaciari ſine periculo. Audiemus quo tandem te verteris. De rebus noſtris, quod ſcribam, nihil habeo. Filius adhuc haeret Antverpiae, amicorum conſpectu fruens: eum in dies expectamus. Uxor mea ita graviter morbo ſuo laboravit, id eſt, tuſſi & aſthmate, cui erat adjuncta febris hectica, ut D. *Heurnius* de ea deſperaret. Sed Dei beneficio convaluit. *Franciſcus* noſter ſcribet, ut promiſit, quid agat. Pergit ſuum officium facere, dum adhuc abeſt frater. Cum redierit, tunc videbimus quid animi ſit habiturus. Ego totos dies domi deſideo, in meis ſtudiis Arabicis, ut aliquid certi abſolvam, antequam Deus me vocet. nam neminem habeo, quîcum tempus fallam, niſi tribuam aliquam horulam deambulationi cum *Heſpelio*, aut D. *Nanſio*, qui videtur quietiori eſſe animo, quam cum hîc eſſes. quod certe miror. Deputati Ordinum nihil conſtituerunt adhuc de Collegio, neque Ordines; ita ut negocium nec publicum, nec ipſius privatum promoveatur. *Meninius* adfuit una cum aliis, ſed D. *Nanſius* non vidit illum: quia Collegium viderunt tantum; & ita abiverunt, nobis neſciis, brevi redituri, ut ajebant. Interim nihil de reditu eorum audio. Ac certe multa geruntur in urbe, quae contigiſſe tantum ſcio poſt multos dies. ita me ſubtraho ab omni conſortio; niſi cum cogor Academiam adire ad meam profeſſionem, vel ad conventum: ad quem rarius vocamur. Te abſente, cum Deputati adeſſent, *Vulcanius* vocatus eſt, inſtinctu, puto, ſui Curatoris, qui etiam ibi aderat, coram illis, ut per eum injungeretur Profeſſoribus, ne quemquam crearent [1] Doctorem ſine publica diſputatione ac ſolemnitate. Aſſenſum eſt aliquo modo; cum reſtrictione tamen; ut ſiquis nolit in publicum prodire, modo doctus ſit, & in ſua facultate optime verſatus, poſſit privatim promoveri. Quidam interim Arnhemenſis publice promotus eſt ante Paſchalis feſtum; in cujus laudem habuit oratiunculam *Vulcanius* de Academiarum origine. Delphenſis quidam brevi promovebitur, in cujus gratiam mihi etiam erit orandum. Ita incidimus in novas moleſtias: Zelandi tam alieno ſunt animo a noſtra Academia, ut decreverint Collegium no-

1 Quantum ex actis video, Doctores olim creabantur ſine examine privato, ſed publice tantum Theſes propugnabant. ſed A. ſequenti demum 1592. 22. Jun. cum quidam *Laurentius Brand* admiſſus eſſet ad Diſputationem pro Doctoratu Medicinae, & *Pauwius* ſe oppoſuiſſet, quod indoctum diceret, & prope infamem; primum Magiſtratus Leidenſes in Senatu Academico verba fecerunt, ſibi videri conſultius, ut prius examinarentur accurate, priuſquam theſes publice proponerent candidati, & poſt varias ſententias dictas, Senatus Academicus decrevit, candidatos ante diſputationem publicam ſubire debere examen privatum, & Profeſſores conceptam examinandi formulam cum Curatoribus communicare; deinde 5. Octobris Ordines Hollandiae decretum miſerunt Senatui Academico, de examinandis privatim Candidatis Eodem etiam anno 6. Octobris poſt multas Academici Senatus ad Ordines allegatas preces & ambitum, inauguratum eſt Collegium Theologicum.

novum extruere in ſua urbe Middelburgo, ac in eo alere 25. alumnos theologiae ſtudioſos. cujus rei cauſa Profeſſores tres vocandos eſſe ajunt, unum Theol., alterum Philoſoph. tertium bonarum literarum, idque effecerunt Miniſtri, qui propter [2] *Gallum*, quem adhuc hîc fovemus, & quia alium non accerſimus Theologum, Academiam eſſe fugiendam, clamitant. Plura non addam. Secretarium adivit uxor tua, ut moneret nos parare noſtras litteras ad te. viſus eſt miſſurus ſuas. ſed nondum fecit cum has obſignare vellem. Amici te plurimum ſalutant, inprimis D. *Nanſius*, cujus nomen omiſiſti tuis poſtremis. ſcis quam gaudeat iſtis nugis. Si quietus alicubi eſſes, conſultum videretur ut ad praecipuos collegas, ut *Heurnium* & eos, quos noſti familiariores, aliquid litterarum dares. Bene facis quod *Aerſenium* non negligas. His finem faciam, rogans Deum opt. max. ut te incolumem diutiſſime conſervet, validioremque te efficiat iſta profectione, ut brevi te potiamur. Vale, IX. Maji CIↃ.IↃ.XCI. Uxor mea, filii, filia & familia te reſalutant, omniaque tibi proſpera optant.

2 *Carolus Gallus* (patrio ſermone *Haen*) Arnhemenſis, cujus vita eſt inter Profeſſores Academiae Leidenſis pag. 29. inter fervidiſſimos Theologos, ſimilis *Danaeo*, qui Genevenſem (nam *Calvini* & *Bezae* diſcipulus erat) diſciplinam etiam introducere ſatagebat; multas cum magiſtratibus Leidenſibus rixas exercuit, & tandem etiam demiſſus abiit. Aldegondio etiam adjutor datus ad vertenda Biblia fuit. vid. infr ad Epiſt. Douzae CCXXI.

EPISTOLA CLXXXV.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio S. D.

Leidam.

MI Raphelengi, ad Aquas Spadanas perveni tandem; Deus bone, quot poſt moleſtias & ambages? imo quot poſt diſcrimina, quae in finibus Germaniae nobis objecta? vicimus tamen & pervicimus, Deo duce. Scis quaſi fatum meum, ut moleſtae & exercitae mihi peregrinationes ſint, ſed ad extremum tutae. Nunc hîc ſum, & curandae valetudini totum me dedo. De reditu meo (triſte aliquid dicam, ſed dicendum eſt) ne ſpera. Mihi decretum jampridem abdicare me docendi munere, & quod reliquum eſt tranſigere in quiete vitae, niſi quidem valetudo inſigniter confirmetur. Interea cur in Batavis eſſe nolim mihi ſunt cauſſae, quas nihil opus eſt reddere diſtincte. Liber ſum & nolo, haec eſt cauſſa cauſſarum. Quod a te avellar, mihi dolet; noſti meum adfectum, ſed ſpero breve hoc diſcidium fore, quicquid aliter videatur, vaticinia mea uſque adhuc non valde me fefellerunt. ſed illa publica Deo permittamus, qui diriget omnia ad ſuam gloriam & communem ſalutem. In privatis tuis rebus quomodo eſt? quid *Franciſcus* noſter agit? quomodo adfectus? nam alter tuus filius *Chriſtophorus* jam apud te eſt, in vetere ſua functione, niſi fallor. Ego conſulere haud temere aliquid poſſum, quia longe abſum, tum etiam, quia ſtatus nunc veſtri imperitus. A te aut a meis ver-

bum non accepi a diſceſſu. Atqui cenſeo, me decies ſcripſiſſe. quae cauſſa ſilentii? an literae non miſſae, aut male miſſae? Ad *Mylium* deſtinari juſſeram, nunc licebit breviori via ad *Lampſonium*. Is apud me fuit, & quanquam latere vellem, contineri non potuit, quin curſim me videret in Aquis. Amicos hîc & alios reperio, & reperi copioſe. *Nanſius* noſter ecquid agit? Saluta eum tacite, & ſi ad me ſcripſerit, gratum habeto. Idem peto de *M. Luca*, *Heſpelio*, *Lanſchoto*, aliiſque amicis. ſed tuos imprimis ſalutari cupio; Uxorem & filios, filiam. Vale, mi Raphelengi. Aquis Spadanis poſtridie Kal. Jun. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA CLXXXVI.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio.

Leidam.

UXor ad nos venit, mi Raphelengi, VI. Kal. Octob. tam tarde inquies? ego quoque miratus ſum, & non miratus, cum moleſtias cogitavi & diſcrimina viarum. Pes nullus in Brabantia nunc tutus eſt a praedonibus veſtris, & ab iis quoque, qui eorum ſpecie praedantur. venit igitur cum metu magno, ſed Dei auxilio, ſine noxa. nos una hac hyeme hîc agemus, ſi Deus volet, & jam de domo mihi proſpexi. ſum in eo, ut bulbos mandem terrae, quorum numerus donatione amicorum etiam accrevit. haec oblectamenta noſtra ſunt, utinam in certa firmaque ſede? nam haec talia aegre & incommode transferuntur. Te totum in veteribus tuis ſtudiis eſſe gaudeo, & revera faciendum tibi eſt, ut opera etiam poſteris appareat tui in orientalibus linguis progreſſus ſive laboris. Honeſta & proba etiam haec ratio taedii temporum iſtorum fallendi, quae nondum, ut vides, abeunt in ſerenum. Scripſi non ita nuper ad vos, & credo te accepiſſe. Quod a me nunciem praeter illa nihil eſt: mihi tamen pergratum intelligere, quae iſtic geruntur; non etiam quae dicuntur. Nam illa quid ad nos? venti ſunt, & abeunt in ventum. Filium tuum, ſi venit, libens hîc exſpectabo. ſed quid ais? vocatus an vocandus a vobis *Scaliger*? certe velim virum iſtum inſiſtere Belgicum hoc ſolum. ſed ut adduci poſſit vereor, & ut perennare, ſi adductus. Quin fama cum eo magna ad vos ventura ſit, nemo ambigit. & ſcriptionibus certe ſuis illuſtraturus veſtram urbem. Quam ego etiam nunc amo, & veros amicos, quos illic habui: non enim cum locis eos muto. [1] *Paludanus* mihi ignotus eſt, nec quid poſſit ſcio. D. *Gulielmius* ex noſtra eſt, ut opinor, diſciplina. Deus illi aliiſque faveat, qui adnitentur ad publicum bonum. Uxori tuae ſalutem a me dices, & gratias pro linteo ſudario, quod accepi, etiam M. *Lucae*, D. *Heſpelio*. De *Nanſio* nihil novi. immorietur bonus ſenex ſuis querelis. Vale, mi Raphelengi, quem in animo ſemper, in memoria & ore ſaepe geſto. Leodici Kal. Octob. CIↃIↃXCI.

H.

1 *Bernardus Paludanus*, cui, Enchuſae Medicinam profitenti, oblata fuit Profeſſio Botanica, quam ille recuſavit. vid. Cl. *Boerhavii* Horti Leidenſis brevem Hiſtoriam, quam enarravit ante Indicem alterum Plantarum 1720. pag. 25. & infr. Epiſt Douzae 221.

H. *Bredio* ſcripſi de Cedreno, ſi juſto pretio vendere eum volet, tu pecuniam illi dato ex ea, quam filius tuus recipiet e ſupellectile. ſin carere non poteſt, uſus mihi ejus ſatis eſt.

EPISTOLA CLXXXVII.

FRANC. RAPHELENGIUS

J. Lipſio S. P.

Leodium.

NIhil habeo, mi Lipſi, quod ſcribam, praeterquam quod mediocriter valeamus, ac jam vere inſtante ſperemus nos melius valituros, Deo juvante. Quod ſi eadem felicitas tibi contingat, erit quod gaudeamus. Hoc unum nos conſolatur, quod ex nuncii verbis intelligamus te occupatiorem fuiſſe, ut nobis reſponderes: quia, ut ajebat, tu litteris ſcribendis, quae ad nundinas mittendae erant, intentus eras. quod certe praeſtare non potuiſſes, ſi valetudo fuiſſet infirmior. Age igitur, confirma eam potu aquarum, quas dicis tibi eſſe ſalubres, Spadanarum, dum rident prata, atque invitat coelum locorumque vicinorum amoenitas. De rebus noſtris non eſt quod aliquid ſcribam; cum mentem noſtram literae poſtremae ſignificarint. Puto te ſcire nepotem *Mercatoris* in nundinis vicem *Chriſtophori* ſupplere. quam felices eae nobis ſint futurae, audiemus. Quid dicis de literis *Scaligeri*? is mihi miſit per *Tuningum* Catalogum librorum ſuorum Orientalium. mirum quam raros habeat libros! Si venerit, experiemur quid poſſit. Ego credo eum multum poſſe: ac ejus conſortio me valde adjutum iri. De *Cluſio* bene ſperamus. Reſponſum ab eo his nundinis expectamus. De collegio noſtro, audio Ordines velle hoc menſe Majo ſuos alumnos mittere; ad quos regendos praefecerunt [1] *Coclinium* quendam concionatorem Amſterdamenſem. Itaque videmus eorum, quae excogitari poſſunt ad illuſtrationem Academiae, nihil praetermitti. Unum reſtat quod deſideramus; tua nempe praeſentia; cujus deſiderium nulla aetas minuet aut delebit. *Douzae* filius apud nos eſt. *Heſpelius* cum tota ſua familia Ultrajectum hoc menſe Majo cogitat habitandi cauſſa, idque ob coelum gratius ac ſalubrius, quod in eo loco. Cuperet, ſi occaſio ſeſe offerret, ut illuc ſcriberes, a te commendari D. *Cantero*, jam Conſuli primario. id unice a te petit, ſi fieri poſſit. noſti virum. is te plurimum ſalutat, ut & filii. item M. *Lucas*. D. *Heurnius* non eſt negligendus. ambit interdum a te litterulas, nec audet te interpellare non provocatus. Scis eum Rectorem eſſe. *Merula* aſcitus eſt in numerum Profeſſorum extraordinariorum. D. *Mello* (alias *Mellaeus*) profitetur *a plaiſir:* ambiens etiam, ni fallor, Profeſſionem. Itaque numerus Profeſſorum infinitus. D. *Nanſius* eſt adhuc Dordraci. Miniſtri effecerunt ut *Marcellus* adjunctus ſit ei ſubpraeſes. tentarunt *Nanſio* imminuere ſtipendium: ſed nihil impetrarunt. Quoties ad me ſcribit, injungit mihi, ut meis litteris tibi ſalutem amiciſſ. adſcribam. Talis eſt noſtrorum ſtatus in praeſentia. De ceteris

1 *Joannem Kuchlinum*, cujus vita eſt in Athenis Batavis Meurſii pag. 182.

teris nihil occurrit amplius, quod ſcriptione dignum ſit: ideoque finem faciens rogabo Deum opt. max. ut te cum tota familia diutiſſime incolumem conſervet: quam nos ex animo, ut & te in primis, ſalutamus. Lugduni Bat. CIƆ. IƆ. XCII. III. Kalend. April.

EPISTOLA CLXXXVIII.

FRANC. RAPHELENGIUS

J. Lipſio S. P.

Leodium.

QUoties, mi Lipſi, litteras a te accipio, videor quodammodo levari iſtis animi moleſtiis, quae me torſerunt hactenus a tuo diſceſſu. Nam etſi tuta, & voluptati ſit ſolitudo, tamen interdum fit, ut ſi ab omni conſuetudine & familiaritate quis fiat alienior, animum triſtitia occupet & hujus vitae contemptus. Ita me ſentio affectum, ut ſolitudinem cum ſtudiis ſeriis amplexus, optem ſubinde corpore diſſolvi: niſi cum tuis litteris excitor, quae ita me afficiunt, ut tecum, ſicut olim, ſermones conferre videar; omnemque animi aegritudinem procul excutiam. Opportune itaque mihi adferuntur litterae, quae levamen aliquod aegroto adferunt. Spectamus quidem etiam Europae iſtos ſonitus, ſecuri certe, ſi unquam alias; ſed cogitatio rerum futurarum quieti iſti admiſta, nonnunquam miras ſuſpiciones parit, quae ſaepius vel conſtantiſſimum pectus labefactet. Placere vero Deo, & bonis, ut mones, inprimis cogitandum, cui rei ſi operam dem, plane me eximam omnibus gravioribus curis, quae cor exedant De *Scaligero* quod ſcribis, mirum nobis videtur. Ut ut ſit, ſecundum ab eo reſponſum expectabimus. Sive veniat, ſive eum ſua Gallia teneat, non deſiſtemus noſtra curare, & promovere conatus quos coepimus, ſi modo facultates non impediant: quietam & privatam vitam interim ſequentes, ut & amari, & ſecurius vivere poſſimus. Gaudeo te meliuſcule valere: & ad tuam valetudinem confirmandam Spadanas aquas, aut vicina loca cogitare. quae ut tibi vires reſtituant valde optarim: nam dici non poteſt, quam languidum me reddat tuus tam diuturnus languor, ac de recuperando priſtino vigore deſperatio, quam videtur tua epiſtola indicare. Bono animo eſto; his enim doloribus Deus aliquando finem dabit. Ad conſtantiam autem non eſt meum te hortari: ſed meus eſt mos talis, ut cum conſtantiori me monita propono, eadem mihi ipſi inculcem, ac ea ratione me aliqua ex parte ſublevem, & labefactatum quodammodo animum erigam & confirmem. De Academiae noſtrae rebus neſcio quid ſcribam. Menſe Majo videbimus quos progreſſus ſit habitura. nam in eum menſem videntur Ordines conſpiraſſe ac conſtituiſſe certa ſtatuta, quibus negocium promoveatur. Nihil ab eo tempore, quo ad te ſcripſi, video acceſſiſſe, aut immutatum. Omnes valent & ſe gerunt more ſolito. *Merula* docebit (quaſi ſuffectus in tuum locum) menſe Majo. *Scaliger* ſi venerit, primarius erit, ut exiſtimo. Hortus pa-

paratur in adventum *Cluſii*, niſi mutet conſilium. *Leemputius* pridie Paſchatis Ultrajectum appulit, ut mihi *Trutius* retulit, idque Rheno ſecundo. quem & *Franciſcus* meus vidit & allocutus eſt. Tradidi litteras ad *Canterum Heſpelio*, qui ſequenti ſeptimana decrevit hinc diſcedere. Gratias tibi ingentes agit, amicamque ſalutem nunciat. Quod nobis ante diſceſſum tuum ad fontes imperaveris, exequemur. Parce ac raro ſcribemus, ut mones, niſi urgeat neceſſitas. de *Colvio* nihil audimus; niſi quod ſit gregarius miles in obſidione Rhotomagenſi, ut quidam nobis retulit domeſticus *Buchenvalii*. Chimacenſis ſuperiori ſeptimana noſtrum hortum inviſebat, jubebatque te plurimum ſalvere. His finem faciam, rogans Deum opt. max. ut te diutiſſime incolumem conſervet. April. Lugduni Bat. CIↃIↃXCII. Uxor mea amicam vobis ſalutem.

EPISTOLA CLXXXIX.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio.

Leidam.

NOn eſt quod ſcribam, niſi rediiſſe me a Spadanis aquis ob pluvias continentes. Hîc tamen bibimus, & cum ſucceſſu. Nunquam mihi ab annis ſeptem melius fuiſſe hoc poſſum dicere. Caetera in Dei manu. factum male & petulanter de dictatis meis divulgatis in Anglia. Haec hodie licent? etſi quid non licet? praeſertim in nos, qui mites & placidi videmur, & ideo injuriae opportuni. Scribite, numero quantum poteſt, de *Joſ. Scaligero* ſitne, an fuerit, quod legati noſtri ad nos attulerunt. Idem de *Claudio Puteano*. vos ibi per Gallos ſcire poteſtis. Catullus *Douſae* lucem videt, nec ego illum? culpate, ſed ut emendet. illi ſalutem & *vander Vilio*, quem credo apud vos eſſe, uxorem tuam, Chriſtophorum filium, & filias. Leodici XVII. Jul. 1592.

EPISTOLA CXC.

FRANC. RAPHELENGIUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

CUm vehementer auxius eſſem, mi Lipſi, cur a te nullum reſponſum a menſe Junio adferretur, nec animo meo poſſem ſatisfacere, variis ſuſpicionibus mihi ſubinde obverſantibus: tandem iſtam curam diſcuſſi, ratus operae precium eſſe, ut ipſemet quid cauſae ſubſit tanti ſilentii, ſcriptione tentarem. Itaque auſus ſum te hac epiſtola laceſſere, confidens fore, ut eum, quem tua familiaritate tot annis dignatus es, non averſeris. Scio quidem, tempora eſſe ejuſmodi, ut cavendum ſit, cui & quid ſcribatur. Sed quandiu ſuperiores non tangimus, quis prohibeat ultro citroque litteras miſſitare? ac quis ac-

gre ferat, ſi amicus amicum abſentem ſalutet? Lovanium te jam tenet, locus nobis quoque expetendus, ſi tempora ferrent. Sed in noſtro exilio hîc erit conſiſtendum, cum nuſquam appareat tutius refugium. Mirantur multi, cur tuum iſtuc receſſum paulo diutius non diſtuleris, cum quae ibidem quies eſt, non adeo te ſecurum reddere poſſit, noſtro quidem judicio: niſi forma reip. magis te afficiat, quam quae in his locis. Sed ita tibi decretum eſt. Faxit Deus opt. max. ut firma valetudine diutiſſime fruaris. De rebus noſtris nihil habeo, quod ſcribam, ſub tempus nundinarum rediit filius ex Anglia, cum mercatoribus Londinenſibus Francofurtum proficiſcentibus. ac ſtatim ubi advenit, incidit in morbum, cum quo conflictatus eſt duos menſes ac eo amplius: Medici dicebant eſſe hepatis inflammationem. Jam, Dei beneficio, convaleſcit, reditque paulatim ad opus intermiſſum; nempe de typographia noſtra promovenda ſolicitus; ut optimi libri excudantur. Nam quandiu adeſt, operam ſuam nobis conferat neceſſe eſt. Quo loco res noſtrae Scholae ſint, haec habe: In novum Collegium recepti ſunt XX. ſtudioſi, alendi ſumptibus Ordinum, qui octo millia florenorum huic rei deſtinarunt. adhuc expectantur XI. ut numerus XXXI. compleatur. nam tot alumni erunt, omnes Theologiae ſtudioſi. *Franc. Junius*, ut ſcis, hîc ſedem fixit; magnumque adfert Academiae ornamentum. numerum enim ſtudioſorum indies creſcere, eo nomine exiſtimamus, quod eum habeamus, *Scaligerum*que expectemus. *Helmichium* audimus tandem acceſſurum tertium Profeſſorem. *Merula* tuum interim locum ſupplet in Hiſtoriis; quem audio magnos quotidie progreſſus facere. Utinam apud nos manſiſſes! videres novas aedes exſtrui, novaſque plateas deſignari, in quibus aſſurgunt nova aedificia. quae res non parum ornamenti ac emolumenti adfert noſtrae urbi. Eſt libellus *Franc. Junii* adverſus *Puccium*, quem mittit auctor ad te. eum accipies a Moreto cum litteris adjunctis. A veſtro Rectore [1] *Romano* litteras accepi: ſed jam ei non reſpondeo. is videtur addictus *Chriſtmanno*. Alias reſcribam. ei ſalutem precor, ni grave eſt, ac ſi ita videtur, meis verbis nunciari; ac in primis tuae uxori, ac ancillae; idque meo, ac meae uxoris liberorumque nomine. Vale, vir mihi plurimum honorande, noſque amare perge. Lugduni Bat. v. Decembr. CIƆIƆXCII.

1 Hic eſt *Adrianus Romanus*, (de quo agemus ad Epiſtolam ipſius ad Lipſium.) Anno ſequenti Lovanio diſceſſit, vocatus Herbipolim, ut ibi Medicinam & Matheſin doceret. Rectorem Academiae Lovanienſis fuiſſe docent Faſti a *Valerio Andrea* publicati pag 54. erat vero Profeſſor Matheſeos. Auſpicatus lectionem Mathematicam A. 1586. ſucceſſit ipſi *Joannes Sturmius*. vid. Faſt. d. pag. 249.

EPI-

EPISTOLA CXCI.

FRANC. RAPHELENGIUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

QUod hactenus ad te, mi Lipſi, non ſcripſerim, in cauſa fuit D. *Scaligeri* adventus, quem indies expectabamus. nam nullum argumentum videbam mihi offerri ad ſcribendum aptius nec opportunius, quam ut tibi nunciarem, quid de eo judicarem. Itaque cum huc ſalvus advenerit, non poſſum inficiari, quin vir ſit praeſtantiſſimus ac ſingulari eruditione praeditus. hoc unicum in eo laudo, quod humanus ſit & liberalis in communicandis iis, quae habet, cum quolibet: imo, quod ad ſtudia mea attinet, vult in me transferre ſua monumenta, adverſaria, & quaecunque ad eam rem pertinent, quia linguae Arabicae unice ſtudioſus ſum, ita ut inter eos, quos novit, neminem fuiſſe, qui tantum ſuo labore aſſecutus ſit, publice teſtetur. Habet libros hiſtoricos & coſmographicos, ad quos vertendos me hortatur, me extricaturus, ubi res obſcurior moram injicere poſſit. Cujus quidem viri teſtimonio licet me beatum quis exiſtimet, tamen anxius ſum, quî par eſſe queam tantae rei aggrediendae. Noſti me ſemper timidiorem eſſe, ac de viribus meis diffidentem. Niſi me geram audaciorem, nihil egero. Verum quoties cogito typographiam ſatis curarum adferre, & parum ſubſidii me accipere a filiis, qui laboribus, ad quos occallui, minus ſunt aſſueti, poenitet me quodammodo famam & locum aliquem obtinuiſſe inter eos, qui literarum nomine innotuerunt. O quam felices ſemper cenſui eos eſſe, qui bene latitando bene vixiſſent! De ejus honorario nihil ſcribo, nec de profeſſione, quam refugit, aperte confitens, ſe imparem muneri, quod cum laude obiiſti. nondum enim inter eos tranſactum eſt negocium. operam interim ſuam Academiae promittit, ſiqua in re ei poſſit eſſe & adjumento & ornamento: mihi quoque ſua opera omnino offert imprimenda, manum a linea non retracturus, nec paſſurus, ut operae noſtrae ceſſent. Ita videtur erga me affectus. Quid dicam porro de tuo affectu, qui non mutavit? Certe non ſine animi dolore ejus reminiſcor, cum tanto velo tegi debeat, quod cum ſuas vires exerere, cum neceſſitas poſtularet, prorſus prohibeat. Sed me conſolor, quod tempus aliquando futurum ſit, ut omne impedimentum, quo minus cupitis amoribus frui liceat, tandem tollatur. De valetudine noſtra, uxor rectiſſime valuit, quamdiu fuit in Brabantia & in itinere. nunc autem mutato coelo videtur in priſtinum morbum relabi. Certe haec regio ei non convenit. mea vero valetudo eſt mediocris, ſed tamen infirmior ſolito propter herniam, quae indies augeſcit, torminibus plerumque concomitantibus. Filii ac filia adhuc manent caelibes; nec video eos valde cupere jugum noſtrum ſubire. Filiam vellem quidem nupſiſſe, ſed cum recuſet eos, qui ſeſe offerunt, inter quos unus aut alter non contemnendus, nolo eam cogere. Quid porro e noſtra typographia prodeat,

facile cognoſcere potes ex iis, quae *Moerentorſius* iſtuc mittit. Franciſcus in hoc totus eſt, ut ſelectiſſimos quoſque libros eligat imprimendos. Ad has nundinas ſpero eum iturum, ut faciat periculum mercatus Francofurtenſis. juvenem enim ibi habemus inſtitorem, qui eſt inſtruendus. Siquid interea ſeſe offerat, quod opera noſtra efficere poſſit, impera: effectum reddemus. His finem faciam, rogans opt. max. ut te cum uxore & familia incolumem conſervet. Lugduni Bat. Pridie Kal. Septembr. cIↄIↄXCIII.

EPISTOLA CXCII.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio S. D.

Leidam.

SPero, mi Raphelengi, & opto [1] dolorem tuum jam aut deſiiſſe, aut ſedaſſe: & id dignum eſt hac aetate, & prudentia tua, ut divina illa moderate feras, & cogites obſequi aeternae legi. ſi quid mea quoque epiſtola contulit, gaudeo: ſed quanto magis potuiſſet animus hîc praeſentis & vultus? profecto aſpectu ipſo te levaſſem, & communione doloris, quem fateor mihi eſſe in caſibus amicorum. Sed una ſurrexiſſemus & porrexiſſem manum: nunc liberi tui, ut ſpero, pietatis omne officium faciunt, & praeſertim filia, cujus ſolitudinis miſereor, & omnino e re familiae & tua ſit, dare eam nuptum. ſi talis contingat, qualem dixi, qui una tecum habitet; valde ad ſolatium tuum, & creſcant in oculis & ſinu parvi nepotes. Avocet ea res ab omni cogitatione novae copulae, quae etiam optima, te a tuis disjungat, & fortaſſis ab omnibus nobis. Senile conjugium (nec tu validiſſimus) quid vitam & vires atterat ſcimus. Turbas ibi exortas doleo, quia, etiam abjunctus, locum tamen amo. Sed nec rei tuae expediet, & erit conſiliis commutandis. Sed fortaſſe ventulus fuit, ut ſaepe, & jam reſedit: ſcripſi nuper me aedificare, atque id me impedit, quo minus Spadam. Vocat ſane valetudo, quae imbecillior eſt facta nuper ſectione venae, quam meopte arbitrio adhibui, medicis inconſultis. Sed aliter ea fovenda eſt, Spada differenda. Quod ad flores, Catalogum ad filium tuum miſi, mittetis quae poteſtis, nec aliter: Ad *Cluſium* ſcripſi. eſt hîc *Joh Boiſotus*, qui liberalem ſe exhibet, Optimus ſenex, & ſimul eruditus, ſed una manus avaritiam meam non implet, & capacem noſtrum hortum, quem utinam aliquando videas! utinam inter nos! & miſceamus animos, & ſermones! Præter vota nihil ſupereſt, publica ſunt in aliena manu. *Scaligeri* Quadraturam exſpecto, quem ſaluto veteri & perpetuo meo in eum judicio atque affectu. Scio illum ſcire, & animi oculis inter nos videmus. Lovan. Kal. Jul. A°. 1594.

1 Amiſerat uxorem ſuam Raphelengius, filiam Plantini. conſolatus eum Lipſius Epiſtola, quae edita a Pontano decad. II. familiarium pag. 74.

EPI-

EPISTOLA CXCIII.

FRANC. RAPHELENGIUS

J. Lipſio ſibi unice colendo S. D.

Lovanium.

JUre mirari potes, cur nihil ſcripſerim ad te a reditu filii mei, per quem tuas acceperam. Ingenue autem fatebor frigus me fere a ſcribendo deterruiſſe: ut omittam moerorem, qui meum animum adhuc cruciat, ita ut verear triſtibus meis querelis te onerare. Quid, inquies, non deſinis abſentem deflere, quam mortalem ſciebas, cum eam duceres? Certe merito reprehendendus ſum, quod in Dei voluntate non acquieſcam. Sed quid dicam? Meos affectus aliter flectere non poſſum, praeſertim cum perpendo, quot malis ſim obnoxius in hac vergente aetate, deſtitutus vitae conſorte, quae mihi eſſet ſolatio & adjumento, quoties eis impeterer. Nam licet mea filia ac filii mei curam habeant, ita ut mihi in omnibus ſatisfaciant: tamen hernia cum torminibus ſubinde recrudeſcens adeo me debilitat, ut vix efferre domo pedem patiatur. niſi enim mihi caveam a frigore, ſtatim me corripiunt tormina, quorum vehementia delabuntur inteſtina in ſcrotum, ac in tantam duritiem concreſcunt, ut ne jacere quidem, & multo minus ſedere ſine dolore queam. Tunc quaeritur remedium talem maſſam diſſolvendi. ad eam autem rem adhibemus vinum Hiſpanicum; quo ſumpto, poſt tres horas aut amplius, compellor ad vomitum, qui adeo me concitat, ut utrinque egeram, quicquid eſt in corpore ſumpti alimenti. Atque ea ratione fit, ut ad miraculum uſque inteſtina in ſuum locum reducantur plane laxa, quae antea inſtar lapidis erant dura. Cogitare potes quanta moeſtitia afficiar, quoties video me in hac anguſtia verſari, quae nuper *Chriſtianum* ad inſigne Artocreae animo valentem ſuſtulit. Accedit & his malis ophthalmia, quae mihi abhinc ſeſquianno moleſta fuit; necnon tremor dextrae manus, qui me tardiorem ad ſcribendum ac minus agilem reddit, cum tam expedite antehac calamum ducere ſolerem. Hinc colligis, quam acerba ſit mihi vita, optanti ſaepius diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: nam dum ita affligor privatus ea, quae tot annis mihi convixerat; ac te, cujus conſuetudo mihi erat ſolatio, omnia ſordent, nihilque ſeſe offert, quod animum languentem recreare poſſit. Nec uxor Beyſii Magdalena, quae cum tota familia huc venit, dum haec ſcribo, etiamſi mihi gratiſſima ſit, facile leniet dolorem iſtum recordanti, quam gratus ſorori fuiſſet ejus adventus, ſi nobis manſiſſet ſuperſtes. Haec autem me pudet tibi recitare: ſed id impotentiae animi, tantum vulnus ferre non aſſueti, imputabis, nec ideo aegre feres, ſi haec apud te deponam, quem prae ceteris agnoſco in terris iſtius morbi medicum. O ſi Deus daret nobis liberum ad vos aditum! tentarem iſtuc advolare, ut mea conſilia tecum communicarem. nam calamo ea committere quî poſſem? Valetudo quidem inconſtans vix pateretur tantum iter ſuſcipere: ſed deſiderium, quo flagro, videtur mihi alas additurum. At res

Deo commendanda, qui omnia vertet in commune bonum, complebitque ſi ſalutare ſit, quod maxime exoptamus. Quod ad res noſtras attinet, idem ſtatus, qui ante annum. non video quenquam meorum, qui vel cogitet de conjugio. nec filiam ullus adit ejus rei cauſa. Fuerunt quidem, qui eam expeterent; ſed quia non placebant matri; repulſam paſſi ſunt: ut tibi, ni fallor, retulit Chriſtophorus. Veteres amici tuam abſentiam ſaepe deflent, praeſertim cum experiantur eos, qui ſucceſſerunt, Lipſianum nihil ſapere. D. *Heurnius* imprimis & *Bertius* te plurimum ſalutant. O quam beares *Heurnium*, ſi dignareris eum epiſtolio! [1] Inaudiſti de Collegio deſerto ob caſtigationem à *Bertio* ſeverius, ut ajunt, vel potius a Curatoribus & Magiſtratu habitam. ſed ſaniores judicii homines totum aſcribunt conniventiae *Baſtingii*. Sed inſtaurabitur menſe Majo *Cochlenii* revocati adventu. nam in id Ordines toti incumbunt. Multis dolet *Scaligerum* non profiteri publice ea, quorum eſt peritiſſimus. Sed de his ſatis: cum plura ab aliis audias. Deus opt. max. te diutiſſime incolumem conſervet, ac uxorem cum familia, quam ex animo ſalutamus, ego & liberi & Magd. Lugd. Bat. Kal. April. CIↃIↃXCV.

1 Hoc anno maximi fuere tumultus a ſtudioſis excitati, & apparitore publico in ipſo collegio Theologico interfecto, omnes alumni deſeruerant collegium, cujus Regens erat *Baſtingius*, Proregens D. *Bertius*. Hinc per totum annum tot turbae fuerunt, ut nec Profeſſores munere ſuo fungerentur, nec ſtudioſi ad officium redirent. quare miſſi ab Ordinibus *Janus Douza* Curator, & ex Curiis Hollandiae conſiliarii *Joannes a Banchem* & *Theodorus Leeuwius*, ille ad quem Epiſtolae Lipſii, qui componerent tumultus. & tunc certa demum forma Tribunalis Academici, locus judicii exercendi, & carceres dati, & plura alia decreta, quae hîc narrandi locus non eſt. Collegii Theologici cura mandata *Joanni Kuchlino* (*Cochlinium* vocat Raphelengius) qui jam vocatus fuerat Amſtelodamo 1591. ſed cum ipſa Collegii erectio protraheretur, redierat Amſtelaedamum, & *Baſtingius* ejus loco praefectus, nunc vero *Baſtingio* mortuo, revocatus eſt *Kuchlinus*. eo defuncto A. 1610. ſucceſſit *Petrus Bertius*, ejus gener. vid. Meurſii Athen. Batavas.

EPISTOLA CXCIV.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio Patri S. D.

Leidam.

AMplexus ſum tuas litteras, ut te ſoleo, omnia gratas, excipio quod languorem, imo triſtitiam tuam, praeferebant. Nam quis finis, mi Raphelingi? *Quis deſiderio ſit pudor aut modus*? ait poëta, *cari* quidem, *capitis*, ſed quod ex aeterna lege divelli debuit, vel te praeeunte, vel ipſa deſerente. Hoc alterum factum eſt: cogita illud tantum, & fer quomodo ipſam ferre voluiſſes. Suave eſt ſane, cogitare quod ameris, quod deſidereris, etiam cum non es: ſed hoc inſuave, torqueri tua cauſſa quem amas, & nolim cum ea cogitatione mori. Me vero amici bonis ominibus votiſque proſequantur, & (praecipuum ſolatium) laudibus & grata commemoratione, ac ſi quis meruit, etiam imitatione. Quaeſo te, fac tuae. cum affectu, ſed ſine lacrimis, interdum commemora, praeſentem eam puta & arbitram pectoris tui & ſermonis.

Hoc

Hoc ſolabitur: illud tabere & jacere, alienum a viro, certe Chriſtiano. Voves, & optas mihi adeſſe, infirmus non firmiſſimo: o ſi fiat? te & me reddam uno alloquio firmiores. Eſt aliquod jus animorum in corpora, & ipſos animos cogit & temperat vehementior affectus. Scito, & cum hac conſcientia morere (ſed tardum ſit) te a me amatum & amari, & pariter tuos. Quam vellem externa haec & turbas nos non ſejungere? nihil remoretur, non aquae, non terrae, quominus inter nos videremus. Sed perpetuum, & ab orbe condito malum, livor & odium, & bella ſunt: quibus involvi neceſſum eſt etiam non bellaces. Veteres illic amicos memoriam mei ſervare, gratum eſt: ſed ſine faſtu, nonne merui? nonne promptus fui benedicere, ſuadere, facere? Scio me pro copia atque opibus feciſſe; & vivere nolim, ſi animum hunc mutem. Ingrati tamen etiam aliquot, homines factionis, non rationis, quos in levi aut nihilo habeo, & tantum precor, ut redeant in poteſtatem. Vale, mi Raphelingi, & ſive pax ſive induciae ſint; manus, pectora, oſcula jungemus. Lovanii XI. Kal. Majas ∞IↃXCV.

EPISTOLA CXCV.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio.

Leidam.

TRiſtes tuas legi, etſi lubens accepi. ſed triſtitiae mihi cauſſa, exordium & tota ſcriptio adflicti corporis tui, nec nimis firmiſſimi index. Ego vero votum meum tuo jungo, & toto animo optem tecum ante utriuſque noſtrum obitum eſſe. An excidiſſe putas tot familiares ſermones, & ſine velo colloquia? nemo in ea urbe fuit, cui cor hoc magis patuerit, & meruit ita candor tuus nativus, & in me uſu quaeſitus amor. O iterum ſi adſim? ſed haec comprimenda vota ſunt, & fraenanda ratione & neceſſitate, quarum illa diſſuadet, haec vetat. Tuos in te eſſe, qui debent, & rem familiarem curare, id gaudio eſt: & maxime de filia, quae nobile erit & laudabile in patrem exemplum. Tu certus eſto, Deus hîc aut alibi penſabit, imo & hîc, & fortunam ei non opinatam dabit. Nos ſatis in tranquillo vivimus, aedificamus, hortum colimus, Politica quaedam monita meditamur, & exempla. Sane meus interior affectus, & inclinatio jamdiu ad Philoſophica a Philologis his vocat. Quidni paream? non minor gloria, minor materies calumniae: & novi iſti Critici, parum docti, vel acuti ſibi videntur, niſi ſi dentati. ſed praecipuum, major publico, major mihi fructus ex illo genere. & expertus loquor, aſſurgo, aut formor cum ſalubribus illis monitis & praeceptis. Te quoque velim ſub hoc aevi ſerio philoſophari, id eſt, humana ſpernere, ipſam vitam ſpernere: quae quid, niſi maſſa & fugiens umbra? Tot annos tu & ego viximus: ubi ſunt? ut torrens cum impetu fluit, & labitur; & mox deſinit. ita nos animoſi, alti, humiles, mox nulli. *Juſtum* tuum in Italiam iviſ-

ſe,

ſe, gratum eſt, & probo. Te valere & vivere, ut poteſt, opto, atque ejus rei per te aut filium certiorem fieri. Saluta liberos & amicos. Lovan. poſtr. Kal. Octob. cIɔIɔxcvI.

EPISTOLA CXCVI.

FRANC. RAPHELENGIUS FIL.

J. Lipſio S. P.

COmmunis ille, Vir clariſſime, noſtrum omnium dolor eſt, quem ex eo concipimus, quod ea anni temporiſque tempeſtate iter inſtitueris, qua frequentia tot incommoda, tot pericula, in quae jam incurriſti. Ego vero cum jure propius tua cauſſa, aut dolore, aut gaudio, pro re, affici debeam, tum iſtud gravius fero, quam quiſquam alius; tum maxime quod tunc a nobis diſceſſeris, cum comitem me tibi negotia noſtrae domus denegabant. Comes eſſe potuiſſem, non dubito, quin & ſervitio & ſolatio juviſſem. quamvis enim neutrum defuiſſe tibi dici poſſit in tam frequenti σωνεϱχ μενῶν turba; turba tamen fuit; & neminem in ea ſcio, qui verius te quam ego amet, & quem tu verius ames. Adfectum meum talem tu, & tuum ego talem novimus. Cum autem non omnia habere poſſimus pro voto; at iſtud detur, ut ſanum te & ſalvum brevi videamus. nam ſane te abſente hîc omnia languent. Ego quidem adhuc in ſolitis curis occupor, neç quidquam adhuc ſtatuimus certi, dum frater abeſt, qui jam Antverpiae eſt, huc rediturus poſt aliquot dies, forte cum matertera Magdalena, uxore *Beyſii*. illam ſcilicet nos inviſere velle intelleximus. Conſilii noſtri poſt fratris reditum ſtatim te certiorem faciam. Hortulum tuum quotidie inviſo. triumphat ille Corona Imperiali Dodecanthide. tuliparum omnigeni coloris icones a domina, ut puto, accipies. Novi hîc poſt diſceſſum tuum nihil Tres burſas, ut vocant, inſtituit Magiſtratus. Zelandi collegium, quod hîc figere decreverant, mutato conſilio Middelburgum translaturi videntur. Rumores, ut ſolent, varii de rebus Gallicis. plurimi falſi. Apparatus hîc belli grandes. Quid futurum ſit, videbimus. Interea tu valetudinem tuam cura, & nobis brevi incolumem te ſiſte. Omnes omnes te avide exſpectamus. Cum frater redierit latius ſcribam. Vale Lugd. Bat. 9. Maji 1591.

EPISTOLA CXCVII.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio Fil.

Leidam.

MI Franciſce, ſine verbo te non dimitto, etſi valde feſtinus. ſcribis ad me, & non ſcribis. quid judicas? pone apud me perſonam (ita debes)

&

& ſcribe aperte, ac revela tuam mentem. Manſionem ibi, an abitum decreſti? ſi illam, ſileo, ſi hunc, quando, & quo? conſidera omnia agenda, & certo quodam fine. Calor, qui hujus aetatis proprius eſt, a te abſit. Deus ante oculos eſto & virtus, & honor, quae duo a primo & uno illo capite pendent, paucis verbis, en dico, te crede. nos imbecilli ſumus, & miror tantopere ad vetus ergaſtulum nos compelli. Sed decreta non mutamus, & quicquid in conſtantiam noſtram jocentur, aut ſubſannent, nos illi ſumus. ſile vulgus, & mirare vires, quas mens capit. Hoc ad te & tibi. tu quoque ſile & nos ama, quod tibi a me eſt & erit. Leodici v. Kal. Jul. CIↃIↃXCI.

1 Ex hac Epiſtola colligo *Lipſium* voluiſſe *Raphelengium* illicere ad ſe, & ſuum exemplum ſequendum, quod manifeſtius ex ſequentibus Epiſtolis.

EPISTOLA CXCVIII.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio filio.

Leidam.

QUod ſcribis, mi Raphelengi, gratum eſt, (nec aliter potes) & quod ſic ſcribis, cum affectu, inquam, & amice. meum in vos animum certe ſcitis. De ſumma deliberationis tuae diu multumque cogitavi, atque etiam nunc cogito. per haec tempora, fateor ſincere, navis iſta conſilii haeret mihi in vado: velim te tamen a turbis exemtum, & integrum ad quemcumque reipub. ſtatum: hoc familiae toti veſtrae expedire cenſerem, & non omnia committi uni loco, & uni caſui. *melius duo defendunt retinacula navim*, ait Poëta ille noſter, & ratio ipſa addicit. Quid ergo ſuadeo? ita me Deus amet, ut velim te apud me eſſe, ſed huc tamen te non invito. locus aut homines non placent ad diuturnam manſionem, etſi in nos quidem iſti ſatis humani. ſed alia eorum pro urbis genio, non item pro conſilio, ejuſque effectu, quod tibi velim datum. Ergo unum hoc nuncio, me ampliare, donec de domicilio certo ego ſtatuero, & tum ſane velim te apud me eſſe, nec ſine tuo, aut rei tuae fructu. Hiems haec abeat (nec enim ante eam innovabimus) & tunc diſpiciemus. Interea hortor te ac moneo, pone affectus, aut certe vela, & temporibus tam ambiguis, integrum te ſerva ad quamcumque fortunam: Expedit, imo decet huic aetati. quid te miſceas? te & tua cura, & prudentiam puta, facere, quod ille Brutus. Leves aliorum ſermunculi non demoveant te de ſtatu, quem ratione duce ſemel ceperis, & puto eos eſſe, quod revera ſunt, ventos. Uxorem indies exſpecto, minus anxie, ſi ſaltem de valetudine, aut loco ejus mihi conſtaret. nunc nihil horum, & cum diu Antverpiae eſſe debuerit, ex Patris tui ejuſque literis, nihil etiam auditum. Tu matrem meo nomine amanter ſaluta, item fratrem tuum, quem velim videre me, ſi itineris ejus ratio feret, atque etiam ſororem & *Juſtum*. Vale, Leodici prid. Non. Sept. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA CXCIX.

J. LIPSIUS

Franciſco Raphelengio Filio.

Leidam.

QUod varia de valetudine mea nuncio, mi Raphelengi, ne mirere. ipſa enim variat. alias certa & bona fide mihi ſtare videtur; alias quaſi ex inſidiis ſurgit, & invadit iterum morbus. haec ſpes mea eſt; nonne ferenda, quia impoſita ab illo, cui nemo recalcitrat? aut ſi facit, non niſi ſe laedit. Tu tamen bene ſpera; atque etiam ego, qui anhelo ad eos fontes. duplex ibi bonum: ipſi delectant & juvant, tum etiam locorum ille ſitus & amata mihi ſemper ſolitudo. fallor, aut decretoria erit haec potio, ſpes univerſa valetudinis noſtrae. nam vitae lues haec niſi abit, ego brevi: ergo de ſede aut domicilio protelamus in id tempus. Rem veſtram (praelum) ſtabiliri paullatim, id vero gaude: non item, quod de *Wiltio* meo nuntias, cui corpus, vel potius anima minus valet. ſi ad eum ſcribis (& velim vel hac cauſſa) ſignifica de fontibus. quos mihi poene certum eſt ſublaturos illud Eryſipelae, ſive quo alio nomine appellem, quod in vultu. Amo virum, ſed velim magis virum, quam ut ob haec levia, & quae feminae lugent, muliebriter dejiciatur. ſuade, ſed ita, ut caute & circumſpecte de mora, & nequid adverſi. Ipſe ſcripſiſſem, ſed profecto non vaco *Pavii* libellos inſpeximus, nondum legimus. & vidi eſſe quod ſcribis. ad me dirigitur. ſed quod ſcire te ſcio (nempe) ad ignarum. neptis mea ante paucos dies nupſit, & bulgae noſtrae aliquid detraxit. Grata, quae ſcribis de rebus publicis, & exigo eadem diligenter. nuncius vix biduum hîc haeſit, & ſubito conductus abit. Ea cauſſa cur ad patrem tuum, ad alios paucos non ſcribo. Saluta eum, nunc & excuſa. Kal. Majis CIƆIƆXCII.

EPISTOLA CC.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio filio. S. D.

Leidam.

ID mihi gratum in Epiſtola tua, gratum & ter gratum, quod vere Epiſtola eſt, libera, & effuſa. An non apud me debes? certe, mi Raphelengi, ubicunque celandum, aut recogitandum aliquid eſt, non apud hunc arbitrum, qui te olim & nunc novit, atque etiam amat. Ideo nihil rigide examinat, ſi quid negligas, ſi quid pecces, ſi quid plus minuſve dicas, imo hoc tantum, ſi quid minus: Tetigi initio, effunde te apud me, non conſilii ſolum, ſi qua opus, cauſſa, ſed ſermonis. Melius fortaſſe, quam arbitrare, te novi; nec id debet diſplicere, quia vides te notum mihi: de [1] magno illo

[1] *Scaligero.*

illo apud vos (talis eſt) amo judicium, & credo a meo non abire. ſed totus in Mathematicis? atque etiam unus? multa cum illo peribunt, atque etiam mecum, quandocunque veniet noſter dies. quis enim fructus noſtros elicit? inter magnos pauci, plebeja ingenia premunt. & tamen famam atque etiam gratiam hîc habemus, ſed magis, quia alibi ſic cenſeri audiunt, quam quia cenſent ipſi. Suaves & bonae litterae, ſed magis cum re conjunctae, quod pauci fecerunt, & velim te inter eos eſſe. Vetus meum monitum *Aldos* te cogitare, & *Robertos*, & huc tua dirigere. Mens eorum bona, ſi non fortuna, & hanc a Plantiniano Genio habebis. Excita te tantum, & excute languorem. Vidi praefatiunculas, & Epigrammata, & talia, & ſcintillas a meliori igne, ſi eventilas. Quod ad turbas veſtras. fortaſſe jam reſederint: ſi non privatim Vos etiam tangunt, & ſchola abeunte ſcilicet non manetis. In tempore audiemus. Equidem voluiſſem veſtros, imo noſtros (nam adhuc amo) Batavos paulo attentius de pace audire. nonne occaſio eſt, dum Rex alibi habet mentem & vires, jungi avulſa, & illo volente honeſtum tutumque eſſe hunc regreſſum? de honore nec ipſi dubitant. de ſecuritate, non ego, intra multos quidem annos. quibus nec qui timent fortaſſe vixerint, nec quos timent. Omnia aevo interpoſito novantur, conſilia, affectus, curae. ſcio quid eos mordeat, & ſocios deſertum ire verecundia eſt: quid ſi ſocii aliquando ipſos? ſi occaſio eadem ſit, profecto fecerint & riſerint etiam Batavum candorem, ne aliter appellem: ſed cur haec libo? libaſſe ſatis, & doleo, cum video perire occaſiones. Ego libra fati publici, quo vergat, video, nec minuti ſucceſſus momentum habebunt ad aliter inclinandum. mihi crede, luxus & opes veſtrae & inſtabile aut plebejum Regimen non ſuadent ſtandi diuturnitatem. Libere iſta, ſed apud te meum: quem non rogo, ſed volo perpetuum ita eſſe. Hoc mihi jus ſumo. Amplius a fratre petii flores: adde operam, catalogum habes. Hui, inquies, unde tot ſelectos? Onus non impono, inopiam & deſiderium expono, explete, qua commode poteſtis. commode, nec aliter fas erit, ut meus hortus, cum fructificaverit, refundat, & largiatur alibi veſtro. Vale & ſi quid apud vos privati aut publici, tuto ſcribe, libenter audituro & celaturo. Lov. Kal. Jul. A°. 1594.

EPISTOLA CCI.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio Filio S. D.

Leidam.

QUod promittis exſpecto, ita ut mutare te hoc nolim aut proferre: de viro inquam, illo, quem deſcribendum ſumis, facito, & cupidum me hujus notitiae ſcito. Diſtringi te nunc pluſculum, facile arbitror, abſente fratre, quem laetis equidem oculis videbo. Veniat modo. De navigatione veſtra Arctica hîc ſermones, fac & ejus me magis gnarum. Domum

aedificavi, nondum perpolivi, ita opus etiam ſupereſt, etſi arca decreſcit. Sed nos Stoïci ſemper divites, hoc magis ego, quia nunc valentior paullo quam ſoleo: credo quia otium, & occupatiuncula externa nos refecit. Patrem animo amplector, utinam his brachiis in mea domo, utinam & te cum illo! Iſta fient, aut non fient, ut Deo viſum: optare liceat, ſi potiri non licet. Vale. Lovanii Prid. Idus Oct. ∞. IↃ. XCIIII.

EPISTOLA CCII.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio Filio.

Leidam.

NImis vere & appoſite praefaris de conditione temporum iſtorum, quae ego jam veteranus noſcere denique incipio, & in hac militia ſum velut tiro. O laqueos undique, o inſidias! o genus hominum laedere, carpere, illicere pronum, vi, aſtu, fraude! Cum ſcimus, cavemus tamen aegre: quia, ut ille dixit, *Vir bonus ſemper tiro eſt*, de [1] *Julii fil.* multa item audio, de lapſu ejus, de revocatione, de quibus in hoc quidem genere (tu ſcis) nihil in meo tribunali judicatur. Et ſic afficior & ſentio, guſtanda illa eſſe, non perbibenda. denique ſalutanda, non in iis conſeneſcendum, &, ut Cicero loquitur, tabernaculum vitae collocandum. ſubtilia, & capiunt, inquies. Scio; ſed frenum affectui niſi ponimus, quid ſerii & utilis ſtudii erit? Ratio advocanda eſt, quae ad prudentiae & ſapientiae ſtudia magis ducet. Plato & veteres laudentur, qui inquiſiverunt aut adhaeſerunt. ſimpliciter apud te promo, aliam mihi mentem eſſe, & ſcio Philoſophis etiam iis, quos, cum modo tamen & judicio, amo. Stoici noſtri haec videant. Quid ſacrae litterae aut Moſes? etiam damnent. In ſumma, intemperies quaedam ſcientiarum etiam eſt, & ut in amore, bivium judicii. alius tamen alio ducitur, nec revoco, ſi frenum modo aliquod ſibi ponit. Quiſque viderit. Ego militiam meam abſolvi, Principi Hiſpaniarum & Indiarum inſcripſi, fallor, aut per militiam & fata etiam aliquando magno. Illa ipſa bona quaedam habet, alia languida aut ſolutiora, uti valetudo iſta per partes fuit. Judicia veſtrorum velim ſcire, non univerſe, ſed in quaque re aut nota probent, aut damnent. ſunt & Typographici lapſus, ut videbis, crebriores quam vellem, aut decebat: ſed abfuimus, & ut verum fateor, non vivit noſter *Plantinus*. Imagines multis in locis pudendae, nec pro meo ſenſu expreſſae. De Criticis tu videto, vetare non poſſum. & malo minus a vobis, quam ab aliis amplius peccari. Si ipſe huc excurrere poſſes, haec & talia videremus, & certe vellem te aliquid decernere de ſtatu vitae, quae ad me privatim, *Sandelinus* tibi dicet, ex intimis meis, & qui meretur amari. Lovanii XI. Kal. Majas CIↄIↄXCV.

1 *Scaligero.*

EPI-

EPISTOLA CCIII.

FRANC. RAPHELENGIUS FIL.

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

S*Andelinum* veſtrum, V. C. Hagae, ut intelligo, hactenus commorantem, avide indies exſpectamus. nam & quod pridem aliqua mihi cum eo familiaritas; & quod a te poſſimum veniat, aderit nobis tamquam Jove miſſus ab ipſo. is vero praecipue a te veniat, qui prae ceteris qui adhuc venere, eximie excellat quocumque genere virtutis. Magno ſolatio nobis erit colloquium ipſius; dum tui praeſentis nanciſci necdum aut per publicas, aut privatas res noſtras liceat. Hae enim eo ſunt ſtatu, ut intra annum domo proficiſci nequeam. Frater major in Galliam iter adparat, materteram deducturus: minor ad proximas Nundinas in Italiam. eſt inſuper ea noſtrarum rerum ad publicas ἕξις, ut ad omnem pacis mentionem horrere debeamus. Mutationem interim nihilo minus ingentem publici ubique ſtatus, ex plurimis circumſtantiis (quas coram tibi probare poſſem) praeſagire me dicerem; niſi & prudentiſſimos quotidie tam inopinis caſibus falli viderem ab occulta & divina illa Mente quae magno ſe corpore miſcet: quaeque omnia ſanctioribus fatis agit potius, quam humanis conſiliis. Ego interea, quem proprii intereſſe monela acrius jam urget, otium omne, quod vaſtiſſime hactenus perdidi, quandocumque negotiis ſuffurari poſſum, recolendis ſtudiis impendo; munimento in omnes caſus. Sed numquam id ſine vehementi dolore; quum experiar tam foede ea a me neglecta, ut vix reliqui in me quid reperiam, praeter reminiſcentiae iſtius Philoſophorum, qua nos non tam diſcere, quam recolere volunt, quidpiam ſimile. Ita maximarum oportunitatum & imperii forte, quibus turpiter illuſi ſemper, compenſationem jam a neceſſitate cogor adſumere. Bonum tamen, & hoc: ſi neque ita me averſum trahat exitio meo adnatus mihi veternus. Tui memoria & exemplum, & inprimis doctrina, excitabunt multum. Parens noſter etiam valde languet, quamvis a domeſticis curis prorſus jam liber. Typographicae res interea procedunt. Specimina quaedam mitto. *Scaligeri* Emendationem temporum ſub praelo habemus: & quaedam aliorum alia, ſed non magni momenti. Militiam tuam necdum vidimus. Gratiſſimam hîc fore non dubito. Nam primi rumores deferbuerunt. idemque omnibus es Lipſius. maxime vero (ſed ſt) ex comparatione, ut ajunt, elucet veritas. Quin ita plurimos mutationis poenitet, ut tibi, ſi poſſet reditus occaſio dari, mallent ter ea dare, quae N bis. Nec tamen ullus metus perdundi illum. Nam inimici homini domeſtici ejus. Poſſem plura. Sed, vale V. C. Lugd. Bat. 24. Maji. CIƆ. IƆ. XCV.

EPISTOLA CCIV.

FRANC. RAPHELENGIUS FIL.

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

COncurrunt undique V.C. in me negotia: inſtant Nundinae; redeunt a feriis ſtudioſi; abeſt frater. hic enim ante menſem, materteram & cognatas Lutetiam deducturus, Brielam profectus, ter tentato mari, ter adverſantibus ventis, eodem repulſus eſt, ibidemque etiamnum faventiores auras exſpectat. excurrit interdum ad nos, ſed praepropere. Inter tot tamen occupationes, debui te ſalutare, & a maximis [1] periculis reduci gratulari. condolere interea de incommodis, quae paſſum te intelleximus vix ſeptem aut octo dies, a quo fuga te noſtris praedonibus eripuit. Audivi multos diſſertationes, quid tecum agendum fuiſſet, ſi Noviomagum deductus fores. Pauci acerbius, plerique, honeſte te excipiendum, dimittendum. Graviter incuſati equites, quod tam ſtrenui amicorum praedones, tam ſecordes Nuncii perſecutores exſtitiſſent. Sed bene factum, quod evaſeris. Et quamvis tui praeſentiam mirum ſaepe optem, nollem talem. Militia tua hîc omnibus probatur: Principi praecipue, cui dum in caſtris contra Dragonium eſt, unicae deliciae ejus lectio; & ſaepius militum ad eam formam exercitatio. Mediocriter Latinum ſermonem recoluit. Totus inſuper eſt in ſtudiis Mathematicis, quatenus ad munitiones. Utinam communis aliquando pax civilia haec arma & hos duces contra communem hoſtem convertat: quamvis quidam jactare non vereantur parum differre hoſtem. Miſſum eſt huc ante aliquot menſes ſcriptum quoddam [2] Gallicum, cujus te auctorem dicebant. Conſilium eſt ad Principem quendam, uti videtur, ſcriptum ſuper negotiis publicis: fuſe & vere plurima tractat; & ſana pro iſtis partibus multa conſilia. hoc in eo miror, quod cum inprimis inducias ſuadeat, modum earum obtinendarum non addat. Qui id tranſmiſit, tibi mihique non ignotus. Vivit iſtic. Ego Gallice te ſcripſiſſe non credam: & vix in totum ſcripſiſſe, etſi multis adſeverantibus credam. Deſcripſi exordium, ut videas. nam omnia deſcribere otium non fuit. Nec tibi fortaſſe foret perlegendi. Plura volebam. novae occupationes interturbant. Vale. Lugd. Bat. XXIV. Aug. CIↃ.IↃ.XCV.

1 Vid III. ad Belg. 23. 2 Vid. ad Epiſt. ſeq.

EPI-

EPISTOLA CCV.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio Filio.

Leidam.

SUave eſt a te & tuis aliquid ſemper audire pro veteri uſu & inſito in omnes vos affectu. ſi occupatio interim impedit, fiat. hoc non fiat, ut oblivio aut neglectus. Fratrem in Galliam itare video, & video moleſtiam ac ſumptum vobis venire. Qui tamen defugiatis? proximi illi juvandi ſunt, & in hac improviſa calamitate benigna manu attollendi. O praeſagium meum verum! iſto ore & lingua praedixi *Beyſio*, ne feſtinaret, & terram eam nimis adhuc movere. non audimur, nec creditum nobis, niſi cum ſolent amentes. Quid in publica veſtra cauſſa dicam? quoties in animo iſto indolui, rejici ſic ſuperbe ac ſperni pacem? atque praevidi & nunc video, fere diem, ut magno emant elapſa aut omiſſa. Scilicet affectu ego me mancipo, aut faſtuoſus ſum. Hercule abeſt, & falli quidem & deerrare poſſum, ſed non ab illo impulſore. Sincerum in talibus pectus gero, & quod interiori huic ſenſui viſum expedire, id dico. tale a me factum in [1] Epiſtola, cujus auctor dicor ſuper induciis; quas ſuaſi, ut januam & aditum ad pacem. Ipſam velle, non velle eſt, ut nunc ſunt animi & conſtitutio rerum. Scio quae diſceptationes & diſſidia oritura, cum de ſtabili ea ageretur. Ceſſant in temporariis induciis, cum omnia manent uti erant. ſed tamen ut aegro quies ante omnia quaeritur, tum pharmaca & quae ſunt valetudini plenae; ita hîc cenſebam faciendum. De modo quod a me omiſſum miraris, non debes. in promptu eſt, & ipſa natura ſive ratio induciarum hoc offert, amicitiam, conventus, commeatus eſſe, rebus utrimque integris, & non motis. ſi quis hîc aut ibi turbat, in poena eſto. At enim quae in epiſtola iſta Gallicana ſcribuntur, ſi mea eſſe omnia dicam, mentiar. Principium modo tuum vidi. in eo quam aliena a modeſtia & frigore illo noſtro? non ſic damnamus aut loquimur, etiam cum manifeſte damnandum, & ſcito ſuperba aut contumelioſa illa verba non eſſe mea. Ex iſto de caeteris judicato. & tecum, ſi quis nos amat. Qui non, judicet ut volet, non me movebit aut tanget. Militiam noſtram ibi gratam eſſe bene eſt: vellem & ſingulatim aliquid audire de judiciis, quae te fugere non poſſunt in illa

1 De hac Epiſtola, de pacis negotio, vide *Meterani* Hiſtor. Belgicae lib. XVIII. pag. 336. Edit. Belgicae A. 1652. & edidit eam Belgice *Borrius* Hiſt. Belg. initio lib. XXXII. & prodiiſſe Francofurt. 1609. cum octo peculiaribus tractatibus Lipſii, ad cognoſcendam Hiſtoriam Romanam, video ex Draudii Biblioth. Claſſica pag. 1252. ſed quem librum nunquam vidi: habeo autem hanc epiſtolam, ſine nota loci impreſſam unico folio A. 1608. Latine, quae eadem eſt, quae verſa eſt a *Borrio*. nemo autem indicat ad quem ſcripta ſit. ſed inter Lipſii epiſtolas manu ſcriptas repperi eam, magna tamen parte circa finem truncatam. ſed in capite ferebat ſcriptam eſſe ad *Franciſcum a Sto Victore*. qui quis fuerit, nondum indagare potui. nos eam infra integram dabimus legendam. *Borrius* vero addit *Dammanum*, Belgarum apud Scotiae Regem oratorem, hanc epiſtolam Regi praelectam refutaſſe, & egregie fraudes & ſophiſmata Lipſii detexiſſe. repperi & aliam non diſſimilis argumenti epiſtolam ad Comitem *Solranum*, quam etiam ſuo loco exhibebimus.

illa tabernula tua, velut in Baſilica omnia audientem. Quaero ut corrigam, ſi quid tale erit. *Scaligerum* noſtrum ſaepe audis, nihil diſtincte ille? N. haec non intelligere ſatis ſcio, nec tales mihi affer. Patrem ex animo ſaluto plurimum & omnes tuos. Lovan. III. Id. Sept. CIƆIƆXCV.

EPISTOLA CCVI.

FRANC. RAPHELENGIUS FIL.

J. Lipſio S. P.

Lovanium,

DUo a me petis, V.C. Deſcriptionem viri celebris, & hiſtoriam navigationis Arcticae, Iſtius me defunctum putabam, adventu fratris mei ad vos: hujus pauca adfirmare poſſum, cum Ordines, quantum poſſint, rei veram ſeriem occulant. Dicam tamen aliquid. Et primo de[1] viro iſto judicium brevius aut verius pronunciare non poſſe videor, quam tantum ei judicii deeſſe, quantum abundat ingenii. Hoc mira poſſet, *s'il avoit l'eſprit autant poſé, comme il l'a bizarre.* Omnia ſcientiarum genera luſtravit, & cum primo intuitu quid adſpexit, illico rem totam concepiſſe ſe ſibi perſuadet. Veget & volat ei adſiduo animus: flamma potius, quam ignis. Laudator & contemtor vehemens, ac ſaepe ejuſdem viri aut rei. Qui hodie *Maraus*, *Aſnes*, *Beſtes*, *Ignorants* &c. alias iidem erunt *Galant-hommes*, *Doctes*, *Sçavants*. &c. Atque utrumque, laudes & vituperia, non celat: adeo, ut plures offenderet, niſi jam inciperet ludibrio potius eſſe, quam odio. Ridicula multa narrare poſſem, niſi credidiſſem fratrem narraſſe coram. Hoc vero puto, proprio motu non illum hinc abiturum: nam a Gallis, praecipue nobilitate, contemnitur. Hoc etiam ſcio, ſi hîc non eſſet, & ſi virum, ut nunc, noſſent Batavi, non mittendum, qui accerſeret. Tranſeo ad navigationem. Solverunt in Majo naves quatuor, ſumtibus publicis Ordinum tres, una Vliſſinga, altera Enchuſa, tertia Amſteldamo; & quarta ſumtibus privatis Amſteldamenſum etiam Amſteldamo. Cum ad Putzoram devenerunt, duae Amſteldamenſes doctae a Plancio, eſſe ad Vaigat plures inſulas, & freta latiſſima propinquiora ſeptemtrioni, contra opinionem Enchuſanorum & Vliſſinganorum verſus Arctum navigarunt: aliae oram ſervarunt Moſcoviae, id eſt Meridionalem, & ob diſſenſum obortum inter quatuor naves, inditum promontorio indidem nomen *Twiſt-hoeck*. Amſteldamenſes ſemper litora Novae Zemlae legentes nullum pervium iter repperere, & fruſtrati rediere. Zelandi & Enchuſani fretum quidem Vaigati repetere, ſed non permeabile ob glacies, quae nec ob ardorem ſolis diſſolvebantur; donec circa undecimam Julii unius diei nebula glacies omnes diſſolutae. tum demum pervaſere Fretum ajunt longum miliaria octo, latum, unum. Ad extremum freti, ubi mare ſe rurſum dilatabat, invenere inſulam parvam, cui nomen dedere *Staten-eyland:* fretoque ipſi, *Mauricius Stract.* Mare iſtud repe-

1 Haec *Scaligerum* ſpectare patet ex Epiſtola praecedente.

perere vaſtum, aquam ejuſdem coloris, cujus Oceanus: & verſus manum dextram deflectentes ad oſtium fluminis Oby appulere; & regionem paluſtrem ſimilemque Hollandiae reperere: unde & *Holland* appellavere. A Tartaris habitari adfirmant. Inde ulterius pergentes ſemper propiores Meridiei fiebant; adeo ut conjiciant, imo adfirment, promontorium, quod cartae vocat, Tabin, non tantopere in ſeptentrionem extendi, ſed ab oſtio fluminis Oby parvo flexu poſſe in Chinam navigari. Cartas habent accurate delineatas, cum elevatione poli, & multa alia; quae omnia occultant Ordines, juramento etiam peritioribus, qui navigationi interfuere, adactis; metu maxime Anglorum, quos maxime Domini noſtri metuunt. nam non dubitant moliri illos aliquid ſecreto de pace, & Gallum etiam. Sed & illi contra molientur. interea metuunt Troas, ſed maximi Troadas ἑλκεσιπέπλους. Haec inter maximas occupationes exaravi, vir Cl. nam libri noſtri Francofurto advecti me diſtendunt. Si parum haec accurate ſcripta, ut ſunt, excuſa. Salutat te & amat avide parens. Vale. Lugd. Bat. VII. Novem. 1595.

EPISTOLA CCVII.

J. LIPSIUS

Franc. Raphelengio S. D.

Leidam.

NEc opus eſt ultra addam, *filio.* Ergone pater ille tuus, meus vetus & fidus amicus, obiit? me praeivit, quem toties ad extrema fati vidit perductum? Ita Deus voluit: quod unum ſapienti ſat eſt, filio & amico vix ſat eſt: & certe utrique (non dubito) ſentimus hunc doloris ictum. Si animus meus poſſit nudus inſpici, in eo nota impreſſa eſſet illius mei *Raphelengii*, cum quo tot ſeria, tot joca libere ſemper, candide, & ut natura ejus erat, communicavi. Si unquam homo natus ſine fuco aut fraude fuit, ille fuit: doleo quod procul a me, quod & in iis locis finem fecerit ſuae vitae. Nec in veſtram quidem rem (libere agendum eſt) hoc puto expedire. Multos amicos exteri non ibi habetis: noſſe me puto ingenia Batavorum, aut poliuntur & immutantur. Enimvero ſi quid ego conſilio vel auxilio opitulari poſſim, ero qui fui ab antiquo, & ſtirpi Plantinianae favebo, & omni benivolentiae aura fovebo. Nunc dolor me habet, fateor, & ad ſe mentem hanc trahit. O ambulationes, ô ſermones, ô conviviola etiam crebra! fuiſtis, & repetere ea negatum; quod fruſtra ſpes & deſiderium promittebant. Nec aetas tamen abnuebat: de qua certum mihi ſcribe. Nam ego non puto decennio me majorem fuiſſe. Peſſimae turbae & diſſidia, quae disjungitis? & in exiguis provinciarum finibus, clauſtra & limites ponitis, non temere tranſiliendos. Sed meum dolorem loquor, cogito, queror, tu ſolatium tui fortaſſis quaerebas. non dabo, & alium adeas cenſeo, qui liber a ſuo, tuo vacet. nos mediocriter, imo melius ſolito valebamus: ſed ſcis quam incerta haec omnia, & quam

in ipſo flore & vigore ad marcorem aut caſum eamus. O vita, ô aura, ô ventule? inſpiras, moves, frangeris, ponis. Vale, mi Raphelengi, & ſiquid in me opis aut conſilii rebus veſtris, ſcribe. Etſi, ut nunc curſus eſt veſter, putem obſequentia omnia & ſatis prolixa. Lovanii, Kal. Sept. ∞. IↃ. XCVII.

EPISTOLA CCVIII.

JUSTUS RAPHELENGIUS

J. Lipſio.

Coloniam.

QUod ad te, Vir Clariſſime, nullas, ex quo a nobis diſceſſiſti, literas dederim; velim id non tam negligentiae meae, quam verecundiae adſcribas: id ideo accidit, quod ubinam eſſes ignorabam. Nunc vero cum & apud Ubios te eſſe cognoviſſem, & debita mea erga te obſervantia ſcriptionem extorquere quodammodo videretur, rupi frena ſilentii; dixiſſem paene, pudoris, niſi comitate illa humanitateque tua, quam coram ſaepiſſime (quamvis nullo meo merito) expertus ſum, abſentem quoque te uſurum erga me ſperaviſſem. Cui beneficio tuo quo modo paria ſim facturus, non video: adeo ut jam erubeſcam prorſus, ſordeamque ipſe mihi, quod tantam tuam erga me humanitatem, tanta beneficia, tamquam neglecta aut ſpreta ſilentio praetermittam. & vererer profecto, Senecae illud in me torqueri poſſe, *Magna beneficia ingratos facere* (nam cum rependere meritis tuis nihil queam, nec ea quoque agnoſcere exiſtimari poſſem) niſi confiderem tantum apud te animi mei gratitudinem beneque faciendi voluntatem effecturam, ut quamvis remunerandi facultas non ſuppetat, pro ingrato tamen numquam ſim cenſendus. Iter tam proſpere hactenus, tamque ex voto tibi eveniſſe, vehementer laetor; deumque opt. max. rogo venerorque, ut reliquam quoque ejus partem feliciter te tranſigere patiatur, & incolumem te ſanumque nobis atque huic Academiae propediem ſiſtat: quae profecto languet jam mirum in modum ac friget; adeo ut niſi reditus tui ſpes ſtudioſos teneret nonnihil & inhiberet, nomen amplius Academiae ſuſtinere vix ſit valitura. Idem quoque Collegio noſtro fit: quod quamvis inſiſtat adhuc aliquo modo, ac innitatur autoritatis inſtitutorumque tuorum fulcimentis; vigor tamen is ac decor, quem praeſentia tua addere ſolebat, ſummopere deſideratur: quem ut quam citiſſime ei reſtituere queas, fauſtum tibi omnes qui in eo ſunt, iter, reditumque quam celerrimum precantur. Idem & omnis noſtra familia facit. De ſtudiis meis (quando tantam tuam humanitatem ſum expertus, ut ejuſmodi nugas haudquaquam aſpernetur) quod ſcribam nihil aliud eſt, quam me in eo ſtudio, quod tuo parentiſque obſervandi monitu ſuſcepi, perſiſtere etiamnum; non omiſſo tamen illo amoeniorum litterarum. In quibus doleo profecto me, dum praeſentia tua frui dabatur, ſedulam magis operam non navaſſe, & a Phoebo hoc non ita avide hauſiſſe liberalium literarum nectar. Sero ſapiunt Phryges.

Spe-

Spero tamen, ſi reditum tuum fortunaverit deus (quod ut quam citiſſime fiat precor) me id quod antea negligentia aliqua erat praetermiſſum, diligentia reſarturum: ſi modo (quod confido) illam, quam ſemper expertus ſum, humanitatem erga me perſeverare digneris. Qua ne loquacitate mea abuti videar, deſiſtam: illud ſolummodo petens obſecranſque, ut literarum mearum prolixitati ignoſcas, quas non mea loquacitas, ſed obſervantia ac cultus nominis tui, fecit longiores. Vale. Lugd. Bat. Non. Maji ∞.ıɔ.xcı.

EPISTOLA CCIX.

J. LIPSIUS

Juſto Raphelengio S. D.

Leidam.

QUod memoriam noſtri tenes, Juſte, & eam literis quoque atteſteris, gratum eſt, & utrumque recte atque ordine a te factum. Amatum enim te a me eſſe non ignoras, & ſerio etiam a te amari. hoc magis quod dignum te praebeas iſto affectu. Serio enim te eſſe in optimis ſtudiis ſcriptio ipſa tua loquitur, & ſtilus, quem exerce, & quamquam monitor aut ductor ego abſim, tamen in via illa perge, in qua pedem poſuiſti, me praeeunte. Medicinae ſcientia ſtudiorum tuorum primus praecipuuſque finis ſit. ſed adjunge quae illam ornent, & ipſa veſte circumjecta reddant honeſtiorem. in primis adjungere Graecum ſtudium te hortor, quia patres & auctores ejus ſcientiae Graeci. Ab illorum fontibus petas & haurias neceſſe eſt, ſi quid puri vis liquoris. Ac velim tempora etiam ferant te peregrinari. Nam haec ſcientia, niſi peritia & uſus quidam adjunctus ſit, ſcis quam non habeat uſum. Ille autem in Italia, Gallia atque ejuſmodi locis quaerendus eſt: quod opto, ut Patris conſilio & commodo (non enim ante) a te fiat. Quod Academiae cauſſa diſceſſum meum luges, credo, & hoc aſpectu ipſe doleo. Amavi enim mei amantem illic juventutem, ſed humana prudentia, atque etiam divina providentia me alio traxit, & ſcio captum mihi hoc conſilium οὐκ ἄνευ θείας ἐμπνοίας. At enim calumniantur. Praeſcivimus, & ideo facilius contemnimus, atque ut ita dicam, pedibus trahimus totum hoc genus. Qui illi ſunt? excute, faex & labes veſtrae civitatis. Levitas, impuritas: quibus lingua ad vanitatem, vita ad improbitatem inclinata eſt. Qui, niſi tales, hoc unum ſtudent, diſſimiles ἀμαυρῶσαι καὶ ταπεινῶσαι. Ergo contemne & cogita, quod *infamia intactum, invidia tactum, qua poſſunt urgent.* Fratrem tuum hîc indies exſpectabam. an non fruſtra? nam alios video rediiſſe, & emanere ſupra legitimum tempus. tamen conventum eum voluiſſem. Tu ſalve, mi Juſte, & litteris probitatem adjunge. poſtrid. Kal. Octob. cıɔıɔxcı.

EPISTOLA CCX.

J. LIPSIUS

P. Colvio.

GRata mihi compellatio tua, mi Colvi, quae animi tui interiorem notam mihi promit, etſi antea non ignotam. Amas me, virtutem, litteras, gaudeo. hortor ut perſeveres, & praeſertim in virtute, ſine qua vana cenſebis caetera omnia, quae vulgo ſunt magna. Carmen tuum poſt *Guilielmii* noſtri quaeſtiones, mihi placitum. Sed imprimis *Guilielmii* ipſius Syntagma, quo non aliud his annis prodiit magis ad meum guſtum. Tu cum eo viro amicitiam arctius junge, & gaudebis: rationem ſtudiorum tuorum quod accurate mihi explices, gratum. quid moneam? doctor is tibi fuit (*Cujacium* dico) quem ſi ſequeris, egredi non potes limite recto. *Carrionem* jamdiu audio Lutetiae eſſe, & Gellium dare. *Giffanius* quî feret? quanquam & is ſuum jam edit, & ſpecimen ego vidi. Mihi dudum paratus ad editionem is ſcriptor. fateor libere, ſola verecundia me tenuit, ne occuparem, in quo alii ſitas habebant ſuas opes. *Marcilii* in Martialem vidimus, legimus, probavimus. recondita in eo fateor eſſe, quae me docuit. Tu valde eum velim ex me ſalutes, & adfirmes de vero mutuoque amore. Sed P. *Faber* vivit ne? an haeredes ſunt, qui recudendum praebent hoc ad Regulas ſcriptum? Quod *Reevardum* mortuum tangit, doleo, quod me, nihil moror. Ego nihilo ſecius aequior in illum, alioſque ejus ſimiles ero, etſi illi in me iniqui, ſcio me non meritum. Erravi alibi? quis non ex omni iſta critica gente? ſed mihi crede, friget mihi animus ſaepe ad edenda, quae habemus, cum judicia haec intueor, aut malevolorum, aut imperitorum. Tu amare me perge, & ſi quid tibi in me praeſidii vel auxilii, utere, ut a vero amico. Lugd. Bat. xv. Kal. Jun. 1584.

Hic *Colvius* Brugenſis in Apulejum ſcripſit, ubi plura ex MSS. Lipſii profert in notis, bene de illo auctore meritus, licet *Pricaeus* ſaepe eum detrectet, (vid. ad IX. Metam. p. 568.) judice Barth. ad Stat. v. ſil. II. 30. ubi eum indignum fuiſſe, qui aſinum Apuleji illuſtravit, ut mulae ictu periret. vid. & Adverſ. XXXII. 6. In notis ad Sidon. Apollin. *Cujacium* Doctorem ſuum celebrat ad lib. I. Epiſt. 7. & IV. 24. Vid. ejus vitam apud Valer. Andream, qui equi calcitrantis ictu Lutetiae in plateis obiiſſe ſcribit, cum alii mulae hoc tribuant. Epitaphium ipſi poſuit Douza, quod legitur inter ejus Poëmata p. 138.

EPI-

EPISTOLA CCXI.

J. LIPSIUS

Jacob. Cujacio.

J*Ac. Bongarſius* apud nos fuit, V. C. nec quicquam te etiam audiſſe ſignificavit de [1] Liviis ad me miſſis. Ita ne? at ego binas ad te literas in ea re ad te dedi, & gratias egi, ut debebam. Alterae an perierint neſcio. alteras ſcio *Egmondum* accepiſſe, & me reſponſum. In eo culpane aliqua ſit (fraudem non ſuſpicor) aegre decerno. At tu me excuſa, cujus animus & manus procul ab hac ſive ingratitudinis ſive ſegnitiae nota. Miſi exemplar ante paucos menſes Conſtantiae meae: Idne etiam accepiſti? Dedi Typographo etiam negotium de Amphitheatro noſtro, quod tamen ſatis calide nobis editum ſcriptumque. *Petrum Fabrum*, virum vere egregium, & ex optima hac veſtra nota audio ad Regulas edere, & me tangere. Quid ejus rei ſit, haut ſatis aſſequor. Egone merui? Omnia bona mihi de eo ſcripta & dicta ſunt: nec conſcius mihi in eum ullius culpae. Quid dicam? ſilendum mihi, ſi diſpliceo talibus viris. Nam ut reponam & rependam, abſit ab hoc candore. Non ita me corrupit, aut corrumpet inquies ſaeculum iſtud. *Scaligerum* noſtrum eoſdem fluctus ſubire doleo. Quanquam non ille, non ego, ut opinor, hac re minus tranquilli. Tu vale, & ſalve, vir maxime (judicio hoc ſcribo) ab aliquot ſaeclis. Lugd. Bat. Kal. Juliis 1584.

1 Quos rogabat 1. Cent. miſc. 67. & ſupra in Epiſtolis Egmondi. LII. & ſeq.

EPISTOLA CCXII.

AUGERIUS BUSBEQUIUS

J. Lipſio S. P. D.

Leidam.

ACcepi nuper (Lipſi clariſſ.) librum a te mihi miſſum de Conſtantia, prorſus dignum ea officina, ex qua prodiit, ſed tamen alio genere decentem quam ſuperiores. Nam illos quidem ſerta, flores, lepos, venuſtas & memoria vetuſtatis commendabant. hic praeter illa inceſſit ornatus graviſſimis ſeverioris philoſophiae praeceptis, maturo fructu plenus, unde non modo doctiores homines, verum etiam meliores fierent. Quo ſpecimine & ſpe ſimilium, mirum in modum erectae omnium mentes. Linguae Latinae pomeria magna cum laude protuliſti; aucti per te fines Romanae eloquentiae, triumphaſti de barbarie, reſtat ut morum cenſuram, quam tibi omnis eruditorum populus, veluti conſulari & triumphali, ſummo conſenſu defert, libens ſuſcipias. Rege

Reſpondet ad has Lipſius 1. Miſcel. 63.

nunc errantes animos, revoca ad priſtinam ſeveritatem, caſtiga levitatem, ſtultitiam, improbitatem, docuiſti nos more veterum loqui, doce etiam vivere, nihil eſt te dignius, nullum majus operae precium facere potes, illo tibi debemus multum, iſto debebimus omnia. Scripſiſſem ad te citius, & tibi de libro gratias egiſſem, niſi literas ad me tuas in faſciculo ad *Ecmundum* in Italiam delatas intellexiſſem, quas dum expecto, ſi forte referantur, ſcriptionem diſtuli, ſed cum fieri viderem longius, abrumpendi ſilentii primum quodque tempus optimum arbitratus ſum, ne mora ſegnitia judicaretur, aut etiam pejus animi vitium. Amo igitur te, quod mihi in primis animi tui ſenſum de conſtantia patere voluiſti. Non potuiſti ad alium mittere, a quo magis probari ſcires. Tametſi is liber ejuſmodi non modo, ut cuivis probari, ſed & admirationi eſſe debeat, ea vitae praecepta continet, ea recludit interioris philoſophiae myſteria. Nam mihi quidem quid a te profectum non probetur? qui te praeter caeteros ammiror & magnifacio, neque me hominem judicem, ſi aliter ſentiam. debeo hoc tuis erga me ſingularibus meritis, debeo literis, & ingenio. Tantum (mi Lipſi) effice ut iſtas primitias conſimiles fructus plures ſequantur, perge illuſtrare ſeculum noſtrum tuis ſcriptis, & quoad potes ejus miſerias tuis monitis ſublevare, erroribus mederi. Hoc te cum meo privatim, tum publico omnium nomine ſic rogo, ut majore ſtudio magiſque ex animo rogare non poſſim. Vale. A fano D. Clothoaldi. 12. Julii 1584.

EPISTOLA CCXIII.

J. LIPSIUS

And. Dudithio S.

Breslam.

TAcitum noſtrum recudi, jam nunc iterum juſſimus, idque cum commentariis ad Annales, & Hiſtorias notis. At priora illa quidem edita reliquimus (uti par erat) ſub eorum nomine, quibus ante conſecrata. poſteriora illa ad Hiſtorias, reliquoſque Libellos, brevia, ſed, niſi fallor, non inutilia, quae recenter nobis elaborata, emiſimus, ut vides in nomine tuo. Mitto enim dedicationem ipſam, quia opus, etſi perfectum, per has turbas & viarum incommoda, ſive flexus, nec tuto ſatis, nec celeriter videbatur poſſe perferri: curabimus tamen, ut id recipias via & tempore Nundinarum. Tu, vir ampliſſime, & revera Nobiliſſime, munuſculum hoc accipies & aeſtimabis, non a ſe, ſed a me, qui amiciſſimo animo hoc dedi, & velut teſtimonium aliquid virtuti tuae debitum & doctrinae. Nam illa vulgata, ut muneris cauſſa aut per ambitionem, quaeſo te, ne cadere cenſe in Lipſium, qui ſpernit iſta, imo odit. Res noſtrae in ſummo diſcrimine, & ut illi dicam ἐν κυμάτων ἀγκάλαις. Principem Auraſium interfectum ſcis: & plane fluctuare hanc navem. At non iſtum animum? qui aequiter & ſine ſtrepitu ſpectat fortunae iſtos ludos. Deus iſta diriget & tranquillabit, qui tempeſtates multo ma-

majores. Vale, vir maxime, & me tuum ama. Lugd. Batav. Prid. Non. Sextii 1584. D. D. Conloni & J. Monavio S. dici cupio.

Dudithii hujus, origine Hungari, ſed qui in Polonia, Sileſia & Germania vitam diu vagam, & in maximis rebus egit, vitam & fata ex *Thuano* refert *Teiſſier* t. II. pag. 125. *Magirus* in Eponym. & nuper docti *Hallenſes* t. V. Obſerv. II. & *Rollius* de nobilibus Theolog. ſect. II. Hiſt. cap. I. §. 8. & quos ille citat cum eſſet Pontificius, & Epiſcopatu tertio jam ornatus, & Tridentino concilio interfuiſſet, ad religionem Euangelicam tranſiit. deinde ſuſpectus fuit Arrianorum & Serveti erroribus favere, vid. Epiſt. ad Goldaſt. 308. & *Petri Carolini* inter Colomeſii Epiſtolas ſingulares n. 27. ſed ante omnia legenda epiſtola *Joannis Praetorii* ad *Lingelshemium*, edita in monumentis Pietatis & literariis a Cl. *Miegio* t. II. pag. 123. qui ipſi, cum mutaſſet religionem, triennio inſerviit, & ſingularia multa de eo narrat: *Michaël* quoque *Brutus* lib. IV. Epiſtolarum multas ad eum Epiſtolas inſeruit, & in ejus praedio Paſchoviano, apud eum egit pag. 322. quod deſcribit pag. 516. & ſimul cum eo apud Cardinalem *Polum*, ad Benacum ruſticantem, fuiſſe ſe ſcribit pag. 372. fuiſſe *Manutii* diſcipulum, & apud eum aliquot annos egiſſe ex eiſdem Epiſtolis p. 406. didici. privatam vitam probaſſe, ut inter liberos & in bibliotheca reliquum aetatis tranſigeret, ſcribit *Reiner. Reineccio*, pag. 36. Epiſtolar. Hiſtoricar. Reineccii. *Dudithii* ad Lipſium epiſtola edita erat I. Cent. Miſc. 91. prioris editionis, ſed ſublata in ſequentibus, & edita Offenbach. XXII. ad quam ſequenti Lipſius reſpondet, quae remanſit. inſcripſerat & illi Lipſius notas in Taciti Hiſtorias, quae praefatio etiam Offenbachii n. XXIII. edita, & quam hac epiſtola comitatus eſt.

EPISTOLA CCXIV.

AND. DUDITHIUS

J. Lipſio.

Leidam.

CLariſſime ac longe omnium vere literatorum praeſtantiſſime vir, Domine, & amice jucundiſſime atque optatiſſime, S. P. Diuturni ſilentii mei cauſas ſi explicarem, intelligeres, quam difficili, quam lubrico loco fuerint fortunae meae, atque adeo vita ipſa: haec quidem ob peſtilentiam, quae nos, ex hoc portu, in ſcopuloſum quoddam mare ejecerat: illae aſtutorum quorundam cauſidicorum opera, qui credulum, & nimis fidentem me circumvenerunt & litium tricis implicarunt: quo nihil poteſt fingi a natura mea abhorrentius. Narro tibi? ex Conſtantia tua, tanquam ex uberrimo ſapientiae penu; remedia non ſine magno fructu depromſi. Vides quantum tibi debeam, etiam abſenti: quamvis quî potes mihi abeſſe, quem ſemper in oculis fero, aut potius in intimo animo meo? cum quo ſumma cum voluptate perſaepe verſor! Etſi te mihi fortuna, tuamque iſtam conſuetudinem, qua alios beat, invidet: hoc tamen eripere non poteſt, Dei beneficio, quin ſapientes, ac variis de rebus acutiſſimos ſermones, cogitationeſque tuas cognoſcam. Quae me res, ſat video, accuſat potius, quam excuſat: neque ego in hoc indicare id volui: ſed, ut intelligeres te, hoc eſt optimam tui partem, quae te ab aliis hominibus diſcriminat; mecum eſſe, mecum vivere perpetuo; etiam invita, & reluctante fortuna. Fuit quoque qui affirmaret, te peregrinationem, neſcio quam, ſuſcepiſſe: in qua multos menſes ponere conſtituiſſes. ne nunc quidem conſtat, an reverſus ad tuos ſis. cupio quidem certe, ut ſalvus

vus ſis: & felix tibi iter iſtud evenerit. O ſi tibi ſocius, ac comes eſſe potuiſſem! ſed, obſecro te; per bonitatem; per doctrinam tuam eximiam; cur non huc excurriſti? ne vivam, ſi cui optatior unquam adveniſti. non poenituiſſet te itineris, non laboris. Valetudinem certe meliorem reportaſſes. Nam morbus ille tuus, qui me, ſuaviſſimas epiſtolas tuas legentem, valde excruciat; niſi Medicorum nos argumenta fallunt; hunc potius, quem in his oris haurimus, quam veſtrum iſtum aëra, deſiderat. Sed nolo me his cogitationibus & ſpe vana diutius diſcruciare. Intelligis, opinor, vel ex his pauculis verbis, quam altas in animo meo radices egerit quondam ſpes illa, ex amicorum ſermonibus concepta, quae me ad ſcribendam epiſtolam impulit; quam tu, nullo ſuo merito, in aureolum illum politiſſimarum epiſtolarum tuarum libellum conjicere voluiſti. ſpei illius fibrae nondum omnes ita evelli potuerunt, quin identidem repullulent. Sed quid tibi in mentem venit, mi amice, quod tam honeſto loco illas, quas dico, literas meas ſtatuere voluiſti? quid in illis eſt, quod tibi placere potuit, praeter tenuem magnae in te benevolentiae meae ſignificationem? Oſtenſa mihi eſt poſtea etiam humaniſſima alia Epiſtola tua, Notis in Tacitum tuum praemiſſa. Nam librum ipſum, & quos te miſiſſe alios ſcribebas, nemo mihi abs te reddidit. Hoc tuo me beneficio, Lipſi optime, majorem in modum tibi obſtrinxiſti. de quo equidem non reperio verba, quibus dignas tibi gratias agere me poſſe exiſtimem. de referenda cogito ſaepenumero, nec reperio tamen quicquam. hîc tuo iterum beneficio opus eſt, ut intelligam, qua maxime in re tibi gratificari poſſim. Nihil eſt certe in poteſtate mea, quod tua cauſa facturus non ſim. quare, ut uno verbo concludam, ſiquid poſſum, impetra (ut tua ad *Hotomannum* verba uſurpem) ab obnoxio me, & volente. Vale diutiſſime ac feliciſſime, & Thraſeam aliquando nobis oſtende, ut, quod Conſtantia quoque tua docet, mortem quoque ipſam forti animo contemnamus, quae mihi, jam LIII. annum egreſſo, gravis incubat. D. D. *Douzae*, *Donello*, *Plantino*, amicis aliis tuis plurimam ex me ſalutem dicere ne gravere. Quae nunc ſit valetudo, quae vita, quae ſtudia, quae lucubrationes tuae, ſi adſcripſeris, per mihi gratum facies. me quidem, Rege Sarmatiarum mortuo, antiquo includere ludo conantur iterum ii, qui jure ſuo imperare mihi poſſunt: ſed nondum obſequor. illud placet: *ſicut fortis equus, ſpacio qui ſaepe ſupremo vicit Olympia &c.* quietem hanc meam, etſi litibus aliquantum hoc tempore impeditam, non facile mihi extorqueri patiar. Vale iterum. Bresla Kal. Mar. 1587.

EPI-

EPISTOLA CCXV.

J. LIPSIUS

Jano Douſae S.

Londinum.

IRaſci debebam, mi Douſa, ſi poſſem. Tune ut [1] iter illud ſuſceperis, non dicam ſine comite me, ſed ſine conſcio? Hoc verum fuit? Pectus tuum roga. non dicit id eſſe, pro vetere illo & fido inter nos amore. Caput hoc meum, hoc tango & teſtor, nullum mihi caput unquam carius fuiſſe hoc tuo. Quid autem ſuſpicer? arcanam aliquam cauſſam hujus conſilii fuiſſe? non inquiro. & ſi ea aperienda mihi non fuit tota fronte, ſaltem veſtigiis & ſub perſona oſtendenda. Ego te in meis rebus tale aliquid nunquam celaſſem. An ſubito hoc tibi natum, & per mortem unius illius viri? Hoc potius credo. Quia revera cauſſae tibi temporarii alicujus ſeceſſus hîc non injuſtae. Novi collegas tuos, ſcio quibuſcum res & conſilia miſcenda fuerint. Homines & actiones parum ad tuum ſtomachum, aut ad noſtrum. Interea tamen, (quaeſo hoc volens audi a volentiſſimo tibi amico) nec nos omnem eam rem celandi eramus, nec certe uxor. quae miſera ſe adflictat. Quamquam nos ſolamur & erigimus: certi non aliud latere ſub hoc inſtituto tuo, quam ſeceſſum aliquem ab his turbis. Tamen mulieres noſti (etſi tua ſane prudens, & mariti ex animo amans) & linguas, ſive malas, ſive vanas. Quibus, oro te, in tempore medere, & ad nos redi, qui manere tecum parati, abire, perire; omnia ut ferent res & tempus. Quae enim tibi cauſſa eximii alicujus conſilii aut ſingularis? Confuſio hîc & diſcrimen? Scimus. ſed & animum tuum novimus horum nihil metuentem. Denique inter homines iſtos dum vivimus, obſecro, vitam etiam inſtituamus humana hac & communi via. Pax aut bellum erit, communiter conſilium aliquod capiamus, quod paci huic attemperemus, ſive bello. At ego tanquam ſerio ſcribo, & quaſi monendus mihi ſis, quem liquet uſurpaſſe hanc profectionem animi cauſſa, etſi cum angore aliquo tuorum. Quibus etiam, mi Douſa, conſule, & ad ſuavitatem convictus illius noſtri redi, ſine quo tenebrae nobis in media luce. Vere dicam, etſi vulgariter, vita ſine te nobis non vitalis. Res adhuc hîc quietae. Sed Brabantia tamen & Flan-

1 Quae cauſſa hujus Itineris, tum ſubiti, neſcia uxore & amicis, fuerit *Douzae*, neſcio. an interfecto Guilielmo voluerit rem ad Anglos deferri, cum alii in Gallos inclinarent, qui praevaluerunt? licet poſtea Rege recuſante, itum fuerit ad Eliſabetham. ſpectat huc alia *Lipſii* Epiſtola a Pontano edita Decad. II. ad *Douzam* I. unde conjicio, *Douzam* graviter tuliſſe *P. Buſii*, collegae ejus, Curatoris Academiae, impotentiam, qui hoc anno *Th. Zoeſium* ſolus, inconſultis collegis, & Profeſſoribus, voluit Academiae obtrudere. de quo alibi egimus. & hinc puto *Agamemnonis* titulo inſigniri a *Lipſio Buſium* Epiſt. ibid 4. ubi de *Zoeſio* a Senatu Academico excluſio agit, quod firmant acta noſtra Academica, quae factum hoc ad petitionem Conſulum Leidenſium narrant. vide ſupra ad Epiſt. x. & cxix. & alibi: Quod vero expoſtulet cum *Douza Lipſius*, & ſe nihil umquam in rebus ſuis eum celaturum jactat, fefellit fidem, cum inſciis omnibus, & *Douza* etiam, Leidam deſeruit.

Flandria raptantur, ut audire te credo etiam iſtic. E Galliis literas jam bis accepi, & quaedam in iis nova. Uti [2] de re accipitraria carmen, ſubtilis & novitiae inventionis. Veni & vide, & (quod conſtantiam tuam meamque decet) ride. Cur enim non ſpernamus haec circumfuſa & externa, quia iis altiores? Nobiliſſimos & generoſiſſimos D. *Philippum Sidnaeum* & *Eduardum Dies*, ſi vides, ſaluta a me quaeſo, & iis indica per te ſtetiſſe, quod eos non viderim tecum. Certe enim invitis nobis omnibus iviſſe. Tui omnes valent, vale & tu, ac fac, ut brevi te videamus expectatum; ſalutat te *Hautenus* noſter, qui hilariter heri apud me in prandio fuit ad funus Melonis. Invideas illis exſequialibus epulis, ſi in te livor. Lugd. Bat. x. Kal. Sept. 1584.

Quaeſo, ſi me amas, aut amari a me vis, de rebus tuis & valetudine ſtatim ſcribe; & ſi quid opus aut uſus, poſce, imo jube. ſalutat te amantiſſime & *Plantinus*, qui etiam coëpulo mihi in convivio illo Saliari.

2 *Scaevolae Sammarthani*, quod hoc anno Pariſiis prodiit. ſed miror inter ejus Poëmata A. 1596. in 4. & 1616. in 8. non eſſe relatum.

EPISTOLA CCXVI.

J. LIPSIUS

Jano Douſae meo S. dico.

Leidam.

A Te etiam nihil. per delicias ſiles, an per ignaviam, an contemtum? Nam te meae alterae jam oppreſſerunt, ſcio, quae verboſae & longae Aſianum in morem. Atticiſmis enim apud te, etſi Atticiſſimum, non utor: quin producit me ſemper & diffundit affectus, cui frenum aut modum ponere non volo, non poſſum. ſed ſi tacere decretum, etiamne haerere? quando enim redis? aliquid vel falſo ſuper ea re ſcribe, & aqulam inſtilla languenti uxori tuae & nobis. De abitu *Donelli* ſcripſeram nuper. mentitus ſum, reſcribo, manet manſuruſque eſt. ita ligant hominem [1] pallentia illa vincula. Tres menſes jam inſumpti in miſſione petenda, in convaſando, in navi conducenda. tamen manet. Quî poteſt? inquies. & quae hae tricae? tu extrica; nam nos omnes haeremus: niſi quod artes illae ibant ad alteram trecentorum adjectiunculam, ſi magiſtratui ita viſum fuiſſet. At illi Batava hîc nimis aure. Ego interea quid? centies pereo, interpres, conciliator, orator ad utramque partem. Legatio veſtra ſolicitos nos habet. nigra omnia, prae negotio iſto negotioſo; Studioſi, Cives, Magiſtratus, Profeſſores, Ordines inquietantur. Et quid ſupereſt? niſi ut legatos etiam mittamus ad vos legatos. nam vos bini illis

1 Aurum. quia ſtipendium ipſi fuit auctum, ut ſupra notavimus. nam cum vocatus eſſet Altorfium, Princeps Arauſionenſis adjecerat trecentos florenos ſtipendio, ſed Magiſtratus Leidenſis recuſabant eos adſcribi ſub ſtipendii annui nomine. ipſe *Lipſius* Rectorem euntem Hagam comitatus eſt, rogatu ſtudioſorum, qui ut retineretur *Donellus*, agi cum Ordinibus volebant. vid. ad Epiſt. XLII. & CXIII.

illis curatores. O villula mea! o agri! numquam vos videbo, liber ab iſtis! Hoc ipſo die Rector (vide ſapientiam & gravitatem) una cum ſeptem, octo ſtudioſis Hagam iturus ad preces extremas. Anchora iſta ſacra niſi navim firmat, jam vela dat, jam ſolvit oram, jam Academiae exſequias, quibus commodum eſt, ite. ſed mitto illud cymbalum. de nobis audi. Ego mediocriter valeo, inter ſanos tamen potius, quam inter firmos. Annaeum Florum docere publice his diebus coepi. Qui ſcriptor brevitate & acumine & diverſo quodam judicio placet. Copiae Anglicanae adventant quotidie: partim hac tranſeunt, cum ſpe & gaudio bonorum. Caput aliquod quando? telo non aeque facto opus eſt. nam ſine auctoritate, ſine imperio trepidant & abjunguntur fluctuantia haec membra. vos providete, urgete. Apud uxorem tuam recte: niſi quod magis magiſque intumeſcit, ſed non a morboſis illis aquis. Familiam auctam (& Dii ita faciant) reperies, niſi properas. ſalve. nuntius hic certe properat, dum operam dat ventis. Tu ſcribe aut veni. ſaluta quos nuper, & Rogerſium nominatim. Poſtrid. Idus Septemb. 1585.

EPISTOLA CCXVII.

JANUS DOUZA

J. Lipſio meo.

AD [1] quinas epiſtolas tuas unica hac tandem & meo & *Hauteni* nomine reſpondebo. Quinas dico. tanta enim literarum ſumma eſt, quas a diſceſſu tuo intra bimeſtre tempus (ſpatium mihi longius anno) Lipſiana manu conſignatas accepimus. Priores binas ex Flaevo, ubi tot dies cum Phreneticis Septemtrionum filiis initio conluctatus, reliquas Gratiarum trigam explentes; poſt Albim non ſine diſcrimine ſuperatum; Hamburgo, Francofurto, Colonia datas. Et hae quidem ante Francofurtenſes illas in manus noſtras delatae, ὕϛερον πρότερον. unde & *Hauteno* & nobis de valetudine tua ſecus, quam vellemus, aeſtimandi neſcio quid anxiae ſuſpicionis injectum. eo magis quod itineris tui inconſtantiam miraremur, quoniam nos conſilii iſtius noviſſimi expertes habuiſſes, a Moſellanis ſubito in Tungros, de quibus ne per ſomnum quidum nobis in mentem venerat antea, ſed hanc nubeculam cito tranſiiſſe lactor, lectis aliquando literis tuis, quas tu eodem pene tempore ad *Raphelingium* noſtrum ex Ubiis direxeras, haud paullo uberiores, quam fidem firmarunt alterae item ſuccidaneae nobis inſcriptae, quas tardius perlatas queſtus ſum antea, ex quibus & peregrinationum tuarum ſeries, & vorſoriae iſtius cauſſa planiſſime nobis repraeſentata. O te non minus in literarum officio, quam rei Antiquariae, ac verae Philoſophiae ſtudiis gnavum ac ſtrenuum, ô celeritatem ingenii incredibilem! o inexhauſtam ac dignam Lipſio meo ſcribendi copiam! cui quidem nos pares eſſe non poſſumus, amore redhoſtire contenti. Caeterum

Ee 2

1 Tres leguntur in Decade III. a Pontano editae n. 6. 7. & 8.

rum in rem praeſentem, doleo, mi Lipſi, & mehercule ex animo doleo, te tantas itinerum moleſtias, incommoda, atque acerbitates perpeſſum, quae ad valentiſſimum etiam occidendum ſint ſatis, nedum te, corpuſculo adeo delicato, affectaque valetudine. Huc craterae ſi accedunt, Teutonico ritu exantlandae, quid reliquum, niſi ut pro Fontinalibus ad Vinalia celebranda in Germaniam iter inſtituiſſe videaris? ſed ego me fruſtror; & tibi a morbo potius, quam a Tricongiis iſtis & Pholis periculum eſt, morbo inquam familiari, ac jampridem corroborato: cui utinam medicinam aliquando faciant, aquae iſtae, quas ſcribis, quarum

Nomina ſunt ipſo paene timenda ſono.

Nos interea jacemus, inter ſpem & metum fluctuantes, deſiderio tui modo non ad languorem dati, quem tamen ſpe ſalutis tuae interdum mitigamus, quam quidem nos non minoris, quam publicam ducimus. Ita & publice & privatim de nobis meritus. Etiam epiſtolae tuae faciunt, ut quaſi coram conloqui videamur, & abſentiae tuae taedium hoc veluti fomento leniamus. in quibus illud liberaliſſime, de amore in patriam tuo, Lipſiana Conſtantia digniſſimo, neque a vocationibus iſtis Tranſmontanis metuimus, invicto adverſus divitias animo, & promiſſorum tuorum fide, tanquam ſacramento, innixi, quam etiam ut repraeſentes, id vero non ſolum mihi, & *Hauteno*, ſed & Academiae noſtrae, (quae ſine te nomen ſuſtinere jam non poteſt,) toti denique Hollandiae noſtrae primum & ultimum in votis eſſe ſcito. quae ne fallas, tua erit curatio, noſtra, ut Lipſii abſentis memoriam & privatim & publice colamus, tantiſper ſaltem, dum eundem ſoſpitem ac valentem (quod ſpero) reducem propediem in poteſtate noſtra habeamus: quod utinam, iterum utinam, tuo tamen commodo: malo enim te paulo ſerius valentem, quam ſtatim imbecillum videre. Tu interea valetudini da operam; ac nos, quod facis, ama. Literarum mearum incuriae ignoſces, mox accuratiores habiturus. etenim hoc tempore properat Tabellarius, Lugd. Bat. XVII. Maji 1591.

Hautenus Hagae aberat, alioqui has literas una nobiſcum obſignaturus. uxor mea te officioſiſſime reſalutat, cui jam melius eſſe gaudeo.

EPISTOLA CCXVIII.

J. LIPSIUS

Jano Douzae.

MI Douſa, animitus te ſaluto, uxorem & filium, imo liberos, & omnes, qui ſanguinis tui. Scripſi nuper de conſilio, quod bono meo, ſpero me cepiſſe. Certe ita oportuit ad quietem, & ad ſanitatem, ſine qua nullã, ut ſcis, eſt vita. *non eſt vivere, ſed valere, vita.* Hoc fine in confinio fontium iſtorum manebimus aliquot menſes. quid deinceps facturi, nec nos ſcimus, niſi quod omnia bona bonis quidem arbitris. Ubi ero, quamdiu ero, ſum

ſuum tuus, & tuorum: niſi ſcis, te ipſum neſcis. diu mihi vive & vale, & tui *Douzae* Spadanis aquis adhuc ambiguis mihi, ſed in bonam partem magis pronis. XVII. Kal. Jul. CIƆIƆXCI.

[1] EPISTOLA CCXIX.

JANUS DOUSA

J. Lipſio S. D.

Literas tuas accepi. Literas dico? imo theſaurum mali. Quid quaeris? nae tu acerbum funus Douſae feciſti tuo. Sed de me minus eſt, una Academia nos movet, quae jam nunc in portam rigidos calces extendit. reliquum eſt, ut ad pollinctores & tubicines mittamus, ego, *Almondius*, *Hautenus*, queis tua luce orbatis

Vitalis eſſe vita porro quae poteſt?

Heu nos miſeros, ne dicam omnium mortalium occiſiſſimos, idque tua iſta parricidali pronuntiatione factum, quamvis audacter dicere poſſumus, cui parum fuit, nos plus quam quadrimeſtri deſiderio tantum non ad languorem dediſſe, niſi inſuper nobis omnem ſpem reditus tui praeciſum ires in poſterum. Hoc fuerat ſcilicet, quod tam cupide profectionem iſtam urgebas, hiemante adhuc Martio, coelo adverſante ſaloque, renitentibus, ac retinentibus collegis, amicis, Academiae Curatoribus, praeter unum [2] Turbonem, *Qui nunc in noſtro ſolus moerore triumphat*, noſti hominem, quam nobis & Muſis non amicus: & quantopere genus hoc univerſum extinctum atque eradicatum cupiat: proinde tute cogita, *Quam nunc in tacito gaudeat ille ſinu*, cui haec votorum ſumma contigerit tandem, & quidem ſine pulvere, ſine ſudore. Quo vero merito noſtro? an *Cornhartius* tanti? Ego certe aliud comminiſci non poſſum. Nam valetudinem quod obtendas, fruſtra es, de voluntate facile fidem facis, quam a nobis averſam atque alienatam re atque factis planiſſime oſtendis. itaque non miror, ſi me, ſi *Hautenum* conſilii iſtius expertem habueris. illud miror, quoniam hoc tibi jam antea in animo obfirmatum ac decretum fuerat, te Ordines noſtros fruſtra habere voluiſſe, quum, me praeſente, *Vroochdio* (qui ad diſſuadendam profectionem iſtam publico nomine ad te miſſus fuerat) de reverſione ad nos tua intra tres, aut quatuor menſes fidem faceres, ſi quidem per valetudinem liceret, alia nulla conditione, & exceptione uſus. At nunc de tot, & quidem juſtis rationibus, (ut ſcribis) duas potiſſimum praetexis, valetudinem, & voluntatem, quam pro ratione tibi ſervire poſtulas; atque addis, ſtultitiam eſſe, venatum ducere invitos canes. Quantum mutatus ab

1 Reſponſio haec eſt ad Ep. X. Decad. III. editam a Pontano. & reſpondet huic Lipſius Decad. IV. Ep. 2.

2 Intelligi puto *P. Buſium*, qui in hoc negotio de Lipſio ita adverſatus fuit Douzae & aliis, ut Conſules Leidenſes, cum *Buſius* in conſeſſum Curatorum veniret, noluerint eo praeſente de quacumque re agere, & cogerent eum excedere conclavi. Vide ſupr. ad Epiſt. CXXIV.

ab illo Lipſio, cujus mores omnes ad comitatem facti, hactenus quidem, dum te in poteſtate noſtra habuimus. Ignoſce, mi Lipſi, caſtigatori tuo, alias plura, ſimul atque ad me rediero, nunc quid in meam, quid in rempublicam ſit, diſpicere ſatis nequeo, ita aegritudo ex tui deſiderio contracta ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat, Caetera ex publicis *Hauteni* literis cognoſces. Vale, mi anime, 3. Julii, 1591.

EPISTOLA CCXX.

J. LIPSIUS

Jano Douzae.

Leidam.

UNum ad te verbum. nonne hoc liberalius, praequam tu, qui nullum? Leodici ſumus inter multos amicos, bonos atque etiam doctos. itaque etiam (vere addo) quoſdam tui amantes. Sane vix eſt, qui ſerio me quin etiam te. Tu per abſentiam meam langues? nolo & veto. & quod oculis ademtum eſt, animis accedat. imo ſtilo etiam accedat, & ſaepius uberiuſque inter nos garriamus, ſic, ut vides, *ἀμελῶς* & neglectim. Minus amoris eſt in literis, ubi plus curae. Dies totos in libris fere nos ſumus: atque ea perpolita dabimus (ſi Deus & Hygeia adjuvant) multa olim nobis effecta. vidimus etiam pſalterium vetus Latinum, & interjectam lineis Saxonicam interpretationem, in qua multa arcana priſcae noſtrae linguae. Nanciſcar, ſi potero, & aut deſcribi juſſero, aut certe mihi quaedam excerpam. *Almondium*, cum videbis, ſaluta, atque etiam Conſulem *Grotium*, amatos mihi & amandos. Vale. Leodici poſtrid. Kal. Sextil. 1591.

[1] EPISTOLA CCXXI.

JANUS DOUSA

J. Lipſio S. P.

Leodium.

VIx tandem Lipſium meum in literis aliquando recognovi, poſtremis iſtis dico, rerum bonarum copia effertiſſimis, quae me laetitia extulerunt: quod quidem ſperare vix auſus, poſt decreti illius fatalis, non Cantherini, ſed Lipſiani triſtiſſimam denuntiationem, qua & nos, amici inprimis tui, fulminati; & Lycaeo huic noſtro acerbum funus factum; alieniſſimo ſane tempore, ac praeter noſtrum omnium exſpectationem, qui votis noſtris blandientes, ac Fortunae tuae Reduci ſupplicantes quotidie; etiam diem, quo ipſe revorſionem ad nos facturus, quoque Lipſium adventitia acciperemus, animo noſtro fin-

1 Reſpondet, ſed non ad omnia epiſtolae capita *Lipſius*, apud Pontan. Decad. IV. Ep. 6.

fingebamus: promiſſorum tuorum ruminatione, hoc eſt, Lipſianae Conſtantiae fiducia potiſſimum inducti;

Vae miſeri, quid enim Leida infelicius? aut quid
Leida infelici turpius eſſe poteſt?

Ita hîc Lipſii deſiderio omnes oblanguimus, & cave quidquam perditius eſſe putes, quam [2] Lycaeum hoc noſtrum. Etiam me quoque ibidem una traho, cui inter bibulos [3] *Soſiorum* pumices, & neſcio quos *Veimannos* ſine ulla bona fruge conſeneſcendum. Sed ego de vorſoria amplius haud pertendo; &, quoniam ſemel iſtuc obfirmatum eſſe video tibi; cedo, ac manum tollo. Sic enim habeas velim, nos praeſentiae tuae deſiderium poſt valetudinis tuae rationes ponere, quae ſi in melius it, utrique noſtrum gratulor, & ut moleſtum, tam procul te abeſſe a nobis; ita perjucundum, ex re ſalutis tuae eſſe hoc diſcidium. quod ut fidentius credam, literarum tuarum hilaritas fecit: in quibus illud feſtiviſſimum, quod doctorum iſtic amicorum mentione injecta ſalivam nobis movere es auſus. Obſecro te, mi Lipſi, iteradum eadem iſta mihi: Etiamne in Eburonibus fautores Douſae ac benevolentes?

Atqui ego Lampſonium hîc tantum de nomine noram,
Unus pro multis millibus ille mihi.

Sed enim tu liberalior, qui & apud ampliſſimum virum *M. Antonium Delrio* nos in gratiam ponere, aliiſque quamplurimis nomen iſtic Douſicum commendare haud dedignatus: Quorum ego (non vane dicam) ſtudia aeſtimo pluris,

Quam Regum atque virum Principum amicitias.

O conciliatorem probum! o nuntium voluptabilem! cui quae εὐαγγέλια reddam neſcio; neque ſane habeo in mundo: niſi tamen illud vis ſcribi, [4] *Cymbionem* noſtrum Conſulari Decreto a gubernaculis depulſum; jamque in eo eſſe, ut ad Tutelam navis expiandam de viliſſimo ejus capite jactura potiſſimum faciunda, quia pretii minimi eſt, niſi ſi quis ipſi in ſentina reliquus ſit locus. O Magiſtratum miſericordem prae Tribunis illis Lyceſtrenſibus. Itaque, hoc fulmen quibuſnam ſacris procuratum ſit, vides. Halcedonia interea Lugduni; &, niſi publici Aerarii anguſtiae obſtarent, belliſſima ſane Scholae promovendae occaſio, cui tamen noſtra ex parte defuiſſe ne videremur, [5] *Alectore* nuper excuriato, *Junium* Heidelberga, [6] *Paludanum* Enchuſa

2 Vid. *Douzae* Carmen IX. & X. libri II. ad Lipſium p. 662.

3 Reſpicit *Thomam Zoeſium*, ſive *Soſium*, qui invito Douza per Buſium Profeſſor Juris erat creatus. vid. Epiſt. 215. quos *Weimannos* innuat, nondum repperi.

4 Credo intelligi *P. Buſium*. nam Belgica lingua *Buys* eſt genus cymbae ſive navigii, quo Halecum piſcatores utuntur; & Conſules noluiſſe illi amplius locum in conſeſſu Curatorum dare, jam bis terve alibi notavimus. vid. ſupr. Epiſt. CCXIX.

5 *Carol Gallum* intelligit, qui plurima exhibuit negotia Curatoribus & Conſulibus, inter alia vero egregium facinus & munere ſuo, quo fungebatur, dignum edidit: obtinuerat inconſultis Curatoribus, ab Hollandiae Ordinibus donum extraordinarium centum & quinquaginta florenorum, quos ſolvendos delegaverant Conſulibus Leidenſibus. aliquanto poſt tempore queritur apud Ordines, Conſules detrectare juſſa, nec ſibi ſolvere velle pecuniam attributam: Conſules in conventu Ordinum

ſa per literas publicas evocare auſi fuimus, *Hauteno* adjutore maxime, qui his diebus etiam Horti Medici, tum Aedificii publici Ichnographiam induſtrioſiſſime eſt perſequutus, cum bona ſpe fore, ut vel ante ineuntis anni cognomines Kalendas, non fundamenta poſita tantum, ſed vero opus totum ſumptibus publicis exaedificatum compareat, ut ſit, quo *Paludanus* noſter una cum theſauris ſuis tranſmarinis,

Quidquid & huc Aſio dives ab orbe tulit,
Cum Zephyris (neque enim ante poteſt) & hyrundine prima
Tranſportet Medicos in nova tecta Lares.

Ei proinde cccc. Florenorum, *Junio* vero octingentorum ſtipendium decretum. De re familiari mea, nihil habeo quod ſcribam, quod quidem audire volenti ſit tibi. Unum ſilentio praeterire non poſſum, *Douſam* meum cognominem, nocte ea, quae proximum Martis diem anteceſſit, veſtimentis ſuis omnibus, tum aliquanta pecuniolae ſumma, per quietem, inter dormiendum ſcilicet, a nocturnis praemiatoribus interverſum, qui ſcalis exteriori aedium parti admotis, per ſuperioris tabulati, quod atrio incumbit, feneſtras in viam extrinſecus ſpectantes (ubi ancilla eas oblita fuerat occludere) furtim in domum meam, clam omnibus, ſcanſim enitendo admiſſi, recta in cubiculum (ubi & *Janus* & *Theodoricus* noſter cubitare ſoliti) per ſpiſſiſſimas tenebras ſe penetrarunt, atque inde porro non in arcem, ſed in arcam veſtiariam, diverſis adeo ſyntheſibus ſtipatam, gypſatiſſimis manibus graſſati; nihil indutui & amictui reliquum *Douſae* noſtro fecerunt: etenim praeter palliorum trigam, thoraces quaternos, togas talares totidem, tum caligarum aliquot ac ſubligaculorum paria (atque in his ſubſerica nonnulla & holoſerica) mulleos etiam ac calceamenta ejus manticulati, riſcis omnibus armariiſque excuſſis, cum praeda rurſum illuc, unde malum pedem attulerant, clanculum ſe receperunt, ſubducta inſuper publicae Bibliothecae clavi, quam compilato manicae ejuſdem folliculo curioſa quadam felicitate exemerant: *Douſa* noſtro altum interim ſtertente, ſuaviterque ac ſine cura in utrumvis oculum conquieſcente, donec mane demum expergefactus, praeda jampridem inter participes diviſa, omni ſe corporis cultu deſpoliatum, tarde hercule ac ſero, ſed ſerio tamen intellexit. Cujus jacturae tamen portio haud exigua ſane, etiam ad fratres ejus ex parte per-

num ea de re appellati, ſe jam dudum ſolviſſe adfirmant, & ipſum hominem cum juſſiſſent ad ſe venire, mendacii eum convincunt, & fateri cogunt, hanc calumniam ſe inſtigantibus aliis, qui invidiam iis apud Ordines facere volebant, inſtruxiſſe; quare decernitur, Ordines de *Galli* hujus meritis & dotibus certiores faciendos. quid porro decretum ab Ordinibus ſit, non repperi, ſed ab Academia poſt ſeptem annorum labores, in patriam poſtliminio rediiſſe, narrat auctor Academiae Lugd. Batavae pag. 30. ſed minime honeſtam miſſionem accepiſſe puto. Hoc vero factum accidiſſe A. 1593. acta Academica teſtantur, & tamen ex hac epiſtola jam eum excuriatum hoc anno Douza ait, ejuſque vices ſuſcepiſſe *Junium*. in vitis etiam Profeſſorum, dicto auctore, dicitur anno 1587. veniſſe Leidam, & ſeptem annos ibi cum honore (immo magna cum infamia & bonorum odio) fuiſſe verſatum. vid. de hoc Gallo plura ſupr. Epiſt. CLXXXIV. & vitam ejus deſcripſit Revius Hiſt. Daventr. lib. V. pag. 511.

6 Vid. ſupr. ad Epiſt. CLXXXV.

pertinere viſa, & palliis & caligis thoracibusque ſuis per fraudem circumductos. Ita *Douſae* tuo, te abſente, a Lavernionibus os ſublitum, Poſthac igitur cautiores erimus, operam fidelem addituri, ut occluſiores per noctem feneſtras habeamus, ne quis adventor porro gravior illac exeat, quam advenerit. Sed valeant haec ridicularia, ac tam nugaci epiſtolae finem imponamus aliquando, ſimul te commonuerimus, ut ea, quae jam nunc in manibus, jampridem affecta, habere te ſcribis, in communem uſum depromere ne pigreris, ſed ea, quantum poteſt, in hominum manus pervenire, perque ora virum volitare patiare, tibi laudem ac lauream, nobis autem & poſteris fructum immarceſſibilem pariturus. Vale, mi ocelle, cui par eſt nihil, & nihil ſecundum, *Douſam*que, quod facis, ama. Lugduni Batavorum, v. Kal. Septemb. A. 1591.

Clariſſ. viris D. *Lampſonio*, item M. *Antonio Delrio* (ſi tamen iſtic etiamnum fuerit) ſalutem ſodes, & quidem de meliore nota. vides, quam familiariter.

EPISTOLA CCXXII.

JANUS DOUZA

J. Lipſio S. D.

Lovanium,

SAlve, Amice magne, ac patere mihi hoc juris eſſe apud te, ut adoleſcenti huic noſtrati (*Cornelio* inquam *vander Emio*) tibi non incognito, faventiae tuae fores pultare liceat paullo familiarius; literis praeſertim noſtris ſuffulto, quas patris ejus precibus denegare nec potui, nec debui. Dedi hoc induſtriae ipſius indoli, qua & Picturae pariter & doctrinarum ſtudia complexus, dedi etiam notitiae ac conſuetudini, quae nobis jam inde a puero cum Parente ejus, *Godefrido vander Emio*, multo jucundiſſima interceſſit: viro (inquam) gnavo, experienti, induſtrio & (quod rei caput eſt) Politico, ex eorum *Judicum* numero, quos Scabinos vulgo dictitant. Summa petitionis noſtrae haec eſt, ut filio ejus, quem dixi, jam peregre viaturo, ſtudium ac patrocinium tuum commodare pergas, quo videlicet nominis tui auctoritate per literas interpretes ſubnixus, gratioſior porro apud exteros exiſtat. Sic igitur facies, & (quoniam jam ſcribere occoepiſti) nos ſubinde ex intervallo, tui ſitientiſſimos, literarum tuarum nectare irrigabis, quo apud animum meum nihil carius, nihil antiquius, habeo. verbum non addam; ne benignitati tuae, tot tantisque experimentis cognitae, videar diffidere: ad ſuperiores literas tuas reſcripſi jam nudiustertius. Vale, & nos (quod facis) ama, mutuum facturos, tuo arbitratu potius, quam novorum Aedilium. Salutant te Caja mea, liberi, affines, Ultrajectinus in primis Praetor, Lipſiani nominis ſtudioſiſſimi, *Canterum* enim conveniendi copia nondum fuit. Raptim Ultrajecto, vi. Kal. Octobris 1591.

EPISTOLA CCXXIII.

JANUS DOUZA F.

V. C. *J. Lipſio* S. D.

Coloniam.

ABs te tamdiu nihil literarum? inquies. Fateor. & prae me fero. ſed, ita vivam, ut mihi nihil magis cordi fuerit, ſi occaſio fuiſſet, quam rapere aliquam ſcribendi opportunitatem, quod tum ex conventione ac pacto, & aliis multis nominibus debebam tibi, tum ex tam crebra ad Patrem literarum miſſione: quum etiam nunc, quamvis te totum ſibi Germania vindicet, tamen partiario nobiſcum agas, & optimam tui partem, id eſt animi atque affectus effigiem ſaepe ad nos tranſmittas, quae quantum nos afficiat atque delectet, ipſe optime tenes. Quare quum tu ſtipatus non tam amicorum, quam interpellatorum gregibus, tamen quod temporis datur, in abſentium amicorum alloquutione ponas, turpe eſſet mihi Harpocratem aut Sigalionem agere, praeſertim cum haud verear, ne tibi literae noſtrae aut intempeſtivae aut loquaces videantur, nugarum noſtrarum patientiſſimo lectori. Igitur quando, ubi eae recte curari poſſint, intellexi; id enitar, ut tibi & curam & diligentiam meam hoc genere officii quammaxime probem. Evaſiſſe te tot pericula, qua mari qua terra, & tibi, & nobis, & rei publicae & literariae in commune gratulamur. ſed quando illum diem, qua haec omnia & multo plura ex ſermone magis tuo, quam ex literis cognoſcamus? Sed ut ad ſtudia noſtra veniam, ea minime ceſſant. neque enim minus Cenſoria nota dignum judicamus, ingenium quam agrum non optime colere. itaque hiſtoriae me totum do, in qua jam duos libros, etſi opera aliquoties intermiſſa, a diſceſſu tuo pene confecimus; Primum ſcilicet & Secundum; ille enim, quem vidiſti, jam Tertius factus eſt, creſcente ſcilicet in prioribus iſtis materie. nos quotidie magis magiſque in hujus rei curam cogitationemque incumbimus. Vale, & nos ama. Lugduni Batavorum XVII. Kalend. Junias. 1591.

[1] EPISTOLA CCXXIV.

JANUS DOUZA F.

V. C. *J. Lipſio* S.

IN ſumma literarum exſpectatione, quum de rationibus tuis nihil certi afferretur, ecce de reditus tui deſperatione fulmen; quo ita nos omnes percuſſiſti, velut tonitru quodam aut ſideris procella, ut in totum nobis, ceu illi,

1 Reſpondet hîc Douza Fil. ad Lipſii Epiſtolam ad Patrem ſcriptam, & editam a *Pontano* Decad. III. ad Douzam Epiſt. 10.

illi, quos attonitos vocant, exciderimus. antea enim, quamvis te, nondum tamen ſpe excideramus, quae te ipſo auctore nos magnopere ſuſtentabat, redituram quandoque animam in hoc corpus. O nos miſeros, quibus harum omnium voluptatum, quas propinabat nobis ſermo ille tuus γλυκίων μέλιτος καπηλευομένοιο, *Diſtractio*, *diſcidium*, *ac vaſtities venit*! O beatos, quamdiu Apollinis ſalutare numen tibi, Muſarum Herculi, aureis eloquentiae catenis, velut apud Tyrios, alligatum nos reſpexit! quod ipſum non ſolum te diſcedente Academiam noſtram plane deſeruit, ſed & omnes *Dî*, *quibus imperium hoc ſteterat*. Itaque vides, quam ad vivum perſederit hic mucro, quamque late ſe diffuderit morbus ab iſto capite, quod amiſimus. cui morbo mederi aut nemo, aut tu ſolus potes, non conſolatione, ſed praeſentia tua. ut enim tempore mitigetur, nulla ſpes eſt te abſente; quin hoc magis recrudeſcet, quo a ruminatione praeteritae felicitatis longius nos abduxerit praeſentis miſeriae cogitatio. Quod enim obſcure jacis de liquidiore aliqua tempeſtate mox ſequutura, & ſpem affers, nos brevi tibi affuturos, quid id ſit, conjicere nondum potuimus, ita αἰνιγματῶδες eſt. quicquid tamen ſit, utinam cum Pindaro ſperare liceat:

—— —— —— ἔσαι χρόνος
οὗτος, ὃ καὶ τιν' ἀελπτίᾳ βαλὼν,
ἔμπαλιν γνώμας, τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' οὔπω.

Certe hîc multa praeter exſpectationem ceciderunt, poſtquam Deus dirigere cœpit fluitantem hanc in alto reipublicae navem; qui utinam & tibi mentem, ut Muſaeam noſtram Rempublicam, nominis tui fama altiſſime evectam, in medio curſu ne deſtituas; ut, qui praeceptionum tuarum ſpiritu ad volatum hunc alas adhibuiſti, Daedalus eſſe nobis pergas, ne nos Icari tibi fiamus, ceris noſtris ad Imperitiae ignem, qui jam omnia correpturus eſt, tabentibus labentibuſque. Vale, neu vota pro reditu tuo ſuſcepta te auctore, irrita eſſe patere. *H. Bredius* ſalutat te officioſiſſime, ac dolet occaſionem ſcribendi ſibi non fuiſſe per tabellarii feſtinationem. Mitto fratris mei [2] Carmen, qui id ſumma ope enititur, ne ſpem tuam de ſe ſuſceptam fallat, ut & reliqui duo, in primis *Georgius*. Item *Meliſſi* literas nuper inſertas iis, quas ad me, his adjunxi, ac *Merceri*, qui Hagae nuper Patri iſtas dedit. noſtras cum carmine ad te miſſas ante duos menſes an acceperis, neſcio. Iterum vale. Lugduni Batav. Prid. Non. Jul. 1591.

2 Forte *Elegiam*, quam mox ad Epiſt. 230. proferemus.

EPISTOLA CCXXV.

JANUS DOUZA F.

J. Lipſio S. D.

Leodicum.

O gratas mihi, exſpectataſque tuas literas! o affectum in literis ſpirantem, & in affectu imaginem tui! quam non potui probius agnoſcere, utinam propius licuiſſet. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Venio ad monita tua, quae me vix dici poteſt quantum excitarint ad perſequendam hanc viam, quam te duce atque hortatore ſemel inivi, neque deſeram quoad vivam, ita vivam, ne Eurydicen hanc qualemcumque, quam tu probando effeciſti ut aliquid eſſe videretur, retro lumina flectentes amittamus. quod quoniam praeſens praeſenti tibi approbare non poſſum, per haec literaria colloquia, ſpero, fiet. cum enim reditus tui deſperatio cuſpis ſit, qua nos percuſſiſti, nec nos Telephi ſimus, ſola literarum viciſſitudo tanto vulneri non tam remedium, quam lenimentum afferet. Vale, vir clariſſime, & tibi ac Reipublicae, quamvis abſens, diu vive. Parabat etiam aliquid ad te Pater, ſed abrupit feſtinatio tabellarii, & interpellatio amicorum. Velim ejus verbis ſalutes *Lampſonium*, virum magnum, etiam noſtris. Uberius ſcribemus cis paucos dies, una cum Patre. Lugduni Batavorum XIII. Kal. Aug. CIↃ IↃ XCI.

Reſponſio eſt ad Epiſt. IV. Decad. 4. a Pontano edit.

EPISTOLA CCXXVI.

JANUS DOUZA F.

J. Lipſio S. P.

QUod ad tuas multo ſuaviſſimas nunc demum reſpondeam, in cauſſa fuit tabellarii feſtinatio, qui ante diſceſſerat, quam putaram. De Patre non falleris. revera enim ejus ingenii plumas ita peruſſit hoc fulmen, ut a terra ſe tollere aegre poſſit, & inſtar veſpertilionum, ſi quando ceciderunt, ambulet potius alis, quam volet. caeterum quia id mutari non poteſt, haec una ſaltem nos ex hoc naufragio velut tabula delectat, literarium inquam colloquium. in quo quidem ex mea parte operae non parcam. ſed ſic, ut vides & ut vis, ſcribendo ἀμελῶς, ac neglectim, non ἐσχηματισμένῳ λόγῳ. Monita tua ac praecepta mihi curae ſunt eruntque, quamdiu ero. *Gruteri* ſuſpiciones an videris neſcio. certe in iis ſollennem Criticorum, quos tu facete tangis, inſaniam inſanit: quamvis in quibuſdam non omnino peſſimus conjector ſit, & ſint, de quibus in utramque partem arbitrari poſſit. in illo quidem Taciti loco,

Edita a Pontano Decad. V. Epiſt. 3. ſed cum lacuna, & ſine P. S.

co, qui in III. Ann. eſt, de *Fortuna Equeſtri*, ubi *Sequeſtri* legit, an aliquid viderit, tu omnium optime judicabis. is *Gothofredum* etiam jugulavit, ſed gladio, quales conjecturae ejus erant, id eſt plumbeo. qui tamen eludere ejus ictus tentavit irrito conatu. Verum nec illius inſolentiam probare poſſum ultro laceſſendi aliquem alicujus nominis, & invidiam hanc ſibi concitandi. neque hujus indulgentiam nimiam erga liberos ſuos, vel potius monſtra, quae ſibi ſemel nata alere, quam tollere maluit contra Romuli leges. Faſciculum hunc librorum & literarum a *Baudio* reſolveram permittente eo, qui adferebat, quum ineſſe aliquid ſuſpicaretur, quod ad nos pertineret. at ille literarius trico ne verbum quidem ad nos. gaviſi tamen ſumus tum ob amici vitam ac fortunam, quarum altera illi pene animam agenti reddita eſt, altera data ad noſcendos propius Heroas illos *Scaligerum* ac *Thuanum*. tum etiam propter ſalutem Patri adſcriptam, in extremo angulo literarum Scaligeri; quae neſcio quo caſu apertae erant, ut vides. unde ego occaſionem hanc praecipiti atque audaci feſtinatione rapui mittendi ad eum libellos meos, una cum Epiſtola & Carmine, quod hîc habes. cujus impolitiem excuſabunt apud te anguſtiae temporis, quo id ſcribſi. ita enim neceſſe erat, ut curari poſſet per quendam, qui in Zelandium ibat. Tu vero, quod Muſaeum aliquid pangas quotidie, neſcio an gratuler rei literariae in commune, an doleam Academiae noſtrae cauſſa, quam interjectae tot regiones, velut Luna, fraudabunt lumine hoc editionis ſcriptorum tuorum, quam ipſam tamen ſpero urgebis, ſed ita ne quid cum valetudinis diſpendio, id cogitans, dum vitae tuae conſulis, literarum atque adeo ſeculi hujus vitae te conſulere. A *Ranzovio* ad nos nuper literae humaniſſime ſcriptae, & plauſtra librorum ab ipſo, aut ipſius ſumtibus editorum. is etiam munus tranſmiſſurum ſe pollicebatur, ſimulatque illi certum hominem indicaſſem, qui id ferret, id quod jam feci. De rebus noſtris quid amplius ſcribam? niſi forte diminutas eas Lavernionum quorundam ſiniſtra comitate, qui dormienti mihi intempeſta nocte veſtimenta in ciſtam condita ad unum omnia ſubduxerunt, cum pecunia quae in veſtimentis erat. ac ne calceos quidem reliquerunt, credo, ne perſequendi eos cauſſa ad curſuram me exercerem. irruperant autem per feneſtram in ſuperiore domus parte parum diligenter clauſam. Vale Lugduni Batavorum VI. Kal. Septemb. CIↃ IↃ XCI.

Domino Lampſonio libellum hunc meum velim tradas in manum. cujus amicitiae conſtituendae ſi pararium te aut proxenetam praebere non graveris, id quod jam facere inſtituiſti, aeternum tibi vel hoc ſolo nomine debiturus ſum. De *Mart. Antonio Delrio* idem velim, cui quam officioſiſſimam ſalutem redde verbis utriuſque noſtrûm. miſiſſemque ei aliquid ex meis, ſi aut illic adhuc haerere eum certus fuiſſem, aut exemplar fuiſſet ad manum. Si quid in Baudianis literis erit, quod ſcire noſtra interſit, nobiſcum communicare dignaberis.

EPISTOLA CCXXVII.

JANUS DOUZA F.

V. C. *J. Lipſio.*

Leodicum.

BRevitatis cauſſa eadem mihi, quae tibi, mi Lipſi: praevertimur enim a tabellario, & haec feſtinanter ſcribimus mane, abeunte jam illo. utor libertate, quam dediſti, & alioqui amor noſter altius radices egit, quam ut iſtis literarum adminiculis indigeat ad ſe ſuſtentandum. quam ob cauſſam & patri ignoſces, qui in novo hoc munere rarius adeſt nobis, & crebris diſcurſibus fatigatus raro ſe ad quietem componere poteſt. Etiam fratrem, quem plane beaſti tuis literis, excuſatum habeas. nam & is parabat jam aliquid, ſed incoctum apud te expromere non audebat. pro eo habe hoc minoris fratris epiſtolium. apud matrem meliuſcule jam eſt, quae te ſalutat officioſe. Vale Lugduni Batavorum VI. Kal. Nov. ni fallor. ∞.IↃ.XCI.

EPISTOLA CCXXVIII.

JANUS DOUZA F.

V. C. *J. Lipſio Salutem & felicem annum opto.*

Leodicum.

LArgiter mihi peccare viderer, mi Lipſi, ſi quamlibet levem occaſiunculam praetermitterem, te per literas interpretes ſalutandi. ita lenta ſunt haec animi vincla, quae aeterno amoris nodo nos copulant, quaeque diſſolvi, niſi cum animo non poſſunt. Idcirco cum in tranſcurſu tantum nos viſeret tabellarius, has properanter exaravi, magis ne officium noſtrum ulla ex parte claudicaret, quam quod aliquid ſeriae rei eſſet, quod his chartis committerem. Tamen eſt etiam leve quiddam, quod a te mihi praeſtari, ſi modo reſcribendi otium fuerit, valde cupiam. Inter eos libros, quos Lutetia a *Federico Morello* accepiſti, ſcio eſſe Catulli Epithalamium Graecis verſibus expreſſum a *Florente Chriſtiano*, id, cum forte adjuncturus ſim novae huic Catulli editioni, una cum *Scaligeri* jambis Graecis, ex eodem & Tibullo expreſſis, vehementer velim integrum me habere. nactus enim hîc ſum manu cujuſdem deſcriptum, ſed in quo deſint quatuor verſus. primum nempe hi tres: *Jure igitur vincemur, amat v. c. Quare nunc a. ſ. c. v. Dicere jam i i. r. d.* deinde paulo poſt ille: *Heſperus e nobis aequales abſtulit unam.* Quatuor Graecos illos *Florentis* verſus, qui his Catullianis reſpondent, ſi deſcribi mihi, quod commodo tuo fiat, curaveris, magno me beneficio obſtrinxeris. *Meliſſus* per literas quotidiano pene convicio à me petit, acceperiſne Oden ejus de acidulis Sualbacenis, quam per *Cluſium* tibi miſerat. id, ſi tanti videbitur, ſignificabis nobis, ne apud illum negligen-

tiae

tiae accuſer. Vale, noſtrum & ſaeculi decus. Salutat te officioſiſſime uterque parens. Lugduni Batav. VIII. Kal. Januariis Anni CIƆ IƆ XCII. quem candidum ac felicem tibi opto.

[1] EPISTOLA CCXXIX.

JANUS DOUZA F.

V. C. *J. Lipſio* S. D.

Leodicum.

LUbet exclamare cum Ergaſilo Plautino, Gaude. tantum boni tibi & rei literariae apporto. Vivit *Florens* ille *Chriſtianus.* & fruſtra fuit ſolicitudo noſtra. qua nos liberavit haud ita nuper *Tuningus*, quem in Gallias miſſum Academiae nomine credo intellexiſti. is eum ſupereſſe adhuc, & Vindocini agere ſignificavit per literas. Weſtphali illius libellum vidimus, & hominem ita *κορυβαντιᾷν* mirati ac ſtomachati ſumus, & nobiſcum omnes probi ac docti. Neſcio qui porci ſacres, ſeu potius Weſtphalici, ſatis ſint huic portento expiando; ex cujus capite non, ut ex puerperi Jovis cerebro, Minerva proſiluit, ſed tam ineptae atque inſanae commentationes prodierunt. neque id *χαλκελάτῳ πελέκει*, ut Pindarus dixit, ſed ferreo atque impudenti calamo, ſeu potius ore. Quod neque reſponſione hominem dignaris, laudo, *κωφὸν γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀνάλκιδος οὐτιδανοῖο.* & nihil ab hoc Cerbero aliud exſpectandum, quam ut eo tetrius virus evomat, quo magis trahitur e tenebris ac ſuilla ſua in publicam lucem. tamen quum inſuſurret Publius: *Veterem ferendo injuriam invitas novam*, & retundi tam inſignem impudentiam publice interſit, elephantinum ejus corium levi ſale defricandum tecum ſentio, ut totus *γοργονίας* fiat, cum tam ferrea fronte. Quod me in Catullianis Notis mones prudenter ſane & amanter, curae habui habeboque. in quibus id praecipue cavi, ne aut vulgata ac leviuſcula conſectarer, aut ambitioſa ſubtilitate raptus praeceps irem in gurgitem ineptiarum. quod nimis multos hodie facere videas, qui ubi feneſtram aliquam aperiunt, aut libri, aut remotior quaepiam vocula, ingenio ſuo in depravando eo loco indulgent. ut autem medicamenta bene valentibus, ita rectis ac veris correctiones & mutationes nocent. Itaque pudenter, ut ſpero, iis uſus ſum, & in obſcurioribus locis illuſtrandis, quam innovandis frequentior fui, cujus rei tibi guſtum do his literis, qui ſi placuerit, poterit a te amor noſtri impetrare, id quod ut petam: cupiditas quidem me impellit, ſed revocat tam obvia atque expromta benignitas tua. Non enim dubito, quin id, quod editioni noſtrae plurimum ornamenti adferre poſſe intelligis, tam valde velis, quam nos poſſumus velle. & meminiſti credo, quid ad mercium noſtrarum commendationem in Caeleſtibus ac Poëmatis noſtris adtexturum te fuiſſe dixeris, ſi petiiſſem. id quod neque nunc denegabis ſpero tam lepidis Poëtis, cumulumque addes innumeris & immortalibus beneficiis, quibus

1 Reſpondet ad hanc Lipſius apud Pontan. Decad. V. 2.

bus tibi obſtricti ſunt. ſimulque me χθαμαλοπτήτην humo tolles remigio exigui alicujus (dudum enim circumrodo, quod devorandum eſt) Hendecaſyllabi aut Epigrammatis: quod quidem malim mihi, quam Caſtellanos triumphos duos, ut ille inquit. ſed tamen clementer, & quod commodo tuo fiat; dummodo quicquid erit, intra quinque aut ſex ſeptimanas ad manus noſtras perveniat. Sed ego ſtultior, qui tanquam rem factam habeam, haec tecum loquar, cui prius tentandum judicium tuum de his pauculis, quae excerpſi ex Conjectaneis noſtris ſive Notis.

2 *

Plura reſtabant, praeſertim in Propertio, ſed oppreſſit nos tabellarius. & haec alioqui pauca de multis, fortaſſe etiam nimis multa erunt. quicquid erit, liberrime velim judicium tuum ſcribas de his qualibuscunque; itemque an eam obtinere ſpem poſſim, ut nominis tui illicio vendibilior fiat noſtra merx. Nuper etiam ſtilum exercere coepimus in Graecis. & mitto ſpecimen, Epigramma ad *Guilielmum Alibaſtrum* (quamvis tertiam ejus nominis literam mutaverim in Carmine propter cauſam, quam vides) juvenem ſane doctum, quum is mihi Oden perelegantem ſcripſiſſet, invitatus epiſtola, quam illi ſcripſeram hortatu *Richardi Thomſonis* Anglobelgae (natus enim eſt Antwerpiae) adoleſcentis autiquas literas ac linguas non incurioſe docti. Id igitur tale eſt.

3 Ὢ πόποι, ὡς χαίρω σε πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος
   Διφρουλκεῖν ἐρατῆς ἄντυγα τῆς Φιλίης;
Ὃς Παφίης ἀλάβαστρα, καὶ ἀμβροσίην ἅμα πνείων,
   Τῆς μὲν ἐπωνυμίης ἄξια πάντα φέρεις,
Καὶ στόματος λιγύροιο χέεις ἀπ' ἀκήρατον ᾆσμα,
   Πᾶσαν ὑποσπείρων οὖασι μειλιχίην,
Πολλὴ δ' ἀμφιτέθηλε χάρις θείοις ἐπέεσσι.
   Εὕρηχ' εὕρηκ' ἄν σ' ὃν θέλον, ὥς τε θέλον
Ἀλβιόνων μελίγηρυν ἀηδόνα· οὐδὲ πέφηνας
   Ἡμῖν ὁ θησαυρὸς σὺ σποδὸς ἢ ἀλαβή.
Εὕρηκ' ἐνδείξας, ἔπει ὦ Ἀλάβαστρ' ἑάλωκας
   Γράμμασι μοῦ, ἄλαβες οὐκ ἀλάβαστρον ἔμεν.

Quod ſi guſtus hic placuerit, alia propediem ejus generis mittam plura. nam nunc & tempus & charta deficit, ut vides. Vale ergo, & ſaluta quam officioſiſſime Dom. Lampſonium. Reſalutat te Pater quam amantiſſime, qui in eo ipſo articulo Haga redierat, quo haec ſcribebam, etiam mater, qui eum diem videre optat ac ſperat ante extremos cineres, quo te videat. Sed quid? *Jacobum Suſium* nonne Leodici eſſe audio? De Germanico ejus ecqua ſpes? Salutabis eum, ſi videris, perquam honorifice utriuſque noſtrum verbis, atque

2 Deerant illa, quae Lipſio excutienda miſit. credo in ſcedulam fuiſſe conjecta, quam non repperi.

3 Editum hoc epigramma in editione Roterod. 1714. p. 212. ſed ſine praeſcriptione nominis *Guilielmi Alibaſtri*, & una vel altera menda inquinatum:

que admonebis promiſſi, in quo & nobis ambiendi verecundiam, & ſibi recuſandi veniam ſuſtulit. Iterum Vale. Lugduni Batavorum XIII. Kal. Februar. CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA CCXXX.

FRANC. DOUZA F.

V. C. *J. Lipſio* S. P.

Lovanium.

CUm *Guilielmus Barclay* vir doctus, tibique intima familiaritate conjunctus, tuas ad ſe literas nuper mihi oſtenderet, qua de me honorifica mentio erat, diverſis & inter ſe contrariis affectibus animi mentem diſtrahi ſentiebam. memoriam enim noſtri nondum penitus ex animo tuo excidiſſe ſerio gaudebam: pigebat autem taedebatque lentitudinis & deſidiae meae, qui te doctorem, & tanquam parentem alterum, tanto temporis intervallo ne tenuiſſima quidem ſcriptione adire ſuſtinuerim. Ac de memoria quidem noſtri plurimum te amo ac vehementer mihi gratulor. In diuturni vero ſilentii crimine quamvis me largiter peccaſſe negare non poſſim, tamen aliquid in humanitate tua mihi excuſationis relictum eſt, praeſertim cum ejus culpae non minimam partem fortuna ſuſtineat. Jam alter annus prope orbem ſuum complevit, quum praeſtantiſſimi fratris mei deceſſus totam domum noſtram miſerrime afflixit. ac te quidem in magnam partem doloris hujus veniſſe ſat ſcio. de me autem ut loquar, Muſas omnes mihi iratas habeam, ſi interim diem ullum aut ab animi aut à corporis aegritudine omnino vacuum tranſmiſerim. praeter enim quod acerbiſſimi illius fati injuria omnes ſtudiorum meorum rationes penitus conturbaverit, neſcio quae valetudinis incommoda etiam inutile corpus hoc, & ſenſus omnes, atque animum denique ipſum ita profligarunt, ut calor ille & vigor, qui meliori aetati huic conveniebat, pene totus in me extinctus ſit. eadem corporis infirmitas in Galliam me comitata eſt, in quam me linguae diſcendae & morum formandorum ſtudia nuper protraxerunt. magnam, certe amoeniſſimam ejus partem, quae ad Ligerim, jam vidimus. hoc tempore Lutetia Pariſiorum me tenet, ubi adhuc paucos menſes haerere, ac inde recta domum vorſoriam capere conſtitui. Tu ſi interim tribus verbis veterem diſciplinae tuae alumnum compellare ſuſtinueris, hic titulus accedet in numerum reliquis tuis benefactis, quae innumera in nos congeſſiſti, quorumque adeo memoria tecum vivet in nobis, donec Deus nobis vitam dabit in his terris. Id ſpondere poſſumus, praeſtare fortaſſe non poſſumus quae vellemus, & quae te digna. ſed accipies in ſolutum, ut ſpero, quodcunque damus exſolvendi voto. Vale, & me, quod facis, ama. Lutetiae Pariſiorum. IX. Kal. Novembr. CIↃ. IↃ. XCVIII.

Repperi cum epiſtola hac *Franciſci* hujus *Douzae* elegiam ad Juſtum Lipſium, quam, cum publice exſtare ignorem, hîc producere viſum eſt.

Ver erat, & Zephyri ſpirabat molliter aura,
Demulcens flabris aëra frigidulis.
Cum me invitaret ſpirabilis aura Favonî,
Errarem ut tacito per loca ſola pede.
Et modo procumbens myrti genialis in umbra,
Leniter ad ripas praetereuntis aquae.
Moeſtus eram, & ſenſi gravioris taedia curae.
Cauſſaque moeroris Lipſius unus erat.
Lipſius unus erat, noſtri decus ille Lycaei,
Cujus priſca graves lingua reduxit avos.
Illius ante oculos obverſabatur imago,
Pectore, dum vivam, non abitura meo.
Et ſuprema dies noſtris triſtiſſima votis,
Qua liquit Batavae tecta Academiolae.
Vos virides campi teſtes, vos flumina, quaeque
Audiſti queſtus arboris umbra meos.
Quanta recordabar caperemus gaudia, dum te,
Uſque docentem audire aure avida licuit;
Seu pubi expediens veterum monumenta Quiritum,
Conferres docto cum Cicerone pedem.
Aut legeres 1 *Caji, aut ſpatioſa volumina Livî,*
Aut etiam 2 *Junî nobile vatis opus.*
Et quoſcumque alios Auguſti protulit aetas,
Et fovit gremio Daedala Roma ſuo.
Haec fuerant olim, cum nobis mitis Apollo
Non renuit ſani pectoris auxilium.
Et mihi jam nuper fingebam talia demens
Gaudia, ſucceſſus non habitura ſuos.
Ecce ea quae ſteterant dudum auditoria clauſa,
Nec ſua damna quidem muta queri poterant:
Nunc tandem firmas vires animumque reſumunt,
Et gaudent ſtudiis ſe recreare novis.
Barbariemque ſuis depulſam fortiter oris
Jactant, ſuadela vindice Lipſiadis.
Ipſe triumphali devinctus tempora lauru,
Ter tibi gratabor, ter bona verba canam.
Et primus, notam aſpiciens de littore puppim,
Clamabo noſtros advehit illa deos.
Signaboque diem niveo de more lapillo,
Et dabo laetitiae conſcia ſigna meae.
Haec mihi fingebam, quae nunc Euruſque Notuſque
Caeruleum jactant vota per Oceanum.

1 *Caji Suetonii.* 2 *Junii Juvenalis.*

EPI-

EPISTOLA CCXXXI.

J. LIPSIUS

Cornelio ab Egmond Niewenburgio S. D.

Hagam.

ETiamne excuſas? Tu vero ſaepe me interpella & appella, & pecca ſine peccato ullo in hanc partem. peccato autem, imo beneficio. ita enim vere appello & cenſeo, cum a talibus amor in me declaratur, & tali via. Quid enim mihi jucundius, quam ſentire etiam illic, & in eo otio eſſe, qui de literis & virtute bene ſentiant, qui huc ſe dent, & in optimis ſtudiis brevem hanc ſemitam decurrant vitae. Quid autem potius agamus, mi Niewenburgi, nos, quibus ingenium paullo magis ingenuum, quem etiam poſt pietatem in Deum, (prima enim ſemper illa cura) ita amas & aeſtimas, ut producere eum etiam in ora noſtri populi velis, ſagatum & noſtra veſte. Macte. Approbo, juvo etiam, & juvabo, ſi quid poſſum. De *coloratis* recte ſentis, pullatos intelligit, & ſordidatos. Itaque, ſi qua hîc mea cenſio eſt, malim vertere ad morem noſtrum, *die ſwarte*, ofte *grauwe klederen*. Nam *atra* veſtis, noſtris moribus, honeſtiorum eſt: *fuſca* tenuiorum & pauperum. Alter [1] locus, qui Aediles tangit, explicandus paraphraſi aliqua & circumductione. Seneca quidem intelligit ganeas, popinas, meritoria: in quibus nequid contra leges aut mores admodum a protervis fieret, curabant Aediles. Explicavi hunc locum ut opinor, commentario meo ad Tacit. lib. 2. ſub finem. *Leewius* noſter vidit me, ſed curſim, ut ſolet. ſemper ille amicum videre negotioſus eſt & occupatus. At tu quod amicitiam cum eo colis valde mihi gratum: & tibi fructuoſum & jucundum erit. ita noti mihi mores & candor optimi, & ſapientiae virtutiſque amantiſſimi viri. Qui cariores nobis, quo hoc aevo rariores. carmen tuum vidi in libros meos de Conſtantia; velim cum otium eſt deſcribas & ad me mittas. Vale & uxorem tuam amanter a me ſaluta: meque verum amicum tibi cenſe. Lugd. Batavor. III. Kal. Septemb. 1584.

1 Reſpicit Senecae locum de vita Beata cap. VII. *loca Aedilem metuentia.*

EPISTOLA CCXXXII.

JOH. CRATO A CRAFTHEIM,

III. Imperatorum Caeſarum Conſiliarius & Medicus,

J. Lipſio S.

Leidam

DUas epiſtolas tuas mecum vicinus meus *Duditius* communicavit, & ſuperioribus proximis diebus pagellam quoque Taciti tui, qua illum nomi-

mine affaris, neque tuas, ac potius bonorum omnium querelas taces, oſtendit. Itaque legens illas συμπάθειαν gravem mihi commovit. Verum eam animi tui firmitas & ſingularis erga me benevolentiae conſtantia lenivit. Cum autem gratiſſimum acciderit hoc, quod oſtendis te mei memoriam amantiſſime retinere, & ut homines conſequentes eam excipiant, jam antea etiam praeſtitiſſe, profiteri ſaltem his literis me ad debitum gratiae obſtrictum eſſe, atque ad referendum, ſi quid facere potero quod tibi gratum ſit, quidvis potius quam ſummam voluntatis promptitudinem defuturam, volui. Diſceſſi quidem ante triennium, eo ipſo die, quo *Hubertus* noſter diem, ut audio, ſuum obiit, ex aula, & ſimulac domum redii aegrotare coepi, necdum valetudine adverſa emergere potui. Lecto igitur affixus & ſenectute ad omnia langueſcens, etſi ut volo eſſe nequeam, tamen cum anima exuperabo mea, ab humanitatis & benevolentiae officio non diſcedam, neque unquam opinionem vel tuam vel ullius boni viri de me fallam. De te etiam omnia mihi polliceor, quae ſingularis & excellens doctrina perſuadet, atque Conſtantia tua ſpondet. Quam vero iſtius libri lectio me delectarit, ſcribere non debeo, ne in os laudare videar. Thraſeam, cujus mentionem facis, legere geſtio, & te per quicquid poſſum oro, ſi typis eſt deſcriptus, ut mihi communices. *Plantinus* in amando Cratone indormit, & *Dodonaeus*, cui meo amiciſſimo ſtudio in Regiâ locus honeſtiſſimus eſt conceſſus, cum ſeipſum everterit, & nos & totam aulam odit. Nihil quidem aperte in me attentavit: quae contra animi ſui conſcientiam ſparſit, dum per nominis mei ruinam ad altiora gradum affectaret, cum ex omni memoria deleta, ut Chriſtianum decet, cupiam, nunc quoque mitto. Ac cum te praeſente & imperterrito animo Divinae voluntati committere ex literis tuis perſpiciam, tibi hunc animum conſervari, teque ipſum a Deo invicto his malis eripi toto pectore precor. De caeteris quaerelas cum ſpe atque cogitatione Providentiae Divinae pono, & meipſum ad ea ferenda, quae benigniſſimus Deus conſtituit, praeparo. Bene Vale. Wratisl. VIII. Octobris A°. 1584.

Jo. Crato a Craftheim Trium Imperatorum, Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rodolfi Medicus celeberrimus. cujus vitam dedit *Melch. Adamus* in Medicis pag. 261. Lutheri per ſex annos contubernalis, vid. *Boiſſard.* Icon. t. III. pag. 171. in juventute eum egeſtate conflictatum: & varias quaeſiviſſe conditiones patet ex Epiſtola *Melanchtonis* ad Johann. Heſſum lib. III. Epiſt. 132. omnibus vero Eruditis ejus temporis celebratur. obiit vero IX. Nov. 1585. ita ut uno ante ultimum vitae anno haec epiſtola ſcripta ſit. quae vero de *Dodonaeo* narrat, ſpectant *Dodonaeum* filium: nam licet & cum patre habuiſſe acres contentiones pateat ex *Langueti* Epiſtola XXVIII. ad *Joach. Camerarium J. F.* ubi interdictum dicit utrique, ne quid poſtea ſcribant: quod aegerrime tulit *Crato.* pater *Dodonaeus*, qui & Maximiliani & Rodolfi fuerat Medicus, jam hanc provinciam reliquerat, & aula exiens primum Coloniae, deinde Antverpiae Medicinam fecerat. inde A. 1582. in Academiam Leidenſem conceſſerat. ubi A. 1585. obiit. vide Athenas Batavas in *Dodonaeo*, & *Melch. Adam.* vitas Medicor. p. 258. & *Suffrid. Petr.* de ſcriptoribus Friſiae Decad. XIII. 9. juniorem vero Dodonaeum intelligi hîc patet ex Epiſtola *Cluſii* A. 1588. ſcripta, quae infra producetur, (unde & avaritia *Cratonis* colligetur) ubi de ejus ineptiis, & erga Patrem contumeliis agit. *Cratonem* etiam moroſiorem fuiſſe diſcimus ex *Langueti* Epiſt. XIX. ad Camerar. ubi dicit. *Crato antiquum obtinet: nam non bene convenit ipſi cum omnibus.* fuiſſe vero puriori religioni addictiſſimum ex ejuſdem *Langueti* Epiſt. XXXIII. conſtat, ubi ideo non valde charum, Rudolfo Imperatori fuiſſe conjicit. In-

mor-

mortis tempore videtur error irrepſiſſe in *Melchioris Adami* narratione: nam pag. 272. ait eum ſexto & ſeptuageſimo aetatis anno obiiſſe, & fuiſſe biennio minorem aevo *Dodonaei* patris: quare vitium operarum eſſe puto, cum in initio vitae recte annos 66. vixiſſe dicatur. nam & *Dodonaeus* attigit annum octavum & ſexageſimum. obiit vero eodem, quo *Crato*, anno 1585. licet *Suffridus* ſcribat, ſe audiviſſe mortuum A. 1586. ſed deceptus fuit.

EPISTOLA CCXXXIII.

[1] JOS. SCALIGER

Juſto Lipſio S.

Leidam.

Quod ſero ad tuas literas reſpondeo, potes ex eo cognoſcere, me ſero eas accepiſſe. ἐξάμηνος enim ὅλη a ſcriptione earum fluxit. & ſi ſcias, quibus anfractibus itinerum circumductae fuerint, mirari deſines, quod ſtatim ad eas non reſcripſi. Utinam vero, mi Lipſi, extima illa ora [2] Bavariae tuae, aut tam propinqua eſſet, ut illuc omni tempore literae meae, & tuae, hinc ad nos pervenire poſſent: aut tam pacata, ut nullo bello infeſtaretur: ſane nullum tempus nobis vacuum a ſcriptione laberetur. Nunc quia id fieri non poteſt, ſaltem dabo operam, ne amplius officium literarum deſideres, modo habeam, cui eas tuto dem. Is enim ego ſum, qui amicos meos ſemper plurimi facio, neque mihi ſatisfacio, niſi & ipſis probo, me ita affectum eſſe, & eam confeſſionem ab ipſis exprimo. Librum de Amphitheatro expecto geminum illius, quem de munere gladiatorio edidiſti. ejuſdem enim inſtituti ſunt, & parem diligentiam, eruditionem, & antiquitatis cognitionem, quae in te eſt, promittunt. Nam noſtra, quae tu laudas, de temporibus, ut tibi concedamus non inutilia eſſe, tamen ἄνευ χαρίτων nata ſunt, ut ille Junonis ἀμφιγυήεις. Omnes enim pene ab ea materia abhorrent, & tamen, quod mirum eſt, nuſquam major ſcribendi licentia, quam in ratione temporum. Multi etiam docti viri putarunt ſe ex officio facere, ſi quaedam, quae a nobis errata videbantur, ad nos mitterent. Ego ab illis maxime erratum agnovi, qui omnia, quae ipſi non intelligunt, errata nominare ſolent. Secundam editionem adornamus, auctam multis praeclaris rebus, ac praeterea emendatiorem, &, quod caput eſt, meliore methodo. Sed neque nobis vacat deſcribere, quia utimur deſultorio vivendi genere, & nuſquam conquieſcimus, neque alius praeter me deſcripſerit. Felices vero vos, mi Lipſi, qui ne latum quidem unguem a Muſaeo veſtro. Nos, ſiquando libros noſtros reviſimus, tam ignoti illis ſumus, ut multa taedia nobis devoranda ſint, antequam cum illis in gratiam redeamus. Sane, mi Lipſi, omnis vita nobis praeterpropter vivitur. neque ullus ante nos literas attigit, in quem minus expetat nomen literati. Indigni enim ſumus literatorum nomine, qui vix triennio ſemel libros noſtros attingimus. Niſi tua Conſtantia aliud otium nacta eſſet, quam quo-

 nos

1 Reſpondet ad Lipſii Epiſtolam apud Pontan. pag. LX. Decad. I. Epiſt. 2.
2 Puto voluiſſe *Bataviae* ſcribere.

nos fruimur, adhuc illam divinum ingenium tuum parturiret, neque dum peperiſſet. Sed profuit illi, & ſummo patre natum eſſe, & liberum ad naſcendum tempus habuiſſe. Ego illam pluris facio, quam ὑποβολιμαίαν illam Italicam Conſolationem M. Tullii. De qua judicium tuum expecto. Inter ſeria tua tu [3] *Stellionis* meminiſſe potes, cujus vitam coopertam flagitiis, quae honeſte nominari non poſſunt, quid tibi εἰδότι referam? unum exemplum perfidiae inuſitatae referam. Utendum acceperat a *Cujacio* Gellium, quem ipſe ſummus vir cum veteribus codicibus contulerat. Inter caeteras emendationes deprehendit verſus Menandri ex Plocio, a nobis olim Valentiae emendatos. Placuerunt Appioni illi. Quia editionem Gellii novam inſtituebat, invidit eam correctionem autori ſuo, & ut eam ſibi tuto attribueret, homo ſagax & aſtutus, non ſolum folia, quibus illi verſus continebantur, ſed & totum quaternionem, ex quo illa pendebant, mala manu & unguibus Autolyciis divellit. Atque adeo ſtipitem *Cujacium* putavit, ut ſibi tam ſtolido genere os ſublitum non ſentiret. Quid verbis opus eſt? Anno ſequente, cum & ille & ego Biturigibus eſſemus, *Cujacius* Gellium ſuum ob neſcio quid reviſens, deprehendit furtum. Rem mihi communicat. Furem nominat. Jam ante aliquot menſes bene cum illis non conveniebat. Arceſſo hominem. Quid dicam, mi Lipſi? confeſſionem ab homine nihili extorqueo, ac quaternionem deinde. Vellem, inquies, videre, quod os eſſet homini? quod meretrici, ſi modo ullum habet meretrix. Ipſe jam Lutetiae, Aurelianis, & Biturigibus maxima infamia flagrat. An expectas, ut & crimen nominem? Ita bene te amet Deus, ut tu neſcis. Hinc ſunt illa Ariſtarchea, quae ille in libris ſuis ſpargit, & linit objurgatione noſtri, nomine ſuppreſſo. Sed cui illa Sphinx non obtrectatur? *Cujacio*, *Pithoeo*, mihi non pepercit. & tamen quae in Gellium habet, omnia pene a nobis, aut a *Cujacio* emendicata. Caeterum eruditio perexigua. faſtus ingens. livor & obtrectatio ſupra modum. Si meruiſſet, vapulaſſet. Sed non eſt dignus ἀπ' ἀξίου ξύλου. Nos illum cum ſuis Lectionibus & furtis, καὶ τοῖς ἀπορρήτοις, valere jubeamus. Tu, niſi grave eſt, illas duas ſuaviſſimas animas, *Douzam*, & *Lernutium* a me ſaluta. Vale, mi Lipſi, & eum, qui te tanquam oculos ſuos, ama. Datum Abenni in Pictonib. Kal. Novembribus Gregorianis. ∞. IↃ. LXXXIIII.

3 *Lud. Carrionis*, quem infandi criminis, & praepoſterae Veneris ſuſpectum faciunt multae Epiſtolae. vid. XII. CXLIX. & alibi.

EPISTOLA CCXXXIV.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

POliorcetica tua, mi Lipſi, non prius amiſi, quam protinus tota devoraverim. Siquid talium epularum habes, appone. Praeſto eſt iterum conviva heluo. Tam brevi tempore, inquies, legere, eſt nec legere. Quid face-

cerem? Animo & doctrinae avido & tui ſtudioſo imperare non potui: qui & bene paſtus adhuc eſurit, & ad illas epulas iterum revertitur. Nihil in illo opere, niſi eximium, tuoque ingenio, & noſtra expectatione dignum legi. Idem judicaturos & omnes ſpero. Quod quidem opus ſi non admirarer, quia tua foetura, tamen, quia donum tuum, diligerem: quod quidem facimus, & ex animo tibi gratias agimus. A nobis nihil habemus τȣ̃ ἀντιφιλοφρονήσαος, quia Typographorum regnum eſt, non noſtrum, qui & vota noſtra & operam morantur. Eluctabimur aliquando eorum retinacula, & noſtra viciſſim tibi mittemus. De *Scalis* apud Polybium, ſcito, ſi murus denum pedum fuerit, ſcalarum ἀπόκλιμα duodenum, non eſſe opus diſtantiam deſignare. His enim duobus cognitis, ſequitur neceſſario, per XLVII. primi Elementi, diſtantiam muri & ſcalarum fore pedum ſex, unciarum ſeptem cum dimidia fere. Ubi de *Sambuca*, ita lego: γίνεται σχῆμα νεὼς καὶ κλίμακος ἓν τρίγωνον. Nam Sambuca, ὀργάνȣ σχῆμα, fuit triquetrum, ex Vitruvio VI. Aliter quis illa Graeca intelligat? Sane neque Feſtus, neque Vegetius capiunt cauſſam nominis. Non enim quod chordas habet (alioquin omnia, quae chordas habent, dicerentur uno nomine *Sambucae*) ſed quod, cum cataractes laxatus fuerit, trabs, funes, & cataractes Triangulum faciunt, & formam triquetram, qualis eſt Sambucae. *Volſcoſque verutos* nihil mutarim. *verutos*, κεςροφόρȣς. Sic *contati*, κοντοφόροι. Vegetius: *contati* & *ſagittarii*. κοντοφόροι, καὶ τοξόται. Sic *pilata*, *rimata juventus* Ennio. *verutum* eſt haſtile, veru praeferratum. *verutus miles*, κεςροφόρος. De *Sudeto* nunquam animum inducere potui. Eſt enim *Sedetum*, non *Sudetum*, vox hibrida Graecolatina ex *Sedibus*: *Sedes* ſtativa conſtitutionibus imperialibus, & alibi. Inde σέδετον. Gloſſae: Σέδετον, Φωσσᾶτον. & Theophilus σέδετον dicit, quod Tribonianus, aut potius Juriſconſultus, *Sedes*. *Leodium* & *Leodicum* utroque modo dicitur, ut *Turonium* & *Turonicum*. Sed *Leodium* rectum eſt. & quidem frequentius & uſitatius docet Gallicum idioma *Liege*. Nam Galli mei vocalem *I* ante alias vocales non vocalem, ſed conſonantem faciunt, & exprimunt per *G*. *Simia*, *Singe*. *Commiatus*, *conget*. *Servientes*, *Sergens*. *Somnium*, *Songe*. *Leodium*, *Leudium*, ſunt *Die leut*: *Leudes* in jure feudali. *Leodium* tam ager, ex quo functiones a colonis praeſtantur, quam coloni ipſi. *Homines* ſcis vocari in jure. & *Leodium* eſt *hominium*: Sed poſterior barbaries dixit *Leugium*, & *Lygium*, ut inveni ſcriptum: quod aliter dicitur *homagium*. & ſcis, quam frequens ſit Feudum datam in *ligium*. Sed inepti Practici, putant intereſſe inter *hominium*, ſive *homagium* & *ligium*. Sed non in hoc ſolo nugantur. *Leuzium* ſeu *Lyzium* memini etiam me legere. & ſane λίζιον eſt in Niceta Coniate. *Leudium* ſive *Leodium*, eſt ager & homines dati Epiſcopo Tungrenſi, niſi fallor. unde vicus S. Lamberti matrix totius Leodii vocatus eſt, & ipſe Leodium. Neque novum eſt tam gentem, ſive agrum, quam metropolim eodem nomine cenſeri. Nos igitur Galli vocamus *Liege*, vos *Luik*, nos a *Leodio*, vos a *Leodico*. utrumque εἰκότως. Sed non tantum idiomatis Gallorum hodierni hoc eſt, ſed & eorum, qui Latine ſcribebant, *D* ante *I*, in *G* mutandi. *Leugium*, & *Lygium*, pro *Leodium*, ut

Elo-

Clogio, qui *Clodio*, Pharamundi filius. Sic Latinis *Servius*, *Sergius*: *Majus*, *Magius*. *Ludovicus* non videtur a *Lewt*: neque ſane verum eſt. Nam dicebatur *Hlodowin*: pro quo *Clodio*, & *Clodoveus*. Jure diverſis capitibus idem nomen fuit *Hlodwin*, *Chlodioni* filio Pharamundi, & *Hlodoveo* primo regi Chriſtiano: & omnes a Latinis dicti ſunt Hlodowici. *Theodebertus*, *Theodewaldus*, *Theodoricus*, ab illo Deo dicti, unde *Theutones* Mercurium eſſe ſcripſerunt. ſi nugatus ſum, da veniam, mi Lipſi, & me tui amantiſſimum ama. Vale. XVIII. Kal. Octobris Juliani, die aequinoctii.

EPISTOLA CCXXXV.

JOSEPHUS SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

GAudeo munuſculum noſtrum ita tibi gratum fuiſſe, ut tuae literae mihi. Mitto & aliud tibi, cujus gratiam habe *Douzae* juniori. Ego enim illum foetum expoſui: ille ſuſtulit: ut non crepundiis ullis, ſed *Douzae* beneficio agnoſcendus ſit. De illo priore nihil aliud dico, niſi me in diem expectare tot adverſarios, quot in literis ſunt genera ἀμέσων καὶ ἀλαστόρων: quorum factioni prudens & ſciens labores meos objeci, ut ſit, qui ipſis oculi doleant, ego rideam. Neque enim magis me iſti, quam cautem Marpeſiam venti. Et tamen certum eſt propediem plauſtrum ἀντιλογιῶν, conviciorum, καὶ τερατικῆς γεωμετρίας exiturum. In omni literarum tractatione, mi Lipſi, omnis ſcientiae venditatio ut immodeſta, ita periculoſa eſt: In Geometria, qui non audet dicere ſe ſcire, quod demonſtratum eſt, cornea illi fibra eſt. Nam ἐπιστημονικῶς καὶ ἀποδεικτικῶς ibi per omnia agitur. Itaque ſine arrogantia bona fide dicimus rem nos tetigiſſe. Ipſi potius reprehendent, quàm intelligent. Et ſane vel eruditiſſimis multum temporis opus eſt, ut librum meum intelligant, & plus, ut admirentur. Nunc totus ſum in recoquendo Opere de Emendatione temporum. Multa praeclara ſuccurrunt. Multa nova conquiſivimus. Non pauca recidimus. vere potes agnoſcere, αἱ δεύτεραι φροντίδες. Vale mi Lipſi. τόσον φιλοίης μ᾽ ὅσον ἐγώ σε φιλῶ. Lugduni Batavor. v. Eid. Aug.

EPISTOLA CCXXXVI.

JOS. SCALIGER

Clariſſimo J. Lipſio ſuo. S.

Lovanium.

LUculentiſſimum opus tuum de Militia Romana una cum literis tuis nunc primum ex Zelandia reverſus accepi. Lectio non eſt paucarum horarum, ne-

Reſponſio ad Lipſii Decad. I. 4. apud Pontan. p. LXIII.

neque animi aliud agentis. Poſtquam perlegero, tunc fructum, quem ex illa lectione percepero, teſtabor. Nam de tam arduo incepto teſtimonium a me, non judicium expecta. Satis eſt & in fructum meum, & in gloriam tuam, quod opus Lipſianum eſt. Interea quod poſſum gratias habeo muneris tui & benevolentiae tuae, quantum poteſt homo & tui amantiſſimus, & librorum tuorum helluo. Quanti vero mihi fieri debet totus labor tuus, jam conſtat mihi ex divina dedicatione, quam totam protinus devoravi. Meum opus de Emendatione temporum totum pene interpolatum lente cuditur operarum, non mea culpa. τετραγωνισμὸν iterum recudemus, & vitilitigatoribus noſtris aut pudorem, aut ſilentium imponemus. Tu vale, & nos ama. Lugduni Batavor. III. Kal. Auguſtas. 1595.

EPISTOLA CCXXXVII.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

TAndem noſtrum opus tibi mitto. Si quantum mihi licuit per typographorum ceſſationem, illud longiore lima cruciare voluiſſem, fortaſſe emendatius & melius prodiret. Sed illa ceſſatio non operi meo, verum commodo Typographi dabatur. Itaque per me non ſtetit, quin citius lucem videret. Nam profecto ex tam longa mora maturiorem foetum quis ſperare poſſet? quod ſi non accidit, ilicet, ut haec ferunt tempora, ad obtrectationem feneſtram patefactam video, ſed Marrucinis, non tibi, a cujus candore veniam expecto erratis noſtris, ab eruditione autem melius judicium, quam a fungorum latratibus. Dic igitur, mi Lipſi, quid tibi judicii ſit de hoc partu noſtro, quem pene expoſitum tollere non piguit. Totus horreo, tremoque, dum illum judicio tuo ſubjicio. Sed gratiſſima erit cenſura tua, quaecunque tandem futura ſit. Vale, mi Lipſi. III. Non. Febr. CIↃ.IↃ.XCVIII.

Reſpondet Lipſius apud Pontan. Decad. I. 6.

[1] EPISTOLA CCXXXVIII.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

O Admiranda tua, mi Lipſi, quibus accedat & liber ipſe, ut nulla ſint imperii Romani, niſi cum libro tuo. Plane in me expertus ſum, quod

1 Reſponſio ad Lipſii Cent. ad Gall. XXXII. cujus partem Lipſius reſcidiſſe videtur; reſpondet enim Scaliger ad quaedam, quae ibi non leguntur. reſpondet ad hanc Lipſius in Pontani Decad. I. Epiſt. 7.

titulo ipſo praeferunt. ἐθαύμασαν καὶ ἐξέστην, non tantum quod ejuſmodi, ſed quod te talem invenerunt praeconem, ut ille Pelides Homerum. Quod a me exigis de *frumentatione*, & aliis, egone, magne amice, poſt te? & qui a te omnia? cui omnia talia debeo? Non ita inſanio. Hoc faciunt ſtulti quidam, quos quotidie experior, quibus Sol non ſatis lucet. De *Soliis* balneorum poſſunt quaedam praeterea afferri, ſed a te melius, quam a me: & praeterea indigent deliberatione. Nam multa in his requiro, qui haec tractarunt: & hac in parte non parum tenebrarum eſt in Vitruvio. Itaque, quod ille dicebat, *advocationem poſtulo*. Illud te tamen non dubito melius facturum, ſi carmen [2] Erinnae totum ſuſtuleris: Scripſit enim non in ſepticollem illam, quae ſaeculo Erinnae, hoc eſt Tarquinii Priſci, nondum ulla Admirandorum tuorum aura afflata erat, ſed in *valentiam virium*, quo nomine citata eſt a Stobaeo, cujus diligentia carmen illud ſupereſt. Scis quam multi ſint Φιλελεγχοι & quidem tot Aſini, quot ipſi. Docti ſunt, ſi doctis inſultare poſſint. Ego has muſcas a me abigere non poſſum. Muſcae, inquies, tantum. Ita: ſed quas praeſtaret prandia noſtra non lambere. His duobus menſibus recenſui meum Manilium, quem caſtigavi ad ſcriptum exemplar Gemblacenſe. Exemplar quidem ipſum non vidi: ſed nactus ſum, quod cum eo *Suſius* olim contulerat. Si quid, ſumme & cariſſime Lipſi, me juvare potes, benignus imperti. [3] *Stellio* habuit idem exemplar ſcriptum. quia iſthic obiit, potes ab heredibus nanciſci exemplar, quod ille fucus (ita expertus eum ſum) cum Gemblacenſi contulit. Nam fieri non poteſt, quin ille notarit, quae *Suſium* fugerint, ut ſolet. Depravatiſſimus eſt ille ſcriptor in libro quinto, cujus lituras non noſtrum eſt tollere, qui melius morbos, quam remedia novimus. Tu nos juva, aut a te aut a libris ſcriptis. Vale πρῶτε τῶν Φίλων. VI. Eid. Majas 1598.

2 Legitur illud Lib. I. cap. I. ubi Erinnam Pompeji tempore vixiſſe credit. ſed fallitur. & hoc carmen non in urbem Romam ſcriptum alii oſtenderunt. vide Cl. Fabricii Biblioth. Graecam lib. II. 15. §. 28. p. 555. & Cl. Struv. notit. Biblioth. Vinarienſ. pag. 263. ubi de ejus aetate agit.
3 *Ludovicus Carrion.*

EPISTOLA CCXXXIX.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

Accipe παλιγγενῆ Manilium noſtrum. Utinam iſte Virbius in nemore tuo receptum quendam habeat. Gemblacenſis codex, quum illius multa vulnera ſanaverit, artus tamen luxatos reliquit. An eos recte ſuo loco reſtituerimus, tui judicii fuerit, mi Lipſi. Multa olim deprehendimus, ſed unum prodigioſum ςρέμμα LIIII. verſuum in III. libro, non latuerat. In illo diſſimulata erat tota mens auctoris, & conjectio cauſſae. Absque hac bona femina fuiſſet, vix ſpes relicta erat ad te hunc librum mittendi. Tanta raritas

eo-

eorum, qui ad vos commeent. Accipe igitur munuſculum hoc, quod non merito ſuo, ſed amore tuo in me aliquem aditum ad te ſibi patefieri poſtulat. Vale XXX. Septemb. CIↃ.IↃ.XCIX.

Reſpondet Lipſ. Cent. ad Gallos Epiſt. LIX.

EPISTOLA CCXL.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium,

EST mihi prae manibus Chronicon Euſebii, ſtabulum Augiae, quod exhaurire non poſſumus auxilio ejus codicis, quo nunc utimur, ſcripto ante annos CCCCXLVI. qui ut mihi praeiverit & ad priſtinum ordinem reſtituendum, & ad aliquot menda tollenda, tamen adhuc in trivio relinquit me: neque quo me vertam ſcio, niſi alius melior codex oblatus, & mihi dubitandi omnem cauſſam tollat, & Euſebio ſaluti ſit. Audio penes te eſſe optimae notae Codicem, cujus maxime fides tibi explorata ſit. Ejus uſuram menſtruam tantum a te peto: & quidem ita peto, ut jam me impetraturum non diffidam, ſiquidem in tua poteſtate eſt. Adeo mihi perſuaſi eorum meum uſum eſſe, quorum mancipium tuum eſt. Oro te igitur, ſiquidem penes te eſt ille liber, mittas *Chriſtophoro Rafelengio* noſtro. Si non mittis, argumentum erit te non habere. Si habes, ſpero me habiturum. Vale. XVI. Kal. Auguſti. CIↃ.IↃ.C.

Reſpondet Lipſius Decad. I. Epiſt. 8. edit. Pontan. p. LXVI. Euſebii ille codex nunc eſt in Bibliotheca Leidenſi.

EPISTOLA CCXLI.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

EUſebium tuum una cum literis & Panegyrico accipio in ipſo momento, quo tibi reſpondeo. Nam mulier, quae attulit a vobis, iterum e veſtigio ad vos cogitabat. Non me fefellit fiducia amicitiae tuae. Itaque & de Euſebio, & de Panegyrico gratias magnas tibi, o virorum unice, & mihi cariſſime. Non diu retinebo tuum Euſebium. Conferre tantum volo. &, quantum conjectis in illum oculis judicare poſſum, eſt geminus illius, quem habeo prae manibus, geminus omnium, quotquot vidi. Aut ab uno homine deſcriptos, aut a multis de compacto cenſeas. quot ſatis mirari non poſſum. Magna injuria eſt editionum in illum auctorem, cujus errores dum tollere volunt, turpius aliquando hallucinantur, quam ipſe. Putamus nos ipſum priſtinae formae, aut proxime ab illa, reſtituiſſe. Nam quin multum nocuerit

 illi

illi temporum injuria, id vero negari non poteſt. Sed certum eſt, & ipſum tempori, & tempus ipſi nocuiſſe. Exemplar, quo utor, ut titulus indicat, ſcriptum fuit ante annos CCCCXLVI. Tuum non multum abeſt ab eo aevo: & denique quotcunque vidi. Panegyricum tuum ſtatim compingendum miſi, ut quum habuero, illum devorem. Tui Senecae dignam te apud ſummos viros Galliae & Germaniae ſpem feci. Ille ſuperabit, certo ſcio, & ſpem & vota noſtra. Vale, mi Lipſi, & te literis & nobis Deus opt. max. ſervet. Ego poſt quatuor dies meum LXI. natalem inibo, integer omnibus officiis corporis, omnis ambitionis fugax, ſolos probos ambiens. Iterum vale. Pridie Eid. Auguſtas. CIↃ. IↃ. C.

Reſponſio ad Lipſii Decad. I. Epiſt. 8. edit. Pontan. pag. LVI.

EPISTOLA CCXLII.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

NOn tibi conceſſiſſem, ut prior me compellares, ſi in mea poteſtate eſſet, tam crebro ad te ſcribere, quam in mea manu eſt, te animo videre, quem nunquam oculis vidi. Itaque quia prohibemur commercio etiam literarum, niſi qua furtim licet, quod poſſum, hîc facio, ut tecum abſente abſens loquar, & te intimis medullis amplectar. Quod toties optavi, id cogor omnino deſperare, ut te videam his corporis oculis, quem illi mentis toties mihi objiciunt. Speraveram ſemper beandam fore ſenectutem meam, ut ante ultimum commeatum hoc bono fruerer. Aliter credere cogunt, ut video, aetas, tempus, res. Ilicet actum eſt de optimo maximo votorum meorum, niſi urgeo illam Deam, quae ultima de ſuperis reliquit humum, & homines ne in extremis quidem deſerit: Libenter mihi permitto, ut illa mihi blandiatur, quoties non aetatem, ſed valetudinem meam reſpicio, quae ne juveni quidem melior, aut firmior optanda, aut ſperanda eſt. Tentata quidem eſt illa diebus brumalibus ſuperioribus aliquo languore, quem morbum vocare pudet. ἄση potius καὶ ἀσιτία quaedam erat. Denique quantum me affecerit, non memini. Meliores aut integriores functiones nulli puto eſſe. Sola memoria, ut ille dicebat, citata non reſpondet. Sed quid intereſt, quo compito ad fontem veniam, ſi quod memoria negat, id judicio repraeſento? Studia noſtra neque remiſſa, neque intenta nimis, aut certe ita, ut non diffindam illa inſititiis deambulationibus. Aliter nunquam ad id aetatis, cum ea integritate valetudinis perveniſſem. Euſebius noſter nimis miſere cupiens exire, ſubmotus eſt expectatione optimi codicis. Ea res ſola ſuſpendit editionem: Tuum codicem tibi remitto, καὶ εὐχαριστῶ. Pari libertate noſtris utere, quid noſtris? Tua ſunt, non mea, quae habeo. Mirum de conſenſu illo omnium codicum hujus Chronici. Sat eſt unum videre: unus enim omnes exhibet. Aliter ſtatuo,

tuo de eo, quem expecto, niſi fallit me ſpecimen, quod ad me miſſum eſt. Tuas epiſtolas ita devorabo, ut alia omnia tua. Jam ad Bibliopolam mittuntur, ut compingantur. Si commodum erit, non deſiderabis officium meum. Quatenus expectamus tuum Senecam? O diem candidiore nota, qui illum nobis exponet. Vale τὰ πρῶτα τῶν φίλων. Eid. Maj. CIↃ. IↃ. C. I.

Reſponſio ad Centur. Gall. LXXXVI. & Decad. I. Epiſt. 10. Ed. Pont. quam ad hunc annum puto referendam, ut & priorem.

[1] EPISTOLA CCXLIII.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

NOn ad te ſolum pertinet [2] Itali illius petulantia. Et nos quoque iſte dolor tangit, qui de ſumma literarum agi putamus, quando veſtra exiſtimatio agitur: male conſuli bonis ſtudiis, quando hujuſmodi larvis impune licet ſummis viris ἐντρυφᾷν. video te haec contemnere. neque aliter potuiſti, aut debuiſti. Sed nos injuriae nihil movent, quae ad probos pertinere non poſſunt. Exemplum diſplicet. & quia diſſimulatur ab illis, quorum erat coërcere, putamus lege licere, quod lege non cohereetur. Quid tuam injuriam conqueror? meam expoſtulare debui, qui quo genere exceptus ſum ab illo luto ſtercore macerato, quem tu vocas amicum tuum? Potuit ne ulla meretrix impudentius appellare pudicam matronam, quam ille nos? ſed te laceſſivit adoleſcens homo, quantum colligo ex ejus abortivo ſcripto: me homo non ſolum larvatus, ſed ab ea familia, quae palam etiam regum diffamationem profitetur. In hoc non ſumus pares. Unum commune eſt, quod utriuſque eorum inſcitia egit illos praecipites in ζηλοτυπίαν, ζηλοτυπία in furorem. Nihil ſupereſt, niſi ut rumpantur. Tuum ſcriptum exoſculamur, ut omnia, quae a te prodeunt. Meus Euſebius biennium ceſſavit, pene dixerim expoſitus deformis infans lege XII. Tab. Pudebat enim talem tollere, quem elegantiorem poteram educere, ſi illa ſuppeterent, quae expectando tandiu editionem diſtuli. Nunc illa nactus talem dabimus, qualem a nobis nemo fortaſſe expectat. Et jam multum proceſſimus. Quod ſi tibi ceſſatores videmur; quomodo excuſabis Senecam tuum, cujus guſtum nobis ante triennium moviſti? Fac ne fruſtra expectemus. De meo opere tu quietus eſto. Vale. Kal. Septemb. CIↃ. IↃ. CII.

1 Reſponſio ad Lipſii apud Pont. Decad. II. I. p. LXIX. Reſpondet ad hanc Lipſius ſequenti Epiſtola.

2 Puto intelligi illum, qui ſub nomine *Pompeji Lampugnani* edidit collationem notarum J. Lipſii in Tacitum, cum MS. Codice Mirandulano Bargonii 1602. cui Lipſius oppoſuit diſpunctionem Codicis Mirandulani. vid. *Fabric.* Bibl. Lat. ſupplem. I. pag. 754. Alter, de quo Scaliger queritur, videtur eſſe *Car. Scribanius* Jeſuita, qui dirum & horribilem, & ſimul ſtultiſſimi ingenii foetum edidit, *Amphitheatrum honoris*, de quo mox Epiſt. 248.

EPISTOLA CCXLIV.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

VEſtalia tua accepi. In illis non languorem illum animi tui agnovi, quem tu quereris in corpore. Legi ſoluta adhuc praeter morem meum, qui libris non niſi compactis operam ſerio dare non poſſum. Bonum hoc fuit impatientiae meae: neque poenitet eam operam mihi ſuffuratum eſſe, qua poſtea otioſe fungar. Nam praecipitationis meae duplex vis eo me impulit, diſcendi, & tibi reſpondendi. De fructu, ipſe videro: de eo, quod proponis, primum aſſentior tibi, ἱερῶν βασιλέα te aliud agentem interpretatum eſſe *Pontificem*. neque eſt error, ſed hallucinatio, quum praeter ſcientiam noſtram aliud dicimus, aut ſcribimus. deinde de libris Sibyllinis Priſco, non Superbo oblatis, palam eſt verum eſſe. Atque illa ſunt levia: quae non niſi magiſtellorum eſt ἀκανθολογεῖν. Illud velim te curare, Tertulliani locum ad uxorem, cap. VI. male vulgo capi. Nam *Draco* ibi eſt Satanas Apocalypſ. XX. 2. vide quam diſſimilem ſententiam facit illi, quam vulgus ſequitur, unius voculae vera interpretatio. *Pulchrum ſane*, inquit, *auſpicium functionis*, *ab igne ſcilicet*, *cui Draco praeeſt*. τὸ πῦρ Γεέννης intelligit. In Exhortatione ad caſtitatem non melius accipitur cap. XIII. qui ita legendus erat: *Noveram Virgines Veſtae & Junonis apud Achaiae Aegium*, *& Apollinis apud Delphos*. Ipſe eſt interpres ſui eo loco, de quo ſupra, ubi de Igne Gehennae locutus, quem ait Veſtales ipſas curare, poſtea agit iiſdem fere verbis de Aegio Achaiae, & de Pythia, quae erat Apollinis Delphici ſacerdos virgo. Caeterum gratias ago & muneris luculenti, & tui in me animi, cujus fidem mihi facis quotidie. Acciperes & a noſtro Muſaeolo aliquid, ſi per Typographos liceret: ſaltem Euſebius meus, qui miſere cupit evadere, non erubeſceret apud te partes noſtras obire. Sed omnium noſtrorum Typographorum opera occupata eſt. Expectandum igitur mihi, quando vacabit illis. Tunc & mea ſtatio erit, quam ſemel nactus nunquam ab alio mihi praeripi ſinam. Vale. XII. Kal. Septemb. CIↃ. IↃ. CIII.

Reſponſio ad Lipſii apud Pontan. Decad. II. Epiſt. 3. pag. LXX.

EPISTOLA CCXLV.

JOSEPHUS SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

A te quidem multa, a me nihil. Quantum enim ceſſem, vix ſentio, niſi quum aliquid novi a te prodire video. Tunc mihi ultro ſupplicium do, qui

qui jam multos annos nihil emiſi, quo fidem ſaltem faciam me otioſum non eſſe. Nam vix perſuaſero tibi, quantum ſoliciter Stoicis tuis, quae ad me miſiſti, ut non opus mihi ſit aliis Miltiadis trophaeis, quae me dormire non ſinant. Tu es unus cum *Caſaubono*, qui neque ceſſare potes, neque ſine fructu laborare. Ego non poſſum foras extrudere meum Euſebium, quem ante triennium paratum habeo. Is in praelo uno, tanquam in piſtrino miſere cum tironibus & novitiis operis conflictatur: neque ſpes eſt ulla, ut maturius prodeat, niſi boves ad curſuram exercere me poſtulem. Adeo lenta eſt opera eorum, ad quos tanquam ad metalla miſerum opus meum damnavi. Si poſſet illius ergaſtuli clatra refringere, eſſet qui te remunerarer, ſiquidem opis eſt noſtrae aliquid proferre dignum praeclaro tuo munere. Ego vero non ita inſanio, ut ſperem me parem gratiam referre poſſe. Satis eſt, ſi aliquam poſſim. Interea dum tuus Seneca prodeat, tuis Stoicis me imbuam, ut neque imparatus, neque ἀνίπτοις χερσὶν ad ejus lectionem me conferam. Vale. Lugduni Batavorum, VI. Kal. Majas. CIↃ.IↃ.CIIII.

EPISTOLA CCXLVI.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

SI meis literis tuas elicere poſſem, non parcerem ſcriptioni. Saepe ſubit de tuo ſilentio queri: ſed & de meo non minus juſtam tibi querelam relinqui video. Prior ego & crimen fateor, & ſupplicium ultro do: quod ingenui animi facinus ſi tibi acceptum fuiſſe ſenſero, magna ſolicitudine me liberatum exiſtimabo, quae me quotidie angit, nec me compotem mei eſſe ſinit. Audio quoſdam me dicere auctorem [1] famoſi neſcio cujus poëmatis in te. Riderem, ſi ſcirem, id tibi perſuaderi non potuiſſe. Nam cur ego in te tanta animi & amoris neceſſitudine conjunctum? Deinde famoſum ſcriptum in eum, quem nemo nominat, quin prius laudet? &, quod caput eſt, egone ullius famoſi ſcripti auctor, qui ad omnia probroſa dicta nauſeare ſoleo? cujus animus ab hujuſcemodi peſte ſemper remotus fuit? Si hoc credis, mi Lipſi, magnam injuriam, & mihi & tibi facis: mihi, cui adſcribis id, quod pertinaciſſime execror: tibi, qui poſtremis nebulonibus potius credis, quam magnitudini animi mei, ingenuo candori, moribus iis, propter quos me inſectatus eſt piaculum generis humani delitiae tuae, [2] diſquiſitor magicarum naeniarum. Non ita inſanio, mi Lipſi. & tu ne ita προπετὴς ſis, ut tantam vaecordiam mihi innatam putes. Ego te a naſcente uſque nomine tuo, ad hanc diem amavi. Nihil eſt, quod me de hac conſtantia dejiciat, neque improborum audacia, neque ulla credulitas tua, ſi quidem tanta infelicitas mea eſt, ut tibi hoc perſuaderi ſiveris. Nos-

1 De hoc vide mox Epiſtolas Lipſii & Baudii 253. & 254.
2 *M. Ant. Delrio.*

Nos illud famoſum ſcriptum non vidimus. Ex multis ſciſcitati ſumus, an viderint. negant. Vide num ubi magnus eſt proventus diſquiſitorum magicarum fabularum, ibi potius natum ſit, quam hîc, ubi nemo eſt, quin ita, ut dignus es, de te ſentiat, ita amet, ut tua in rempublicam literariam beneficia poſtulant, in quibus ego nomen primus profiteor meum. Vale. v. Kal. Martii CIƆ.IƆ.CV.

EPISTOLA CCXLVII.

JOS. SCALIGER

Juſto Lipſio ſuo S.

Lovanium.

HAud diu eſt, mi Lipſi, quum ad te literas dedi. Eas communis noſtrûm amicus accepit, quas non dubito tibi recte curatas fuiſſe. Si non miſit, non melius meruerit de me, quam quum credidit me famoſum epigramma in te ſcripſiſſe. Tam praefracta credulitas expreſſit a me querelam, quam illis literis expoſui. Quare actum eſt de me, ſi ut in omnibus tibi cum eo convenit, ita in hac re ab eo non diſſentis. Melius mea ex meo ingenio, quam ex alieno judicio aeſtimaveris. Nihil enim minus decet, quam & me famoſa ſcribere, qui ſcripta maledica pejus angue odi, & tibi aliquid temere perſuaderi, qui de Conſtantia ſcripſiſti. Vide, amabo, ne tantam injuriam & tibi & mihi facias, quem ab hac calumnia ſatis & propenſus amor in te, & magnifica de te tuisque ſcriptis praedicatio liberare poteſt. Ego quod genus iſtud ſcripti ſit, neſcio. Nondum enim in manus meas pervenit. Tantum abeſt, ut ullus pruritus mihi inceſſerit famoſa ſcribere, ut ne oculos quidem meos illius μορμολυκείου aura ulla afflaverit. Quanvis bona conſcientia fretus hanc hominum vanidicam garrulitatem deſpicere poſſum, tamen ulceravit animum meum tam inopina amici illius noſtri denunciatio. Iratus ſcripſi illi, tantum libertatis ab innocentia ſumens, quantum ille fiduciae a credulitate ſua. Volo igitur, ſi tibi grave non eſt, ex te ſcire, an tibi idem perſuaſeris. ſi facis, ut monitus mutes ſententiam: ſin aliter, ut animum meum ancipitem in tuto ſiſtas, & mihi hanc curam, quae me coquit, & verſat ſub pectore, adimas. Expecto avide, quid ad haec reſpondeas. Nihil enim eſt impraeſentia, quod magis me ſolicitum habeat. Tuum Senecam audio in procinctu eſſe. Meus Euſebius non tam cito illum conſequetur, cui adhuc multum viae ſupereſt. ὁ μακαρίτης *Arnaldus Pontacus*, Epiſcopus Vaſatum, olim puero puer mihi notus, & ſtudiorum ſocius, ſuum mihi miſit, neque diu poſtea in vivis fuit. Hominis optimi & doctiſſimi vicem doleo. Librum adhuc non inſpexi, propterea quod ſtatim compingendum tradidi. Quantum ex primo oculi conjectu judicare potui, diverſa via in eodem argumento graſſati ſumus: ille optime, utinam ego non male. Vale. Lugduni Batavorum. τῇ κυριακῇ βαϊοφόρῳ.

EPI-

[1]EPISTOLA CCXLVIII.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

QUum in duplici cura eſſem, quod & tuarum literarum deſiderium impatientius ferrem, & cui meas ad te darem, invenirem neminem, tuus divinus Seneca una cum tuis amantiſſimis literis mihi redditus eſt, quo non ſolum ab illa ſolicitudine conquievit animus, ſed etiam in veteri ſententia de tuo in nos amore confirmatus eſt. Quantum enim de hoc gloriari & triumphare ſoleo, tum ego mihi conſcius ſum, tum ſciunt ii, quibuſcum magnum uſum neceſſitudinis habeo, qui non minus libenter me a te amari audiunt, quam ipſi teſtes ſunt, quanti ego amicitiam tuam facio, quam felicem me eo nomine praedico: ut ad tantae felicitatis cumulum nihil mihi praeter conſpectum tuum deeſſe putem. Sed quum cogito curriculum aetatis meae, quam longe poſt me carceres reliqui, quam prope a meta abſum, quam inexplicabilis ſit negotiorum ratio, quae nos in tam brevi intervallo disjungit, tum nihil acrius animo meo ſubit, quam tui videndi deſperatio, quam in diem perpetua tui cogitatio augere ſolet; ſed & ei ex lectione tuarum poſtremarum literarum maxima acceſſio facta eſt, quum in illis tam clara tui amoris veſtigia videam, ut ingratiſſimus hominum vivam, ſi non meminerim, infeliciſſimus mihi videar, ſi priuſquam ex hac vita migrem, te non videro. Omnes quidem tuae literae ejuſcemodi ſunt, ut ab illarum lectione & melior, & laetior diſcedam. Sed iſtae ultimae neſcio quid praeter illas ſuperiores habent, quod me magis affecerit. Si ſenectutis hoc vitium eſt, malo equidem hoc vitio uti, quam illo ſenſu carere, quo mihi beatus videor. Tuus Seneca nunquam diſcedet de latere meo, poſtquam a librario compactum accepero. Quod nulla συκοφαντία, nullum κακόηθες in eo deprehendero, nullus monendus eram. novi candorem tuum, qui ſaepe magnorum ingeniorum, & magnae eruditionis comes eſſe ſolet. Nam rara eſt imperitia, quae non in ſocietatem advocet impudentiam, & maledicentiae ſtudium. Si alia exempla deſunt, ſaltem inſtar omnium teſtium erit Cerbereus ille foetus, [2] AMPHITHEATRUM HONORIS, vel potius ὀνείδους. quo quid portentoſius, ſive Tartaream maledicentiam

1 Reſponſio ad Lipſii apud Pontan. Dec. II. Epiſt. VI. pag. LXXIII.

2 Si ullum umquam inſani ingenii foetum vidit orbis, certe ineptiſſimus hic maledici canis *Caroli Scribanii*, ſub nomine *Clari Bonarſcii*, eſt liber, quo ſine ullo ſale & elegantia, collectis ſine ullo judicio undique centonibus, & conviciorum congerie in *Scaligerum*, *Caſaubonum* & alios viros ſummos invehitur Jeſuita, quaſi Cerberus ex inferis demiſſus. vide de eo praeter citatos a *Vinc. Placcio* in Pſeudonymis n. 440. plura in Epiſtolis Gallicis ad Scaliger. lib. III. 89. pag. 508. Confutat. Fabul. Burdon. p. 184. & ſeq. & *Velſeri* ad Scalig. Epiſt. XL. & in Sylloge Epiſtolarum a Cl. *Matthaeo* editar. CXXVI. & ſeqq. CLIV. & CLV. *Amphitheatrum Horroris* vocat *Georg. Remus* in praefat. ad *Bartholomaei Fontii* opuſcula.

tiam καὶ φορτικωτάτην συκοφαντίαν, ſive barbariſmos, ſoloeciſmos, ἀνακολουθίαν, καὶ τὸ ἀσαφὲς τῆς ἑρμηνείας ſpectes? Puto hominem illum Paedagogici ſtudii, & Scholaſticae impudentiae ex omnibus lupanaribus, & cauponis hauſiſſe ea, quibus notam omnibus omnium ordinum honeſtis viris, & ſtigmata inureret. Certe negari non poteſt, omnes illius ſocietatis impudentiſſimos praecones illuc ſuas operas contribuiſſe. Quin ne a te quidem abſtinuiſſent, neque partes, quas ſequeris, te ab illorum meretriciis contumeliis vindicaſſent, ſi alibi, quam ubi nunc es, eſſes. Adeo apud illos magnum crimen eſt ingenium habere. Nam qua in re, quando, quomodo ego illos offendi, qui me in illam arenam compulerunt, niſi forte me beſtiarium, ſe autem beſtias putant? Et ſane non invitus illis conceſſero. Sed cur me *Burdonium* vocant? Ne ipſi quidem cauſſam ſciunt! *Melchior Guillandinus* Sileſius, praefectus horto Patavinae Academiae, homo majore arrogantia incertum, an barbarie, quum ab *Ant. Vincentio Pinellio* audiviſſet, ſuum de Papyro librum a me non probari, & aliquid a me, in illud opus ſcriptum fuiſſe, neque quomodo de me ſupplicium ſumeret rationem ullam inire poſſet; *Antonius Riccobonus* ſuccurrit illi. oſtendit libellum *Lilii Gyraldi* de Poëtis recentioribus. in illis *Julius Caeſar Burdonius* primum, deinde *Scaliger* vocatus fuiſſe dicitur. Ergo, qui Burdonius prius vocabatur, inſititius eſt Scaliger. Quid deſignarunt? Fingunt codicillos Academiae Patavinae, quibus Pater meus *Julius Burdonius* in doctorem promovetur. Eas literas in amicos ſpargit, illarum exempla in multorum manus pervenerunt. Ego quoque penes me habeo. Tepebat tamen mendacium, niſi inſolentiſſima beſtia, inſcitiae foetura, *Rob. Titius*, qui tecum nomine *Lampugnani* manus conſeruit, iterum illud pene extinctum excitaſſet. Habes fabulae argumentum. Jam illae literae eo anno Patrem meum in Doctorem promovent, quo Pater erat in Liguribus Taurinis major annorum XXXVI. Praeterea an Patavii fuerit, neque negare, neque autumare poſſum. Hoc unum ſcio, neque illum, ſi fuit, diu fuiſſe ibi tuto potuiſſe, neque alibi literis, quam Ferrariae, & Bononiae operam dediſſe. unde ergo *Burdonii* nomen *Lilio?* Pater meus vocabatur a *Burden*, cujus dynaſtiae non ipſe, ſed patruelis ejus *Michaël*, *Bonifatii* filius, dominus erat. neque alio nomine Italis, quam illo notus fuit. Vocabatur enim *tonſus a Burden.* Quid ergo hîc dicent? Quid tu cenſes? An ſatis juſtam cauſſam eſſe, cur *Julius Scaliger* non ſit *Julius Scaliger*? Sed illi hominum generi nunquam verum dicere contigit. neque ſane fas erat illis in tam horribili ſcripto veritatem propitiam eſſe. Expecto [3] *Serarii* parilem vomitum. Non tamen mihi movebit ſtomachum. ſatis confectum puto illo gladio, quem ut in illum ſtringerem, illius arrogantia, illius ſocietatis domeſtica, fecit. Sed plura in *Clavium* in editione Euſebiana, quam ignaviſſima mancipia, quibus illam credidi, morantur. Indignum quidem facinus, ſed levius fiet patientia. Vale. Lugduni Batavorum. Idib. Octobris CIↃ. IↃ. C. V.

3 Contra quem ſcripſerat *Scaliger Elenchum Tribaereſii*, cui Serarius reſpondit. omnia Serarii, Druſii & Scaligeri de hoc argumento ſcripta collegit, & edidit Vir Clar. Jacobus Triglandius A. 1703.

EPI-

[1]EPISTOLA CCXLIX.

JOS. SCALIGER

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium.

RArius ad te ſcribo, quam volo, imo quam opus eſt. Sed quibus recte meas dem, non ſunt in noſtra poteſtate, ut vota noſtra. Finge tamen plures me ad te ſcribere, & quum unas accipias, omnes in unas concurrere. Certe qui te videre pluris aeſtimaret, quam montes auri poſſidere, eum, quia hoc non datur, ſaltem te pluries per literas poſſe convenire, in maxima id felicitatis parte ponere neque tu dubitare debes, neque meum eſt juratum affirmare, quum de mea fide non dubites. Liber tuus de Lovanio ad me miſſus non tam memoriam tui refricavit, quae ſemper recens eſt, quam beneficia tua in me, quae jam plurima ſunt, auxit. Tam enim mihi carus eſt, quam ſi a te miſſus. *Vouwerii* enim tui ac mei munus eſt, a quo una cum effigie tua accepi. Eam ſtatim cum ejus elogio, tuo Senecae, a quo nunquam diſcedo, agglutinandam curavi. Librum aperienti ſtatim occurrit libri pater, & ejus, qui miſit mihi, ex altera parte amoris in te & pii affectus ſingulare teſtimonium. utroque tam afficior, quam & te & illum amo. Is monuit me de ſacro libro, qui in me comparatur, de Burdonii fabula, de qua tibi nuper ſcribebam, quum tibi de tuo Seneca gratias agerem. Certe multum in maledicendo occupatos eſſe oportet, qui quum non habeant, unde veram accuſationem inſtruant, a fabulis praeſidium conquirunt. Bene eſt, quod nihil mihi objicere poſſunt, praeter fabulas. & bene mecum agetur, ſi quod ipſis maximum telum ad me conficiendum videtur, id plane futile eſt, & quod in eorum infamiam potius, quam meam vertet. Sed unde ea odii cauſſa, ut primum [2] Ibrida ille ſtultam declamationem κατὰ παρέκβασιν detonaret in ſuis Magicis deliriis, & alter, [3] faex paedagogorum, in ſuo *Amphitheatro* me ineptiſſimis verſibus traduceret? Siquidem traduci poteſt, quem Sycophantae allatrent, & non ipſi potius traducuntur. Toti ſumus in expectatione illius ſcelerati libri, cujuſmodi non aliunde, quam a ſceleratis proficiſci poteſt. Sed, ut ab Hieronymo dictum memini, *difficile eſt evitare maledicos, niſi ei, qui non ſcribit.* Itaque novum non eſt haec in nos cudi. Socios habemus hujus fortunae homines extra omnem aleam poſitos, & ſi non alios, te ſaltem, qui omnium inſtar es, hujus injuriae participem habere non infimam laudem puto. Prodibit enim & in te, ut audio, liber, cujus lemma, quod ſolum vidi, abominor. venimus, mi Lipſi, ad ſummum dementiae, impudentiae, atrocitatis. Hodie ſcribere, nihil aliud eſt, quam aut contradicere, aut maledicere. Sed

1 Reſpondet Lipſius apud Pont. Decad. III. ad diverſos 2. p. 34.
2 *Martin. Ant. Delrio.*
3 *Car. Scribanius.*

bono animo ſimus. Excipiamus fortiter hos ictus, aut ſaltem ridendo eludamus. Satis eſt nobis conſtare, quid probi de nobis ſentiant. Nihil curemus, quid otioſi de nobis mentiantur. Vale xv. Kal. Martias. CIↃ.IↃ.CVI.

EPISTOLA CCL.

GUILIELMUS WHITAKERUS

J. Lipſio.

Leidam.

ETſi eram jam dudum ſtudio incredibili incenſus doctrinae, eloquentiaeque tuae, ornatiſſ. Lipſi, quam ex tuis ſcriptis eſſe in te ſingularem animadverti, tamen poſtquam ex ſermonibus quorundam, qui te penitus norunt, intellexi, te non magis eſſe bonarum literarum peritum, quam ſyncerae religionis ſtudioſum, dici non poteſt quantus ad amorem erga te meum cumulus acceſſerit. Eſt quidem egregium, magnaque laude dignum in optimarum artium ſcientia excellere, quod tu cum paucis ſane aliis hodie facis: ſed quando iſta literarum humaniorum profeſſio conjuncta eſt cum vera pietate, tanto pulchrior atque amabilior videri debet, quanto ſanctior eſt Deoque charior. Et ſi praeſtare caeteris hominibus videntur illi, qui ſapientes doctique judicantur, tum his, ſi profani fuerint, multo quidem magis praeferendi ſunt, qui cum multiplice eruditione religionem puram conjungunt. Itaque te non tantum laudo, Lipſi, atque admiror propter iſtam inſignem, qua abundas, ſcientiae ſupellectilem, ſed etiam amo propter hanc communem, quae mihi tecum intercedit, quaeque omnes amoris in ſe cauſas continet, piae religionis profeſſionem. Perge vero te ipſum, tuamque civitatem luce literarum ornare, literas pietate illuſtrare: ita eris non modo eruditus, & ornatus, & domi foriſque celebris, ſed vere beatus atque immortalis. Ineptum me forſan, nimiumque audacem exiſtimabis, qui iſto ad te ſcribendi genere uſus ſim. Quis enim ego ſum, qui ſcribam ad Lipſium, ignotus ad ignotum, barbarus ad Athenienſem, tinctus leviter literis ad principem hujus aetatis literatorum? Sed tu pro tua humanitate ignoſces audaciae meae, quam nulla certe levitas, ſed amor quidam, tuarumque virtutum admiratio impulit ad ſcribendum. Quanquam enim ipſe parum certe ingenio aut eruditione valeo, tamen viros doctrina, ſcientiaque praeſtantes, qualis tu es, amo, & illis ſimilem me eſſe cupio, etſi id futurum eſſe aliquando ſperare non audeo. Quod ſit enim genus profeſſionis noſtrae non ignoras: ſcripturas interpretamur, patrum antiquorum ſcripta & commentarios evolvimus, cum adverſariis litigamus diſputando ac ſcribendo. Hae occupationes, haec ſtudia noſtra ſunt, ut quidem vix liceat artium liberalium magiſtros attingere. Tamen his negotiis quantum omnino poſſum temporis ſuffurari, id totum legendis bonis authoribus impartio: & tuos ſane elegantiſſimos libros jam dudum incredibili aviditate devoravi. Ede porro plures ingenii tui pulcherrimos foetus, ornatiſſ. Lipſi, qui-

quibus noſtros animos paſcas, & legendi fame iſtam ſaties, quam nobis ipſe tuis ſcriptis attuliſti. Novi aliquid a te indies expectamus, quod quale ſit futurum ex iis, quae jam prodierunt, facile auguramur, nimirum ut eo nihil in ſuo genere limatius, accuratius, perfectius elaborari poſſit. Noli vero exiſtimare haec a me ſcribi aſſentatorie: non enim eo ſum ingenio, ut aſſentatione cujuſquam amicitiam ambire velim. Noſtri omnes de te non ſecus, atque ego, judicant: judicii de te mei hae literae teſtes eſſe poſſunt, quas ut accipias in bonam partem, meque in tuorum aliquem numerum recipias, a te peto. Et quidem ſpero his literis jacta eſſe fundamenta perpetuae inter Lipſium & Whitakerum amicitiae, quam ego ſanctiſſime colam, quoad vixero, non quo me tanti viri dignum amicitia cenſeam, ſed ut dignitatis longe inferiorem, benevolentiae parem locum teneam. Qui has ad te literas defert, *Abrahamus Mylius* Delphius, eſt juvenis doctus, modeſtus, pius: is apud nos biennium ſtuduit bonis literis, & jam patris ſui literis domum revocatus chariſſimam ſui memoriam nobis relinquit. Eum ut tibi commendem nihil opus eſt, cum ejus ipſe potius apud te commendatione indigeam. D. *Druſium* ſaluta (quaeſo) a me: is a te mihi ſalutem hyeme ſuperiore dixit, quod me nunc etiam fecit audaciorem ad ſcribendum. *Vale*, Clariſſ. Lipſi. Cantabrigiæ, pridie Calend. Junias, juxta Calendarii veteres rationes. Anno 1585.

Whitakeri vita eſt apud Melch. Adam. in vitis Theol. Exter. pag. 163. egregie vero deceptus fuit hic veritatis Euangelicae aſſertor, qui de religione Lipſii tam prolixe hîc cenſet, & eum adhortatur. ardorem in puriora ſacra ſummum ſemper praetulit, & omne fere tempus impendit contra Campianum, Sanderum & Bellarminum ſcribendo & commentando, quod & hîc indicat.

EPISTOLA CCLI.

GUILIELMUS WHITAKERUS

J. Lipſio S. in Chriſto.

Leidam.

SUm in aere tuo, clariſſime Lipſi, nec poſſum ſperare unquam me emerſurum. Itaque faciam quod obaerati ſolent; colam te, eritque apud me honorificum perpetuo nomen tuum, ut ſemper quidem fuit, ſi verum fateri volo: ſed nunc multo magis tuus ſum, tanto tibi obſtrictus beneficio. Libros de Civili doctrina tuos legeram prius, & multis legendos commendaveram. miratus ſum lectionem & memoriam infinitam, artem exquiſitam, judicium accuratum, totum opus divinum & dignum Lipſio: omnes tu quidem in hoc argumento poſt te relinquis longiſſimo intervallo. Pertexe reliqua, ut nihil deſit operi tam egregio: niſi enim tute opus hoc perfeceris, auſim jurare, non facile futuros, qui te his veſtigiis inſequantur. Mitterem ego viciſſim ad te meum aliquid, niſi nollem mea ſcripta legi a doctiſſimis, & tui ſimilibus. Pudet enim me mei, quoties de tantis Viris cogito, & edidiſſe unquam aliquid poenitet, praeſertim reliquiſſe poſteris tam multa infantiae meae indicia.

Tuum eſt, & aliorum certe perpaucorum, qui tantos in literis progreſſus feciſtis, lucubrationes eruditas veſtras emittere in lucem, & prodeſſe quam plurimis: nos homuli, qui quaſi quintae claſſis ſumus, quid hanc in nos provinciam ſuſcipimus, & tam multos noſtrae inſcitiae teſtes colligimus? Ego etſi γηράσκω non quidem πολλὰ, tamen pro tenuitate ingenii mei aliquid aſſidue διδασκόμενος, tamen optime ſentio, quam ſim nullus. Tu perge, doctiſſime Lipſi, ex ingenii atque eruditionis tuae opibus pluſquam regiis aliquid nobiſcum indies communicare. Nos certe tua & expectamus & devoramus avide. Adoleſcens hic, quem mihi commendas, ad vos revertitur. Si remigrabit ad nos, & nobiſcum erit, faciam ego illius cauſſa quicquid potero. potes tu quidem & debes mî quidvis imperare. Utinam aliquando non alios, ſed ipſum te nobis commendares: venires, mî crede, ad homines tui ſtudioſos: & venturum te hac aeſtate audivimus & ſperamus. Salutem a te mî renunciavit juvenis quidam Cantabrigienſis D. Jacobus. Si venerit ad vos quidam Cantabrigienſis, nomine *Eversfeildius*, ei ut faveas a te peto majorem in modum. Eſt honeſtus & literatus, & peregrinationem cogitat non curioſam, ſed ſtudioſam. Supereſt ut deſinam tibi moleſtus eſſe, petamque a te veniam hujus importunitatis. Vale. Cantabrigiae e Collegio D. Joannis Euangeliſtae: 4. Idus Octob. 1590.

EPISTOLA CCLII.

D. BAUDIUS

V. C. *J. Lipſio.* S. P. D.

Leidam.

QUae res, mi Lipſi, caeteros ad officii munus impellit, ea diuturno meo ſilentio cauſſa, caputque extitit. altum, inquam, otium, quod initio non laboris taedio, ſed negotii inopia conſtitutum, jam nunc ex conſuetudine tantum non mihi in naturam vertit. Quin vide, vix etiamnum ab animo impetrare poſſum, ut ſecum in gratiam redeat. Serio loquor, & voto meo ſequius. Tantum mihi languorem improba Siren deſidia attulit, ut ad rem ſeriam ac ſeveram ne cogitatione quidem aſſurgere valeam. Nihil tu quidem jacturae facis, quod careas inſulſis, & ſine omni gratia meis literis, verumtamen is honos eſt homini ingenuo meminiſſe officium ſuum. Ea gratia facere non potui, quin haec incondita potius ad te ſcriberem, quam ut exaedificare pertenderem inchoatam ignaviam. Ita meritum eſt tuum, Lipſi ornatiſſime, ut nullum officii genus adverſum te ſine piaculo praetermittere poſſim, nedum hoc literarium, quod & mihi abitum paranti injunxiſti, & ego accuraturus recepi. Rerum novarum nihil ad te ſcribo, ſatis id faciet *Douza* tuus, cui ea cura, ſcio, curae eſt. Selectarum Epiſtolarum editionem a te maturari intelligo. amabo te, mi Lipſi, quoniam jampridem mea cauſſa velle coepiſti, perfice, quae tua eſt humanitas, ut tui in me amoris ſymbolum inibi aliquod compareat. *Vir-*

Virtute, fama, caeteriſque laudibus
Merito, lubenſque ceſſero primarium
Cuique, ut aequum poſtulabit ac bonum.
Verum fide, fidelitate, amantia
Poſterrumas haud ferre confidentia eſt.
Vale. Datum Londini 8. Cal. Octob. ∞ IↃXXCV.

[1] EPISTOLA CCLIII.

J. LIPSIUS

Dominico Baudio.

Lovanium.

MIhi vero epiſtola tua grata, laeta, ſi a te ulla: ipſum meum Baudium, candidum, purum ἀιϑεριώδη praeferebat, & qualem olim novi. novi? ſed & (ne abnue) formavi. Eſto virtutis & verae doctrinae proles: huc te duximus, non ad vana & famoſa, quae multi pro re oſtentant. de [2] Illuſtri illo viro ſatis mihi nova ſunt, prout ſcriptiones, & ſermones de me ejus olim fuerunt. quid olim? eum nuper & fidum ac certum mihi habui, non amicum dicam, ſed & praeconem. Quid mutavit? mea Diva? nec enim Stoica ſum certus, & apud te dicam, vel ex illo opere de judicio meo & animi melioris ſenſu judicet ſequens omnis aetas. ſi illa, miſereor aevi, & quam Philologia a Philoſophia diſtet re diſco. Ego vero illum virum magnum habui, & magnum feci (non ſolum magni) meis ſcriptis, vos ſcitis. & merito, neque incidet aliquid, ἐδὲ παρὰ δόξαν, quod mutet. ſin autem ita affectus eſt, ut nihil nos praeter ſe ſentire aut ſapere, etiam in ſumma re (εὐσέβειαν dico) velit: non ideo odimus aut contemnimus, ſed ſervitutem hanc liberi non ſervimus. Dii Deaeque! non licere de ſuperis ſentire, quae Deo praeeunte, & aevo didici. Sed cogi in lineam, quam novella haec aetas & καινοτομία praeſcripſit? non includar: ibo qua ratio vocat, & ſiquis proterve incurrit, apud te dicam, *neque nos animi, neque ſtirpis egemus.* Famae cauſſa me pudet, circumferri hîc epigrammata magnis auctoribus in me vulgata: neque aſſentior, imo vero vultu & ſcriptis amolior ab iis & deteſtor. Heu literae! itane verbum illud vetus, ἀκοινώνητον aliquid in iis eſſe! Ita, qui ſummas guſtarunt, qui penetrarunt, exſortes ſunt ab hoc, & alio fortaſſe affectu. De me fateor, amare, colere,

1 Scripſit & aliam ad Baudium de hoc eodem argumento, qua *Scaligerum* tangere videtur, epiſtolam, quae inter Baudianas Centur. IV. 31. & inter Lipſianas a Pontano editas Decad IV. 5. legitur. ubi in fine *Lipſius* dicit, ſe hoc die epiſtolam aliam ſcripſiſſe, ſed cum calore & παϑυμία majuſcula, ideoque retinuiſſe & ſcidiſſe: Illud forte fecit, ſed hoc cum non praeſtiterit, & ad poſteros eam venire ſiverit, nulla erit invidia, ſi nunc publicamus. Cum enim nihil reſponderit ad eos, qui Divam ejus Hallensem impugnarunt; hinc colligere licet, quae forma fuiſſet defenſionis, quae argumenta, quibus hanc famae maculam abſtergere conatus fuiſſet. *Baudii* vero epiſtola, qua *Lipſium* defendiſſe videtur, non apparet inter Baudianas. & caute ſuppreſſit: ſatis enim jam ſuſpicionibus premebatur.

2 *Scaligero.*

re, extollere, quicumque vel limen ſacrarii hujus libarunt: odiſſe autem (....) vel certe aſpernari, qui ad faſtum & proterviam ſpecie artium utuntur. ubi ſumus? inter homines, aut inter feras? neque hae ſaeviunt in cognatas. De DIVA autem HALLENSI, quoniam tu quoque candide (& hoc amo) judicium promis, & velut exerrationem quandam, aut ut ſcite loqueris, Διός ἐνύπνιον habes: velim cogitatius & reſtrictius, vel veterum Philoſophorum ſenſu. Quid? opera & mira illa Geniorum tollis? Platonicos & Stoicos audi, & ſubſiſte. Audi hiſtorias omnis aevi, profanas & ſacras. atqui a Geniis. Et nos ad beneficos & ſalutares noſtros ducimus, Deo & ſacris praeeuntibus. nemo judicii purus, & affectus liber, negabit. nam fidem iſtis adimere, hoc eſt dicere, diem diem non eſſe. Tamen eſto, diſputetur. Quiſque ut volet. Ego hac una miraculorum re divinitatem adſtrui arbitror, & frena injici impietati, aut ἀσεβείᾳ. habes meum ſenſum: neque mancipia vel heroum ullorum ſumus. Erga quos cultus & affectus mihi ſemper conſtabit, niſi ipſi vetent atque arceant: ſed non facient, aut falſo olim ſcriptum, Καλλιστῆς ἢ ἄκαπνον ἀεὶ θύος. certe meum ſacrificium fumum non habet. ſcribis de legato Britannico, *Chriſtophoro Harlaeo*, quem & ex litteris olim novi: & quis non ex dignitate & virtute patrem? hunc revereor, illum amo, & in occaſione audacter ſcribe. *Douzae* noſtri mors mihi triſtis, veteris & candidi, id eſt, tui ſimilis amici. ſed fata viam pergunt, nos conſequemur, brevi fortaſſe in illa meta. Honeſtari mortem ejus tua quoque laudatione, mihi εὐκτὸν: fac & edi: nam *praemia haec ſunt*, ut ille ait, *mortuorum*. Symmiſtes in hoc ſacro eſſem, ſi adeſſem. Quod ſupereſt, me ama, quod tibi facio Romana & priſca fide. Vale, mi Baudi: Lovanii VI. Idus Febr. CIↃIↃCV.

P. S. Haec epiſtola tibi ſcripta eſto, & moneo etiam ne quid tu illic invidiae habeas a tuitione mei. Deo & mihi curae erit. confide.

EPISTOLA CCLIV.

DOM. BAUDIUS

D. *J. Lipſio Primario ſaeculi viro*, S. P. D.

Lovanium.

SEmper apud omnes praedicabo, nunquam ſatis digne animo complectar naturae tuae bonitatem, qui πατὴρ ὡς ἤπιος, ita aequi conſuluiſti noſtram in ſcribendo προπέτειαν, cujus memet ipſum poenitentia & rubor ſtatim perceperat, poſtquam βέλος ἔκφυγε χειρός. Verebar haud injuria, ne ſtili poenas darem, at tu ultro gratiam habes. Ego talem non amem? non colam? non omni obſervantia, ac potius pietate proſequar? Emortuum me mavelim letho malo. Nimirum penitus perſpexit provida tua mens τὸ ἀφελὲς καὶ ἀκίβδηλον τῆς ἡμετέρας γνώμης, e cujus puro canali profectum eſt, quidquid auſus ſum liberiuſcule chartis committere. Quod ipſum clarius cognoſces ex litteris, quas ad te perferendas dedi honeſto juveni Germano, cui nomen *Sebaſtiano Stripe*

Stripe. is per aliquot menſes uſus eſt noſtro convictu, cumque hinc in Gallias cogitaret, inde ad vos, plures ei epiſtolas itineris comites & amicorum conciliatrices adjunxi. non opinor eum adhuc Lovanii fuiſſe. Senſi ſemper, quod te pariter ſentire video, nimirum pertinere ad majeſtatem exiſtimationis tuae (ſic enim loqui debeo ſine ſpecie adulationis) non ignorari abs te, quid principes fama & re viri de quibuſcunque ingenii tui monumentis opinentur. Mihi quidem εἰς τὰ ἔσχατα placet quaecunque pagina ſibi praeſcripſit auguſtum Lipſii nomen; ſed ex omni numero jus praecipui meo puncto ferunt τὰ περὶ τὴν πολιτικὴν πραγματείαν, etſi [1] εὐπάτωρ, aut ſi mavis ἐπιφανής, ſeorſim hac in parte a me ſentit. ſed jampridem meus a praetore receſſi, nec ſerviliter unquam acquieſcendum putavi cujuſquam authoritati, non tantum in negotio εὐσεβείας, verum & in humanioribus literis, niſi qua qarte τὸν ὀρθὸν λόγον ſtare perſuadeor. ὅσιον γὰρ προτιμᾶν ἀλήθειαν. Hoc limite qui gradietur eum ſequi paratus ſum. *Diveſne priſco natus ab Inacho*, *Nil intereſt*, an pauper & infima de plebe, ut obiter liceat mihi Horatio advocato uti. Monita tua & exempla ad civilem doctrinam avide καὶ ἀμυστὶ perlegi. Si unquam alias, hîc ſane quam faeliciter utile dulci miſcuiſti. Pauci norunt juſto pretio aeſtimare talia; pauciores callent artem fruendi; nos cottidie ex his & ſimilibus depromimus, quae poſtea ſtudioſae juventuti cum laude & utilitate imputamus. Caeterum de noſtro heroë, ſi quid vultui, verbis, aſſeverationi cujuſquam mortalis credendum eſt, audeo fidem meam adſtringere, eum nullo modo [2] famoſi iſtius carminis authorem videri. fateor nonnullos ea de re ſermunculos vulgo percrebruiſſe, ut eſt mos hominum, quamvis falſis & inanibus clarum nomen ſubdere. Verumenimvero utut ſit, ſatis eſſe debet generoſitati indolis tuae, quod non ſimpliciter defugit authoritatem, ſed & jurejurando caput obligat, ſi quid unquam tale per ſomnium cogitavit. Rogo te, ſi quid ad haec reſcribere dignaberis, ita temperes orationi, ut totam epiſtolam cum eo communicare poſſim. Nam ex quo haec laeva ſuſpicio hominem perſtrinxit, vehementer animo commovetur. *Caſaubonus* iterato ſpem maturi adventus nobis proponit. Hîc verum execrari cogor haec infanda & infauſta bella, quibus efficitur, ne ſimul poſſint notas audire & reddere voces, qui animorum foedere, & ſanctiſſima ſtudiorum communione tam pulchre inter ſe cogruunt. Ego ſane ardeo cupiditate incredibili tui videndi, quem ignem ſola mors finiet. Nolo me componere tantis nominibus, tamen illud conſecutus videor, ne hunc hominem indignum vixiſſe tua diſciplina poſteri unquam arguere poſſint. Etſi enim a publica ſcripturiendi febre manum abſtinemus, tamen (ſi communis fama vel Φιλαυτία nobis non obtrudit palpum) haud ullo inferiores videmur eorum, qui profeſſoriam ſtationem tuentur. Utinam jam olim cepiſſet me impetus aggrediendi hoc publicum munus, cum ab illuſtribus viris, quorum ea de re ſtatuendi poteſtas erat, amiciſſime invitarer! Sed quid dicam? fatalis quidam torpor, & inviſa δυσωπία mihi ſenſum & uſum mei ademit. Multa geſtio in ſinum tuum effundere, & ma-

1 *Joſ. Scaliger.* 2 Vide ſup. ad Epiſt. 246.

magna res familiaris urget me, ut proximo menſe Auguſto iſthuc eam, modo id tuto fieri poſſit. ἐγὼ δὲ μοι συνειδὼς εἰμι, ὅτι μηδὲν ἀνήκεστον ἐτέλεσα. ſed hoc tempore inter fratres & cives omnia ſuſpecta ſunt, omnia tuta timentur. Ut revertar ad noſtram Academiolam, quidam [3] vir haud malus (ſed cum hoc dixi, pene univerſas ejus virtutes complexus ſum) vendicaverat ſibi jam olim titulum ſucceſſoris Lipſii. offendit ea vanitas noſtros ἐπόπτας, imo (ut ex hominibus fide dignis comperi, nam haec ante meum e Gallia reditum geſta ſunt) juſſus eſt non ſine riſu ponere tanti nominis perſonam. Nunc plerique nobis ſupparaſitantur, & me ſcilicet tanto diſparem ac minorem onerant hoc honore, ſed non ego credulus illis. Multum tamen me afficit & recreat ejuſmodi error, quod ex quo reliquiſti hoc Lycaeum, nemo ante nos hanc conſentientem populi famam promereri viſus eſt. Sed hactenus haud ſatis liberaliter mecum egerunt. ſi vixiſſet optimus *Douza*, jubebat nos optime ſperare. ſed noſti quam lenta materies fuerit, & re forſan expertus es. Si non aliter ratio noſtri habetur, ego mihi probe videro. Plura vellem, ſed urget tempus, ut finiam. Vale, vir in aeternum mihi obſervande. Datum Lugduni Batavor. IV. April. CIↃIↃCV.

3 Credo *Paulum Merulam* notari. Vid. Epiſt. CLXXXVIII. & CXC.

EPISTOLA CCLV.

J. LIPSIUS

Chriſtophoro Plantino.

Francofurtum.

FRancofurtum appuliſſe te, mi Plantine, valde nobis gratum, & abſolviſſe difficillima viarum, non ſine periculo tuo, tamen ſine damno. Deo magno gratia ſit, qui porro te ſervet. Apud nos adhuc recta. valetudo etiam melior, quia paullatim magis magiſque ingenium morbi mei noſſe incipio, & illi ſervire. Volo quae Deus vult. ſed optarem hercle ſemel defungi tam moroſo domino & moleſto. eſtne illic medicorum aliquis, qui me vindicet. vix puto. moram deſiderat haec cura & tempus, & patientiam, ſaluberrimam medicinam. Epiſtolas edimus, ſed centuriam ſaltem primam, ad periculum judiciorum faciendum. & ſimul ne quid inſeramus ambiguum, aut quod invidiam ſcriptori pariat ſive diſcrimen. Typographia tua abſentiam domini ſentit. vivit quidem, ſed non viget, & ſentit vicinam hiemem. Adamus inter operas uxorem duxit, nuptiae celebratae here. Sed heus de Epiſtolis, quid cenſes? cui dedicamus? Ego ad *Leeuwium* noſtrum ibam, niſi tibi aptior aliquis in mente. [1] *Petrus Bizarus* apud nos fuit ante dies paucos. depoſuit volumina octo

1 *P. Bizarus* Sentinas origine, Plantinianis typis ediderat jam Hiſtoriam Genuenſem 1579. & Perſicam A. 1583. in Dedicatione Hiſt. Perſicae ad *Auguſtum*, Ducem Saxoniae, & Electorem, ſe jam decennio fuiſſe adſcriptum in album Domeſticorum Ducis ſcribit. per Angliam vero Belgium

octo Hiſtoriae ſuae univerſalis, ſive de IV. Monarchiis. viſne hîc edi? Volumen ingens erit, & edax multae papyri, an vendibile neſcio. quia hoc a fortuna quadam libri aut veſtra pendet, non a bonitate. Collectanea ſunt & congeries variarum rerum. Reſcribe aliquid. nam hoc negotium mihi (noſti hominem) ambitioſe commendavit. haec iſtic. illic quid? Tune Coloniae? an jam ad urbium ocellum? quo res tuae & tui te vocant; ſcio: nec ire diſſuadeo, ſed manere. ſi enim bellum perſeverat: (nec videmus ſane vel ſpeculam aliquam pacis) arcta illic omnia & anguſta, & verſabere in tuo alienoque dolore. At aetas tua & valetudo magis laxa omnia & quieta quaerunt. Vetus meum conſilium nec nunc muto de Germania. Elige ibi cum Deo ſedem aliquam, felicem & commodam huic ſenectuti. nonne pactio permittit? nonne familiaris tua res? quam generi tui ſtrenue curabunt & prognaviter te abſente. Tibi apud quoſvis honeſtiſſima excuſatio, vel aetatis ſolius cauſſa, quae ſeceſſum tibi ſuadet a turbis & a curis. denique, mi Plantine, tot jam tibi obiti pro rep. labores, ut conceſſu omnium otium tibi debeatur & illa praemia, quae hoc ſeclum numquam ſolvet. de ſtatu noſtro hîc ita habet. Angli in caſtris prope Ultrajectum; here foedus cum ea Regina ictum, in ejus leges. Eae ſunt, ut auxiliatrix nobis ſit, non domina, aut imperatrix, ad ſecuritatem militis & pecuniae ſuae haec opida habeat, Vliſſingam, Rammatzenam, Brielam. praeſidia ibi collocet. diu haec deliberatio (revera ardua) tenuit. Here, ut dixi, confecta res eſt, & legatus. *Davidſonius* ſtatim recta Brielam, ut militem inducat. inde in Valacriam. Heu nubes, nimbi, fluctus! qui vereor, ut aetatem exagitent hoc mare. De navibus Anglicanis mira & magna hîc fama. LIV. inſtructas ab ipſa Regina; adjunctas XVI. alias a privatis hominibus: omnes mirifice adornatas commeatu, milite, tormentis. Diviſa claſſis bifariam dicitur. pars petiiſſe Indias, pars reſediſſe in noſtro & Hiſpanico mari. Ipſe *Antonius*, verbo Luſitaniae rex, adjunxiſſe ſe certe dicitur: fuga ſcilicet e Gallia elapſus. O Myſteria magnae Matris! quae aliquando protracta ex illis adytis videbunt lucem. In Flandria fames jam erat, & Antverpiae penuria. ſed ſublevabuntur (certo id comperi) a nobis, qui liberum commeatum nautis de-

 di-

gium & Saxoniam vagam egiſſe vitam, & procurante *Langueto* in familiam Electoris adſcriptum, docet vitae Langueti auctor *Jo. Pet. Ludovicus* pag. 155. Italica ſacra permutaſſe cum Proteſtantium inde credibile eſt; nec enim *Languetus* aliter commendaſſet, nec Elector inter ſuos adſcripſiſſet: nam admiratus ejus eloquentiam expoſtulat cum *Ph. Sidneio* Epiſt. 2. *Languetus*, *quod nec tantas virtutes eſſent Angli ſatis admirati, nec eo honore, quo decuit, proſecuti*, ubi plura in laudes *Bizari*. Plagii tamen crimine eum poſtulat *Jacobus Strukhuſius* in praefatione Syntagmatis Hiſtoriae Saraceno-Turcicae Helm. 1664. editi, ubi de hiſtoria Perſica agens dicit, *haud tamen ſcio, an* Bizari *dicenda ſit, quippe qui* Caelium Auguſtinum Curionem *tanta ſecuritate deſcripſerit, ut etiam errores, diſſimulato auctoris nomine, inde fuerit mutuatus.* eadem ſuſpicione premit eum *Chr. Daumius* Epiſtol. I. ad *Mart. Hankium* pag. 148. cui ita ſcribit. *P. Bizari habeo bellum Cyprium* 1573. *editum. Varia opuſcula, inter quae & poëmata apud Aldum* 1565. *in* 8. *excuſa: in quibus neſcio qua audacia Lotichii Carmina de Spiritu S. ſibi vindicat, ſuiſque immiſcet.* quo tempore mortuus ſit, ibidem *Daumius* ſe ignorare fatetur. Haec adnotaſſe placuit, quia nulla fere hujus viri fit mentio apud Lexicographos; qui omnia ſciunt; nec *Morerium* quidem & *Baylium*, quos qui hodie ad manum habet, jam inter eruditos cenſeri ſolet. an vero haec hiſtoria Univerſalis prodierit neſcio, nec uſquam ejus mentionem reperi.

dimus per Licentias: permiſſae enim eae in omne annonae genus, excepto frumento. Habes quae ego ſcio: de [2] Genero tuo, qui olim ad haec loca, quid cenſes? ſi tu emanes: illum huc? an potius ſit circumſpicere & tardare? Sane videndum nequid temere. tamen putarem adnitentibus nobis, induci in vicem ſoceri poſſe. ſed garritum jam ſatis. & alio vocor, etſi invitus, & mente apud te maneo, quem ſalvere jubeo, una cum generis tuis, ad quos nuper ſcripſi, & cum D. *Pereſio* & *M. Barone* amicis noſtris: Idem de *Prunio* & *Ortelio* jubeo, ſi vides. Vale Lugd. Bat. poſtrid. Non. Octob. CIϽIϽLXXXI.

2 *Moreto*, vel *Beyſio* credo, qui ſuſciperet partes Plantini. nam Raphelengius, etiam gener jam Leidae diu vixerat.

EPISTOLA CCLVI.

CHRIST. PLANTINUS

J. Lipſio S. P.

TU tantus, mi Lipſi, ut non poſſis vel in Europa tota celari. nos ſiquidem ab hinc jam aliquot diebus litteras accepimus, te Amſterod. navem conſcendiſſe Emdam, ubi laetor te appuliſſe, uti litterae tuae deſideratiſſimae 28. Sept. ſcriptae & a me hodie 27. Octob. receptae teſtantur. utinam cum bono Deo valentem te adveniſſe propius brevi cognoſcam. In ſequenti folio curaveram ante aliquot dies deſcribi quae vides. Idem *Nic. Oudaert* iterum poſtea ſcripſit Rmum *Machlinienſem* nihil magis cupere, quam ut te liberum reddere queat &c. Idem verbis ſignificavit *Torrentius* noſtro *Dreſſelero*. idem prius fecerat ſcriptis ad me litteris. *Brughelius* gaviſus eſt admodum, cum ego illi nuper ſcripſiſſem, te appropinquare. Sororius *Back*, nunc Vicarius Venatoris maximi, & a Principe Parmenſi commiſſarius generalis venationis, hodie mihi adfuit in jentaculo domi noſtrae, dixit, ſe vehementer cupere te alloqui, atque ea de re habuiſſe ſermonem cum ſuo Domino de *Vertin*, ſummo Venatore, qui pollicitus ſit illi omnem ſecuritatem ſe impetraturum ab ipſomet Alexandro Principe. alii plurimi, qui ambiunt tibi gratificari quacunque in re, tu modo judica quid factum velis. O utinam huc uſque poſſis excurrere. nihil tibi prorſus deerit. cubiculum paravi tibi commodiſſimum ſub illis ſupernis, ubi aliquando dormiviſti: ego namque auxi & clauſi, beneque munivi aſſeribus inferiorem illum locum: habeo frumentum, ſiliginem, molendinum, furnum, apparantur omnia nunc domi. habeo Vina, Cereviſias optimas, Carnes ſalitas, Gallinas ponentes aliquando ova recentia, hortos, neceſſaria externa omnia &, quod te non neſcire ſcio, animum tibi prorſus addictum. Proinde vide tu, & diſpice, quid tibi faciendum ſit, atque perſcribe. non tardabo, quin ſtatim quicquid judicaveris effectum reddere coner. neque puto te quicquam petiturum, quin illico tibi concedatur. Quod ſi velis & poſſim, ad te ipſe veniam, aut ſaltem mittam diſcipulum tuum (quo facile poſſum carere) ut te quo-

quo voles comitetur. factus ille eſt paulo peritior in itinere conficiendo, quam ſolebat. Vide nunc quibus artibus cupiam te allicere ad huc veniendum, cum edulia & potationes atque domum &c. propono. Judica vero & jube, quae judicaveris expedienda. Hyems, quae mihi ſemper moleſta, ſi haec transierit cum incolumitate corporis, te libentiſſime comitabor, quo volueris. In Galliam, in Italiam & ultra, & ſi vis in Germaniam. Quae ſit futura facies temporum hîc neſcio, nunc autem miſerrima. afflictiones autem plerumque vertuntur in gaudia. poſt nubila Phoebus. ſed quid ego te docere poſſem? fabulor tecum abſens, & ſic mentem paſco alloquio mihi jucundo. ride tu, ſi placet, nenias noſtras & aliorum; & bene vale. Antwerpiae in officina noſtra typograph. 27. Octobris 1586.

Haec epiſtola, ut multae aliae, manifeſte oſtendit, *Lipſium* jam hoc anno decreviſſe evadere Leida, & quod A. 1591. perfecit, ad ſacra Romana tranſire, & cum *Torrentio*, & Archiepiſcopo Machlinienſi, per *Plantinum* de reconciliatione ſua egiſſe. quin & *Oudartum*, & *Breugelium*, cognatum Lipſii, conſcios fuiſſe, ſimul haec indicat.

EPISTOLA CCLVII.

HIER. MERCURIALIS

J. Lipſio, Viro eruditiſſimo S. D.

Leidam.

MEmoria illius ſuaviſſimae conſuetudinis, quam Romae in aedibus [1] *Antonii Perinoti*, Cardinalis ampliſſimi, interdum habui, jucundiſſima deinde ſcriptorum tuorum lectione confirmata, uſque adeo pectori meo inhaeret, ut minime dubitare debeas, quin Lipſium toto orbe cognitum probe cognoſcam, & propterea humaniter quidem, aut potius humiliter, ſed non juſte feciſti, qui deſcriptione quadam te ipſum, quaſi mihi ignotum, ad memoriam reducere ſis conatus. Complures Patavii teſtes habeo, atque inter alios *Joannem Vincentium Pinellum*, Virum clariſſimum & eruditiſſimum, cum quo ſaepe de noſtra vetere, ſaltem inchoata, ſi non confecta, amicitia loquutus ſum. ut hinc certus eſſe queas, me eum animum, quem ſponte erga te conceperam, multo magis nunc tua tanta humanitate invitatum eſſe omni tempore atque omni loco conſervaturum; Quem vero tantopere mihi commendaſti [2] *Petrum*, medicinae ſtudioſum, libenter amplexus ſum, & quemadmodum ore ſumma cum promptitudine tibi cuncta mea obtuli, ſic ubi dabitur occaſio, quantum tua ipſius apud me commendatio valeat, re ipſa diligenter oſtendam. Ab eo te melius valere cum intellexerim vehementer ſum gaviſus, quod non ita pridem additiones poſtremas ſcriptis tuis factas legens, quereſas de adverſa tua valetudine aegro animo cognoveram. Quare ut eam, ſine qua nihil poſſumus, ſanitatem in primis cures, teteque Reipublicae literariae diu in-

1 Apud quem Lipſius biennium vixit, ut ex vita ejus conſtat.
2 Vid. Epiſt. ſeq.

incolumem ſerves, etiam atque etiam hortor, ſique eſt, aut unquam erit, in quo Mercurialis tuos illuſtres conatus juvare poſſit, omnia de ipſo pollicearis peto. Patavii. Nonnulla de Suetonio, in quo te verſari intellexi, libenter propoſuiſſem, niſi vetaſſent aſſiduae in legendo, & medendo occupationes. Decimo Calendas Junii. 1586.

[1] EPISTOLA CCLVIII.

HIER. MERCURIALIS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

QUi inter nos jamdudum Romae, dum tu apud Cardinalem *Granvellanum*, ego autem apud Cardinalem *Farneſium* eſſemus, contractus eſt amor; curavi quantum in me fuit, ne ullo temporis ſpatio, ullaque locorum intercapedine deleretur; quod quoque a te pro tua ſingulari humanitate, omnibuſque ſpectatiſſima virtute, a te factum fuiſſe non dubito. & quanquam interim neque tu mihi litteras dederis, neque meas receperis, niſi ſemel bisve, amicorum tamen communium ſalutationibus ſaepenumero hujuſmodi officium impletum, recordor. unde nunc oblata mihi nepotis Plantini occaſione, praeterire nolui, quin te his meis plurimum ſalutarem, ſimulque ſignificarem, neminem eſſe, qui probitatem, ac ſummam eruditionem tuam me plus colat ac ſuſpiciat. De conditione, quam tibi [2] per D. *Petrum* meum non ita pridem ſignificavi, quid deliberes, avide expecto. utinam autem res tuae patiantur, in Italia nobiſcum te eſſe, nam ſperarem & coelum noſtrum, ac ſtatum in reliquis fore placiturum. Bene vale, meque ama. Bonon. 18. Februarii 1591.

1 Reſpondet ad hanc Lipſius Centur. ad Italos Epiſt. 1. Francofurto data, cum jam diſceſſiſſet Leida, & ad *loca puriora* (quod *Mercurialem* capere ſcribit) ſe tranſtuliſſet, id eſt ubi Romanae ceremoniae vigerent.

2 Et hujus mentio fit in praecedenti epiſtola, hîc autem cognomen induxerat Mercurialis, vel Lipſius. ſed intelligit *Petrum Wittendellium*. vid. Cent. ad Ital. 7. & mox Epiſt. 260. Mercurialis eum olim ſibi a manu fuiſſe ſcribit. erat Belga, ut puto. ejus Epiſtolam & nos infra dabimus.

EPISTOLA CCLIX.

HIER. MERCURIALIS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

LItterae tuae Lovanii XII. Kal. Mart. datae, etſi ſero ſint mihi redditae, magnopere tamen animum meum recrearunt; non ſolum jucundiſſima veteris noſtrae amicitiae, in urbe jam dudum contractae, recordatione, verum etiam praeſentis tui ſtatus enarratione, quem ſicuti, & felicem, & gratum eſſe tibi gratulor, ſic vellem potuiſſe, in hac noſtra Italia; hoc eſt in aeter-

terno diſciplinarum omnium domicilio, tranquilla mente, ac valido corpore eſſe potuiſſes, at Deus noſtros actus nobis ipſis melius dirigit, eapropter cuncta haec magna providentia eum diſpoſuiſſe non dubito. Illud tamen in hac non exigua animi aegritudine ſolatii capio, te nullo tempore defuturum, quin ubique locorum amorem, quem erga me hactenus ſervaſti, haud imminui patiaris. Ipſe quoque enitar, ne obſervantiam in te meam ulla vetuſtas, aut temporum fortunaeve iniquitas deleat; Atque ad hoc nullum efficacius inſtrumentum invenio, quam crebras, prout locorum diſtantia fert, mutuas ſcriptiones, quibus ne deſis magnopere expeto. Inter hos ſereniſſimos Principes creberrima, atque honorifica de te habetur mentio, & niſi tuas litteras oſtendiſſem, falſus plane rumor percrebuiſſet, qui te ad Deum conceſſiſſe, inter nonnullos erat. *Philippus Pigafettus* Vicentinus, Coſmographiae, rerumque antiquarum peritiſſimus, quique tuos de Militia Romana libros mirum in modum commendat, ſeſe nonnulla dubia circa ordines, & aciei inſtructionem habere fatetur, teque de iis cum interpellare percupiat, non modo me mediatorem eſſe recepi, verum etiam te ſibi benigne eſſe reſponſurum ſpopondi. Intérim ubi quos promiſiſti libros de Tormentis Bellicis, nec non Hiſtoriae facem in lucem prodire feceris, exemplaria quam primum per *Paullum Moneliam* ad me perferenda cures precor; Adeo enim acri quodam tuorum ſcriptorum pruritu, & tuae amicitiae ambitione laboro, ut moras pati neſciam; ſi quid autem apud me erit, quod tibi ulla ratione placiturum intelligam, eventus forſan feliciores, ſed non meam promptitudinem deſiderabis. Bene vale. IV. Idus Aprilis CIƆIƆXCVI.

Eſt Reſponſio ad Lipſii Centur. ad Italos 42.

EPISTOLA CCLX.

HIER. MERCURIALIS

J. Lipſio ſuo S.

Lovanium,

QUas poſtremo a te recepi litteras *Pigafetto* ſtatim comunicavi, qui vix dici poteſt quanta laetitia, quantiſque tui laudibus eas perlegerit. De iis vero, quae circa legionem, totiuſque aciei ordinem te commoniturum ſeſe recepit, quam primum ſibi per levem, qua modo afficitur, ſtomachi imbecillitatem licebit, perfecturum eſſe pollicitus eſt; neque ipſe deſinam eum excitare, donec promiſſa expleat. Librum de machinis avide expecto, & quam citius ad me perferetur eo gratior eveniet, ſtatimque ut etiam *Moneliae* noſtro ſcripſi, ſumptum omnem libenter perſolvam: ſi ſcires, aut tibi perſuadere poſſes, quod tui in univerſa Italia deſiderium ſit apud omnes ſtudioſos concitatum, non modo interdum hîc vivere optares, verum etiam forſan deliberares, quod tamen, quia fieri poſſe diffido, memoria ſaltem virtutis tuae jucundiſſima, nec non lepidiſſimis ſcriptis, ac epiſtolis ſaepe frui, quantum

tum in me erit, enitar: tu quoque ſegetem ac materiam huic meo deſiderio ſuppedites, vehementer precor, neque enim is ſum, qui ſemel tantum amore virtutis, & ingeniorum captus ad alia converti poſſim, & quamquam in pleriſque rebus curae atque anni memoriam mihi depraedentur, in hoc tamen nunquam ero obliviosſus, ubi de te ipſo vel cogitandum quippiam, vel loquendum, vel decernendum erit. Certe ſatis nequeo mirari, cur *Petrus Vuitendelius*, olim meus a manu jam biennium agitur, nullas mihi litteras dederit, niſi forte Deus ipſum aliqua ratione ad ſe vocaverit, qua de re ut alias efflagitavi, ſi per te certior fieri potero, hoc nomine quoque non parum me tibi debere fatebor. Vale, teque nobis ac toti litteratorum orbi ſerva, meque ama. Datum Florentiae Pridie Kal. Julii. CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CCLXI.

HIER. MERCURIALIS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

QUemadmodum ſemper ex tuis literis ſingularem quandam voluptatem & fructum percipio, ſic ubi ad te literas dare mihi accidit, mirum quantum delector, praeſertim vero ſi quando de aliqua re ſcitu digna atque optata ſcribendum eſt, veluti nunc mihi occaſio datur. ſiquidem Piſis dum circa ſacras illius civitatis aedes fabricatur, inter rudera eſt quidam lapis, vetuſtiſſimus ut putatur, repertus, multis literis ſcriptus, in quibus intelligendis etſi multum plerique viri docti laborarint, hactenus tamen nulla rei deſcriptae certitudo à quoquam eſt inventa; ea propter quia notum eſt, quam vetus & vera inter te ac me ſit amicitia, putatum à compluribus, fore ut me interceſſore, à te, quae tua eſt eximia in pernoſcendis veterum rebus peritia atque induſtria, tandem aliqua optata hujus [1] lapidis notitia comparetur: unde eam diligentiſſime deſcriptam tibi mitto, oroque ita efficias, ne qui in me tantum ſpei collocarunt, prorſus fefelliſſe videantur. Eſt quoque circa eaſdem aedes antiqua columella, mediocris magnitudinis, cui marmoreum vas antiquum ſuperimpoſitum, de quo licet omni tempore ſit diſputatum, attamen magna pars traditione quadam exiſtimarunt, atque adhuc exiſtimant, in eo cineres Patris C. Julii Caeſaris fuiſſe repoſitos, quem Parentem Piſis Magiſtratum geſſiſſe, in eoque dies ſuos finiviſſe fama eſt, quod forſan te quoque apud aliquos ſcriptores legiſſe ſi recordaberis, rem & viris eruditis, & mihi in primis gratiſſimam facies. Veluti pariter tibi magnopere debebo, ſi & de tua praeſenti valetudine & de cogitationibus tuis aliquid certi nunciabis; etenim multi mirantur, cur Senecam à te ſaepenumero promiſſum, & ab omnibus valde expectatum, edideris nunquam. De valetudine autem mea, ſi quid cu-

1 De hoc lapide infra ad epiſtolam *Curtii Pichenae* videbimus. ipſum hîc deſcribere nihil attinet, cum ſaepius editus poſtea fuerit.

cupis ſcire, ea eſt, Dei beneficio, ſatis firma, quantum tamen ferunt anni 72. quos propediem me eſſe completurum ſpero, ſed de quo debent magis amici mei laetari, eſt, nondum hos annos eſſe mihi illud Plautinum onus Aethna gravius, quod & corpore ſatis valido & animo robuſto ita ſim, ut publice legere, frequenter ſtudere, infirmis petentibus conſulere, aegros viſitare, ſcribere ac dictare poſſim, quae omnia de te quoque audire vehementer opto. Vale, meque ama, & te plurimum a me coli perſuaſum habe. Florentiae, anno 1603. 20. Auguſti. *Guilielmus Athenius* meus, immo & tuus, plurimum te ſalvere jubet.

P. S. Venit ad me *Tarquetus* cum binis tuis, quem cum vidi bene pulcreque valentem, vix me a riſu continere potui, quod & Pater & ipſe uſque adeo timuiſtis; dabo operam ut pro occaſione authoritatem tuam, fidem ac amorem meum reipſa experiatur. Neque enim, ut ſpero, occaſiones mihi deerunt, quando biennium adhuc vivere Piſis, inque Medicinae ſtudia incumbere deliberaverit. Itaque tutum Parentem ſuum reddas, nihil ipſi defuturum. iterum Vale.

EPISTOLA CCLXII.

HIER. MERCURIALIS

J. Lipſio S.

Lovanium.

QUantum voluptatis, & mihi, & aliis, qui tua reſponſa mirum quantum expetebant, litterae tuae haud ita pridem receptae, attulerint, vix explicare licet; qua de re omnes tibi immenſas agimus gratias, utque inſcriptionem Piſanam tibi miſſam imprimi cum tuis obſervationibus cures, etiam, atque etiam petimus; nemo enim dubitat, quin ubi acris tui ingenii, atque ſingularis judicii vires intendas, fore quin omnium eruditorum, & praeſertim antiquitatis amantium, vota expleas. Paucos ante dies quidam alius lapis cum inſcriptione in hac urbe inventus eſt, cujus exemplar Piſani iſti a me tibi mitti optaverunt, quod nunc facio, additis etiam litteris, quae circa fundum leguntur illius vaſis marmorei ſupra columnam marmoream collocati; de quo in proximis meis paeteritis me ſignificaſſe memini; Itaque te precor, ut ea, qua ſoles erga Mercurialem tuum, ſenem quidem, ſed pectore erga te admodum fervido, iterum his meis reſpondere, & aliquid de inſcriptione dicere, libellum de Veſta & Veſtalibus recuſum mihi mittere velis. Vale. Piſis Kal. Mart. 1604.

Litteras vaſis deliberavi non mittere, quod ſint Italice nec quicquam aliud contineant, niſi erectionem illius ſuper columnam prophyreticam ante 300. annos tantum factam; eſt tamen fama eam eſſe vetuſtiſſimam, ac ab aliquo Auguſto Piſanis donatam.

EPISTOLA CCLXIII.

REIN. REINECCIUS

J. Lipſio S.

Leidam.

CLariſſ. & ornatiſſ. V. Teneo memoria, quo tempore Academia Lipſienſis me civem habuit, eodem te in Jenenſi publice docuiſſe. Qua nominis fama & celebritate, ne quid auribus tuis dediſſe videar, dicere ſuperſedeo. Me quidem mox inde incredibile quoddam deſiderium cepit, alicujus tecum neceſſitudinis jungendae: quippe quam non ſolum honorificam, verum etiam fructuoſam mihi fore conſiderem, quando ſtudia fere nos eadem tractare perſpicio. Sed fecit, neſcio quis caſus, ut alio te deportaris. A quo tempore etſi ſcripta quaedam tua, inprimis vero ingenioſiſſima illa & doctiſſ. Satyra Menippea, item in Tacitum notae tuae in manus meas pervenere, nihil tamen de te praeterea cognoſcere certe potui. Donec nuper admodum ad ſummum illum meum, *Jacobum Monavium*, de te mentione facta, is eandem ſe habere tecum amicitiam, quam tot annis mecum coluiſſet, conſtitutam affirmavit. Hac denunciatione mirifice exhilaratus, ilico ad ſcribendum animum appuli, praeſertim cum intelligere mihi videar, nonnihil interea noſtros quoque conatus innoteſcere tibi coepiſſe. Citas enim in Tacitum notis evulgatos opera noſtra *Ditmari* Epiſcopi annales. Itaque interpellationem ab animo tui obſervantiſſ. profectam, in bonam partem accipias, & eum me ſtatuas, qui de te, de ingenii monumentis tuis, ſi quid ego judicare poſſum, omnibus numeris abſolutiſſimis, praeclare ſentiat, pervelim. Tu viciſſim largiere, ut id tui ſtudium noſtrum non averſere. Equidem ita perſuaſum habeo, ſi una eſſemus, aut ſaltem propius abeſſemus, me in praeceptoris mei μακαρίτȣ [1] opere, quod modo in manibus habeo, recognoſcendo & locupletando, plurimum conſilio, auctoritate, fide tua juvari potuiſſe. Inſcriptionem placuit cum hiſce conjungere. Atque eſt me hercle argumentum iſtud uti praeclarum, ita amplum & arduum. Optarim autem ipſum *Glandorpium* hunc doctrinae quaſi foetum educere potuiſſe. Verum cum iſtam bonis litteris felicitatem Parcae inviderint, ego ceu ancillando partes illas excepi. Quo ſucceſſu, tui, ubi opus id in lucem prodierit (fiet autem hoc propediem) judicii eſſe volo. Interea haud gravate ad me reſcribes, & ſi quid de inſtituto hoc in mentem venerit, quod me ſcire oporteat, ſignificabis. Hoc nihil facere gratius poteris: deferoque & obſervantiae & animi memoris ad te officia, quae pro eo merito debita a me proficiſci poterunt. Etiam atque etiam vale, & de tuis ipſius μελέταις ſignificatione me amoebea dignare. Ex Acad. Julia Helmaeſtad. M. Julii d. XIV. CIↃ. IↃ. XXCVI.

[1] Intelligit *Joannis Glandorpii* Onomaſticon Hiſtoriae Romanae, quod ex ſcedis defuncti concinnavit *Reineccius*, & edidit Francof. 1589.

EPI-

EPISTOLA CCLXIV.

JANUS GRUTERUS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

Literas tuas datas poſtridie Non. Jul. *Pavo* noſter de manu mihi in manum tradidit, ipſis demum Kal. Septemb. ſed non eo ingratiores. Earum enim plus decies repetita lectio, tantae fuit delectationis, ut verbis exprimere non queam. plane me de morte ſuſcitarunt, eo etiam magis, quod caeteris ceſſantibus tute unus parvitatem meam reſcriptione dignatus. Quanquam, Cl. Lipſi, cur tam anxie te excuſas? & quidem ſermone dulcamaro, vergens tamen ad amarum magis. Equidem manum tuam aſſidue deſideravi vehementer, & quidem hercle jure: quid enim eſt quod illa jucundius honorificumque magis mihi? verum ita deſideravi, ut ego voluptate atque honore carere me moleſte ferrem; non etiam ut poſcerem aliquid imperioſius. literas, quas recepiſſe negas, miſeram per agnatum [1] *Brucaei* ad *Ortelium*, ut ille ad vos; quod fecit, ſed ſero admodum, ut ſcribit, & non per compendium. ſed hoc eſt nauci. ſi tamen peccatum aliquid adhuc hac parte, peccatum nimio amore, cui ignoſcas, quaeſo. At quod ſubleſta apud te ſit fides, ô male factum. Scriptum quidem carmen illud *Pavoni*, (nam de eo credo agis) calida manu, calida mente. Ideoque jamdudum ſponte binos illos mordaces verſus Epigrammatum faſciculo eraſi. ſed non ideo minus verum. in aliqua Germania viros eſſe, & ſpero & credo. At an in Balthico hoc litore ſint, quibus reapſe nomen id competat, ambigo, Lipſi, ambigo. Certe inventi nulli mihi. Diogenes forſan cum laterna unum atque alterum invenire poſſet. ſed quid illi in tanta multitudine? utinam querulus ſuper hac re ſolus ego? At eandem cantilenam ingeminant quotquot noſtrates, id eſt, homines omnes ingenui. Imo memini *Maevium* aliquoties Lubecae dicere, malle ſe, ſi per bella fas, in Belgico vivere pane mendicato, quam hîc re lauta. o Lipſi, faſtum & aſtum iſtis locis cernere, oculis tangere, manibus ferire licet cuivis. loquor de hominibus, qui doctrinam ſibi vindicant; non de plebe; agreſtis quidem eſt, tamen fida. Hinc mihi a tibicinibus meis fere ruina. ſed bene, quod naturae meae Deus auriculam vulſerit, & admonuerit: verum non tuto omnia literis committuntur. De Juriſconſultis hoc tantum addam, nondum recepiſſe me ab eis reſponſum. nec exigo. quin ſerio doleo, quod eos unquam adierim. nam ſtatim poſt ſignificatum mihi, nihil excogitari potuiſſe a me, quo animos eorum exacerbarem magis, quam juris lectione. Hîc enim titulo Doctoris auctis, non ſolum publicam eam invident, ſed etiam privatam, quam cum prohibere nequeant, cavent tamen ne publice ſchedulam affigant, ſi quando novum forte librum, titulumve auſpicaturi. Et talia probe cognita habuere, qui me blando vultu, blandiore voce induxere: nam cum ego magis antiquitates

[1] De *Brucaeo* vide ſupra ad Epiſt. cxx.

tates ad animum meum eſſe, dicerem; illi reſpondere, ſi id aggrederer, non habiturum me poſt menſem auditores; ſi vero jus, maximum fore confluxum. Itaque jam ab iis digito ludificatus oſtendor; quod quo parcius fiat, domi deliteo, vel clam rus peto. ubi meditor aliquid, procul ſcilicet a Jove, procul a fulmine. ſed una tamen adhibetur cautio, ne eorum quempiam aut ſermone, aut ſcripto taxem. Imo, quoniam ita neceſſe, colo ipſos veneror-que; exemplo, forſan inquit aliquis, eorum, qui & Febrim & Pavorem. At hoc ego non dico. Tu ſolus occurriſti, mi Lipſi, cui in ſinum effudi, ut & nunc facio, quae minus concoquo. Quaeſo, obſecroque per paternum tui in me amorem, ſoli tibi hereditarium; nam audio te neſcio quid de me, & de hiſce rebus ſcripſiſſe D. *Caſelio.* non puto tamen acerbum eſſe aliquid, aut minus amicum, quanquam id prae ſe ferant nonnulli. Et haec vere omnia ad te, at libere. Forſan & dolentius, quam neceſſe erat. ſed licet apud te, puto. ſin minus, cogar aemulus eſſe Midae, ſi modo arundo queat ſola tenere fidem. At Tragoediarum ſatis. nunc ad Comoedias. propter haec atque alia jam γῆν pro γῆ cogitaſſem, niſi me pellacia ſua retineret *David Clytraeus*, a quo praeter omne meritum, atque adeo praeter ſpem, mirifice deligor. Quotidie ille ad me venit, aut ad ſe vocat, horamque conterimus deambulationibus circa ſuburbia. ſermo interea de rebus Belgicis, & fere ſemper de te. Itaque ſi tinnivit auris, jam ſcias, unde eveniat: Ille profecto vir hic unicus, qui qualis Lipſius ſit norit, tantique eumpſe etiam faciat. Alii contemnere quidem non poſſunt aut audent, ſed tam parce tamen laudant, ac ſi de ſuo darent, detraherentque. Salutem a te ei aſcriptam non repraeſentavi, quod profectus Regiomontem, ubi de reſtauranda Academia cogitat Princeps. ſaepiſſime non ſine gemitu profeſſus mihi, libenter ſe ſcripturum ſaepius ad Te, ſed non audere, propter paupertini ingenii, genii infantiam, quae non parum ei adaucta, ex quo legit centuriam tuam. hîc enim, inquit, tribus adeo verbis, clarius ſententioſiuſque quidvis exprimit, quam nos noſtrique tot epiſtolis, totis voluminibus. Itaque, Lipſi, niſi hunc hominem medullitus ames, ama jam deinceps, quaeſo, & ſi per occaſionem ſcripſeris ad eum, quanti ejus amorem ego aeſtimem, fac ſciat. *Brucaeus* noſter praeter varias artes & exactam Antiquitatis cognitionem, vere Belga eluit, id eſt, homo ſine felle, & qui dicta cohoneſtet factis, me ex animo diligit: ſed quoniam magnatibus medicus inſervit, rarior domi eſt, quo fit ut minus frequenter candore eo ac fide utar. Tertius, quem veteri fama & literis notum habes, exhibet ſe mihi fronte amicum, ſed eo non ita ſum familiaris, quod diſtineatur occupationibus & re domeſtica, quodque non audeo ſcribere, tu conjicere potes: nam vates bonus es. Faveas igitur tu tantum, Lipſi, mihi, & caſabundum manu auxiliari ſubleva. hîc ego hyemem tranſigam: nam de praxi, quae ſcripſeram, deque Vratislavia muto factum, & graviter incipio veteres evolvere, & rurſum locos (quum priores perierint) ut vocant communes in antiquitatibus, Hiſtoriis, Politicis continuo. utinam ad finem perducat Perſica. Spero tamen triennio tantum poſſe praeſtare, ut hos homines aequem, qui hîc ex ſimili muſta-

ceo laureolam. protrita enim curant tantum. vin' exemplum? ille, de quo modo dictum, cum dicerem me credere te imitari in Epiſtolis tuis Senecam, Plinium, Symmachum: quis eſt *Symmachus* inquit, an non Theologus? putabat ſcilicet patrum aevo aut ſaltum avorum fuiſſe concionatorem aliquem, ut vocant. Tu ride, & ſi magis quid polliceor imputabo tibi, qui mihi praeceptor: atque utinam propius tua ſectari licitum veſtigia: nam de meliore via ut cogitem quae ſcribis? quid vis, mi Pater, talene conſilium filio? At melius ſane & cautius Phoebus Phaëtonti, *hac*, inquit, *ſit iter*; *manifeſta rotae veſtigia cernes*. quamquam adhuc formido eſt, ne dum tuam ire audacius affecto viam, nomina dem aquis, Lethaeis puto. Tu vero, Lipſi, quid? taedeo ac deficio. non credam ego, non, ſi Aperta dixerit. Argueritque te vel ſola nupera *Pronuntiatio*, quam horam totam ſub concione & in concione legi. nec enim hîc adhuc ejus exemplaria. viſus tamen hîc mihi te exſuperare. Certe eruditius acutiuſque in hoc genere ſcriptum tibi nihil, animi mei ſententia. Dum haec ſcribo, incidit mihi materia ad te Elegiae. eam aggrediar, quum me remiſerit Febris: nam ejus jam ſentio paroxyſmum. De Rege Danico nihil ſcio, niſi permiſſu ſuo militem in ſuo regno ſcribi, nomine & ſtipendio Anglorum. Iu conventu Luneburgenſi, quid Danus & proceres Germaniae egerint, non ita ſcitur: multus tamen ſermo eſt de nuptiis Scoti & Danae. hoc forſan moliti, imo hoc moliti, & etiam nonnihil de auxilio pro Angla: non itidem pro Navarreno. quanquam Dn. *Sigurius* hîc prae ſe ferat, accepiſſe melius reſponſum, quam ſperaverat. *Comes Murcenſis*, ut ajunt, ante dies duodecim turpiter exire juſſus de media nocte urbe Brunſwiga, cum ejecti priore die, quos retulerat in numeros, tyrones. qua de cauſa id factum, ignoratur, niſi quod putant, oppidanos aut metuiſſe, ne aliquid hoſtile illic patrarent, aut quod debita contraherentur, & praeſentis pecuniae Novae Aquilae nihil eſſet. ſumma ſummarum, ſi aliquid ex his locis iret, ſpiſſum illud Plauti, praetereaque nihil. Carminum meorum editionem quod probas, vehementer gaudeo: nam cum te ſcire noverim noſtri aevi naſum, arbitraris profecto aliquid in iis eſſe, quod lucem tueri poſſit, & aetatem: quanquam ego valde metuo. ſed habeo prae manibus alterum librum Ocellorum, unumque Capillorum, tibi imputaturus, Lipſi, monumentum mei genii & ſempiterni erga te amoris & obſervantiae. Ita tamen, ſi permiſeris tam clarum nomen tenebricoſae ſatis adhuc rei praelucere. Ex iis, inquam, ſpero me ferre poſſe famam aliquam: nam alia mea levioris fere omnia notae, nata mihi ſub manu deſtituto libris & muſis, aegro adde pariter animo atque corpore. ſed bona fortaſſe adhuc Germanis, quibus ad omnia bonus ſtomachus, ad crudas etiam pernas & ſalmones, ſale pridem & fumo luſtrali duratas. Itaque Wecheliis mea *Pericula* tranſmiſi; *Pericula* enim voco, quod nomen non occurrerat, & *Douzae* Clariſſimi reſponſum tempori non adeſſet. Ea partitus ſum in Manes Guilielmicos, Epigrammata, Ocellos, ſive Harmoſynem, & Elegiarum libros quatuor, in quibus (praeter ad te, *Douzam*, *Donellum*, *Suſium*, *Metkerkium*, *Lernutium*, *Ortelium*) epiſtolae ſingulares ad *Buchananum*, *Scalige-*

ligerum, *Pimpontium*, *Briſſonium*, *Auratum*, *Cujacium*, *Mercerum*; *Victorii* manes. ut omittam Germanos, *Annam Pallant*, *Chytraeos*, *Monavium*, *Brucaeum*, *Weſenbecium*, *Monavium*, *Berſmannum*, *Caſelium*, ſocioſque veteri amicitia charos. *Ocellos* dicavi Genio magni *Douzae* Nordovicis, manes *Guilielmanos* & caetera Lubecenſi Senatui, a quo ſuperiori hyeme laute admodum & honorifice exceptus convivio. ſed ditavi tamen ſola inſcriptione, ſine epiſtola ulla, ſine praefatione, ne viderer aucupari munus; cujus ea hiſce locis fames, ut plerique ſingulos quaterniones fere inſcribant patrono peculiari. At potius peream ego & mea, quam horum ſordes imiter. Vereor tamen ne *Wechelii* imprimere mea poſſint aut velint. nam accepi ſuperioribus diebus literas a *Sylburgio*, qui eorum praeeſt Typographiae, illis ſcribebat *Wechelium* utrumque abeſſe urbe, praelaque omnia occupata, recuſatumque Ariſtophanem Graeco-Latinum, deſiderarique magis Hiſtorias, quam Poëtica, metuere ergo, ne hac in parte mihi ſuccederent vota. Curaturum tamen accurate per Gallos aut Baſileenſes hinc proximis nundinis. Ita fere, mi Lipſi, periit Gruterus veſter, antequam natus. ſi remiſerit mea Sylburgius, dedicabo libros elegiarum [2] *Randzovio*, quod ipſum tantum non velle odoratus ſum. familiariſſimus enim eſt D. *Chrytraeo*. cum enim tu de patrono ſcribas, is mihi certe videtur ſolus eo nomine dignus. Miraberis ſi contigerit videre, quam ſim mutatus ab illo. omnia fere pentametris, termino duarum ſyllabarum verbis more Ovidii. Inventio & diſpoſitio nova, id eſt magna ex parte inviſa, intacta aliis. ſed jam ſatis detinui te, mi amiciſſime Lipſi, & invadit me jam febrilis calor. Ergo deſino. & te ſalvere multum jubeo. Tete etiam, humaniſſime *Douſa*. cui nihil ſcribo, quod nihil occurrat, quodque alter Lipſius ſis. Ergo ſcripſi tibi haec. Salvete & valete, doctrinarum omnium perpetui ſoles, & libertatem meam ſimplicitatemque, incautam forſan, ingenuam tamen aequi bonique conſulite, ſcitoteque Lunae me ſimilem, qui quo longius a vobis disjunctus, hoc magis atque magis auctum habeo amorem. Roſtochii die VII. Septembris CIƆIƆLXXXVI.

2 *Henricus Ranzovius* ex antiquiſſima familia ortus, Filius *Joannis*, omnium eruditorum hujus ſeculi elogiis, ut communis literarum & literatorum Maecenas celebratus eſt. vide de eo *Jo. Molleri* Introduct. in Hiſtor. Cimbric. part. I. cap. XIV. §. 9. pag. 226. ubi elogia, quibus eſt ornatus, recenſentur: edidiſſe ſub nomine *Chriſtiani Cilicii*, Hiſtoriam belli Dithmarſici docet idem *Mollerus* in Hypomn. ad Barthol. de Script. Danor. pag. 183. quaedam ejus & Lipſii Epiſtolae mutuae leguntur poſt Hottomannianas. num. II. Miſcel. & ſeqq. Morerius eum A. 1601. obiiſſe ſcribit. ſed Mollerus A. 1599. Kal. Januar. & Hamburgi A. 1599. edita oratio in ejus funere per *M. Stephanum Macropum* ab eodem memoratur.

EPI-

EPISTOLA CCLXV.

JANUS GRUTERUS

J. Lipſio Uberrimam Salutem.

Leidam.

EX poſterioribus meis ſtatum rerum mearum prolixe intellexiſti. libertas mea quin grata tibi fuerit, non dubito. cum tamen ad noſtrates ſcriberem, non paſſus eſt amor meus incomparabilis & obſervantia perpetua, quin quoque aliquid ad te, licet omnino ſcriptione dignum nihil aut parum haberem. Videor enim ſic ferre paullo moderatius deſiderium tui, tantum non ſic garriens familiariter tecum. Atque utinam ille dies aliquando, quo iterum alter alterum videat. certe in ſtudiis meis quotidie requiro & judicium & faventiam tuam. ut verum non dixerit ille noſter, *tum demum homines noſtra intelligimus bona* &c. nunc autem temporis requiro etiam ſuper vitae meae genere conſilium. Tu, ſi placet, rem breviter audi. ſi patriae noſtrae male omnia ſuccedant, quod non ſpero, ſed metuo tamen nimis, actum erit ilicet de facultatibus patris. Ego igitur qua ratione honeſte vitam agere poſſim non invenio, niſi me alicui rei totum dedam. praxis non placet. non placet etiam, vel tenuiter admodum, plus aula. Itaque quid ſupereſt, niſi ut tranquillo aliquo vitae genere aevum eouſque tranſigam, dum det hiſce turbis Deus aliquis finem; id fieri poſſet, ſi annum adhuc unum atque alterum vel hiſtoriis, vel antiquitati, vel juriſprudentiae diligenter incumbam. Spero enim me poſſe poſtea aut ad Academiam aliquam vocatum iri, aut a principe, cujus ingenium non abhorrens ab his artibus noſtris, ad neſcio quae negotia adhiberi. nunc autem plane anceps ſum, ubinam locorum interea figere ſedes velim, & quod genus artis, juridicumne, an Hiſtoricum perſequi debeam. Peto igitur ut tu ſuper hac digneris mihi dubio conſilium dare: eo enim animo ſum, ut quidquid a te probatum fuerit, id, ut ſapienter ac utiliter conſtitutum, ipſe etiam actutum ſecuturus ſim. haec autem ideo loca mihi non placent, quia neminem hîc ſcio, qui ulla in re tantillum favore aut auctoritate ſua prodeſſe mihi vellet, aut poſſet. Excipio ſolum *Chytraeum*, cui certe multis de cauſis multum debeo. non aliter enim mihi habet honorem, quam ſi aliquis ex illis excellenter eruditis, & qui vetant hoc aevum cedere antiquo. nuper etiam per ipſum innotui Proregi Daniae *Ranzovio*, qui me amiciſſimis literis jam bis ter inviſit, omniaque ſua largiter obtulit. *Chytraeo* conſilium meum nondum patefeci: cupio enim prius ſcire, quidnam tu ſentias. Certe enim, aut nullus eſt, aut pauci admodum, quibus omnia mea aeque probata cupiam atque tibi, quem ab ipſa adoleſcentia prima & propter egregiam prudentiam & infucatum candorem, omni honore & obſequio, & propter animum vere paternum erga me, incredibili amore proſequor atque complector. Recte igitur feceris, ſi dignatus fueris mihi quamprimum ſcribere ſententiam tuam: de hac re etiam ſcripſi ad communem amicum *Donellum*, cum eo, ſi grave non eſt, poteris

teris etiam loqui de hiſce. Cuperem autem maxime illis locis ſedem figere biennalem illam, ubi & copia bibliothecae alicujus & virorum doctorum, cum quibus foret conferre mea &c. cujus hîc omnino nulla eſt. ſi enim aliquando cum aliquo congrediór, data opera abſtinent de literis, & de neſcio quibus nugis agunt. clanculum tantum inſtruunt quoſdam, qui operam dent, ut me in aliqua re captent. at fruſtra fiet. diſco ego etiam diſſimulare ad praeſcriptum illud *Douſae* ad *Cammium* noſtrum; heu quondam tuum. hoc tamen diſſimulare nequeo, cum noſtratia ingenia nimis deprimeret, & per ſermonem nunc de judicio tuo, nunc de ingenio ſiniſtre loqueretur, & pleraque illa emblemata comparationum, ſententiarum in libris de Conſtantia deſcripta ajeret ex *Guevarra* & *Mornaeo*, alioſque eſſe praeter *Politianum*, qui epiſtolam norunt ſcribere, quam patienter debeas relegere. ſi neſcis, mi Lipſi, hîc ſunt etiam, qui in lucem emiſerunt epiſtolarum libros, at vos, credo, non legiſti, aut vidiſti unquam. Hîc etiam praeterea nimis magnos facio ſumtus. nam licet victus ratio ſit plane tolerabilis, extraordinaria tamen non ſunt. quotidie enim fere cogimur ad nuptias hominum ignotiſſimorum itare, atque munere eos donare, cujus minimum pretium duos noſtrates florenos aequat. Ignotus autem & exterus cum ſim, nolo cujuſquam malevolentiam emanſione mea conciliare, ne ſi ſemel peccem, ante acta omnia leviora ſint plumâ. quamquam alioqui rarus uſquam eam. praemitto tantum donum meum. o hominum mendicabula! ſed de his ſatis. alias cauſas require ex communi amico *Donello*. decrevi vero circa Kalendas Majas ſtilo veteri hinc abire, niſi inſigniter aliquid adverſi mihi bonive accidat. Itaque, mi optimi homines, vel per vos, vel per alios fac ſciam, quidnam agere debeam. Peragrata enim Dantiſco, Regiomonte, Vratislavia, Praga, Wittenberga, illiſque adjectis locis, videbitis me ſtatim eo volare, quo jubebitis, & ita literis incumbere, ut cum Diis nomen aliquod obtineam inter amatores verae doctrinae, & vos non pudeat me pro diſcipulo veſtro agnoſcere ac praedicare. Jam totus torpeo. ante tres menſes percurri Plautum. & quae ſub acumen ſtyli inciderunt manu lenta, ſuſpenſa, ſoluta, notavi. Tu pro tua in me benevolentia non gravate judicabis quid ſuper iis cenſeas. ſi placebunt quaedam, ad id exemplum plura alia ex Plauto ſtatim ſubmittam, ut etiam ex aliis auctoribus. Poëmatia mea hoc vere prodibunt, credo. Excudit ea Heidelbergae *Commelinus* noſter, atque adeo ab iis ibidem τῆς Μȣσȣργίας fiet initium. quod forſan non ſcaevi ominis. Utinam quaedam in iis, quae tibi, quae *Douſae* ad guſtum. jam aliquoties quaeſivit ex me *Chytraeus*, an vivat adhuc *Marnixius* noſter, & ubinam. quaeſo una opera perſcribas. Aveo etiam ſcire quo gentium vivant *Wiltius* & *Pollio*. Te recte adhuc valere ex eo ſuſpicor, quod de invaletudine nihil ſcripſerit nuper *Douſa* fil. aut *Eſychius*. ſed jam fabulatus ſatis. Vale ergo, mi amiciſſime atque optatiſſime Lipſi, & ignoſce tumultuariae ſcripturae. dicerem alias me accuratiorem, ſed difficile eſt adſueſcere canem vetulum loro. At tu, homo, etiam in epiſtola tua audes ſcribere, quaſi fingerem miſſas ad te meas, quas nullas miſi. id ſcilicet eſt, quod tam elegantes & bellae, ut

mul-

multum temporis requirant, quo poliantur. ſed voluiſti, credo hac ratione tecte imperare, ut ſcriberem cultiores. hoc eo dico, quia video te epiſtolas tuas eodem, quo ſcribis, modo committere publico, quod ſi legerent alii homines, tua auctoritate & teſtimonio moti, putarent mihi ſolenne eſſe aliter loqui quam factum eſt. quod eos putare certe illibenter vellem. Vale iterum, mi humaniſſime Lipſi, Roſtoch. die XVI. Februar. 1587.

EPISTOLA CCLXVI.

JANUS GRUTERUS

J. Lipſio.

Leodium.

ETſi nuper epiſtolae tuae optatiſſimae reſponderim, vir amiciſſime, itero tamen ſcriptionem, nactus mercatores, qui hinc Francfurtum. Et quidem ſi vales ex voto, eſt quod laeter. Ego ſane ante aliquot ſeptimanas periculoſe aegrotavi, jam conſtitutus prope Orci cancros. Quod nunc inprimis vellem ſcires, erat, maturare *Commelinum* noſtrum Senecae editionem. Ei ornandae poſtulavit ante duos fere menſes operam meam. addixi: itaque pleroſque Criticorum, eos, quibus cordi priſca juris prudentia, ſedulo evolvi, enotavique omnia, quae uſquam facere videbantur ad Philoſophi unici emendationem, interpretationem, explicationem. Sed & conjecturas novas meus mihi Apollo ſuggeſſit fere ad ſexcentas. Quoniam vero tua in eum ſymbola omnium lautiſſima, quaeſo te, ut ſi quae ſint correctiones, quas nunc minime probes, id mihi ſcribere non graveris, ſi quoque quid interea curioſa ingenii tui eruit felicitas, id ne mecum communicare dedigneris: ſuis quidque locis appoſite diſtribuam, atque ordinabo. Sed heus, mi Lipſi, feſtinato opus eſt: nam urget valde Commelinus noſter. ſi literas tuas Francfurti miſeris ad D. *Cluſium*, facile mihi reddentur tempori; ſeptimanatim quippe inde comeant tabellarii certi Lipſiam: ſuperſcribatur modo *Lipſiae curentur* J. U. D. *Paulo Vetzero*, ut porro mittat Witebergam. Hoc cur obnixius a te petam, eſt, quod in aliquammultis a te diſſentiam, nec dubitem, quin de ipſis jam tibi etiam alia mens. Jam vero nihil magis mihi in votis, quam unicum illum meum praeceptorem omni eximere, non dico reprehenſione, ſed ejus etiam ſuſpicione. Hactenus. De ſtatu rerum mearum ille quidem fere inter ſacrum & ſaxum: non tamen me jam amplius urget prius illud, quod noſti: ſed ecce; comitia fuere provincialia Torgae hiſce diebus. Iis decernetur, quantum audio (nec enim adhuc palam eſt) ut reducatur formula illa concordiae, coganturque porro omnes, qui in munere publico, ad ejus ſubſcriptionem. At abſit, ut ego humana approbem inventa, eaque pro regula religionis obſervem, quare ſi tale aliquid fiet, petam miſſionem. Certi nunc aliquid ſcribere poſſem, ſi nuncius unum adhuc moraretur diem. nam Academicos legatos a comitiis reduces, aut hodie aut cras expectamus, & ipſe

Fredericus Gulielmus Illuſtriſſ. dux Saxoniae, tutor idem, atque adminiſtrator, huc concedet poſt duos dies, ut adigat in fidem principalium pupillorum regionis hujus ſubditos. tunc ſciemus, quo res evadet. ſi hinc abiero, repetam Dantiſcum, aut Heidelbergam viſitabo. Nam quod tu quid cum Belgis mea cauſa, vereor ut ſerius ſit: audivi enim ex *Johanne Elychio* ſubſtitutum neſcio quem *Merulam*. At mihi criticis atque antiquitatibus inmori neceſſe eſt. plura cuperem, ſed me avocat lectio. Vale itaque & ſalve, vir ſapientiſſime, & me, ut amas, ama. Witebergae die altera Martis 1592. raptim admodum.

EPISTOLA CCLXVII.

JANUS GRUTERUS

J. Lipſio,

Leodium.

Jam plures abierunt menſes, vir ſapientiſſime, quod ſilui: ſed ideo tantum, quod nulla nunciorum, qui ad vos, copia. nunc vero nactus D. *Franciſcum Junium*, qui Lugdunum petit Batavorum, non potui, quin iterato tecum loquerer internunciis literis, ſi non alia de cauſa, at ut vel ſaltem de ſtatu mearum rerum aliquid tibi conſtaret. Heri deſponſa mihi eſt lectiſſima certe puella, *Johanna Smetia*, *Henricii Smetii* Aloſtani filia, olim Electoris Frederici tertii Archiatri, nunc vero Profeſſoris Medicinae Ordinarii. Miraris, ſcio, tam cito me maturaſſe, quod mutari non poteſt. Sed, mi Lipſi, nihil eſt cauſae. Dicam enim rem. ubi videbam Calypſo illam, de qua pridem tibi ſcripſi, nullis non me ſibi illaqueare cupere philtris, egoque adeo eam nullus amarem, nec tamen facile expediri poſſem, niſi alteris nuptiis; egi cum D. *Poſtio*, & ſponſae patre, quantum licuit, abſenti. Itaque ut ab inmaturo obitu Illuſtriſſ. Principis *Chriſtiani*, adminiſtratio electoratus Saxoniae devolvitur ad Agnatum *Fredericum Wilhelmum*, atque ipſe profeſſoribus nobis injungit, ut qui nolint jurare in formulam, quam vocant concordiae, ſacramento fidelitatis abſtineant, ſeſe enim eoſdem abdicare ſua ſibi profeſſione: Conjunxi me iis, qui id praeſtare negarent, Doctori videlicet *Weihio*, D. *Weſenbecio* Juris Conſultis, & magiſtro *Voito* poëſeos interpreti. quid ni enim? cum nunquam his oculis librum illum vidiſſem, nedum legiſſem. Ergo recta tendi [1] Myrtiletum, ubi vix fui per menſem, quin ejus ſum factus ordinis, quem dixi. Epitalamium te poſcerem, niſi vererer peccare in ſtudia publica. At vota ſane fauſta & omina felicia, ſerio Hercule peto, quaeſoque. Sed & Epigramma minutum Suſpicionum reliquis libellis, diu eſt quod libenter exambirem, fiamne, mi Lipſi, compos? Fiam, puto. at id tempori reddetur, ſi tranſmiſeris Francfurtum ad D. *Cluſium*, nam alioqui proximis nundinis partim omnes xxv. illi prodibunt libri. Commelinus noſter habet etiamnum ſub prae-

1 *Heidelbergam.* Vid. Epiſt. cccxxvii.

praelo Senecam ex editione Mureti. Ei nos paramus animadverſiones, hoc eſt emendationes, explicationeſque omnes omnium doctorum hujus ſuperioriſque aevi, intra quos tu principem merito obtines locum, ſi quid praeterea ad unicum illum Philoſophum, ne nobis quaeſo invideas. Ego enim is ſum, is ero, qui aeternum & tibi, & gloriae tuae aeternanti deditiſſimus. Vitae genus meum jam facile per te conjicis. De ſede, etiamnum mecum & cum animo meo delibero. Si iſtic aliquid tolerabile offertur, praeferam luculentiori rei. nam jam taedet pigetque peregrinationum. Vale literatorum vere Phoenix, & me, ſi mereor, redama, imo redama, quia mereor. Vale & ſalve, & ignoſce ſimul brevitati, quandoquidem multa multis nec poſſum, nec ſic repens recenſque ſponſus volo. Myrtileto Die XIII. Jun. CIƆ IƆ XCII.

[1] EPISTOLA CCLXVIII.

JANUS GRUTERUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

VIr incomparabilis. Tuas mihi literas ſupra omnem theſaurum gratas! Eis quid reſpondeam? nihil certe, niſi debere quantum non perſolvam, non ſi vendar mancipio. nam ſane omnis mea querela ab impatientia deſiderii: quia ſcilicet te deſtituebar, meo ſole, neque erat eum ſentire vel per nubes, dum imagine hac deſtituor ſermonis vivi. & male ſit iſtis, qui tot literas meas interverterunt, cum octodecem minimum miſerim; intermiſerimque demum, quod arbitrarer tibi ob cauſam unam ingratas. Sic tamen tacite etiam in hoc pectore meo, tu Numen, quod colebam ritu Aegyptiaco, veneratione tacita. At quia ipſe viam aperis: non negligam profecto felicitatem meam; ſed utraque manu amplectar occaſionem datam, teque internunciis iſtis vocibus alatis viſam complectarque meum praeceptorem, imo patrem. Nunc quidem nundinarum tempore breviculus ſum & tumultuarius, ſed alias approbabimus tibi affectum noſtrum, mi Lipſi. Jam enim, ut ſpero, res meae fient meliores. Mortuo enim *Meliſſo* defertur mihi munus ejus, neque aufertur profeſſio prior, adeo ut totos dies, adde & noctes literis revera incumbere poſſim, quod faciam ſane, ſi per valetudinem licebit, quae jam quartum menſem talis, ut tuum morbum metuam, ideoque jam nunc mediter fontes Spadanos aeſtate proxima. contractum id malum a moerore & metu: moerebam enim tam negligenter, tam perverſe, tam, ſed taceo: excudi inſcriptiones. metuebam, & nunc quoque metuo, ſolidam infamiam, qui ejicere operi non potuerim tot curis, tot moleſtiis, tot crucibus ſphalmata multa ac magna, quae certe ſubterfugere nequibunt Scaligerum, qui x, XII. Indices concin-

1 Videtur eſſe reſponſio ad Epiſtolam Lipſii III. Cent. Miſc. 97. in qua quid velint illa verba: *unum in te, aut circa te eſt, quod optem aliter*, vix capio, niſi mutare Gruterum, ut ipſe fecerat, religionem optaverit, & hortatus fuerit. & haec eſt forte *cauſſa illa una*, propter quam ingratas eſſe Lipſio epiſtolas ſuas ſuſpicabatur Gruterus.

cinnat in eaſdem Epigraphas. ſimulat tamen omnia meliora, ſed ego conſcius mihi nec ſermoni tali, nec vultui acquieſco. hoc unum me ſolatur, quod culpa omnis typographorum, qui una litera emendata, duas de novo corruperunt, neque me conſuluerunt, ne ceſſarent operae. Sic ergo ſemper ſum infelix, etiam cum minime putor. Verum quid haec refrico, quae vulnera tantum mea dilatant, ad te potius tuaque venio. Beaſti nos tot centuriarum epiſtolis, & multas tibi ago gratias, quod & ego illic conſpiciar, pannus in purpura. Haud tamen fallam expectationem affectu pio, opere jam nunc defero. neſcias enim quam multa exilium, etiam optimum, in ſe contineat mala. cui ut nihil deſit, deeſt tamen confidentia. Habes hîc a me Martialem, quem neceſſe eſt probes! licet negligentiſſime excuſum, quia & hîc ego extra noxiam abſens. Senecam tuum avidiſſime expectamus. Nos jam dudum contextum a capite ad calcem emendavimus, praeeuntibus manuſcriptis *Pinciani* aliorumque. ſed Deus avertat, ut te praevertam ſequar, ut decet, navim roſtratam, cymbula vel naufraga: nec enim funem diſſolvet ulla tempeſtas, adeo nodis hinc inde inhaerent Gordiis. In meis ad Senecam excepi paulo contumelius [2] *Godofredum.* id, quaeſo, ne carpas. non debes ſane. nam ego huic non maledixi. Sed remaledixi, quod licere equiti, cui res cum ſenatore, voluit Veſpaſianus Suetonii tui. famoſiſſimis enim libellis me aggreſſus iſte Liber, antequam meditarer ullam editionem. Ex illo tamen rediimus in gratiam. ego certe. viximuſque per ſeſquiannum ſimul, nunc tamen abiit Argentinam, impar expectationi, quod uberius interpreteris licet: Cauſabatur tamen ipſe aërem, & valetudinem & alia. Ego jam nunc totus ſum in hiſtoricis. Si vivo, videbis proxime centuriam diſſertationum, quaſi Politicarum, ad Onoſandrum. Etiam ad Tacitum tuum; lemmata enim inde ſumo. Tu fave tyrocinio novello, & firmius iter illud calcabo. Ita vivas valeaſque aetatem adhuc alteram, Reip. literariae columen unicum. Libellus iſte *Savilii* verſus eſt a principis Palatini conſiliario intimo *Lingelshemio*, quo nemo eſt in orbe toto, qui te magis amat, obſervat, colit, praedicat, ideoque amore tuo, ſi quiſquam, digniſſimus: noluit ille quidem ſe proderem: pudet enim ipſum, ut ajunt, impolitiae, ſed non potui, quin proderem. adeo meretur poni inter amicos tuos magnos vir vere magnus, certe mihi amicus poſt *Meliſſum* talis, & tantus, ut ejus cauſa hactenus hîc ſubſtiterim, neque quicquam a quoquam bene aut dici aut fieri poſſit, quod non praeſtiterit in iſtud caput; itaque ſi non tua cauſa, ames, obſcero te, vel mea: debeboque tibi pro ipſo maximum quid. verum finio interpellatus, teque divinae tutelae commendo, vir maxime, amice maxime. Francfurti poſtridie Paſchatis 1602.

2 Intelligit *Dionyſium Gothofredum*, qui etiam in Senecam ſcripſit.

EPI-

EPISTOLA CCLXIX.

J. LIPSIUS

Jano Grutero.

CUm Senecam noſtrum videris, (jam factum opinor) cenſebis, mi Grutere, & ſi vir & amicus vis eſſe, adjutum porro ibis. Tuo otio fiet, & arbitrio. neque enim feſtinamus, niſi in editionem ſecundam: ſi tamen in illam animulam hanc produco. *Putſchii* Grammaticos nondum vidi, ſed exſpecto: ad ipſum tamen ſcribo, & quaeſo te mittente accipiat. neque enim ſcio etiam ubi locorum firmiter agat. Ego nunc Lovanium, id eſt de Schola hac & opido, neſcio quid hiſtoriae medio-antiquae. Ita res nata fuit, ex occaſione nuptiarum apud nos Illuſtriſſimi Ducis Croy & Arſchotani. Sed heus, quam ſaevus in Hungaria Mars eſt? & quam (ut mihi videtur) cum Germaniae diſcrimine conjunctus? Nos litigamus ſuper in religione diſſidiis, & illi religionem & rem cum pulviſculo tollent. Ad *Bibranum* ſcribere jam parabam: ſi facio, includam. Te autem pectori, mi Gruteri. Lovanii, IX, Kal. Novemb. ∞.IↃC.V.

[1] EPISTOLA CCLXX.

PHILIPPUS SIDNEJUS

J. Lipſio.

Leidam.

MI Lipſi. Doleo quod a nobis diſcedas, & eo magis doleo, quod verear ne iſtarum rerum taedium tam ſit in cauſa quam ipſa valetudo. ſi ita ſit, (& niſi etiam de noſtra Anglia deſperes) obteſtor te per noſtram amicitiam, ut velis de te eo transferendo cogitare. conditionem, quam tibi aliquando obtuli, ita ratam faciam, ut me moriente non deficere potuerit. Novi te gratiſſimum fore noſtrae Reginae & multis aliis, imo omnibus aliis. & meae fidei te committas. tibi non fore injucundum iter, ſi tantum pro valetudine ad illos fontes te conferas, Ipſae Muſae adſint tibi, modo ut redeas, nec nos vere tui amantes deſeras. poſt illum optatum reditum ulterius conferemus; nunc iſtorum negotiorum fluctibus pene obruor. pro [2] *Buſio* egi, & agam, quia tu ita vis. & cer-

1 Reſpondet hac epiſtola *Sidnejus* ad Lipſii, quae edita eſt inter Epiſtol. Eccleſiaſt. & Theologic. a Phil. a Limborch. 1704. editas. n. 11. *Sidnejus* vero hic egregius ille juvenis, ad quem Epiſtolae *Langueti.* Fuit Sororis Leyceſtrii filius, qui ab omnibus eruditis invidendis elogiis ornatur, & in Patria noſtra Fliſſingae Gubernator, ex vulneribus ad Zutphaniam acceptis A. 1586. aetatis trigeſimo obiit; laudibus immenſis cumulatus ab omnibus Hiſtoricis noſtratibus, ſed in primis ab Illuſtri Hoofdio lib. XXIV. Hiſt. pag. 1094. qui varia de ejus ingenio judicia refert. Manibus ejus parentavit eleganter *Janus Douza* fil. in Funeribus ſuis pag. 97. & ſeqq.

2 Qui a Leiceſtrio cuſtodiae erat datus. vid. ſupr. Epiſt. CXIX.

certe miſeret me hominis, quamvis de me non optime meriti. inquietum enim facile judicarem, non infidelem. nos cum multis difficultatibus luctamur, credo Deum ita velle, in ſuis rem mitigare, ut non ſint nobis nec currus nec catenae. Diutius tecum nec calamus poteſt morari. Tu me ama & vale. Deventriæ. 14. Septembris 1586.

[1] EPISTOLA CCLXXI.

NIC. OUDARTUS

J. Lipſio S. P.

VIr integerrime. Criticorum, & de Pronuntiatione Lipſii, quae miſiſti, exemplaria nudiustertius accepi, ac de illis cum Reverendiſſimo per occaſionem, quae hodie primum ſe commoda obtulit, prolixe contuli. Relegentur hîc, ne cum Lovanienſibus nobis res ſit, qui neſcio quo fundamento nixi, velut Utopiam incolant, & tanquam res ſine circumſtantiis ſit (liceat illorum verbis uti) nulla concreti habita ratione videntur omnia in abſtracto conſiderare velle. Verum haec tacituro. Lipſii porro illa ſcripta ut evulgentur, ſi non tua, certe reip. litterariae intereſt. Percurri obiter illius de Pronuntiatione; in quo ſi non omnia vera, tamen ex vero & admodum veriſimilia. qualiacumque autem ſint, mihi valde probantur. Reſponſum Lipſii avide expecto & neſcias, quàm id videre deſideret Reverendiſſimus Archiepiſcopus. Si erit, ut volumus, vellem ut una ſciremus, quibus conditionibus ſecum agi is velit. Vult enim Reverendiſſimus eadem opera omnia conficere, ipſumque plane ſecurum reddere; atque id eo affectu, ut tu ipſe non poſſis majore. in eo tantum a te diſcedit, quod, ſi qua fieri queat, non Antverpiae, ſed Lovanii clara in luce, Lipſium conſiſtere vellet. Porro ex Praefatione in de Pronuntiatione, neſcio quid novae cogitationis habere videtur, niſi ſit ut auribus id dederit illius, cui ſcribit. Et vero non tam corrupti judicii ipſum habeo, ut Anglica ſceptra in Batavis poſſe perennare opinetur; & ut opinaretur, admodum abſurda haec opinio eſſet, meo quidem judicio, quod firmo non ex potentia Regis noſtri, quae alioqui maxima eſt; non ex Politicorum recepto Axiomate; quo plures, in unam vel mediocriter potentem, conſpirantes fruſtra eſſe volunt. non, inquam, ex his, tametſi vehementer urgeant, firmo judicium meum, ſed ex praeteriti temporis hiſtoria, praeſertim cum lego Batavici

1 Memorabilis haec epiſtola, quae licet videatur alii (forte *Plantino*) ſcripta, in tergo, quod plicatum habere ſolet inſcriptionem nominis, ita erat inſcripta, *Clariſſ. Doctiſſimoque viro Domino Juſto Lipſio ipſimet, vel cui mandaverit* Coloniae. *Serventur a D. Mylio, donec Lipſius ipſemet adſit, vel ſcripſerit, cui tradi voluerit.* unde apparet Lipſium jam A. 1586. cum Oldenburgum uſque proceſſerat, iter ſuum intendiſſe verſus Coloniam, & egiſſe cum amicis ſuis in Belgio Hiſpanico, de Lovanienſi Profeſſione, & deſerenda Leidenſi Academia. vid. & Epiſtolam Plantini CCLVI. & mox ſequentem. Hic *Oudartus* vero Canonicus Bruxellenſis; & *Torrentio* familiaris, cujus nomine cum Lipſio hoc negotium tractaſſe eum apparet.

ci belli exitum in Tacito, cui hoc praeſens examuſſim quadrat, niſi quae forſan in tempore differentia videatur: cum itidem lego Anglici belli exitum in Gallia tua ſub Carolo Prudente. futurum enim video, ut hujus tam calidi conſilii quo ſe miſere praecipitarunt Batavi, eos egregie poeniteat, eamque poenitentiam reipſa tandem oſtendant. Nam ut in Batavis, quae olim in Caletibus Anglis ſint imperii fundamenta, hoc eſt, crudeliter expulſis incolis, colonias in eos ducant, avertant ſuperi & bonus Belgii genius. Quae cum ita ſe habeant, prudentiorem fore ſpero Lipſium, quam ut praeſentium tantum habita ratione futuri doloris memoriam ſpernat. Quo ſpectant quoque verſiculi, quos olim ſcriptos hiſce conjunxi, ut videres, quam mihi ſemper Lipſius fuerit cordi. Cum *Douſa* nihil mihi intercedit, quia tamen Lipſio amicus, velim ut & ipſe futuri quoque memor ſit. nam non deſunt cordati, qui majorem in eo modeſtiam requirant, idque adeo nuper intellexi, cum magnis quibuſdam & doctis Lipſii mei ad Torrentium [2] epiſtolam praelegerem; in qua tamen a modeſtia commendatur. Sed vide, quo me in Lipſium affectus abripuerit. Redeo in viam, ac quia prioribus tuis jam reſpondi, ad poſteriores venio. Exemplar litterarum *Maſii* Reverendiſſimo legi, ut videret Lovanienſium impudentiam, quam ubi deteſtatus eſt, ſubjunxit vernaculo proverbio. *Maſium ſecum tantum, non cum hoſpite rationes ſuas putaſſe.* & in Lovanienſium poteſtate non eſſe, ea de re conſtituere, quando in manus ſuas omnia adhuc venire debeant; quo ubi venerint, nimirum ſe arbitrio ſuo uſurum. Non dubito, quin omnia tibi ſerventur. verum ut video, cuperet. ſi ſine incommodo tuo fieri poſſet, Lovanienſibus volentibus hanc te provinciam ſuſcipere; & vel ſaltem in Manualis editione *Maſium* admitti, non typos tuos Lovanium mittendo, ſed eidem aliquot exemplaria, quo ſcribis precio, ſub qualis qualis tranſactionis ſpecie reliquendo. Quando enim rigidis illis (quod tibi tantum dico) perſuadere abſens non poteſt, quae ipſe de te ſibi maxime perſuaſa habet, crabroneſque non facile irritandos cenſeat, hoc modo illos ad rationis normam reducere vellet. Breviarium hîc eſt, ſed recoquendum, ut alias ſcripſi. Manuale propediem expectamus. De Reverendiſſimi in te voluntate jubeo te ſecurum eſſe. Affulgeat tantum aliqua firmior ſerenitas, ſenties ipſius cogitationes a tuo compendio & honore nequaquam alienas. De Plauto ſcire velim, an necdum obſtetrix ſit inventa, quae ex tot eum hactenus parturientibus, uni ſaltem aſtiterit. Idem de Agellio, ſive Aulo Gellio, dictum puta. Vale vir integerrime. Raptim Machlinia IV. Id. Octob. ∞. IↃ.XXCVI.

JUSTO LIPSIO.

Qui lux, qui ſplendor, qui noſtrae Belgicae ocellus,
Unus & illius gloria es, unus honos,
Quid juvat extremo te, Lipſi, degere in orbe,
Atque tibi obſcuro delituiſſe loco?

Fin-

2. Eſt Cent. I. Epiſt. 97.

Infectoſque ſequi male ſana uligine tractus,
Et colere averſis ſtructa Lycea Deis?
Siccine Lugduni titulos mentita, Batava
Aure tumens, reliquis prae tibi, Leyda, placet?
Leida cui (Leyden quoniam deducere Belgis)
A ductu, tribuit Belgica nomen, aquae.
Quaeque vetuſtatis veſtigia nulla decorae
Innumera ingratae ſed novitatis habet.
Dii melius, quam aliis pollens in rebus acumen,
Vis hic judicii deficiatque tui.
Ergo age peſtiferis excede paludibus, ulvam
Neve ſacrae lauro praepoſuiſſe velis.
Non tibi, compulſus quam tempeſtate ſubiſti,
Tutus in infida eſt hac ſtatione locus.
I pete legitimum potius contingeque portum,
Terra tibi quaevis pandit amica ſinum.
Poſtulat illuſtris virtus, illuſtre Theatrum:
Hactenus ab Batavos ſit coluiſſe ſatis.

EIDEM.

Si pote ab ingenio quiſquam ſperare triumphum,
Illud ubi omnigena nobile dote videt;
Nec cedens ulli veterum, nec temporis hujus,
Utriſque antiſtans imo ſubinde etiam:
Laurea praecipua & debetur adorea Lipſi,
Ex hoc praeclaro ſumma labore tibi.
Nam quaecunque queunt bene ſcribi ſive notari,
In Tacitum haec à te ſcripta notataque ſunt.
Quae nunc ab duro vulgantur tempore; ſed te
Quid quaeſo afflictes aut ideo crucies.
Quin pergis porro ſtudiis praecellere honeſtis,
Omnem & fatalis vim ſuperare mali?
Non facile eſt, dices, in tantis ſcribere turbis;
Non facile eſt. virtus at tua cuncta poteſt.
Adde quod abducant animos a triſtibus, atque
Sollicito Muſae corda dolore levant.
O ſuperi vobis ſi ſint haec infera cordi,
Res hominum ſi aequis aſpicitiſque oculis,
Afflictis miſere tandem ſuccurrite Belgis,
Mars ferus immites exagitetque Getas.
Deſinat Aonias ac perturbare ſorores
Qua modo terribilem dat tuba rauca ſonum.

Non

Non precor ut redeant felicia tempora noſtro
Viſa aevo; Belgae ſic meruere licet.
Ingeniis tantum creſcendi copia detur;
Hoc habeant ſaltem pro pietate ſua.

JANO DOUZAE

Quem graviore ſacras ferientem pectine chordas,
Conſtat Pindaricos exuperare modos:
Atque Valentinum, Tutorem, Claſſicum & acrem
Civilem infracta concinuiſſe lyra.
Diſpice, Douza: ſolent nam Vates noſſe futura,
Num tibi dicendus mox Cerealis erit.

EPISTOLA CCLXXII.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto.

Mechiliniam.

EGo vero me explicui, & ſum ecce in aquis Spadenſibus, quae utinam tam ſalutares mihi ſint, quam optatae. ſed quid ais? nonne tandem ex tuo & bonorum voto Batavos deſerui? etiam ex meo, ne erres. etſi id ante effectum reddere in hac valetudine mea, & variis locorum temporumque impedimentis, haud datum. Deus tandem me reſpexit. ego te inter primos ſcire hoc conſilium meum volui, cujus fides & amor mihi perſpecta, & qui iis nominibus jam dui mihi carus. Nos hîc in ſolitudine iſta adhuc haeremus, &, tuto modo liceat, haeſuri videmur in tempus: fama & rumoribus ita expediti, ut ſpatio elangueſcant. Tu tamen quid tui, aut amicorum conſilii ſit, libere ad me ſcribes. Parere ſoleo, & in externis iſtis rebus haud [1] praefracte tenax eſſe ſententiae meae. Innueras in extrema epiſtola tua de Praeſide *Richardotio*, ejuſque in me adfectu. Scribone viro? & ſi videtur, dic ſodes, in quam ſententiam, atque adeo titulum inſcriptionemque epiſtolae, quaſi nomenclator mihi ſubminiſtra. Vocati ſumus his diebus nimis liberaliter a Duce Etruriae Piſas, etiam ab Epiſcopo Tornacenſi, ut audio, Lovanium, ſed literas ego nondum vidi. Germani vocarunt plures, ſed cur eos fugi, tu non ignoras. & ſi illuc vellem, cur benignos & comes in me Batavos deſererem? haec nunc breviter, & tibi, niſi ſi forte Bruxellis te eſſe contingeret, non diſpliceret communicari haec & talia cum conſiliario *Breugelio*, cognato noſtro, ſi forte eum noſtri. Vir Clariſſime, vale. Aquis Spadanis Poſtrid. Kal. Jun. CIƆIƆXCI.

1 Aliter cum *Douza* & Batavis amicis agit, apud quos *Voluntatem* ſuam, pro omni ratione, valere voluit. vid. Epiſt. apud Pontan. Decad. III. 10.

EPISTOLA CCLXXIII.

NIC. OUDARTUS

J. Lipſio.

Ubi, ubi erit.

JAmdiu eſt, quod debeo reſponſum ad binas tuas, unas Nonis, alteras IV. Id. Mart. datas; nec tamen me excuſo. noſti enim de re, non de ſpe, mihi ſcribere propoſitum. Igitur nunc ſic habe. Cum circa Kal. Junias Ordines Brabantici conveniſſent, ac inter eos Reverendiſſimus D. *Torrentius*, nihil prius habui, quam ſecundum praemeditata conſilia, ipſum D. *Torrentium* ſuper cauſſa Lipſii ſtatim adire. Adii, reſpondit humaniter, ac pollicitus eſt prolixe, prout abs tam amico animo expectari poterat; quin & bis terve cauſſam in Ordinum conſeſſu propoſuit, benigneque auditus eſt. Verum enimvero cum res ſemper intra verba ſtaret, nec quidquam definiretur, commodum incidit, commodiſſimum ſic fore, ſi per oblationem libelli, Ordines ad exprimendam ſententiam urgerentur. Itaque libellum concepi, ac praeconſultis Dominis *Breughelio*, *Hartio*, *Bochio*, *Uweno* aliiſque, illorumque & mea commendatione praemunitum, qualem hiſce incluſum vides, obtuli. Quid vis? ſtatim reſcriptum eſt, a Praelatis quidem & Nobilitate abſolute, a Civitatum Legatis cum relatione, pro more, ad ſuos. Sed jam quid reſcriptum ſit ſcire aves. Optaverimus nos prolixius, tametſi D. *Torrentio*, praeſentis temporis anguſtia, videatur ſatis honorifice & munifice, ſive re vera eae Ordinum anguſtiae ſint, ſive aetas aut patria, ipſum ad parcitatem potius inclinet. Certe ſi felicis recordationis Reverendiſſimus *Hauchinus* vixiſſet, intra tam anguſtas liberalitatis metas Ordines non conſtitiſſent. Reſcriptum autem eſt; Lipſium propoſito ſexcentorum annorum honorario, ultra ſtipendium ordinarium profeſſori Latino in Collegio Buslidiano adſcriptum, miſſiſque in eam rem amicis literis, huc ſerio evocandum & invitandum. Id quod omnino fiet, ſtatim ac Civitates Legatorum ſuorum ſententiam approbarunt, quam approbationem propediem ſecuturam non dubitamus. Interea liberum tibi erit, quid Ordinibus reſpondendum arbitraberis, diſpicere. Diſplicebit fortaſſis munus profeſſionis publicae: nam & literae tuae id ſatis prae ſe ferunt; verumtamen iſtud nec moleſtum, nec inhonorum tibi, ſi ſuſcipias, arbitramur. Et ut aliud non ſit, quale meritum tuum futurum putas, ſi ſplendore nominis tui, Lovanio lucem, imo vitam intuleris? Quamquam & ab eo munere te facile, ſi voles, liberaveris, ubi adveneris, quando & alia aliunde accedent; de quibus Domini *Torrentius*, *Breughelius*, *Hartius* aliique fuſius. Caeterum ut te hanc qualemcunque conditionem nullo pacto recuſare optamus: ita D. *Hartio* mihique e re tua futurum videtur, ſi in ea publice acceptanda difficultatem quandam prae te feras, & Patriae tantum dare te oſtendas, quod ampliſſimis invitatus praemiis, tot Illuſtribus Rebuſp. & principibus hactenus nega-

ga-

gaſti. Apud D. *Cuyckium* quae voluiſti aſſiduo praeſtiti, quod vel ex particula ipſius ad me literarum cognoſcere potes, quam hiſce quoque incluſi: ſane quam bene Lipſio is velit, abunde eadem particula teſtabitur. Vale, aevi noſtri decus, ac Oudartum tuum, quod facis, amare perge. Bruxella pridie D. Johannis Baptiſtae CIƆ. IƆ. XCII.

EPISTOLA CCLXXIV.

J. LIPSIUS

Nic. Oudartio.

Bruxellam.

B*Ernartium* vidi hodie, & una tuas literas. Ille gratus, ut ſemper, iſtae mihi jucundae ſucco & nectare amicitiae imbutae. Quid in vita iſta delectet (divina omitto) niſi animorum haec conjunctio, & ad mutuum ſolatium auxiliumque conſpiratio? natura hoc omnes gentes quaerunt. & eo fine pagi, municipia, urbes inſtitutae. ſed inter multos pauci arctius familiariuſque inter ſe coëunt, quos aut ingeniorum ſimilitudo, aut amor idem honeſti conjunxit. veriſſime hoc ſcriptum legi: *jungit amicitias ſimilitudo morum, & neſcio quomodo inter ſeſe animorum lumina vident & agnoſcunt, nec quiſquam amare in altero poteſt, niſi quod tacitus probat.* Quinctil. Declam. CLXXXII. Tale aliquid in nobis eſſe, mi Oudarte, hoc magis inducor & ſuadeor, quia etiam ignoti & non viſi mutuum amamus. Ita nihil corporibus aut externis illiciis debemus, omnis hic affectus animos ſpectat, & ab iis pendet. Hoc ſemel teſtari volui, quia animus hic ipſe impellebat. Quod gratularis autem de me adventuque meo ipſi Lovanio, & ominaris id recreatum a nobis iri; Deus vota audiat atque etiam adjuvet. quia niſi praeſentis numinis auxilio mihi Lovanium jacet, aeternumque jacebit. video quae non promo. Collapſa aut dilapſa omnia, aedes, viri, ſcholae, juvenes, & caput non eſt, qui ſerio reſtituta velit aut collecta. mihi conſilium meum nihilominus ſedet, & ratum eſt hîc perſeverandi, donec per hoſtes, aut vim majorem licebit. at quam nihil timeam, ſi ſatis pro nobis timeant, qui ſciunt arcana rerum. ſed quid ego dicam? nihil, niſi una cum reliqua Europa defloreſcere & emaciari Belgicam noſtram, & imperium, opes, artes ire magis ad occidentem. Qui luſtra aliquot vivet, vaticinia haec non ridebit. Ad *P. Maſium* ſcripſi, ut parte aliqua obſequerer conſilio veſtro. Alias (ut rem dicam,) parum nos decet. Mores aut ingenium noſtrum ad ſuperbiam non devergunt. Ambire tamen aut captare quacumque ſpecie, inimicum eſt nobis. Atqui mores etiam hujus ſecli & noſtri palatii novi, quae haec non petunt, ſed quaſi debita poſcunt. Magne Deus, eritne illa dies, cum aliam ſpeciem dignam Magno Rege, & magna olim patria noſtra videam? ſed cohibeo, nec ſeria tango. *Bernartium* amo & amabo, ſi is eſt, quem ſcripta & amici promittunt. Vale V.C. Lovanii prid. non. Sept. CIƆIƆXCII.

EPISTOLA CCLXXV.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto S. D.

MI Oudarte, tandem, tandem res confecta, in qua te non dicam cum aliis, ſed ſuper alios laboraſſe. Scio, & meminero; & immortalis ea gratia tibi apud me erit. non quia res ipſa tam afficiat; quantulum eſt? utique mihi, qui, audacter apud te promo, jamdiu non in magno habeo humanas iſtas & perituras opes. ſed quia judicio delector, & elogiis, quae intelligo honeſte de me ſcripta. Iis opus hoc aevo contra calumnias & obliquos morſus, qui varie nos petunt. ſed dei auxilio & interno iſto robore (utinam corpus reſpondeat) perrumpemus, & victorialem cantum canemus, domitis inimicis. De Cruce libellos tres jam peregi, & eunt ad *Cuyckium*: an ordinibus, an Imperatori dedicandos? Utroque trahor. ad illos, ob beneficium; ad hunc, ob id ipſum, atque etiam judicium, quod honeſtum & largum mihi in privilegii verbis dedit. Videbo, & tu quoque conſule. ſive Ordines, ſive ipſe: alii alio tempore tamen habebunt. De *Face Hiſtorica*, quod ſubmones, magnum opus eſt, & tempus quaerit. praemittam fortaſſe *Fontinalium* libros duos, quos ad ipſas Acidulas concepi. atque inde tituli origo. *Hartium* jam diu meum, quem libentiſſimo animo atque oculis vidi, & ſum amplexus, ſaluta peramanter. Tu ipſe quando vidende? ſub tempus lectionum mearum cupio te venire, non animus ſolum iſte, ſed Domus tibi patet. Lovanii III. Non. Novemb. CIƆIƆXCII.

EPISTOLA CCLXXVI.

NIC. OUDARTUS

J. Lipſio.

Lovanium.

HEri tandem, quo vides exemplo, diploma Ordinum a *Maſio* extorſi. Authographum penes me ſervo, donec per Clariſſimum *Swerium* aut amicum alium tuto mittere queam. Mihi pro qualicunque hîc navata opella, nihil debes, quod & alias ſcripſi, tantum rogo, ut in bonam partem hoc quidquid eſt officii accipiatur. Optaveramus largius honorarium, & majus quoque elogium, quale quale tamen eſt, erit quo improbum iſtud aemulorum genus ringatur. Cautum erat paulo ſtrictius, in formula a nobis praeſcripta, de die ſolutionis ſervanda; ſed ex eo capite, nihil metuendum *Maſius* ſerio affirmavit, qui & omnia tibi pollicetur, & ſeſe plurimum commendat. De Cruce libellos tuos libentiſſime videro. quos cui potiſſimum dedicaturus ſis, Imperatorine an Ordinibus, non mei, ſed tui eſt judicii. Quia tamen nonnulli

ex

ex Ordinibus ſibi deſtinatos putant, ſi ad alium eant, *Fontinalium* libros illorum locum ſubito occupare fortaſſis expedierit, ne alioqui praeteritus ſe contemptum putet. Et quid ſi *Thraſeam* tuum ſubſtituas? ſane in tanta oportunitate & commoditate Dominum *Cuyckium*, Patres Societatis, atque adeo totam ſcholam Theologicam conſulendi, ipſum publico adornare non tibi difficile. *Hartius* amantiſſime reſalutat. Me, cum primum per ingrata negotia itinerumque pericula licebit, viſurus es; quando nihil optabilius mihi accedere poteſt, quam ſaeculi noſtri Phoenicem videre & amplecti. Interea Vale, Clariſſime praeſtantiſſimeque Domine, Oudartumque tuum, quod facis, amare perge. Bruxella XIII. Novemb. CIↃ.IↃ.XCII.

EPISTOLA CCLXXVII.

J. LIPSIUS

Oudarto S. D.

Accepi diploma, mi Oudarte, & id te curante. Gratias non dico, quia vetas: ſed habeo tamen, & ſempiternas quidem in ſempiterna iſta parte: Ipſum Diploma & concepta forma placet ſatis. nec enim laudes amplas, aut externa iſta quaerimus, contenti judicio & teſtimonio modeſto. Audio vos largius concepiſſe, qui nimis me amatis: ſed recidiſſe illos, qui me quoque, ſed cautius, amant. Quidquid eſt, non inquiro: uno & ſerio verbo, placet. Coeperam jam antea legere, & quaternas in hebdomadem lectiones inſtitui. binas in Floro, totidem in Caeſare de bello civili. Faxit Deus, ut in meum & juventutis hujus bonum, quae adhuc ſatis frequens operam nobis dat. ſed novitas fortaſſe allicit, & (mihi crede) pauci ſunt, non dicam intelligentes harum artium, ſed appetentes. Quid miremur, ubi tamdiu neglecta inſtitutio? & grandi paſſu jam ibatur ad barbariam priſcam. Iterum voveo, Deus pellat, & bonas artes ſervet validas ſemper in bono ſtatu. [1] *Alexandrum* noſtrum obiiſſe audivimus, magnum fama, & majorem, ſi ante paucos annos, non dicam, obiiſſet, ſed abiiſſet. Haud fas temere aliquid de mortuis: ſed certe extrema inclinarunt. haud ſcio an ejus culpa. multi multa ſuſpicantur, aut dicunt. ſed Principum arcana quis praeter ipſos ſciet? atque haec nihil ad me. illud magis, ille tam florens & potens antea, quam ſubito famam, valetudinem & vitam amiſit? Mollis Rex fuiſſe dicitur, ſed qui fortiter dixit, *Res humanas nec ſono illo dignas eſſe, quem colli ſi inter ſe duo digiti edunt.* Sardanapalus fuit, qui hoc monumento ſuo juſſit inſcribi, potius imagine oſtendi. nam ipſi duo digiti (ut per contemptum etiam nos ſolemus) monumento ejus inſculpti, ſic juncti. Vale, mi Oudarte; & me ſerio tuum ama. Lovanii, prid. Non. Decemb. CIↃIↃXCII.

1 *Alexandrum Farneſium*, Parmenſem Ducem.

EPISTOLA CCLXXVIII.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto. S. D.

Mechliniam.

CArmen tuum caſtigatum accepi, quod noli putare me per morem aut amorem laudaſſe, ſed quia ita ſenſi; Quid tamen ....? vereor, ut haud multum, & res eant, quo pede coeperunt. Optimum hunc Principem arbitror, ſed molem & confuſionem rerum etiam vides, nec ille, ſubito eſt inſtaurandis omnibus, aut corrigendis. Quid ſi deſeritur, a quibus minime deberet? Quid ſi clam impeditur, credo haec fieri, & ut verum fatear, chaos eſt ſtatus noſter. Tamen de ſumma & exitu ut ſemper, ita nunc ſentio, vergere libram fati ad Hiſpanos, & eos futuros dominos potentesque rerum. multis hoc non perſuaſero, fortaſſis, nec tibi: ab eventu, igitur pendet, exſpectemus; in Galliam Rex totus, & conſilium ſe vertit, caput olim Regnorum, nunc quid niſi ſpolium & ſectionem? hoc enim quoque cenſeo, & praevideo regnum illud eſſe dividendum. Opportunum ſit ad conſilia Regis, aut pacem, aut inducias cum Batavis ſtatui, ſed *Hartius* noſter rediit, quae ſpes? nulla, ut ex ſilentio illo colligo. niſi ſi haec ipſa, quod mihi non diſpliceat, ſilentio & occulte aguntur. Laeta & triſtia velim premi: & ad ſucceſſum ſaepe facit, & ſemper ad auctoritatem. noſtra militia parata eſt, & educemus, ſed poſt luſtrationem: ſub quo duce? iſto, qui adeſt, etſi alter ille mihi olim in mente, & fortaſſe hoc utilius. ad res privatas, Quas ego, mi Oudarte, crede hoc ſemel in his publicis non ſpecto: gratiam quaero, & decorum intueor, & praecipue famam. Haec poſtrema fuit fortaſſe a noſtro .... (apud te pono) & non aequa cervice ferre illud jugum, ſerum eſt. ego & tu quoque mixti ſumus, ſed bono animo: nec aliquid diſpar, ſi ille per juvenilitatem non peccat. O beata tranquillitas! quam mihi cottidie formo, non docendo ſolum (Senecam eo titulo lego) ſed vivendo. niſi quod una re turbo, aedificando. nam domum emi, reparo: creſcit opus, & iſti, qui ſtruere debebant, aſſidue deſtruunt, me mirante, & invito. rationem unam audio, pro bono hoc eſſe: & credo equidem, ſed ipſorum. ego interea exhaurior. Quis implebit? .....? verbis nempe & benigna epiſtola; fortaſſe res ſequetur. Bona fide & ſerio, curam majorem aliquam .... eſſe. hoc velim, & publice interſit, ſed magnus Rector viderit, id eſt Deus, auctor his ſtudiis, & idem altor. Tenebit ea quamdiu expediet, tollet, cum gloriam a nobis & virtutem. Hac duo quamdiu in pretio, illa erunt: nec aliter videbis, mi Oudarti, qui diu vive & ſalve. Lovanii 11. Kal. Jul A°. 1594. *Hartium* noſtrum ſi vides, animitus ſaluta. Ego de ſtatu Bataviae a nobili Gallo cognovi affatim, qui a *Scaligero* veniebat. de ſtatu dico, qui privatos tangit, & amicos.

Aliam, pro hac ad Amicum (ita inſcripta erat in autographo) data, Epiſtolam edidit Lipſius III. Centur. ad Belgas 14. quae eodem die notatur. ſed & in noſtra quaedam voces ita inductae erant, ut nullo modo legi poſſent, quare lacunas reliquimus.

EPI-

EPISTOLA CCLXXIX.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto. S. D.

Mechliniam.

COmmendavi jam nuper *Bernartium* tibi, nunc iterum ſcribo; at quid tam frequens? cauſſa amici? non; quanquam ſi illud eſſet, non peccarem. fabulari & garrire cum amicis, ut ſermone, ita litteris licet, ut Cicero monuit, debere iſtas interdum alucinari; ſed cauſſa tamen ſcribendi alia, amicorum preces. Audi, & me excuſa, ſi quid pecco: non fiducia amicitiae noſtrae, quam verecunde cultam volo, ſed mollitie animi, qua haud facile me, aut operam meam aliis nego. Ecce *Andreas Saſſenus*, vetus mihi amicus, in hac urbe, me adiit, onera, aut jus trium liberorum expoſuit, temporis anguſtias & res arctas, unum ex iis beneficium, ut vocamus, Rotternacenſe impetraſſe per nominationem. noſti legem? & vocem Academicam. Huic beneficio, ne firmum & plenum ſit, obſtare donationem Baronis *Champigneji*, qui ut Patronus tibi dedit. Iſti negant jus ei eſſe: ad ſummam lis eſt, aut erit. Quid igitur? ego a Viris magnis, & qui ipſi favent, deſtinatus fecialis, ut pacem componam, iis legibus, ut nihil ipſe habeas, & omne jus tuum cedas nominato. Heu tuam frontem! inquies; hoc rogas? Rogo, ſed rogatus. Adoleſcens ipſe, cui collatum munus, dignus eo eſt, induſtria, ingenio, pietate, hîc inter primos. Volunt aliquid & avunculo deberi, Doctori Theologo, *Gravio*, qui Romae in legatione fato ſuo eſt functus. en cauſſam egi ut Patronus: quid ut arbiter, & in te pronus? ſi non magna res tua agitur, ſi pauxilla jactura conciliare tibi in perpetuum gratiam & benevolentiam iſtorum hominum potes, facito: ſin aliter, hoc quod ex uſu tuo facito. Ego aliis ita amicus ſum, ut te in animo habeam inter primorum primos. Illud tantum, ſi reſcribis (puto facies) aſperge aliquid, quod tuto legam, & oſtendam iis, qui hoc a me extorſerunt. Vale, mi Oudarte. Lovan. IV. Kal. Octo. A°. 1594.

Scripſi poſtremum de ſtipendio maligne ſoluto. & verum eſt, atque etiam ſolvendo. nam hic homo futilis eſt, & miror tales admoveri ad pecuniam publicam tractandam. ſed tamen moveri te nolo, nihil calide a nobis fiet, nec niſi conſilio & praeſcientia veſtra. Honos tamen curae erit, ut debet, & defenſa apud exteros dignitas, ne hîc vileſcat. Tempora non ignoro, ſed nec tu cauſſam: malis iis magnam eſſe iſtos malos. Premo. & te iterum ex animo ſaluto.

EPI-

EPISTOLA CCLXXX.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto. S. D.

Mechliniam.

VIr Reverende & clariſſime. Heri litteras tuas accepi, tu meas antea, ſi te Bruxellae eſſe ſciviſſem, ſed ad *Hartium* tamen cum ſcripſi; ad te quoque videor: qui revera jugum hoc amicitiae ita ducitis, ut non par aliquod, ſed unum videamini. O felicem & ſuavem amicitiam! O grande mortalium bonum! quo carent fere grandes, quibus adulatio aut occultum odium magis adhaerent. de re mea ſcripſi ad *Hartium.* igitur nec dubito communicaſſe tecum, quia res mea fuit; Nonne ſcio, quomodo eam curetis? non qua fide ſolum; ſed qua diligentia? enimvero in iſta, per omnia ſacra vos convenio, judicium & ſententiam etiam ferte. Conſiderentur omnia, an non melius abeſſe paulum & ſecedere ab his turbis, in quibus omnia alia, quam artes noſtrae curantur? Nemo exterorum erit, cui non ea excuſatio ſufficiat, imo ultro ſuccurrat: nec ejectum aliquis me cenſuerit, ſed emandatum. ſi enim pretio aliquo vobis ſum, patiamini ire, ubi nobis pretium. Nam Lovanium jacet, nec per haec tempora, omnibus architectis adhibitis, reſurget. Aetas mea vergit, & canities mox me ſparget. ſemperque in curis ero & ſolicitudine iſta vilium rerum? ſic appello & habeo haec externa. utcunque non per ea, ſed ob ea vivunt quidam. mihi ſunt, quod ſunt: id eſt aura, fumi, terra: ſed tamen ſerpens aevum ſine iis non eſt: eamus ubi ſuppeditantur. Hîc quoque fiet, inquies. jamdiu audio, ſed fiet. Tarda omnia & lenta ſi in publicis rebus, quid in privata mea putem? nolo de me aliquid confidentius, ſed tamen exteri mirentur, & vix credant me ſic haberi. Quid poſteri? non cur habuerim, ſed cur non habuerim quaerent. Mi Oudarte, etiamſi in poſterum ceſſemus ac ſileamus (& valetudo certe ſuadet) praeteriti labores noſtri gratiam aliquam & honorem merebantur. Duo aut tria opera noſtra ſunt, quae vivent, nec invidia aut Parca dentem iis facile infigent. nihil glorior: Dei iſta, non mea ſunt. Quid eſt, quod non acceperim? hoc meum; quod ſi accepi, refudi, & operae parcus non fui in juventute, atque etiam majoribus formandis. ſed a re abeo; dum me cogito: apud te tamen nihil pecco, ſi haec aperio, cui patere velim nudum & conſpicuum hoc pectus. Summa totius cauſſae eſt, ſaepe alio vocor, & ad loca quieta, amica muſis, amica ipſi noſtro Regi: cur teneor, nec quod vocatores mei faciunt, hîc fit? ſed non tenemus, inquient, nec ulla obligatio tibi nobiscum eſt. Hoc eſt, quod deſidero, efferatur unum iſtud verbum, *Lipſi liber & cum bona gratia abi.* ſpondeo per Deum & ſupremum illud numen, ubicunque ſum, Regi & patriae addictum futurum: imo ſi tempora alia, aut occaſio ſint, coram manſione ac factis iterum hoc oſtenſurum. revocent me poſt pauculos annos! venio, nec alia lege aliis me obſtringam. Quod ſi tamen firma omnia & mediocria

(ma-

(maxima non opto) mihi conſtiterint, pedem non moveo, paratus diſcrimen omne cum patria, & in ipſa ſubire. En, mi Oudarte, totum meum ſenſum: per omne jus amicitiae explica, ubi opus eſt, & fac ne diu cum noſtro incommodo animi & conſilii ſimus incerti. *praeſtat ſemel cadere*, ait Seneca, *quam ſemper pendere.* Noſtro *Hartio* ſalutem, & haec eadem ſcripta. Lovanii VII. Idus Mart. 1595.

EPISTOLA CCLXXXI.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto ſuo.

QUod de titulo & munere Hiſtorici Regii mihi gratularis, carum eſt, mi Oudarte, a te tam caro. ſed an firmum certumque ſatis patieris me dubitare? cur enim, ſi ita, nullae ad me litterae? & certe diploma etiam aliquod, aut publicum teſtimonium eſſet. ſed tu, ut propenſio & cupiditas tua in me, & pro me eſt, ſpem pro re interpretatus es, & quod promiſerunt, pro rato factoque habes. Ego autem exiſtimo, ab ipſo capite & a Rege hoc beneficii aut honoris manare debere. quod cum erit, dabo equidem operam, ne vanus vacuuſque ille titulus ſit, ut hactenus in multis. Libet, quod apud te dicam, honeſte abſcedere ab his litterariis aut antiquariis ſcriptionibus: quae eruditionem variam fortaſſe habent, & ſuam laudem, ſed non illum ſerium, robuſtumque animorum fructum, quem electione & judicio jam diu quaero. Philoſophia eſt, quae me capit, cui in Hiſtoria etiam campus, imo vel maxime, ſi rite & veterum aliquot more ſcribatur. Tu mihi judex aut teſtis eſto. in Tacito noſtro, ecqua pars prudentiae, aut ſapientiae non eſt ſparſa? nec occultis ſeminibus tantum, ſed alibi & flores earum videre in oratione, aut ſermone aliquo eſt, & fruges. Ergo videbimus, etſi propoſitum nobis non a novella ſtatim & horum temporum hiſtoria incipere, quod vellent multi, ſed quod ego & pauci, a veteri, & Romanas Graecaſque, ſed & Barbaras res, uno filo & ſerie deducere, ad hoc aevum. Id in compendio, judiciis tamen notiſque inſitis, quae doceant lectorem aut forment. ſed, ut dixi, videbimus. nihil hujus aut alterius tituli ambitioſi (Deum teſtor) niſi quatenus publico & poſteris fructum ejus poſſimus imputare. Vale, mi Oudarte, cum noſtro *Hartio*, cui pariter haec ſcripta. Lovan. poſtr. Natal. Domini CIƆIƆXCV.

EPISTOLA CCLXXXII.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto ſuo S. D.

Mechliniam.

PErcuſſeras me novo & triſti ictu de noſtro Berchemio, niſi ante ſeptimanas jam duas ex rumore accepiſſem. Tamen vel ſic percuſſiſti, & recte tuo

tuo quoque dolore innovaſti, vel auxiſti, meum. Vera de viro illo praedicas, probus fuit, peritus uſu & peregrinatione rerum, ſciens amansque litterarum. Mei quoque unice amans: & id (ut audio) in ipſa morte oſtendit, librario aliquo legato mihi relicto. Quod ſi per te cum fide curabitur, gratum erit, fortaſſe & utile; quia audio bonos & antiquos ſcriptos libros eſſe. Sed de fato ejus, mi Oudarte, quid nimis lugeamus? vox ipſa a me poſita ſoletur, fatum eſt, decretum nempe immobile aeterni Dei. O miſerum vilemque homuncionem, qui retractare auſit, qui obloqui, qui aliud aliquid melius fuiſſe! Certe hoc optimum, quod viſum illi optimo: & pii prudenteſque, qui judicia, imo & deſideria, illi ſubmittunt. Brevis, ſed immenſae ſapientiae ille ſermo & precatio eſt: *fiat voluntas tua*: & quae merito Deum auctorem habet: fiat, fiat, etiam in me, cum hora erit, ô mei conditor: & diffinge corpuſculum iſtud, qui finxiſti. Anima aeterna eſt, atque utinam ei ſedes apud aeternas illas beataſque! Quod de *Berchemio* omnino ſperandum eſt, quem diſco e Bacciana epiſtola pie, pure, ac Chriſtiano ritu expiatum, abiiſſe. Salve igitur mi ſuperne nunc *Berchemi*, ſalve; nos aſpice in humilibus turbidiſque locis, inter turbas & curas jactatos; & tuis quoque votis ac precibus, ſiſtamur in quietis illis ac tutis. Sed & tu ſalve, ac dolorem his cogitationibus ſiſte, mi Oudarte. Lovanii, IV. Idus Junias. ∞.IↃ.XCVII.

EPISTOLA CCLXXXIII.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto V. R. S. D.

Mechliniam.

QUid cauſſa eſſe dicam, quod in tanta re, id eſt Bernartii noſtri morte ſileas? Per alios hoc me, quam per te ſcire? Offenſa in me, an ſuſpicio aliqua in te eſt? permitte enim hoc mihi ſuſpicari: hoc, non illud: nam de mea puritate erga te ſum ſecurus. Sed ecce nuper & [1] Theſaurarium ſine ulla mea culpa fortaſſe offendi. Silet certe, & nec ad meas reſpondit. Rem totam ſcio te noſſe: de qua ad Hartium noſtrum accuratam epiſtola ſcripſi. Scripſi, ſed non miſi: quia tempeſtivum nondum videbatur, in cruda iſta indignatione mederi. Miſeram ſortem meam! moleſtias ſuſcepi & pertuli in obſervando, monendo, dirigendo: praeter mentem ſuorum vitae genus elegit: quid ego hic potui? me certe aeque atque illos celavit: & ſatis notum, nec auctorem nec arbitrum me hic fuiſſe. At lubet illis arbitrari. Faciant: ego in poſterum cautior, & nec Bonae Fortunae filius in aedes meas, habitandi quidem cauſſa, pedem ponet. Sed quid haec ad te? de Bernartio meo potius, quem ego cum Muſis:

In-

1 *Joannem Drenckwaertum*, cujus ſororis filius, *Balduinus Junius*, contubernalis fuit Lipſio, & eo inſcio & omnibus cognatis ad Franciſcanos ſe contulit. vid. III. Cent. Miſc. 80. & 82. & IV. 6. & hoc ſibi adſcribi hîc Lipſius queritur. vid. ſupr. ad Epiſt. CLXXIV.

Inſolabiliter lugebimus, aeternumque
Nulla dies nobis moerorem a pectore tollet.

Quam inopinata autem illa mors? in homine, cui ego vel Neſtoris tria ſaecla deſtinabam. O vanas ſpes! o naufragium earum juxta litus! Vere, cum Poëta,

— — — *ille potens ſui*
Laetuſque deget, cui licet in diem
Dixiſſe, Vixi.

Olim animum ſic imbui, & nunc confirmo cottidie, cum Philoſophica quaedam, ſed ad Senecam meum, ſcribo.

— — — *nihil amplius oro,*
Virgine nate, niſi ut propria haec mihi munera faxis.

Vale. Lovanii, ipſo die, quo Virgineus ille partus prodiit ante annos ∞. ıɔcı.

EPISTOLA CCLXXXIV.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto S. D.

Mechliniam.

O quam dolui, Bruxellam te non veniſſe! una Hallas iviſſemus, fabulati, convivati eſſemus: quid amplius? reſcriptum etiam meum vidiſſes in Italum illum protervum, nulla re meritum reſponderi, niſi ob exemplum. Nam ipſe & notae nec aſſis ſunt. ſed *Hartius* noſter ſpem fecit propinqui veſtri adventus: grati, grati: utinam tempora non interveniant & retardent! nam hoſticos magnos apparatus audimus, & ſolita noſtra videmus, id eſt [1] negligentiam & contemptum. Deum aſpicio & imploro, publicis tutorem, nobis cuſtodem. Optime mi Oudarte, ſalve, cum quo iterum doleo, non communicatum reſcriptum meum: quod nunc Antverpiam ivit. Nam amici alii aliter: & pars ſilere, pars refellere ſuadebant. Hartius iſtud. Qui eſtis apud vos? an Bruxellae etiam, quo Praeſidem veniſſe audiebamus. iterum ſalve. Lovanii Idib. Juniis cıɔ. ıɔcıı.

1 Hoc praecipue queritur in Epiſtola ad Oudartum ıv. Cent. 44. & ubi non in epiſtolis tam editis, quam ſcriptis?

EPISTOLA CCLXXXV.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto ſuo S. D.

Mechliniam.

ECce, mi optime, ſcripta noſtra bina, ſerium alterum, alterum joci & ſalis: utinam utrumque bonis bonum: ſed nimis multi impellebant. & vo-

ces laudeſque audiebam, quae mordebant. etiam qui docti videri volebant, ſcriptum illud attollebant. non tuli, & dejeci, quo oportuit, in tenebras & ſordes. ſed tu videbis. quando ego te cum noſtro *Hartio?* quandocunque, ita grati venietis, ut ſi e coelo duo genii. publica non tango, angunt. Exemplaria terna hîc adjuncta. Unum cum litteris D. *Peckio* dandum, duo alia (tuo arbitrio) *Maſio* ſive *Steenhuſio*, an alteri malis: nam Illuſtriſſimo veſtro non auſim haec levia, & alia illi dignitati debentur. Salve, mi optime. Lovan. III. Idus Sextil. CIↃ ƆCII.

Sed heus. obliviſcor de liberalitate in me Ducis Arſchotani? heri torquem aureum ad me miſit cum ſua imagine, item Scyphum inauratum, grandem, affabre factum, ut rem dicam, vel rege dignum donum. Jam ad illum ibam gratias acturus.

EPISTOLA CCLXXXVI.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto ſuo.

Mechliniam.

AUla hîc adeſt. Praeſes *Richardotus* in mea domo, tu cogita, quantum animi aut otii ſit ad ſcribendum. ſed animi tamen, aut certe affectus, ad te ſemper ſatis. etiam otii, ut ſignificem, quod occaſio aliqua praeſens ſuadet. Ego tuas accepi, legi lubens, ut ſemper: illud maxime de adventu tuo & *Hartii*, quem mihi, ex condicto veſtro, hoc menſe repraeſento. Tum de nepote, & ſi quid aliud in mea aut amicorum manu erit. de ſcriptis, ſive ad Senecam, ſive quo alio argumento, velim te (ſemel & ſerio dico) parcius agere, & remiſſius urgere. Ita vilis tibi vita mea eſt? aere emptum mancipium ſum? tempora & homines ſolus ignoro? Fluxum hunc rerum non video? propendet ingenium meum, fateor; pro ſuo captu bene merendi & faciendi publice: ſed feciſſe etiam me cogitandum eſt: & malus ille creditor, qui accepti oblitus cogitat tantum de capiendo. Vivamus etiam Deo & nobis, Oudarte; hoc conſilium, hoc decretum eſt, nec laborare ſemper in famam, id eſt, ventum. Carmen tuum ad, vel in Eburones legi: placet & non placet, quia in meos. Ego illum populum amo, & revera hîc peccaſſe leviter, aut nihil puto. Terror ille praeſens, & in oculis, noſtra ſubſidia, ſi non longinqua, tarda facile apud aequum judicem excuſent: ſed quid tu de hac novella ſeditione? ſi vires capit, diſcrimen dabit, & turbabit non capta ſolum conſilia, ſed capienda. En quo ventum, & ad quae flagitia militiae a neglecta diſciplina? Quam ſolvere in facili eſt, adſtringere vel Corbulo aliquis poſſet. Vale, mi amice, cum noſtro *Hartio*, cui & haec ſcripta. Filium ejus hodie vidi; & ſermones virum prae ſe ferunt. Lovan. poſtr. Non. Septemb. 1602.

EPI-

EPISTOLA CCLXXXVII.

NIC. OUDARTUS

J. Lipſio.

Lovanium.

CLariſſime praeſtantiſſimeque Domine. Quod adeo benigne *Antonianum* meum hoſpitio exceperis, gratias habeo tibi maximas. illi tamen iraſcor, quod, contra diſertum meum mandatum, ad te divertere ſit auſus. Sufficere ei certe debebat, quod ſemel ſumptui fuerat, & crebro moleſtus eſſe pergeret, prout & ego, qui anxie expecto, quid Theſaurarius tandem conſtituturus ſit. Tametſi me magis anxium publica habent, quae non labi, ſed ruere prorſus videntur. & quidem ſine ulla ſpe fulturae; niſi Deus e machina adſit. Quod utinam brevi videamus, & culpa ignavorum ac improborum latiſſime Belgium cum Religione non pereat! Verum omiſſis publicis, quæ, quantum poſſum, uni Deo commendo, ad privata redeo, & de Theſaurarii voluntate iterum quaero, quam nempe eam futuram putes? Quia ſi voto noſtro illa non reſpondeat, tempeſtive meo conſulam neceſſe eſt. Scripſi nuper: cum D. *Saſſeno* me tranſegiſſe: quod ita Gambarice facturus non eram, niſi de beneficio theſaurarii plane confidiſſem. Sane abſque ea confidentia fuiſſet, ad minimum centum florenorum penſionem exegiſſem; cum nunc ſexaginta tantum mihi ſatisfieri paſſus ſim. Admovit etiam D. *Saſſenus Antonianum* menſae ſecundae, cui tertia ſufficere poterat, ſi per Theſaurarium nihil accedat. Vivit tamen Deus, & aliunde ſubſidium aliquod, ſpero, affulgebit, etiamſi hac ſpe deſtituamur. Quamvis neque hîc deſpero, praeſertim Lipſio tam magno patrono ſubnixus, qui non apud Theſaurarium tantum, ſed & apud alios, vota mea, per occaſionem, promovere poterit. Vale, clariſſime praeſtantiſſimeque Domine, Oudartumque tuum, quod facis, amare perge. Raptiſſime Mechlinia III. Id. CIƆ IƆCII.

EPISTOLA CCXXXVIII.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto ſuo S. D.

Mechliniam.

CLementer, ſed & juſte factum, quod ignoſcis. Culpa non animi, ſed corporis erat: & ille ſolus eſt, ut ſcis, qui proprie peccat. O *Hartii* mei amicam ſubſcriptionem! ô veterem & fidum affectum! utar dilatione, ſi res poſcet. Nunc quidem adſpicere me ſanitas videbatur, ſed non ſic propinqua aut certa, ut tangere & ſtringere fas eſſet. Itaque, niſi de ſpe, nihil etiam ſcribo. Carmen hîc habes, quod ante ſex dies ſcripſeram: nec te percellet: & jam praemiſi, meliorem me eſſe. De Republ. noſtra, ut de me,

 omnia.

omnia ambigua cenſes: etſi ad ſpem magis unus. Quod novus magnae Britanniæ rex (ita ſe ſcribi vult) copias in Bataviam miſerit, non placet: leges & quaedam in his Demetrianis litteris non optima, nec tamen mala extrema. Vale & ſalve, mi Oudarte, cum Clariſſimo Hartio. Lovanii, v. Kal. Jun. ∞.IↃCIII.

EPISTOLA CCLXXXIX.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto S. D.

Mechliniam.

VAh! pudet me. tam multa legimus, inquirimus ego aliique: & fugit nos, quod ad Taciti noſtri rem ſummam facit. Quot libros ille ſcripſit? ego non incallide neque ἀλόγως (ſine ratione), divinaſſe mihi videbar. ſed divinaſſe: Ecce heri apud me vir nobilis [1] Britannus, qui admonuit in Hieronymo ipſum numerum expreſſum legi, locum dixit. ſequenti die (nam veſpera erat) inſpexi, repperi his ipſis verbis in cap. XIV. Zachariae Prophetae: *Haec omnia* (de Hieroſolymarum vaſtatione) *pleniſſime Joſephus, qui Judaicam ſcripſit Hiſtoriam. Cornelius quoque Tacitus, qui poſt Auguſtum uſque ad mortem Domitiani, vitas Caeſarum triginta voluminibus exaravit.* Quae ſi recte leguntur, quid ultra ambigimus? ſeptemdecem libri annalium fuerunt: Hiſtoriarum tredecim. ſed ego, ut verum fatear, aliquid in numero hoc controvertam. ſi enim quinque Hiſtoriarum libros (totidem fere exſtant) impendit vix triennii rebus geſtis, ad ſecundum Veſpaſiani conſulatum; quid reliquis ejus Principis, per octo annos actis? quid Titi biennio, Domitiani quindecennio, tantum octo libri attributi? Vix rerum copia (quae ſub Domitiano domi foriſque, pace & bello multiplex) permittit: praeſertim cùm Hiſtoriarum iſtos libros floride & diffuſe (quod res dicit) præquam illos Annalium ſcripſerit. Itaque ſi quis *quadraginta* in Hieronymo reſcribat, non damnem; etſi temere haud mutem: & ex vulgato numero ſex libros Galbae, Othoni, Vitellio, Veſpaſiano donem. duos Tito; quinque reliquos Domitiano. En argumentum Epiſtolae: neque celare te debui, pro amore & cultu in hunc ſcriptorem tuo. Vale. Lovanii VII. Idus Julias CIↃ IↃCIII.

1 *Franciſcus Tregianus*, ut Lipſius ipſe narrat, in praefatione ad Taciti libros. & ad quem ſcripta eſt Epiſtola IV. Centur. Miſcel. 76. & ad quam reſponſio infra producetur.

EPI-

[1]EPISTOLA CCXC.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto ſuo.

Mechliniam.

DEmetrianas remitto. in quibus de cauſſa vel origine, vel ſtimulo conjurationis, non equidem cum ipſo ſentio: neque noſtros ſolum, ſed Gallos & Batavos habeo innocentes. Quid voveat quiſque, non refert: tentaſſe non opinor, aut incitaſſe. Soli Angli in culpa ſunt, & noſti gentem in factiones, novo hoc praeſertim ſtatu, pronam. Mihi finis turbarum hic non videtur. Capti ſunt. quid? non agnati & adfines vivunt? Ingens eſt numerus, & necti poteſt inſidiantium catena. Fatum etiam Angliae poſt tam longam pacem, pacata mihi non promittit: & dies feſtos, praeter mundi legem, non ſemper agent. Ad ſumma deliciarum & luxus nonne ventum ibi eſt? nec alia vitia deſunt, cauſſae motuum publicorum, vel exitiorum. De *Hartio*, velim aequanimum in talibus eſſe, & ſpernere aut certe immotum cernere comitia haec fortunae. Virtuti ibi praemia, non niſi ex caſu dantur. Antiſtitem veſtrum venturum ſcimus: fac, amabo, te una videamus, & in domo mea (ſic cupio) hoſpitem amplectamur. Ades, allicio te, quo praemio? ut ad Senecam mea videas jam paene conſummata. finem enim imponam, vel ante finem; & incerta haec valetudinis & vitae ſuadent. Heus, de [2] Hoochſtratia quam turpe! apud te liceat. Qui ſumus? in cives & ruſticos viri, in hoſtes faeminae, & fugimus ad conſpectum. Commeatus, inquiunt. Nugae. ego omnibus iſtis, ſi Imperator ſim, dem commeatum, & faciam Quirites. Deus adjuva, & conſilia atque animos inſpira. Lovanii, XIII. Kal. Septembr. ∞. IↃCIII.

1 Reſpicit haec Epiſtola conjurationes in caput novi Regis *Jacobi*, initam ducibus *Vatſono*, *Clarko*, & *Rallero* conflatas, quas narrat *Jonſton.* Rer. Britan. cap. XI. p. 372. & ſeqq. quaenam vero ſint *Demetrianae* illae litterae, de quibus & Epiſt. 288. mentio fuit, neſcio. ſed crimen in Gallos & Batavos derivare voluiſſe auctorem facile hinc colligitur.

2 Quae a rebellibus militibus per vim occupata, & poſtea Mauritio Naſſovio fuit tradita. vide *Meteranum* lib. XXIV. pag. 455. & lib. XXV. pag. 470.

EPISTOLA CCXCI.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto ſuo.

Mechliniam.

H*Artius* noſter heri, ſed bene ſero (ut viarum iniquitas eſt) advenit: quod per famulum ſignificavit, & Ave dixit. Ipſe convenire nondum potui: nam & hodie prima luce diſceſſit. Scripto tamen, rogavi ſerio, ut domum

mum meam in reditu hoſpitium haberet, laxam ſatis, & comiter amicum accepturam. Si non facit, in coena ſaltem aderit: quod cras veſpere ſpero fiet, & te convivam adoptem. De Comeſtabili, omnino prudentiores cenſent nobis, & ad res noſtras, mitti. Utinam, quod ais, illam Virtutis regiam viam ingrediatur? utinam ipſi Reges parentes etiam patriae ſe putent! Judicium & prudentiam adeſſe huic miſſo multi autumant, ſi ſuo, ut ſic dicam, remigio rem gerere poteſt. Sin mandatis adſtringitur, quod vereor, & ex formula imperat: perge, mea Belgica, quo is, ire, id eſt perire. Illud omnino in Ibericis inſtitutis aut decretis diſplicet, quod in opibus omnia reponant. Ab iis fiducia & animi ſunt, & patraturos omnia ſperant, ego deſpero. Contra obſervavi ſemper, non augendis, ſed perdendis magnis imperiis eas fuiſſe. Quae enim adhaereant, & ex eorum noſtroque ingenio comitentur, non neſcis, faſtum & luxum. In Britanno ſpem etiam poni a te aliiſque video. quid opus erat, ſi ipſi ſaperemus? quanto pulchrius tutiuſque ſe niti, & ex ſe pendere? Sed nec talia auxilia firma, & caſu aut cauſſa aliqua mutantur, imo in diverſum eunt. Reges viderint. nobis obſequi & ferre ſit, tibi, mi optime, valere. Lovanii, XVI. Kal. Novembr. ∞.IↃCIII.

EPISTOLA CCXCII.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto. V. R.

Mechliniam.

ET ego, mi Oudarte, eo animo votivum & felicem tibi hunc annum precor, quo mihi ipſe poſſem. Plus dicam? quo parentes liberis, quos ſuperſtites ſibi etiam optant. Me amittam, ſi te praemittam. [1] *De diva Virgine*; ita eſt, abſolvi, & ſcripturus ad te eram; ſed *Miraeus*, ut video, praevenit. Narro autem tibi. nulla unquam ſcriptio mihi facilior, & magis ſub manu ſucceſſit, an non ipſa illa *Diva* ingenio & ſtilo meo adſpirante? Utinam modo non dicam digna (quis id poſſit?) ſed non indigna neque indecora ſint illa tanta! Quod ais, cupere quoſdam ſubtexi de *Virgine* etiam *Sichemienſi*: delibero. & unius fili hoc opuſculum eſt, & ſuam magnitudinem aut modulum habet. In diſpoſitis etiam aegre aliquid muto. Appendix ſi fiat, neſcio an deceat. Sed videbo, & fortaſſe coram etiam judicia veſtra audiam, priuſquam Antverpiam eam. De republica, nihil habeo ſcribere. cras Bruxellam cogito ad Hiſpanum illum Principem; an inſtructior redibo, ignoro. Affectum aliquem erga me jam olim oſtendit: ſed ut ingenio magis meo delectetur fortaſſe, quam ut utatur conſilio. Sed neque donem ex facili: & ſtatus iſte rerum

1 Non tantum in gratiam curiae Romanae hunc foetum ſuperſtitionem ſimulantis ingenii emiſit, ſed ut Aulae placeret: nam ipſa Iſabella Auſtriaca magni hanc divam fecit, & nudipedalia ipſi & divae Sichemienſi, faciens, donaria earum templis portavit, & fixit hoc anno. vid *Meteran.* Hiſt. lib. XXV. p. 476. ubi & de his Lipſii libellis recte judicat.

rum ſic implexus eſt, ut forti aliquo & felici Alexandro opus ſit, ad ſcindendos nodos, non ſolvendos. Ego, mi Oudarte, Lipſius manere deſidero: id eſt, in quiete & libellis meis vivere, & ſcriptis tamen hanc & alias Reſpublicas juvare. Quod ad Gallum captivum, idem tecum audio. perſeverare hominem, altum ſpirare & loqui: imo audio eſſe, qui occulte allevent, animos & conſilia addant. neſcio, ſed hoc ſcio, fraudum & vanitatum aevum eſſe ferax, & pietatis etiam titulo (ô nefas!) haec celari. At nobis candor & veritas placeant, & in amicitia noſtra utique ſint ſemper. Vale. Lovanii, Nonis Januariis ∞. IↃCIIII.

D. conſiliario *Hartio* novum annum felicem apprecor, & non ſcribo. quia argumentum me ab illo adoleſcente deficit, qui a matre revocatus abivit.

EPISTOLA CCXCIII.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto ſuo S. D.

Mechliniam.

VIde caſum, qui triſtior mihi heri evenit. Mane ſub decimam exeo in equo (ſcis, credo, ex dono eum me habere) aut potius equuleo, animi & valetudinis cauſſa ambulatum. In ipſa urbis interiore porta mulier, maleficii ſuſpecta, mihi occurrit, grandi paſſu. Illa intrat, ego egredior, & ſtatim velut ictu ad terram datur equus meus, ego cum illo, & ſub illo. ſurgit ipſe, ego jaceo pendulus a ferro, (quod ſtapedam vocamus) cui pes meus ſic intortus haerebat, ut aegre potuerit evelli. Deus me juvit, quod equus immotus reſtitit, & auxilio interea civis quiſpiam fuit. laeſus ſum ſiniſtro pede & tibia, ſed non graviter: & ſpero intra biduum ad vos veniam. ſcio, purgas, quia voluntatis nulla mutatio, ſed hoc a fato intervenit. Vale, mi amiciſſime Oudarte, & D. *Hartium* officioſe ſaluta. ſi autem me amas, conviviis abſtine, nec me adhibe, quia Antverpiam propero rei cauſſa. Nuntio mandavi, ut hoc veſpere literas traderet, & te igitur rogo, ut hunc caſum meum *Moreto* cras ſignifices, ne fruſtra exſpectet. atque iter meum in biduum aut triduum neceſſario dilatum iri. Lovanii IX. Kal. Febr. CIↃIↃCIV.

EPISTOLA CCXCIV.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto.

Mechliniam.

QUi attendit, quam ubique Philoſophandi, id eſt ſapiendi, occaſio eſt? Quam omnia noſtra incerta ſunt, & nos ipſi in incerto ſumus? Vix do locum Fortunae, adſtringo me undique, ab aula, id eſt mari refugio, a tur-

bis, a muneribus, & ſemper ad portum quietis urbem hanc appello. Tamen ecce illa (ſi fas ſic appellare) dea jus ſuum tenet, fugitivum retrahit, & imperium ac vim ſuam in me quoque exercet. Inopinato cecidi, & ubi luſum quaerebam, laeſionem repperi: contempſi initio, & ſtrictura videbatur, gravius autem eſt malum, & domum & focum ſervo, ambulandi impos. Quid peregrinandi? tamen nec ſic inſtitutum deſeram, & ut primum meliuſcule erit, ad vos veniam: fortaſſe & mea mecum, quae ſolum non vult dimittere. ſed ſi precibus das locum, patieris tranſitum mihi Mechliniam eſſe, quia Antverpiam, & ſcriptiunculas meas ſcis metam huic profectioni deſtinari. de Megaera autem illa, cur tam male imprecaris, ne temere arbitremur. Suſpicio, non ſcientia eſt, & potuit alia cauſſa, aut forte equus labi. Etſi prima opinatio, & firmiter quidem, illa fuit. de Praeſide *Richardoto* quid auditis? ego, rem in judicio agi, teſtes audiri: & nequid hîc occultioris conſilii aut machinationis lateat, fateor, me vereri. coram quaedam dicam: quod (ut optime omnia cedant) non poteſt ante ſeptimanae hujus finem, ita claudus ſedeo, & o ſi te, aut *Hartio* interpellante otium fallam! Militare praeſidium, veſtri partem, hodie aut cras hîc exſpectamus. Noſtri Bruxellas deprecatum iverunt, non ſunt exauditi. Comes ſtabuli Antverpiae eſt, cras, ut ajunt, rediturus. D. Conſiliario *Hartio*, amicam & ex animo ſalutem, cui omnia facta volo, quae equidem poſſum. & ſponſalibus corpore ſi non adſum, favore & affectu tamen adero. Deus donet omnia ex parentum voto, contrahentium gaudio & ſalute. Vale mi amiciſſime. Lovanii VII. Kal. Febr. CIƆIƆCIV.

EPISTOLA CCXCV.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto.

Mechliniam.

QUod ſcribam, niſi querelas, non habeo: & lubetne audire? Miſera apud nos facies ruſticorum fugientium, migrantium: lacrimae deinde aut pallores eorum, quibus pecus, frumentum, ſupellex ablata, aut ipſae aedes incenſae: de Wavria, pulcherrimo municipio, audiſtis: idem hoſtis manebat Iſcam noſtram, niſi pecunia pacti eſſent. atque id me ſubveniente. Aula vetat quidem paciſci. ſed quis tuetur, aut tueri cogitat? Hodie de Grunia laetiora audimus, utinam certa? magis utinam conſilia mutemus, ut recta ac regia & patriae utilia, Principibus glorioſa capiamus? hoc meum votum ſit, & ex eo conſequantur deinde bona omnia. Studioſi noſtri militariter inſtructi & ordinati excubias etiam agunt: quod neſcio an parentibus laetum ſatis ſit, aut gratum. Ego auctor non fuiſſem, praeſertim nulla adhuc neceſſitate. ſed Vos quid de Flandria? hoſtis procedit an excedit, an jam exceſſit? hac omnia varie hîc feruntur. Ego interim inter medias turbas etiam philoſophor,

phor, & de Tranquillitate publice lego. Te porro amo, ut ſemper, & anplector, mi Oudarte, Lovan. Non. Maj. cɪɔɪɔcɪv.

Invaſerunt hoc anno Rebelles Hiſpani, qui jam militabant ſub auſpiciis Mauritii, Brabantiam, dum Mauritius Sluſam in Flandria obſidet. vide *Meteran.* lib. xxv. pag. 477.

EPISTOLA CCXCVI.

J. LIPSIUS

Nic. Oudarto, optimo, amiciſſimo S. M. M.

Mechliniam.

ITerum tibi nuncio, ſum melior. Si pergo, meliora etiam in republica videbo, ut [1] pax haec Britanna dat augurari: nam capita foederis datum mihi videre, & meliora aut benigniora nec optem, ſi fides modo & obſervantia adſint. Praedixi tibi, ad manus & arma venient cum olim protectoribus ſuis Batavi, ſi haec pergunt. Nam commercia iis palam eripiuntur, & in Britanniam omnia conferuntur, etiam Gallo excluſo: qui, vereor, ut firmiter Batavis adhaereſcat, & in eorum cauſſa ſuam agi putet. At non de Dano idem ſentio, imo palam pro Britanno & adfine ſuo futurum: ut ratio quidem dictat. Sed videbimus, & praeter rationem utinam ne multa Reges hodie patrent! Quid autem nos domi? concordes erimus? an occulta illa conſilia de diſceſſu etiam divellent? Batavos timere ſibi (ut illuc redeam) hoc argumento eſt, quod ambitioſe pacem petant, toties a ſe repulſam. Litteras non ad privatos tantum, quod ſcis, ſed ad magiſtratus, ſed ad provincias ipſas ſcribunt, heri mihi ſerio adfirmatum. Deus lucem aliquam donet, poſt tenebras & turbas tam diutinas, & mori in ſpe ſaltem, ſi non re, bona. Lovanii, prid. Nonas Octobr. ∞.ɪɔcɪɪɪɪ.

D. Hartio S. M. atque utinam alterutram illam digniſſimo dignitatem. Ad *Vriendtium* cum ſcribes, has junge. Miſiſſem & *Divam*, ſed ita me Deus, ut deſtituar exemplaribus. Urges litteris, ut & *Sichemenſem* jungam: videbo & inclino.

1 De qua vide *Meteran.* Hiſt. lib. xxv. pag. 480. ad finem uſque libri.

EPISTOLA CCXCVII.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto S. D.

Mechliniam.

CRedo me nuper ſcripſiſſe tibi de litteris Ordinum, quibus Quaeſtori mandabatur, ut inter primos mihi ſolveret, & ſine ulla exceptione. Litterae datae ſunt: quid reſponſi? pecuniam non eſſe. ſi velint ſolvi Ordines, ipſi

 ſub-

ſubmittant. ubi vivimus? in compoſito principatu? non enim dicam rempublicam: & ubi ordo, atque imperium, locum habent? dubitare incipio, & videmur ad jus novum, ſepoſito omni pudore, fide, lege, venire. Huc vocatus ſum: hîc retentus ſum, aliis vocantibus, & praemia majora non ſunt ignota. patriam praepoſui; haec ſcilicet gratia refertur, ut in exiguo ſtipendio jactemur, & petamus, repetamus, ludibrio deinde ſimus. ſane ingenuo animo haec moleſta: & dicam tibi libere, uxorem non habeam & familiam, tres dies haec non feram. bene eſt, quod igneam meam naturam temperat aut ſiſtit hoc plumbum. Ecce literas ſcribimus ad veſtrum antiſtitem, quid etiam? ad Praelatum *Parcenſem*: ulterius? ad Comitem *Bauſſigniacum*: quid denique? ad *Maſium*: & haec omnia pro miſellis ſexcentis florenis annuis, & adde dimidium, qui mihi debentur. Beati, qui talibus non obligantur! Inter barbaros ſi ageremus, pluſculum rationi & aequitati daretur. nec diſſimile in altero ſtipendio. nulla ſolutio eſt, quam non exambire oporteat, & quaeſtoribus iſtis, ut Laribus, libamenta ſua dare. Pati autem tot annos Lipſium? & mirantur exteri, aut me irrident; certe Batavi, apud quos non adſuevi ſic haberi. Domum meam quoque trimeſtri ſolutio deferebatur, & annus non erat, quin donum adjungeretur. Et alibi quin locus nobis ſit, & lautia etiam, nemo (qui me novit) dubitat. ſed pulchrum eſt, aetate meliore hîc tenuiſſe, abjicere aut negligere in ſeneſcente. Sciant haec exteri & poſteri: & epiſtolam iſtam eo fine ad te ſcribo, bona malaque exempla docent, & ſunt propaganda. Hodie ad *Maſium* ſcripſi & ad *Bauſſigniacum*, ſed modeſtius, & cum frigore: nec quiſquam erit, qui Philoſophi non dicam animum, ſed verba aut vultum nunc requiret. Quod ad te liberius aut excitatius, jure facio: neque oſtendere debemus, nos ignaros eſſe, quid decorum, quid jus & fas poſtulet, quae hodie video verba aut perſonas eſſe; ſunto, nos non mutamus, & inter medias ruinas ſtamus, judicio & ſenſu boni. Ecce autem homines, qui Hiſtoriam veterem a me poſcant. an quia pro veteribus moribus nos ſumus? Rideo & ringor, & deſino: & hanc epiſtolam ſervari a te volo, & poſt mortem etiam meam publicari. ſi tamen tibi videbitur, cujus prudentiae & affectui nunc permitto, & haec atque majora delego. Vale, mi Oudarte, Idib. Novemb. CIↃIↃCV.

Quod neglexit Oudartus, nos, Lipſi, exequimur, & memorabilem hanc epiſtolam in exemplum omnibus, qui deſultores ſacrorum & ſtationum eſſe amant, prodimus. Haec enim merces fere omnibus, qui Jeſuitarum illecebris ineſcati ſe in turpem ſervitutem conjiciunt. nihil niſi queſtus, tormenta conſcientiae, aegritudo mentis, & ſimilia in epiſtolis fere omnibus Lipſii poſt fugam e Batavis reſonant. Cur non meminiſti, Lipſi, eorum, quae ad Douzam ſcribebas, paullo poſtquam ad *bonos*, ut vocas, transfugeras, Decad. IV. Epiſt. 6. Edit. Pontan. *Illae toties iteratae querelae de fortuna & iniquitate temporum, per ſpeciem altitudinis degeneres mihi videntur. bene fert fortunam, qui de ea ſilet.* haec doctorem deceret ſibi ſemper praeſentia habere. Accepiſſe ſe tamen toties flagitatum ſtipendium Lipſius nuntiat Oudarto Epiſt. LXXXII. Miſcel. Cent. V. IX. Kal. Decemb. hujus ipſius anni. quod forte ultimum fuit. ſequentis enim anni menſe Aprili obiit.

EPI-

EPISTOLA CCXCVIII.

J. LIPSIUS

Nicolao Oudarto S. M. D.

Mechliniam.

PRobari a te quidem conſilium noſtrum Hiſtoriae ſcribendae, non dubito, mi Oudarti. Quid honeſti tu non probes? quid non etiam antiqui? ſed homines hujus novitii aevi novas ſententias habent; famam, gloriam, infamiam, ſuſque deque habere, & genio atque ingenio ſuo indulgere, dum datur. Mihi hoc crede, nunquam minus Epicuri nomen aut dogma auditum, nunquam magis res ipſa valuit, & ſic vivimus, tanquam aeternum perituri. tenebrae poſt nos ſint, imo exitium ſit, & quod veterum aliquis dixit & vovit, [1] *me mortuo ipſa humus miſceatur aetheri.* Haec video, & magis, quo magis in aevi notitiam venio, & niſi ſapientia refrenet, voces emittam, cur in haec tempora natus ſum? quo fine litterae, prudentia, ſapientia? ſed patiamur, & ſtrenui, & vel paucis judicibus, atque plauſoribus optima amplectamur. Aliquando poſt nimbos ſerenitas, poſt caliginem lux orietur. ſed de ipſa re noſtra: fateor grandiorem hiſtoriam, & rerum magis illuſtrium ſcribi, quam hanc Brabanticam & patriam, a me poſſe. ſed non materies eſt, quae ſcriptionem utilem aut glorioſam facit, ſed ingenium & judicium, & ſtilum etiam, invitis quibuſdam, addam. Quod tu vere judicas, Hiſtoria eſt vitae quaedam magiſtra, & civilis atque moralis Philoſophiae ſpeculum aut exemplum. Quae in ſcholis voce alii docent, hîc factis exprimuntur. & ſane, ſtilus ac manus ad ſcribendum ſi acceſſit, paſſim & praecepta illa ac monita, etſi breviter aut obiter, adſpergit. Itaque impetum aliquando capio ſcribendi, remitto etiam, cum mores & judicia video, & meam aetatem, metae jam & quieti propinquam. Satis multa documenta dedi, & ſemina ſparſi ſalubrium monitorum. Quid? an litore & arena haurienda? vereor. & Deus ac fatum viderit. ſed quomodocumque, conſcientia juvat & attollit, bona ſenſiſſe, amaſſe, produxiſſe: culpa aliorum ſit, non admiſiſſe atque uſurpaſſe: Ecce, de republica miraris me nihil ſcribere: nam, inquis, egregia victoria parta de Batavis ad caput Bonae ſpei, & ſedecim naves depreſſae vel captae. Vis me exſultare, & hoc, ut magnum, ſcribere? Gaudeo, ut nunc mores ſunt, ſed magne Deus, quid hoc in magno iſto Rege? ſedecim mercatorum naves? ſexaginta bellicas debebat, nec mirum, aut triumpho dignum eſſet. Scripſimus olim in MAGNITUDINE ROMANA, tot claſſes ubique locorum diſpoſitas, ad invadendum aut tuendum, quid nunc ſimile eſt? Hiſpania tota peninſula, & utroque mari praetexitur: ubi magna aliqua claſſis ordinaria eſt? paucae hoſtium naves illudunt, & in utramque Indiam, cum lubet, eunt: ipſi ſpectant, queruntur & indignantur, & remedium a faſtu poſcunt. Atqui claſſis aliqua

1 Sueton. Neron. cap. 38. narrat ſimile dictum iſtius monſtri.

ſi fuiſſet, aut nunc etiam eſſet, Batavorum ſuperbia haec & contumacia non eſſet. Suade haec, inquies, id eſt caput poſti illide: te laede, publicum nihil juva. FATA REGUNT, uno verbo, & nos ab iis patientes & volentes. Vale, mi Oudarte, & hanc liberam ſcriptionem in fido ſinu tuo habe. Lovanii I. Kal. Decembris CIϽIϽCV.

EPISTOLA CCXCIX.

NIC. OUDARTUS

J. Lipſio.

Lovanium.

QUamvis benevolentia in me tua nulla indiget atteſtatione: ſatis enim magnis illa argumentis probata eſt; gratum tamen eſt, quod etiam ſcripto eam confirmas. Sane illam ego tanti facio, ut cum vel ampliſſima quavis conditione ipſam non commutem. Publica, ut ſcribis, dubia ſunt. Hoſtis undiquaque ſe munit. & copias quoque a Brunswicano exſpectare dicitur. Audio & Mauritium in Galliam ad colloquium Regis profectum. ac a Batavis tredecim naves bellicas Anglum obtinuiſſe, quo ſe adverſus erumpentem ſeditionem muniat. Id quod ſi verum eſt, metuo ne ſatis bona fide nobiscum agat, & ne ad, ſub Eliſabetha, cum Gallo harum Provinciarum olim factam diviſionem, clam aſpiret. Deus tamen diſſipat conſilia Principum, & facili momento, quod ipſi firmiſſimum putant, ſubvertit; quod quoque nos res Moſcoviticae recenter doceant. [1] Facinus interim illud conſpiratorum in Britannia indignum Chriſtianis eſt, qui precibus, non armis contendere debent. Dico ſubditi cum ſuperioribus, Principes autem non per fraudes, ſed generoſe, ex juſta cauſſa decreta bella, gerere oporteret. Atque utinam Iberi Romani potius, quam Poeni eſſe contenderent? Sed miſſa haec facio, & ad Breve Pontificium venio, quod opto benignum non ſolum verbis, verum & re. Quod ad *Magnitudinem ſacram* ſcribendam invitaris, indicium eſt, *Stapletonii* ſcriptum, de eo argumento, non placere, aut non ſatisfacere. Digna certe Lipſio iſta materia, & ad illam ipſum aeque atque ad Patriam Hiſtoriam vocem: imo magis, quando ſtupor noſtratum tantus eſt. De Pace ut Pontifex agat, ſperare poſſum; ut peragat, vix auſim, in tanta Principum aemulatione, & in ſaeculo adeo corrupto. Puto tamen Pontificem Romanum multum hac in re poſſe, ſi ſerio & vere animo paterno negotium amplectatur. Quod ut faciat Deum oro, cui te floresque tuos etiam atque etiam commendo. Machlinia III. Id. Mar. CIϽ IϽC VI.

Cogito cras Bruxellam, ut ſcripſi, ibi ſi quid me velis, mandata tua ad aliquot dies exſpectabo. *Rivius* noſter, etſi iſta ſpe, de qua nuper, excide- rit,

[1] Reſpicit conſpirationem horribilem, qua pulvere ſulfureo Regem & Parlamentum uno ictu tollere cogitabant conjurati. recte vero damnat immane illud, & cui ſimile nulla aetas videt, ſcelus & monſtrum.

rit, non excidet tamen perpetuo, ut ſpero. Et ipſe ſua virtute ſibi ſpem & rem parabit.

[1] EPISTOLA CCC.

NICODEMUS FRISCHLINUS

J. Lipſio.

Leidam.

NIhil unquam mihi accidit optatius, in omni mea vita, quam Marpurgii eſſe, colloquium *Theodori* habere & uſum: nam & annis abhinc decem audivi eundem in Comitiis Ratisponenſibus eleganter perorantem, coram omnibus Imperii Ordinibus: & perorantem de ſtatu rerum Belgicarum & de Hiſpanorum Tyrannide. Cujus rei recordatio eo mihi fuit gratior, quod hominem ipſum denuo contigerit in Haſſia videre. multa tui mentio, multa *Jani Duzae*, multa *Donelli*; multa *Danaei* incidit. Sed omnium triſtiſſimum hoc, quod intelligo te valetudine eſſe minus firma. O mi Lipſi, ocelle totius Germaniae, lux literarum, quam ego te expetiſco diu vivere, & vivere incolumem, ut poſſis humanioribus ſtudiis diu prodeſſe, quae ut vergant omnia nunquid vides? nunquid praeſentis? non ego fruſtra *Priſcianum* ſcripſi *Vapulantem*. nec fruſtra litem ſuſcepi contra [2] *Cruſium* procaciſſime delirantem. Nihil enim vidit *Jul. Scaliger*, nihil *Saturnius*, nihil *Marius Corradus*, nihil *Ruſcellus*, nihil caeteri. qui quaſdam nugas Grammaticae oppugnarunt. *Caelius Curio* & *Vives*, negant, Graecis eſſe Epicaena & dubia in re Grammatica. *Ruſcellus* negat eſſe optandi modum Latinis. *Sanctius* affirmat Graecis quoque eſſe ablativum dativo ſimilem, diſcrepantem ſignificatione, quoniam ablativus ſemper ſignificat inſtrumentum, dativum ſemper acquiſitionem. Habent autem omnes iſti ſuas demonſtrationes, quibus utuntur. ſed *Cruſius* omnes habet pro ſycophantis. Itaque in acie jam verſor contra delirum & vere ſtupidum hominem. Te vero expeto patronum, qui in hoc certamine tuum interponas judicium. Habes hîc primum Dialogum, in quo Privata tractantur, & quae ille inſeruerat certamini publico & literario. Reliqua mox prodibunt. Spieſſius jam excudit noſtras in Virgilium, Horatium & Perſium Paraphraſes, quas ſcio tibi placituras. Prodeunt etiam meae Comoediae, in quibus tui & *Duzae* fit mentio, ut & aliorum. Vale, mi Lipſi, & me in tuorum cen-

ſum

1 Reſpondet huic epiſtolae Lipſius II. Cent. Miſcel. 35.

2 Haec ſpectant litem Grammaticam vehementiſſime actam inter *Nicol. Friſchlinum* & *Martinum Cruſium* Profeſſorem Tubingenſem. ediderat *Friſchlinus*, dum Scholam Labacenſem moderaretur, in Tyronum uſum Grammaticam, quam titulo *Strigilis Grammaticae* proſcripſerat. cui, quia inclementius tractaverat omnes fere Grammaticos, *Cruſius* oppoſuerat *Antiſtrigilem*; iſti *Friſchlinus* Dialogos aliquot, & deinde utrimque plures libelli, & vehementiſſimae Invectivae editae, donec morte *Friſchlini* finiretur bellum, quae omnia memorare nihil attinet. *Friſchlini* omnia in unum collecta Argentorati prodiere 1594. quibus poſt ejus mortem acceſſit *Poppyſmi Grammatici Dialogus* tertius. *Cruſii* defenſiones & reſponſiones non vidi. Inter Dialogos vero *Friſchlini*, unus *Joſepho Scaligero*, & alter *Lipſio* noſtro inſcriptus eſt.

ſum amicorum recipe. Marpurgi Haſſor. 15. Octob. 1586. Saluta D. *Joan. Duzam*, & Cl. *Hugonem Donellum*, & D. *Lamb. Dunaeum*, Ἄλλα τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύνο μενοίπερ.

EPISTOLA CCCI.

HUG. DONELLUS

J. Lipſio ſuo S. D.

Embdam.

VIr Clariſſime. Bene ſit optimis illis periculis, de quibus ſcribis, quae te iter coeptum meditantem, quominus longius progredi poſſes, prohibuerunt. Quam velim illa majora nobis dari, aut certe diuturniora, non quae te occupent, quod Deus avertat; ſed quae ſi volentem adhuc non moverunt, at te vel invitum iſtinc ad nos extrudant quam citiſſime. Quaecumque te occaſio ſalvum & incolumem nobis reddet vel hodie, eam non ſolum nobis jucundam futuram, ſed etiam jam nunc ſcias eſſe in votis. Itaque vides, ſi tibi progreſſus cordi eſt, quam vota noſtra cum tuis non conſentiant. Et tamen in hoc ipſo diſſenſu quanta ſit animorum noſtrorum conjunctio, non minus intelligis. Scis enim, cujus ſit animi hoc deſiderium tui, & quis ad te ſcribat, aeque noſti. Quod ſi idem animus tibi eſt, qui ante fuit, ut in itinere coepto tibi perſeverandum putes; quod praeſens feci, idem nunc facio abſens; Deum oro, ut tibi progreſſus feliciter cedat, tibi omnia in eo ſalva & jucunda contingant. quae certe poſteriora duo imminente jam difficili hieme, & tempeſtatibus praeter conſuetum ordinem omnia infeſtantibus, facilius eſt bene precari, quam in corpore ad ea incommoda non aſſueto ſperare. Et ſcio, quamdiu domo abes, quam multa inſuavia, & valetudini tuae adverſa in regionibus iſtis, non ita fortaſſe cultis, tibi perpetienda ſint. Quare ſi nos amas, valetudini tuae conſules, & dabis operam, ut repudiato moleſti itineris conſilio, primo quoque tempore reditu tuo & conſpectu jucundiſſimo nos bees. Quod ut facere in animum inducas, ſiquid hominis amiciſſimi preces apud te valent, obnixe te etiam atque etiam oro. Mag. D. Rector te plurimum ſalutat: uxor mea quam poteſt officioſiſſime. Vale, vir Clariſſ. Lugduni Bata. VI. Cal. Novem. eodem die, quo mihi redditae ſunt litterae tuae. CIↃ.IↃ.LXXXVI.

EPISTOLA CCCII.

MATTHAEUS DRESSERUS

J. Lipſio.

Leidam.

SAl. pl. Dilexi te plurimum Lipſi ſuaviſſ. cum Jenae eſſes: & animadverti viciſſim me nonnihil à te diligi. Sed illinc te diſcedentem non ſalutaſſe me mo-

moleſte ferebam. Poſteaquam vero ſcriptum tuum de Conſtantia legi, incenſus ſum neſcio quomodo, ut amare ceperim multo impenſius. Tanta enim eſt ſapientia & gravitate refertum, ut antiquitatem redoleat. Acceſſit nuper lectio epiſtolarum tuarum, quae amorem in te meum non parum auxit. Reperiſſe enim mihi videor tanquam pabulum aliquod ſtudii atque doctrinae, quo jucundius verſanti in literis vix quicquam eſſe poteſt. Itaque geſtiit animus meus tibi gratias agere, & amorem tuum in me, meumque erga te parem atque mutuum excitare ac renovare. Turpe enim eſſe duxi nos interruptos ita eſſe, ut omnis inter nos per literas etiam communicatio ſublata eſſe videatur. Quocirca quod ſolum eſt relictum, ad id confugio, & hiſce meis reducere in memoriam & uſum cupio veterem noſtram benevolentiam, magno tamen amoris cumulo nunc demum auctam, poſtquam ex ſcriptis tuis recentibus tantum voluptatis percepi. Utinam vero ea temporum atque locorum eſſet commoditas, ut mitti inter nos ab alio ad alium tutius epiſtolae poſſent. Jam vero ita fere dant ſeſe res, ut vehementer dubitem, venturaene hae ſint ad te, nec ne. Timidius igitur fortunae eas committo: aliqua ſpe tamen teneor, fieri poſſe, ut reſponſum aliquando tuum exoptatum accipiam. Adjunxiſſem de *Cratone* orationem, niſi itineris longinquitas & periculum deterruiſſent. Val. Lipſ. v. Januarii, Anno 1587.

Reſpondet Lipſius Cent. II. Miſc. Epiſt. 38.

EPISTOLA CCCIII.

CHRISTOPHORUS PEZELIUS [1]

J. Lipſio S.

Leidam.

DOctiſſ. & humaniſſ. Vir. Domine & amice ſincera fide colende. Jampridem benevolentiae erga me tuae ſigna atque argumenta non dubia perſpexi, cum & per *Eſichium* noſtrum, qui nunc Eitelbergae eſt, aliquoties me ſalutari juſſiſti, & librorum abs te editorum exemplaria nonnunquam miſiſti, non ſolum ingenii & eruditionis tuae, ſed etiam amoris erga me monumenta. Quae niſi exoſcularer & in precio haberem maximo, ab omni humanitate alienus eſſem, meque ipſum non poſſem non condemnare ingratitudinis. Acceſſit jam illuſtris ſignificatio honeſti tui de me judicii, cum Academiae veſtrae de mei

1 *Chriſtophorus Pezelius*, magni nominis Theologus fuit ſuo tempore, & ſcriptis pluribus clarus. *Peccelius* dicitur in Epitome *Geſneri*, & Plavenſis fuiſſe. *Melanchtonis* ſectam cum probaret, poſtea Reformatorum in caſtra tranſiit, unde *Apoſtatae* nomine inſignitur a *Wigando* in fronte ejus Analyſeos Exegeſeos Sacramentariae, apud *Melch. Adam.* in vita *Wigandi* p. 619. Witebergae etiam A. 1571. ediderat Catecheſim ex corpore Doctrinae Chriſtianae ad uſum Scholarum puerilium, ex ſcriptis *Melanchtonis* compilatam. vid. *Placc.* de Anonym. n. 669. contra quam multa ſcripta prodiere. poſtea Bremae Profeſſor fuit Theologiae. & Leidam vocatus, ubi jam pertaeſum erat Gallorum, qui tot turbas ediderant, & diſciplinam illam Genevenſem invitis magiſtratibus obtrudere volebant. quare *Melanchtonis* Diſcipuli quaerebantur, moderati & civilis ingenii Theologi.

ad vos vocatione literis tuas quoque adjunxiſti. In quibus abundantia quadam benevolentiae erga me tuae, honeſtiſſima mihi tribuis, meque Collegam in inclyta Acad. Veſtra tibi exoptas. Credas autem mihi velim, mi praeſtantiſſime & optime D. Lipſi, jamdudum me accenſum fuiſſe admiratione praeclariſſimarum dotium, quibus ingenium tuum Deus opt. max. exornavit, & quas ad inſtaurandam rem literariam, & excitanda juventutis ſtudia feliciter hactenus contuliſti: & argumentis atque indiciis illis tuae erga me benevolentiae ita delectari, ut viciſſim me tibi devinctiſſimum, adeoque totum tuum eſſe ſancte affirmare auſim. Idque reipſa teſtatum facere cupio, ubicunque opportunitas declarandi mei erga te ſtudii ſe offeret. Quae autem impedimenta mihi objiciantur, quo minus vocationem Academiae veſtrae ſequi hoc tempore poſſim: ex legato veſtro, Viro Clariſſ. intelliges, cum quo in re tanta ingenue & aperte agendum mihi putavi. Et audivit idem legatus veſter etiam reſponſum Primarii Conſulis in noſtra Republ. cum hortatu meo in collegium ea de re cum illo veniſſet. Equidem non tam privata incommoda mea reſpicio, quam ut ne ſubita atque intempeſtiva mutatione praeſentis meae vocationis, publice Eccleſiae huic noceam, aut famae & exiſtimationi meae maculam inuram, ſi nondum idoneo ſucceſſore oblato, & invito Magiſtratu Eccleſiam & Scholam hanc deſerere velim. Idem reſponſum ſuperiori anno dedi Heidelbergenſibus, qui me in D. *Grynaei*, Baſileam redeuntis, locum ſuccedere volebant. Verum ſi, ut ſunt humana noſtra, aut caſus me aliquis hinc expulerit, aut alioqui ſine Eccleſiae hujus inſigni detrimento, & bona cum gratia Magiſtratus, dimitti hinc poſſe videar: nihil mihi exoptatius erit, quam in Academia inter viros doctos, atque in tuo, aliorumque bonorum complexu vivere & mori. Cum autem propter triſtes diſſipationes Academiarum annis ſuperioribus factas, Germania noſtra non abundet hoc tempore Theologis doctis & orthodoxis, nominavi legato veſtro duos eximia eruditione praeſtantes viros, quorum uterque nunc apud nos docet: *Joachimum Meyſterum* Rectorem noſtrae Scholae: & [2] *Joſephum Grabium*, quorum ille annos jam quinquaginta tres habet, & ſobole caret: Hic annos circiter 45. natus eſt, verſatus antehac in praecipuis Germaniae Academiis, & in Controverſiis Theologicis praeclare exercitatus, cujus rei guſtum praebent ſcripta illius contra *Hunnium* Ubiquitarium Marpurgenſem edita. Utriuſque voluntas literis veſtris explorari poſſet: aut ſi neutri illorum profectio ad vos perſuaderi queat, admonitus a vobis non gravatim de aliis cogitabo, ſi qui praeterea vobis utiliter nominari poſſint. Te ut benevolentiam tuam erga me conſtanter conſerves, & virum Clariſſ. D. *Donellum*, quocum Heidelbergae aliquando initia notitiae atque amicitiae contraxi, & caeteros viros honoratos in Acad. veſtra ex me ſalutes, oro. Bremae v. Calend. Febr. 1587.

2 *Joſephus Grabius* a Lipenio, qui ejus libros contra *Aegidium Hunnium* recenſet, *Joannes* vocatur: tom. II. Biblioth. Theol. pag. 478. *Meiſterus* apud Lipenium edidiſſe legitur orationem de Eutyche & ejus erroris ſectatoribus: tom. I. Bibl. Theol. pag. 665.

EPI-

EPISTOLA CCCIV.

JOSIAS MERCERUS

C. V. *J. Lipſio* S.

Leidam.

AMittere ad te ſine literis *Hieronymum Groslotium* noſtrum animus non fuit, Lipſi doctiſſime; adoleſcentem & amiciſſimum mihi merito ſuo, & dignum, quem ament omnes, qui virtutem & veram ſapientiam amant. ea jam elucent in ejus juventute indicia ſummae prudentiae, & venturae ſuo tempore ad culmen evectum omnium laudum. Sed plura de eo fruſtra, cujus virtus ita erit cognita tibi paulo momento, ut accedere his literis commendationem ab ea neceſſarium mihi ſit magis, quam illi a me. neque ea ſane cauſa mihi in manibus calamus, ſed ut pergam invitare te ad amandum me, quod pridem feciſſe te, & privatis teſtimoniis cognovi ſatis multis, & iis, quae protare in publico voluiſti inter aeterna monumenta nominis & famae tuae. Velim animum tuum erga me compenſare officiis iis, quae tibi candorem mei, & fidem teſtari poſſint; cui certe ego deero numquam. Salve doctiſſ. Lipſi, & ama me amantem tui. Data Londini Trenobantum. A. d. v. Eid. Febr. cIↃ. IↃ. LXXXVII. calculo veteri.

Reſpondet Lipſ. II. Cent. Miſc. 31.

EPISTOLA CCCV.

JOSIAS MERCERUS

V. C. *J. Lipſio* S.

Leidam.

GRatiſſimae nobis literae tuae, V.C. indices & valetudinis tuae & animi, anxiis de illa, de hoc nimium certis antea ex iis, quae exſtare ubique vis, documentis; amplius tamen ex amici noſtri ſermonibus, qui auxere mihi amorem illum, quo te amare coeperam antea literarum & publicae rei cauſſa; nunc praecipue ipſius tui. Quod non ad vos una cum *Groslotio*, jam etiam tuo, culpa non in me; voluiſſem, ſi omnino rerum mearum ſtatus tuliſſet. Sed dabitur olim, quod nunc non potui, & citius fortaſſean, quam dicere auſim. Velim certe, & praeſenti teſtari animum gratum, amplectique carum caput, & cui ego carus non merito meo, non auro contra carum erit: nec deero; modo mutet vis fati adhuc improſpera mihi ſatis, & flectat ad meliora. Res noſtrae me angunt juxta cum vobis. Spes omnis in ejus numine, qui torquet numine omnia; nec fallet tandem, quamvis tardet judicio noſtro impatientium nimis. Noſtrae in Gallia nunc in ſummo paene diſcrimine; ſed ita ut in medio turbine appareant primulum fauſta ſidera, gemini Caſtores.

 Nam

Nam ſpes omnes bonae & aeſtimantibus rerum humanarum ordinem, & exſpectantibus caeli certa ſubſidia. Sed ante patienda etiam non pauca, ſi non fallunt certae conjecturae, & jacienda de ſumma rerum alea. Nos Deo freti bona ſperabimus. De Politicis & Tacito totus gaudeo; crede, nunquam excitor ad ſtudia, maxime ex quo hîc ſum, alieno a Muſis loco, & quo credam nunquam penetraſſe guttam Aganippidis fluenti, niſi ſalſo mixtam mari, niſi quum quid novi a te. Auſus eſſem conſulere de pauculis Taciti locis, ſi liber nunc ad manum properanti. Sed faciam cis paucos dies, ſi Deo videbitur. De Nonio adhuc incerta res; nec promiſi; volui quidem certe; & volo adhuc; ſed omnia nunc contraria; & plures obices, quam adjumenta. libri fere deſunt; tempus deeſt; animus occupatus aliis rebus; & ſiquando is in literis, certe in aliis literis. Videbimus tamen, & movebimur incitamento hoc, quod validum a te. Sed tu, perge vivere, & amare nos. Certe nec fides deerit mihi, nec animus colendi, amandi tui. *Douzae*, & cohorti doctorum quos catervatim iſtic habetis, ſalutem multam. Salve V. C. Data Londini Trenob. A. d. XIII. Kal. Maj. Stylo Gregor. cIↃ.IↃ.LXXXVII.

Excuſabis nunc *Groslotium* noſtrum occupatum recens a reditu ſcribendi in Galliam literis. ſcribſiſſet alioquin, & quam primum dabitur occaſio, faciet. praeterea ſalutat te plurimum.

EPISTOLA CCCVI.

JOSIAS MERCERUS

J. Lipſio.

Leidam.

NEc magnus labor fuit in deſcribendis illis ad Tacitum, & leve hoc indicium amoris noſtri, qui magnus, & magnis ex cauſis. Quod non alias notas habes animi mei, doleo ſane, neque omittam dare, ſi ferent tempora: maxime ſi occaſio erit viſendi & Bataviam veſtram, & in ea te maxime, quod velim equidem, ſed nondum video quando futurum ſit. Ita omnia nobis ruere in pejus quotidie; & quod meliora ſcribis, Audieras, & fama fuit— immo ita fuit, ſed ſtatim mutarunt venti, peſſimo fato, ſi aeſtimamus res ex judicio noſtro; ſi ex divini illius numinis voluntate, certe non malo. Speramus enim ſemper laetiora, nec deſinemus ſperare, nec ſpes fallet. Interea tamen hîc ſtatus ſatis infelix; Et tu tamen adhortaris ad literas; audio libens; exemplum veſtrum video, ſed nos non tam fortes adhuc, aut ſi ſumus, certe hanc conſtantiam majoribus debemus operibus; Ad me equidem quod attinet, nihil mihi in animo nunc, quam utrumque compoſitis reſculis meis ire in medios fluctus, ut & opera noſtra aliqua ſit ſatagentibus cunctis. Ad Senecam tua vidi, & judicia illa de ſingulis fabulis ſinceriſſima viſa; etiam notae illae, quibus ſerio feciſti medicinam ſcribtori a nemine ſerio tractato. Valde expeto Tacitum, quem edi ſcribit *Colvius*, nec dubito quin ſemper meliorem.

Ita

Ita tibi nunquam non melior ex incude moles. Validius illa Politica, quae ſane debes, & quae uſui maximo his malis rebus. Afflixiſſet nuntius de morbo tuo, niſi ſimul & ſalutem accepiſſem. Vide mi Lipſi, ut vivas; tibi primum, dein amicis; nam Reip. certe ſemper vives. Salve vir Cl. & vale, Londini Trenob. A. d. XVII. Kal. Febr. ſtylo veteri. CIↃ. IↃ. LXXXVIII.

Faucerius noſter brevi ad vos ſperat venturum; interea excuſatum ſe habeas petit; tempus ſcribendi nunc non fuit, & ſervare alloquio mavult. Salutem ab eo nuntio tibi, & ab *Hotomanno*.

Reſponſio ad Lipſii II. Centur. Miſc. 31.

EPISTOLA CCCVII.

JOSIAS MERCERUS

J. Lipſio S.

Miraberis nomen tamdiu inauditum. Non excuſo, Lipſi; accuſa haec tempora, per quae licuit mihi meminiſſe amicorum, teſtari amorem ſcribtis non fuit. Ut abii a vobis, exceperunt me Germanica negotia; in iis per tres menſes agitatus, dum ſcribimus militem, dum ſolicitamus, dum recenſemus, tandem poſt ancipites caſus cum poſtremis *Frentzii* veni Metim. inde ad Regem; ubi duo mala nova mihi in novo bono reviſendae patriae; aula & bellum. Ita inſperato ex alia cura facti fuimus milites. Fatum mihi fuit, ut intereſſem praelio ad Iverium pagum: ſtatim poſt eam victoriam remiſſus in Germaniam, ſed in itinere arreptus a praedonibus & ductus Rhemos, quae urbs hodie in primis inimica Regis & religionis. Attentus ibi ſine ſpe liberationis per tres menſes, quod ego tempus, ſancte juro tibi Lipſi, ita bene atque feliciter duxi, ut non meminerim his tribus annis fuiſſe melius mihi. Bonum id non ab inimicis, qui exagitabant, quantum in ipſis, taetro carcere incluſum, per ſacerdotes ad diſputationes vocarunt, per ſeditioſos ad quaeſtiones de publico ſtatu. Mala omnia vertebant in melius; ſolitudo ipſa ſummum ſolatium; poteramque eſſe bene ibi, niſi amicorum ſtudia retinendis aliis viciſſim adverſarum partium retraxiſſent me ab illo otio. Per eos factum eſt, ut liceret mihi paciſci certa pecunia. Malorum mihi inde principium; res anguſta; poſſeſſa omnia ab hoſtibus, ipſe longe a Rege, ab exercitu; quaerenda ſumma, quae redderetur iis, qui pro me ſolverant; in hac publica totius Galliae inopia ſummum mihi inde diſcrimen; teſtor deum, levior decuplo carcer fuit his moleſtiis. Spes erat tum de recuperanda Lutetia; ſolamen in ea ſpe non tantum, quanta deſolatio, ubi ea fefellit. Exierat mihi mater cum ſororibus ex urbe. Ecce illa ſtatim cum una ex iſtis perit; ego abſens. ubi ex reliquis moleſtiis extricavi me, morbus ſubiit gravis, & plenus periculi. Cum illo finiit annus ſuperior, quo nullum adhuc habui infeſtiorem. Succeſſit laetus hic, quo redditus amicis, & in aula etiam negotiis; ſed ſimul curis. In Angliam excucurri menſe Aprili, dum Carnutes premimus longo obſidio. ubi re-

redii, ex cauſa petendi a veſtris ordinibus ad Sequanae ſecundam filiam obſidendam alicujus ſubſidii miſſus iſtuc a Rege veni, qui *Buzennallium* legatum abiſſe credebat in Germaniam. Spes erat videndi & alloquendi tui. Moriar, ſi quicquam mihi hîc gravius abſentia tua. Querela ea mihi communis hîc cum multis. Ne ſit diu, nimis metuo, quia quaerenti quo te recipias, ajunt manſurum ad fontes: nec ſpes mihi ulla aut cauſſa excurrendi illo. Eſſes alicubi terrarum, modo ne ibi, crederem poſſe illo vocari ad publicum quid tractandum. Nunc nobis nihil negotii cum ſalubribus illis aquis. Et niſi migras alio, carendum te diu. Saltem ſi abſum, ſi abes, leva taedium hoc ſcriptione, quam non petii tandiu, quia non potui ipſe vocare te ad hoc beneficium officio noſtro. Nunc meliora ominer mihi, & ut ſint optima, cupio audire etiam de te. In aula noſtra Revolius unus e regni ſecretariis ſciet ſemper ubi ero, & diriget literas certo. Eo mitte. Habebis a me per Douzam, niſi aliam viam doces. Non ago pluribus. vale, & ama nos vel cauſſa tua, qui amamus te. Hagae: prid. Kal. Julias 1591.

EPISTOLA CCCVIII.

JOSIAS MERCERUS

J. Lipſio S.

..eodium.

SCribſi ad te, ſimul atque in hanc veſtram Bataviam veni, ut ſcribtione levarem taedium abſentiae tuae, quod eo majus fuit, quo major ſpes fuerat inveniendi hîc tui. Scribo iterum, diſceſſurus iſtinc, quia non erit forte, ut ſcribere poſſim, quum ad noſtrum illud chaos revertero. Abitum tuum accuſari hic a multis ſatis noſti; Et hoc, excuſari ab iis, qui non amaverunt te ſolum publica & ſua cauſſa, ſed etiam tua. Mihi ſane magis probaſti, quam alii mihi hanc moram probare voluerunt, a qua aliena mihi mens, fatali quodam morbo tracto ad ſufferenda graviora. Sed juvat immori patriae ruinis, qua ſtante pulcrum fuit ſtare; corruente fugere inhoneſtum; quamvis fortaſſe omnes iſtae deſtinae non magis nos juvabunt, quam ille humeris occurrens praecipitanti monti, ſtolidae fortitudinis exemplum miſerum. De publicis rebus quid ſcribam? ſcis quae hîc acta a veſtris, quibus & nos adfuimus. ſcis quae apud nos, & pro utriſque apud exteros. Agitamur incertis fluctibus, ventis diverſiſſimis. Inter hanc volutationem felices e noſtris, qui jactationem vident, non ſentiunt; quidvis potius poſſe illam ſiſi, quam movere ſumma illa & unica nobis bona, quae ſupra nubes, ſupra flamina. Ita enim debere nos ſanguinem ac vitam patriae cenſeo, ut moliti optima quaeque ex ratione officii, ſiquid ſecus cadat, immoti ſpectemus, obverſiſque, qua rectae rationis modus imperat, ventis ac funibus. de cetero ſecuri exſpectemus ruentium procellarum caſum. Animos tumultuantes hodiernorum hominum, & ut res mutantur, gaudio, metu, ſpe, dolore turbatos, videmus ſimul ac mi-

miſeremur quotidie, quamvis neque nos ſemper expertes horum aeſtuum, ſed ſedant cito, nec percellunt noſtram ratem. Melius tu fortaſſe, qui etiam ſubducis te e medio pelago. Dabit & Deus olim fortaſſe, ut ſapiamus ad hunc modum. Gratulamur tibi interea, nedum ut arguamus. Vellejum tuum vidi hîc, quem ſidera bonis oculis viderunt, quum admoverunt tibi, eodem tempore, quo in Italia lacerabatur miſer continuis ictibus. Pag.[1] 136. velim legi; *qui multum a more imperatoris ſui diſcrepantes*: & aliquot inferius verſibus; *quinetiam primi ordines caecidere, invaſere hoſtes.* Ut ſcias, quum mediis armis eximus, ſiquando otium detur, redire nos ad literas, immo fortaſſe, retrahi. Sed ſatis eſt. Salve amiciſſ. & clariſſ. Lipſi. Hagae Comitis Non. ipſis Sextil. CIƆ IƆ LXXXXI.

1 Lib. 11. cap. 112. ita etiam correxit *Pontanus*, & altera etiam emendatio a *Rhenano* & aliis praecepta eſt.

EPISTOLA CCCIX.

CAROLUS CLUSIUS

J. Lipſio V. C. S. P. D.

Leidam.

SUperiore autumno litteras ad te dedi, Clariſſ. Lipſi, quas redditas arbitror: nam Plantini noſtri miniſtro Francoforti ad Moenum tradidi. Sub meum porro inde diſceſſum à Wilhelmo Cattorum Principe evocatus, Caſſellas profectus ſum. Verum Princeps venationibus occupatus, diutius me iſtic retinuit, quam cogitaveram: eaque cauſa fuit, ut Noribergam adveniens, nullos itineris comites nanciſci potuerim, & alios dum praeſtolor, ſerius, nempe ipſa bruma, Viennam redierim, magnas itineris difficultates, & aſperrimum gelu perpeſſus, quod difficilimam tuſſim conciliavit: a qua non plane libero aliud gravius malum acceſſit. Nam IIII. Kal. Januarias, in vaporarium deſcendens per paucos gradus delapſus, ſiniſtrum pedem luxavi, & interiorem malleolum attrivi: id me in lectulum conjecit, cui per ſex hebdomadas continue adfixus fui, non ſine gravi dolore & moleſtia, quam interdum levavit amicorum congreſſus & lectio. Ex eo morbo necdum plane convalui, alter enim tibicen infirmior eſt, quam ut caducum jam & ruinam minans aedificium ſuſtinere queat: ſed gemino ſcipione fultus, paulatim per aedes obambulo, imo gradiri diſco vacillans infantium more: nimirum hoc diuturnum & continuum gelu lentiorem curam efficit. Inter reliquos, quos legi libellos, fuerunt & tui, *De recta pronunciatione Latinae linguae*, noſtro *Ph. Sidneio* (qui utinam viveret) inſcriptus, & *Epiſtolarum Centuria* I. ac hos non ſine fructu & voluptate. Plurimam ſane tibi gratiam habeo, qui epiſtolam, ad te[1] meam alioqui rudem expolieris, & inter reliquas apparere volueris.

Quo-

1 Ea legebatur in 1. Centur. Miſcel. 49. prioris editiones, ſed in ſequentibus ſublata. reſponſiones vero Lipſii ſunt ad duas epiſtolas in eadem Centuria ſecundae editionis 1590. 11. Cent. 24.

Quoniam vero ex[2] Epiſtola ad *Duditium*, *Nicaſii Ellebodii* obitum tibi ignotum fuiſſe deprehendi (an poſt id temporis intellexeris me latet) operae precium facturum arbitratus ſum, ſi hac epiſtola ſignificarem, illum Poſonii Ungariae oppido ad Danubium, decimo infra Viennam miliari, peſtilenti febre correptum, expiraſſe pridie Nonas Junii, inter ſecundam ac tertiam pomeridianam, anno CIↃ IↃ LXXVII. magno omnium amicorum moerore, atque ipſius Maecenatis *Stephani Radecii* Agrienſis Epiſcopi, Caeſaris in Ungaria Vicarii, cujus menſa multis annis vixerat (iis ſane quibus ipſum novi 73. & ſequentibus) cujus item liberalitate Agrienſem canonicatum adeptus erat. An autem *Duditii* contubernio uſus ſit, ante quam in Pannoniam ſe conferret, ignorare me fateor. Mortuo ſcripſerunt epitaphia bini, & ego propter ſummam, quae mihi cum ipſo poſtremis illis annis fuit, familiaritatem, tumulum illi poſui. Omnium exemplar mitto.

Ceterum lectione VIII. cap. Lib. de Pronunc. Lat. Ling. *Littera* I. quae productior fit, cum longa, mihi in mentem revocavit veterem inſcriptionem, quae etiamnum Ancyrae eſt, ex ahaeneis pilis (quae an adhuc Romae conſpiciantur neſcio) deſumta. Nam illa omnes litteras I. producit, & longitudine velut duplas facit: quod tamen magis factum ſculptoris arbitrio, quam iſta obſervatione, cujus meminiſti, cum & omnes vocales. o. reliquis minores & contractiores ſculpſerit. Obſervavi quidem in plerisque Graecorum veteribus nummis ὀμικρὸν reliquis characteribus magnitudine non reſpondere: ſed cuſores occaſionem forte ſumpſerunt ab ipſius litterae denominatione, ut illam ceteris minorem exprimerent. Cum porro haec Ancyrana inſcriptio multa Auguſti opera, fabricas, publica munera recenſeat, quorum apud Hiſtoricos nihil legiſſe memini, niſi forte apud Suet. qui refert de altero volumine, quo complexus eſt Auguſtus Indicem rerum a ſe geſtarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis, & illius exemplar mittere volui. Si jam ante habebas, bene eſt, tantum operae mihi in deſcribendo perierit. Si non conſpexiſti, perplacituram non dubito. Sed ſunt nonnulla in ea inſcriptione de quibus te conſultum cupio.

Serie II. verſu 10. & 13. QVADRAGENS repetitum, an ſculptoris negligentia? verſu certe 6. QVADRAGIENS eſt.

Serie III. verſ. 14. COLVMPIO menſuraene genus? verſ. 16. QVALIMEA, an congiaria corbibus e vimine Quali modo contextis elargita?

verſ. 19. SEXAGENOS SEXAGENOS eſtne repetitio ſculptoris vitio admiſſa, an potius bis ſexagenos intelligendum?

Seriei III. continuatione verſu 5. SEXGENSIM quid eſt?

Op-

2 Legitur in prima Centur. 92. qua reſpondet Lipſius ad Dudithii epiſtolam, editam a Pontano pag. 116 Male vero in *Geſneri* epitome & *Lindenio*, eum exſcribente, *Nicolàus Ellebodius* vocatur. nam in praefatione ad Nemeſii verſionem, editam a Plantino 1565. ſe *Nicaſium* vocat. Vid. *Valer. Andr.* Biblioth. Belg Ejus meminit auctor vitae *Vincentii Pinelli*, *Gualdus* pag. 346. Ed. Londin. & *Marchant.* in Flandr. lib. 1. pag. 63. epiſtolam ejus ad *Cluſium* edidit *Th. Crenius* Exercitat. 11. de optimis libris pag. 63.

Oppoſito latere.

Serie I. verſu I. CONTINENS & CALCHIDICVM. quae loca in urbe?

FECI DECREVERAM in extremum ſequentis verſus ita rejecta inveni.

Seriei I. continuatione verſ. I. QVORVMQVE AVGVSTVM. Sculptoris vitio veriſimile, & FORVMQVE AVG. reponendum.

Ejuſdem oſcitantia haud dubie repetitum vocabulum ET verſ. 19. ſed & eod. verſ. PEDES DVCENTI. an non potius DVCENTOS?

De his quaeſo, mi Lipſi, doctiorem me facias per occaſionem, & de tua valetudine edoceas. Bene vale, Salutem dico Douzae, Raphelingio & reliquis amicis. Viennae Auſtriacae XI. Cal. April. Gregoriano calculo, nimirum quo tempore mercatores ad vernas Francofortenſes nundinas proficiſcebantur, CIↃ IↃ XXCVII. ademptis nimirum omnibus aliis ad vos ſcribendi occaſionibus, per has Martias tempeſtates. 3

3 Huic epiſtolae adjectum fuit ipſum Marmor Ancyranum, quod edidit *Lipſius* pag. 19. Auctarii inſcriptionum veterum, ubi a *Busbequio* ſe primum, & poſtea a C. *Cluſio* accepiſſe praedicat. & pag. 22. exhibet ea, quae cum hac epiſtola *Cluſius* de ipſo marmore animadvertit, & ſcripſit Lipſio; nimirum, ſe ſuum exemplar A. 1576. deſcripſiſſe ex *Antonii Verantii*, Archiepiſcopi Strigonienſis, & Caeſarei Legati apud Turcas, exemplari. alterum ſe vidiſſe apud *Sambucum*, ſed verſibus non recte diſtinctum. & 1584. *Lewenclavio*, cum *Henr. de Liechtenſtein*, Caeſareo Legato ad Turcas proficiſcenti, mandaſſe ut ad ipſum lapidem conferret, qui eo non pervenit, ſed a duobus nobilibus Germanis, qui Ancyrae fuerant, & deſcripſerant, hoc monumentum obtinuirat, ut cum Verantiano exemplari conferret. deinde petiiſſe ſe a *Busbequio* ejus exemplar, qui alii mutuum dederat, nec receperat. quae epiſtolae pars repetita in Editione Gruteri pag. 233. Clar. vero *Gronovius*, qui ex Coſſonianis ſchedis novam hujus marmoris editionem curavit, pag. 124. ad *Schottum* hanc epiſtolam a *Cluſio* ſcriptam, & aliam ab illo, quam Gruterus edidit, putavit. ſed erraſſe apparet ex ipſa editione Aurelii Victoris a *Schotto* A. 1579. curata. in qua inter notas ad Epitomen pag. 70. nuda tantum verba lapidis ponuntur, quem *Gruterus* dedit, deinde *Lipſius* edidit, & notis illuſtravit, quibus *Lipſius* hanc epiſtolae hujus appendicem inſeruit.

EPISTOLA CCCX.

CAROLUS CLUSIUS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

TAndem ante triduum huc perlatae ſunt tuae III. Non. Jan. inſcriptae, Clariſ. Lipſi: vide quam lento & plane teſtudineo gradu progreſſi ſint, qui eas deferendas ſuſceperunt. Exiſtimavi ſane periiſſe. Gratas vero tibi fuiſſe, quas Francofurti dedi, plurimum gaudeo. Utinam iſtic convenire te licuiſſet: male ſit equitibus, qui tuum iter impedierunt. Eo veneram Margethemo, quo negociorum quorundam cauſa a Sereniſſimo Archiduce Maximiliano fueram evocatus, cum adeo vicinus eſſem, praeſertim cum jam eſſent nundinae (extra quas, magnam puto Francofurti ſolitudinem) ubi & veteres quoſdam amicos ſperabam videre, & noſtri *Plantini* negotiorum curatorem, per quem amicis in Belgicam ſcriberem. In litteris autem, quas ad te dedi, ad-

addidiſſe exiſtimabam, invitatum me a Cattorum Principe *Wilhelmo*, ut eum in reditu Caſſellis convenirem. Certe alteris, quas vernalibus nundinis miſi, mei itineris progreſſum & ſucceſſum ſignificavi: nec minus (ſi ad te pervenerunt) meum infortunium ex iis intellexeris. Pedis autem curatio male & negligenter adminiſtrata, claudum, Lipſi, me reddidit: nec niſi maxima cum moleſtia in publicum prodire ſinit. Igitur in poſterum interdictae omnes peregrinationes, interdictae. Huic malo acceſſit mei hortuli calamitas, quam quottidie experior majorem: nam maximam hiemis ſaevitiam ſubſequuta eſt vernalis aëris conſtitutio admodum frigida, aeſtiva autem ſupra modum humida, quae multas ſtirpes, quae hiemis inclementiam ſuperaverant, penitus corrupit. Itaque haud video, qua ratione amicis (qui etiam ſimilem cladem accepiſſe queruntur) gratificari queam, tametſi ſummopere cupiam. Videbo tamen ut e paucis Tuliparum & Lilii Perſici, qui mihi conſervati ſunt, bulbis, aliquot accipias & ſemina earundem ſtirpium, proximis autumnalibus nundinis, ut aliquam tui hortuli partem exornare queas, proximo anno, ſi Deus vitam conceſſerit, plura additurus. Pro tua animi benivolentia, plurimam habeo gratiam. Sed quem in veſtra Academia locum obtinere poſſit ſexagenarius, nunquam in iſto pulvere verſatus, ſed qui perpetuis fere peregrinationibus indulſit, quodque reliquum fuit temporis ſibi & amicis inſumſit? Ardua nimium mihi eſſet haec provincia, ſi probe mearum virium mihi conſcius ſum, mi Lipſi. Si Viennam deſerere cogat aliqua neceſſitas: deligam locum aliquem in Germania liberum, & vobis viciniorem, ne Iberico ſenatui ullam calumniandi anſam praebeam, non tantum mea, ſed meorum propinquorum praeſertim cauſa. Ubicumque autem fuero, & tibi & reliquis amicis, quacumque in re gratificari ſtudebo. D. *Camerarium* proxima occaſione ſalutabo diligenter tuo nomine. Superiore anno *Modium* vidi admodum occupatum apud Sigiſmundum Feyrabend typographum. Cui adjunctas inſcripſiſti, Marpurgi non agere heri intellexi, ſed Pragae: diligentius tamen inquiram, ut tuto ad ipſum curari queant. Bene vale, Clariſſ: Lipſi. Viennae Auſtr: VIII. Kal. Aug: CIↃ.IↃ.LXXXVII.

Saluto D. *Douzam*, F. *Raphelingium*, cujus epiſtolae jamdudum reſpondi per ipſius ſocerum.

Reſpondet Lipſ. I. Cent. Miſc. 91.

[1]EPISTOLA CCCXI.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio S. P. D.

Leidam.

VAlde me afflixit adverſa tua valetudo, mi Lipſi; vires autem te ex parte recepiſſe gaudeo, atque ut te ſalvum & incolumem nobis diu conſervet, Deum

1 Ad Lipſ. II. Cent. Miſc. 24. haec reſponſio eſt.

Deum opt. precor. De Smetiano Theſauro recte factum, velim, quod libentiſſime feciſſem, ſymbolam conferre potuiſſem: habeo enim, quae in his regionibus collegi quaepiam fideliter deſcripta, nam meis oculis plus fidere ſoleo, quam alienis, praeſertim in veterum Inſcriptionum exceptione. Non credas, quam turpiter *Lazius* interdum ſit lapſus. Quae in Hiſpanica peregrinatione collegeram, dedit M. *Laurinus Smetio*: at meum exemplar numquam reſtitutum, tametſi ſaepiuſcule repetierim ante quam huc accerſerer. Ea forte ſuis locis in volumine diſtribuit Smetius. Si in animo habueritis [2] appendicem aliquam aliquando addere ad opus, quod nunc ſub proelo eſt, quae habeo conferam ex animo. Et non dubito quin brevi editionem repetere cogatur Typographus, adeo omnibus gratum futurum illum theſaurum ſcio. Dacicam peregrinationem ſuſcipere me fatum non ſinit: proximo enim Auguſto Francofortum ad Moenum cogito, ubi hiemem tranſigam Deo volente, & forte reliquum, quod ſupereſt, vitae tempus. Multos jam menſes iſta Irene noſtram ſpem alit: ſed illa nimium dubia mihi videtur. Optare quidem, ut tu ſcribis, licet, ſi non potiri. Illuſtri *Pinello* proximis litteris ſalutem à te dicam. *Mercurialis* familiaritatem nondum ſum adeptus: *Pinellum* tamen orabo ut officium faciat. Si quid in Vellejum Paterculum haberem, minime inviderem, mihi crede. Tu porro perge in utiliſſime coeptis. Niſi [3] *Dodonaeus* junior admodum ſit immutatus, haud pol paternum ſapit, & plerumque Heroum filii noxae. Habeo aliquot ejus epiſtolas, Patavio ad me datas, deus bone quam ineptas! Obſcurorum virorum epiſtolis adjici oportebat. Patri multas moleſtias creavit: is tamen, ut intelligo, & gaudeo, paulo ante obitum, reconciliatus eſt. Bene & feliciter vale, Clariſſime Lipſi. Salutem dico noſtro *Raphelingio*, & N. V. *Douzae*, facie necdum mihi noto. Viennae Auſtriacae VII. Kal. April. CIↃ IↃ XXCVIII.

2 Nactus ſum inſcriptionum a Lipſio editarum exemplar, quodque olim fuit *Caroli Cluſii*, & cui ille in calce adjecit inſcriptiones, ſua manu deſcriptas, quas collegit in Auſtria & Pannonia, & alibi. Illuſtravit etiam adjectis notis, ipſas etiam figuras, quae in lapidibus exſculptae erant, depinxit nitidiſſime, in fine etiam quaſdam Hiſpanicas adjecit, quae non erant miſſae *Smetio.* & adjecit haec verba, quae hanc epiſtolam Illuſtrant. *In Hiſpanica mea peregrinatione ego*, Carolus Cluſius, *multas inſcriptiones veteres obſervabam, & fideliter excipiebam. Deinde Valentiae a nobili quodam Hiſpano, qui longe plures, quas obſervaſſe ajebat, deſcriptas habebat, ut exciperem impetrabam. in Belgium redux Anno* MDLXV. *Brugis Flandriae nobili viro* Marco Laurino, *Domino de Waterfliet, mutuo dabam. ſed numquam illas deinde recipere ab illo potui. video Smetium nonnullas in librum ſuum intuliſſe, non tamen omnes. nec diſtinxiſſe illas, quas ego obſervaveram, ab iis, quas ex alio deſcripſeram. Cordubae tamen & Valentiae tum etiam in Luſitania elegantes quaſdam a me obſervatas, ab ipſo neglectas animadverto. ſequentes porro in ſchedis deſcriptas, & ab aliis ſepoſitas poſtea reperi.* Dacicas etiam inſcriptiones Albae Juliae repertas adjecit, quas collegerunt D. *Apollonius Menabenius* Medicus, & *Theobaldus Hogelandius*, curante Cluſio Annis LXXXVII. & XCI. ſupra MD.

3 De *Dodonaeo* Juniore vid. ſupr. ad Epiſt. CCXXXII. Cratonis a Craftheim.

EPISTOLA CCCXII.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio S. P.

Leidam.

MAximas ago gratias pro tuo munere, Clariſſime Lipſi, doleo me nihil habere, quod rependam. Exempla Caeſari & Principibus inſcripta recte curavi, binis illis locis, quae adnotaſti, correcta. Quod Caeſari mittis, *Wolfio Rumphio*, cubiculi ipſius Praefecto, cui ſcripſi, commendavi, per Gemmarium Pragae habitantem. Palatino & ejus Aulae Praefecto inſcripta *Commelino* Heidelbergenſi Typographo tradidi. Landgravio *Mauricio* etiam ſuum exemplar miſi, per aulicos, quos ipſius parens huc ſingulis nundinis ad neceſſaria coëmenda mittere ſolet. *Bellonii* verſio ut ex tempore fuit effuſa, ita nunc maxime diſplicet: mihi etiam negotium fuit cum confuſo admodum ſcriptore, qui quaſi ſui oblitus plerumque eadem capite eodem, aut ſecundo repetit, & male periodos connectit. Ego illam nunc quodammodo recudi & expolivi, ut ſperem ſecunda editione aliquanto cultiorem prodituram in publicum, cum reliquis meis lucubratiunculis, Deo volente. Summi hîc fuerunt caniculae aeſtus, atque etiam per univerſam, ut puto, Europam: nam vina Auguſto menſe lecta ſunt in Pannonia, atque, ut intelligo, abundanter. Scriptum mihi ab amico, Turcarum Imperatorem compoſitis Conſtantinopoli motibus, exercitum paratum habere, cui cum induciae ſint cum Perſa, verendum eſſe, ne in Daciam & Pannoniam convertat. Sereniſſimus Archidux Maximilianus Polonia exceſſit, non praeſtito jurejurando, quod Poloni exigebant: an id laturi ſint Poloni, dubium. metuendum tamen, ne mutuis diſſidiis aditum praebeamus Turcae in penitiora Provinciarum, quae Auſtriacis ſubſunt. Meum hortulum fuiſſe elegantiſſimo aulaeo ornatum, alii referunt: ego iſto eleganti ſpectaculo fraudatus ſum, evocatus Caſſellas ad Landgr. *Wilhelmum*: occupatus fui hac aeſtate in repurganda terra à ſaxis & aliis ſordibus, quibus abundabat, ut ſperem proximo vere magnam voluptatem ex florum diſpoſitione & colórum mixtione me capturum, ſi Deus vitam concedet, & per Senatores hujus urbis liceat, quibus peregrini non admodum grati ſunt. Id eo fit, quia potior pars eorum, qui ſunt in Senatu, aut litteris operam non dederunt, aut ſuis finibus numquam exceſſerunt: noſtri omnes ſunt mercatores, & qui quaeſtui duntaxat inhiant, quae his affinitas cum Muſis? Niſi Vienna tam procul a patria abeſſet, & religionis exercitio privaretur, eo redirem: nam iſtic major hominum comitas, & vilior annona. Pro ſolo victu & habitatione binos Imperii talleros pendere cogor, ſunt qui totidem ſolares aureos expetunt: quid praeterea in ligna, candelas, lotrices, veſtes & alia in quotidianum uſum neceſſaria expendendum ſit, vide. Veteribus nummis te delectari puto, mitto argenteum nuper ab Illuſtri Dn. de *Barthyan*, Ungaro Procere, miſſum, ſed in Dacia erutum: ab una parte binae facies quid ſibi velint ignoro,

ro, niſi forte Danubium, qui & Iſter appellatur, ſignificent, certe [1] ΙΣΤΡΙΗ ab altera parte inſcriptum, & aquila dorſo Hauſonis, quem nonnulli Exoſſem Plinii putant, in Danubio frequentis, inſiſtens, caputque ejus roſtro feriens, ſignificare videtur Iſtrum à Romanis domitum. Tu pro tua doctrina felicius expendes. Bene vale vir Clariſſime, Francoforti ad Moenum VII. Kal. Octobr. CIↃ IↃ XIC. Juliano calculo.

Pituita & tuſſis me vehementer excruciant.

1 Forte nummus fuit, quem ex *Goltzio* refert *Harduinus* in nummis Populorum, ΙΣΤΡΙΗΩΝ. & refert ad Iſtropolin.

EPISTOLA CCCXIII.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio S. P. D.

MAgno cum animi mei dolore intellexi, te ita circumagi, mi Lipſi, ex Jeſuitarum praepoſtero conſilio. Nam ſi Swalbacenſibus acidulis uti in animum induxiſſes, tibi maxime profuturas non eſt dubium. *Riverius* Medicus Regius, qui tibi ex animo bene vult, Coloniam evocatus, hinc profectus eſt eodem, quo ego Moguntiam die. Coloniae intellexit te eo veniſſe, ſed requiſitum jam te Confluentiam rediiſſe audiit; voluit ille tibi ſuo conſilio adeſſe, ut mihi hodie retulit: nam metuit ut te eas perditum. Poſtridie quam tuas accepi, Heidelbergam profectus ſum, comite Dn. *Pelliſonio*. Doluerunt *Grinradius*, *Meliſſus*, & alii, te ipſis non ſalutatis hinc diſceſſiſſe: *Meliſſo* enim ſpem feceram poſt acidularum uſum, te ad ipſos profecturum, & haud dubie gratiſſimus illis fuiſſes hoſpes. *Donellus* e vivis exceſſit. Si *Giſanius* tam brevi futurum putaſſet, forſitan Altorfium non reliquiſſet. Sed illum etiam circumagi audio: nam relicto Ingolſtadio Coloniam profectum ajunt. Mitto *Meliſſi* faſciculum, quem eodem, quo hinc Heidelbergam profectus ſum, die accepi, alias literas redux ex ea peregrinatione hîc repperi. *Brederodius* mihi hodie ſignificavit alium hîc in urbe eſſe ad te faſciculum (a *Viviano* quantum intelligere potui) ſed qui habet inveniri non potuit, bis aut ter a me requiſitus, alioqui adjunxiſſem. Bene Vale, & ab amantiſſimis tui Gallis ſalutem accipe. Francofurti XVI. Maji veteris CIↃ IↃ XCI. multa nocte.

EPISTOLA CCCXIV.

J. LIPSIUS

Carolo Cluſio.

Francofurtum.

NOn oblivіſcor tui, mi Cluſi, neque oblivіſcar, etſi ut rarius ſcribam, facit importunitas ex his locis mittendi. nunc abeunte *Hovio* Librario Leo-

dicenſi, officio fungor lubens. Quod de valetudine, media eſt. ejuſque firmandae cauſſa iterum Spadam cogito, quamprimum advenerit noſtra uxor, quae eſt in via. a Batavis miſſionem impetravi aegre, ſed honeſte. Apud omnes gentes teſtor, gentem eam in me fuiſſe perhumanam, atque abſens etiam amo. Nos in libris & ſtudiis toti, & fruimur fine illo conſilii noſtri, qui fuit quieſcere & latere, non tamen, ut ſpero, ſine publico fructu. Exſpecto privilegium edendis libris meis, quod peti juſſi ab Imperatore, tum aliquid noſtrum aut plura videbis. Circumſpicio de domo (nam adhuc vage habitavi) quae hortum habeat, in quem transferam bulbos, id eſt delicias meas. D. *Prunius* (virum credo noſti) per uxorem promiſit quaedam ſe ad me miſſurum; ſi quid rarius ſcies, tu quoque; ſi quid ſine detrimento ad me potes, aut ſeminum aut bulborum, quaeſo, eſto is, qui ſoles, & largire: Animo, ſi non re, agnoſcam ſemper & reponam. Ego in triſtitia hac temporum, quae nullam emendationem promittunt, duplici hoc ſolatio utor & ſuſtentor, librorum & hortorum. *Colvius* eſtne apud vos? vix opinor, & credo in Gallia jam eſſe, ſi tamen ſedet illi conſilium ſemel captum. Haec dubitatio repreſſit me in ſcribendo, & omnino puto aeque vos conjectare. Vale, Vir Cl. Leodici, ubi hyemare conſtitui. Poſtridie Non. Sept. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA CCCXV.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio S. D.

Leodium.

GRatiſſimum fuit intelligere, mi Lipſi, tuam valetudinem ſatis tolerabilem eſſe, ejuſque firmandae cauſa Spadam iterum cogitare: ſed vereor ut aptus ſit Autumnus, qui frigidior eſſe ſolet. Quod frueris fine illo conſilii tui, gaudeo, nec otioſum te futurum ſatis ſcio. Velim aedes iſtic nanciſci poſſis ex animi tui ſententia, & quae hortum habent, in quem transferas tuas delicias. Caniculares dies fuerunt hîc permadidi, multoſque bulbos mihi corruperunt, praeſertim e ſelectioribus Tulipis, ut vix habuerim, unde meorum aulaeorum lacunas explerem. Mitto tamen aliquot tulipas ſemine ſelectiorum natas, & aliquot bulbos ſtirpeſque tuberoſas elegantiores, addidi etiam ſemina non vulgaria, ut e plantis inde natis aliquando voluptatem capere poſſis. Quas meis adjunxeras, diligenter curavi: & binas ad te mitto, his nundinis mihi redditas. *Colvius* fruſtratus fuit ſua ſpe, de qua apud omnes gloriabatur, & etiam ad parentes ſcripſerat; alius locum, quem ſperabat occupavit: locum tamen apud fratrem ejus, cui à ſecretis eſſe cogitabat, tandem obtinuit, & cum exercitu abiit, ſed non tam honeſte ab ſuo hoſpite diſceſſit, quam decebat, & noſtrae nationi maculam inuſſit. *Brederodius* multam ſalutem tibi renuntiat, *Bongarſius*, *Sylburgius*, *Caſſiodorus*, qui vellet hîc diutius haeſiſſes, ego ſane prae ceteris. Bene vale. Salutem dico Cl. V. *Lampſonio*, qui mihi no-

notus initio anni LXIII. cum iſtac cum *Sambuco* facerem iter, Auguſtam Vindelicorum tendens. Francofurti. XX. Sept. veteris calculi XCI.

EPISTOLA CCCXVI.

J. LIPSIUS

Carolo Cluſio.

Francofurtum.

UNa cum literis flores & ſemina a te accepi, mi Cluſi, & quod ſoles, largus in Lipſium tuum es, & benignus. Gratias habeo. quid aliud nunc poſſum? Utinam opes aut copiae meae unquam forent, ut exhibere gratum me poſſim! ſentires me certe ex animo & ſine fuco tibi unicum. Ego adhuc Leodici ſum, & apud me nunc uxor, & domum hortumque ſatis commoda habeo: ſed quia non ſolus (ita enim hîc mos, & plerique exteri in aedibus amplis Canonicorum habitamus) non auſus ſum bulbos meos horto concredere, eoſque in loculis ligneis depoſui, & expoſui feneſtris cubiculorum meorum ad imbrem & ad ſolem: ad ſummam, ſunt velut Adonidis horti. Ego proxima aeſtate de tota manſione conſilium capiam, ſi Deus volet, idque pro temporum fluxu. ſpero etiam me tunc repetiturum Spadanos fontes, ſi tamen tuto licebit. nam Batavi praemiatores, aliique eorum velo & nomine, totum hunc tractum habent infeſtum. De *Colvio* quod mihi nuntias, inopinatum non eſt. Adoleſcentem novi, a ſtudiis magis, quam a moribus mihi probatum. Linguae enim intemperans eſt, & ſemper in malignam partem. Quid dicam mi Cluſi? juventus pleraque hodie, uti aevum iſtud, ſuperba, vana, petulans, & non ad mores parentum. iſte qui has tibi, ut opinor, tradet,[1] *Adamus Leemputius* eſt, viae meae & totius itineris fidus hucuſque comes. incredibile eſt quam auxilio & ſolatio mihi fuit. rogo te velis, videns eum, habere virum bonum, & non ex genere quod deſcripſi. Salvebis multum a *Lampſonio* noſtro, qui nunc ſeneſcit, & caput reſperſum gerit cana nive. Leodici III. Id. Octob. 1591.

1 Hunc & commendat *Serario* III. Cent. Miſc. 5. fuit Ultrajectinus ex honeſtiſſima & domi clara olim familia. Epiſtolas tres Lipſii ad *Leemputium* edidit Gabbema Centur. II. 23. 24. & 26. fuit ejus comes in itinere cum Leidam fugeret. ex eadem familia *Henricus Leemputtius* videtur fuiſſe, quem laudat & deſcribit *Valerius Andr.* Biblioth. Belgica. Apud Ultrajectinos meos celebratur adhuc memoria *Catharinae*, *Leemputii* Scabini urbis, uxoris, quae animo virili mulieres duxiſſe & praeiviſſe dicitur, ad diruendam arcem, quam Hiſpani, ut jugum, urbi impoſuerant.

EPI-

EPISTOLA CCCXVII.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio S. P.

Leodium.

ANte triduum litteras a D. *Joachimo Camerario* accepi, & illis incluſas, quas a *Richardo Barone a Starenberg* ſibi miſſas ſcribebat, ut ulterius curarentur. Iſtius adoleſcentis patrem aliquando in Gallia novi, virum probum & litteris bene excultum. Si quid reſpondere voles, ad me per occaſionem mittito, curabo, ut recte Viennam perferantur. Quid Spadani fontes? utiles ne fuerunt? velim ex te ſcire. Ego nihil adhuc ab his, de quibus ſuperioribus nundinis ad me ſcripſiſti: interea undiquaque ſpargitur rumor, me ad ipſos venturum, nec aliud exiſtimant plerique amici, quorum litteras e variis locis quottidie accipio. Et certe qui ejus rumoris auctores, plurimum incommodi meis rationibus adferunt: & puto illos me habere ludibrio. Hoc autem conſtitui, hinc pedem non efferre, donec meam Stirpium Hiſtoriam abſolvero: quia vitae curriculum mihi breve reſtat, propterea eo diligentior adhibenda opera, nec illa interrumpenda. *Monavius* cum hîc eſſet, ſingulis momentis ſe expectare ajebat Caeſareum diploma, quod tibi mitteret: ſed ille abiit, nondum eo recepto. An poſtea aliunde miſerit, cuperem ſcire. Vereor ut illud negotium remiſſius tractarit, quam erat neceſſe, vir aulicorum morum non ſatis gnarus. Crede mihi, plus tu una epiſtola apud Vicecancellarium Caeſareum effeciſſes, quam multi *Monavii*: & auctor tibi ſum, ut, ſi nondum accepiſti, ad eum ſcribas. Nam, quantum intelligo, vir eſt politiſſimis moribus, multarum linguarum gnarus, multae eruditionis, nec a Muſica alienus, imo Mathematices etiam peritus. & non dubito quin facile impetrabis: clarum enim eſt in Caeſarea aula tuum nomen apud omnes doctos viros. Nomen Vicecancellario *Jacobus Kurz a Senfftenau*: gaudent autem omnes Aulici, praeſertim qui illuſtri loco ſunt ſiti, magnificis titulis: propterea, ſi ſcribes ad eum, tribue illi titulum *Illuſtris Viri. S. R. Imperii Vicecancellarii*; tametſi nondum ſit a Caeſare deſignatus. Fungitur tamen hoc munere. & ſtatim a *Viheri* morte functus eſt. Cancellarium autem Imperii non ignoras eſſe Electorem Moguntinenſem. Ego ſane proximis Autumnalibus nundinis ad illum ſcribere ſtatui, pro diplomate ad meas lucubrationes; & quia illum hortenſibus delitiis delectari audio, addam hortenſe munus, quo facilius impetrem: nec inanem, ut ſpero, operam luſero. Omnino autem diploma mihi impetrandum: nam in Germania multi alienos labores ſuffurari ſoliti. valetudinem firmam ad tuos labores perficiendos à Deo opt. max. tibi ex animo opto & precor, mi Lipſi. Francofurti ad Moenum XI. Junii vetere calculo ∞ IↃ XCII. Salve à *Bongarſio*: *Brederodius* adhuc Baſileae haeret.

EPI-

EPISTOLA CCCXVIII.

CAROLUS CLUSIUS

J. Lipſio ſuo S. D.

Lovanium.

TUas mihi reddidit D.[1] *Adrianus Romanus*, cariſſime Lipſi, perbreves quidem illas, ſed longe gratiſſimas, quia primae poſt annum: & ſane non mediocriter mirabar obſtinatum iſtud ſilentium, praeſertim cum aliquot meis eſſes provocatus, ad quas his poſtremis nihil reſpondes. Dic quaeſo, an *Pinelli* ad me litteras acceperis, quas pridie Non. Decembr. proxime praeteriti meis incluſas mittebam? Denuo urgeor, non modo ab eodem *Pinello*, ſed etiam à Bibliopola Patavino, (cui datum hoc negotium à Magnifico viro N. *Michaëli*, Curatore Academiae Patavinae) ut ad te ſcribam, & petam, ecquid haberes animi ad ipſos te conferendi, qui te magnopere expetunt, & liberali ſtipendio exciperent, ſi ad eos proficiſceris. Addebat Bibliopola multos eſſe Senatorii ordinis & Patritios Venetos, quibus magna in admiratione es, qui tibi Patavii liberorum curam committerent, ut praeter fructum, quem ex publicis tuis lectionibus reciperent, eum, qui ex familiari converſatione proficiſceretur, etiam haurirent. Scribe, quaeſo, prima quaque occaſione vel ad eundem *Michaëli*, vel *Pinellum*, quis ſit tuus animus, & litteras ad me mitte, opera *Mourentorfi*i, qui brevi curare poteſt, & ego ſtatim Patavium ablegabo per curſorem ordinarium. Cogito ad Batavos honeſto ſtipendio invitatus, & ab omni publico munere liber: ſed non ante Nundinas Autumnales: nam ante abſolvenda Stirpium Hiſtoria, in cujus Quinto Libro ſcribendo nunc verſor, Sextum hac aeſtare abſolvam, Deo volente. Et non ſine Divina Providentia factum agnoſco, ut illi me invitarent (tametſi jam ante multus apud illos de me evocando ſermo, nullus vero ab eis ad me) cum Cattorum Princeps *Wilhelmus*, (qui in ſenectutis ſubſidium quotannis centum florenos Francofortenſes mihi numerari curabat) rebus humanis exemptus eſt: nam filius, ex Purpuratorum conſilio, ſubſidium illud ademit. De jactura ſtirpium, quam feciſti, valde doleo: jubeo tamen eſſe te bono animo: nam licet acerrimum fuerit poſtremum gelu apud nos & denſae nives, quae ſolutae & in ſumma ſuperficie terrae haerentes, multas ſtirpes mihi corruperunt, praeſertim verſicolores tulipas, quas multo teneriores aliis, quotidiana experientia didici, & Muſcari Hyacinthique bulbos; depromam tamen ex eo, quod ſupereſt, penu, quae meo Lipſio grata eſſe poſſint, circa Autumnum, vel etiam ante, ſi commoda ulla ſeſe offerat mittendi occaſio. Vale, mi Lipſi, & verbum unum ad Ill. *Pinellum*, aut ad Magnificum *Michaëli*, ſcribere ne pigeat. Francofurti ad Moenum VI Id. April. CIƆ IƆ XCIII. vetere calculo.

1 De *Adriano Romano* vid. ſupr. ad Epiſt. CXC. & infra ad epiſtolam Lipſii ad eum ſcriptam.

EPISTOLA CCCXIX.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

REcte factum, quod ad meas, poſtremis nundinis datas, reſponderis: ut Illuſtri viro *Pinello*, (qui me de negotio ad te ſcripto urgere non ceſſat) habeam quod reſpondeam. Nam poſtremis ſuis, quibus ad eas reſpondebat, quas 24. Aprilis ad ipſum dabam (ſcripſeram autem me ante octiduum litteras denuo ad te dediſſe) in haec verba ſcribit. *Si ſtara attendendo con deſiderio la riſpoſta del Sr. Lipſio, gia che queſto Illuſtriſſimo Sigr. Giovanni Michele Procuratore di S. Marco, & inſieme riformatore dello ſtudio di Padoua, la ſta attendendo con quella devotione, che la S. V. puo facilmente imaginarſi dalle tante repliche, che le ne ho fatte à ſua inſtanza.* Ex his facile colligere potes, quam gratus foret illi tuus adventus. Nec dubito, quin ſi in animum induxeris profectionem iſtam ſuſcipiendi, valetudo tua ſit firmior futura. Nam iſtic habebis praeſtantiſſimos totius Europae Medicos, qui (ſi qui alii) maxime utilia ad valetudinem tuam praeſcribere poterunt: habes iſtic vicinas Aponenſes aquas, quas audio vehementer commendari, & adeo celebres, ut plurimi non modo ex univerſa Italia, ſed etiam ex regionibus exteris valetudinis recuperandae cauſa eo confluant. Cupio tibi bene eſſe, mi Lipſi, ex animo dico, atque utinam tanti apud te momenti mea epiſtola eſſe poſſit, ut propoſitam conditionem acceptare velis. Significabo Illuſtri *Pinello* tuam voluntatem, quam non dubito illi gratam fore, ſed longe gratiorem, ſi quid certi de tuo adventu decernere poſſes. Tuus hortus mihi curae erit. Velim ſcribas, per quem tuas has poſtremas ad *Arnold. Mylium* curaris. Colonia enim ille ad me xx. Junii, ſed reſignatas, & ipſe in epiſtola culpam fatetur, ſe videlicet reſignaſſe, non perſpecta inſcriptione, & primum animadvertiſſe ipſi non fuiſſe inſcriptam, cum eas legere incepiſſet. Studio potius factum ſuſpicor, quam nimis ſupina negligentia: nam cum ille totus à novo Monachorum genere pendeat, & illi ſint vaferrimi, cupiantque omnium conſilia noſſe, facile in ſuſpicionem venio, ab illis mandata accepiſſe ut iſta faciat. Monebo *Moretum*, ut in poſterum quas ad me, dum hîc vivam, dabis, ſuis mihi inſcriptis includat. Nunc ad me venio. Singulari ſum fato, mi Lipſi, ut in cruribus infortunium accipiam: ante ſexennium pes ſiniſter luxatus: Ipſo die Paſchatis, vetere calculo, hora decima ante meridiem, ad conventum Mercatorum iturus, deſcendens gradus, & infimum jam me attigiſſe putans, dextrum pedem promoveo, tanquam in plano ambulaturus (obſcuriores autem erant gradus) pes ſubſidens, nec inveniens in quo ſiſteret, inclinavit totum illud latus & tabulatum pertingens contortus eſt, fecitque ut in latus dexterum caderem adeo graviter, ut coxendicis dextri luxationem metuerem, & adhuc metuo aliquam eſſe, licet & Medi-

dicus & duo Chirurgi aliter ſentiant. Is caſus valde me afflixit: nam praeter magnos cruciatus, quos pertuli, me totis decem ſeptimanis cubiculo incluſum detinet, nec poſſum adhuc pede dextro uti: fuit mihi vero is caſus tanto gravior, quod meum hortum interea temporis conſpicere non potuerim, qui haud dubie, per continuas fere praecedentes pluvias multum detrimenti acceperit; nam bulbaceae & tuberoſae (quae meae delitiae) nimia humiditate plurimum laeduntur, & plerumque etiam pereunt. Huc accedit, quod toto iſto tempore, nihil ſcribere, nihil commentari potuerim, & breve reſtat tempus ad Nundinas, quibus praeteritis, mihi ad eos proficiſcendum, apud quos, Deo volente, quietam ſedem inveniam. Cras thermas Weisbadenſes accedere animus eſt, ut experiar an illae ſint futurae ſalubres. Sed chartae anguſtia ut longior ſim, non patitur: itaque bene vale, mi Lipſi. Francofurti ad Moenum v. Kal. Julii MDXCIII. D. *Bongarſius* plurimam ex animo reddit ſalutem.

EPISTOLA CCCXX.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio P. S. D.

Lovanium.

QUas ad me VIII. Kal. Septembres dediſti, amiciſſime Lipſi, eae, VII. Eidus ejuſdem, vetere calculo ſunt mihi redditae. Gaudeo caniculares dies tibi fuiſſe propitios: utinam Italicum aërem experireris, non dubito quin Belgico ſalubrior. Id opto valetudinis tuae gratia, quia alias Lovanii mihi vicinus magis futurus. Utinam pax, pax, divulſas regiones jungat, ut libere poſſimus nos amplecti. Sed video parum ſpei affulgere: etiamſi Erneſtus Auſtriacus adveniat, quem neſcio an hoſtis vicinus & potens remorabitur: certe nuper Sizech urbem, apud quam paulo ante Baſſa Boſnenſis cum magna militum manu caeſus, ad Colapis & Savi confluentes, occupavit, & omnes, qui inerant, ad internecionem cecidit, libereque nunc poteſt Stiriam & Carinthiam pervagari. Beglierbeg Graeciae iſtic praeſens eſt, Sinan Baſſa cum Regio exercitu adventat, atque ut fertur variis locis in Hungariam impreſſionem facere debent Turcae. O Principes Chriſtiani, & iſta negligitis? Deus conſilia Barbarica evertat. Mitto tibi pyxide incluſas ſelectas aliquot plantas, tametſi meus hortus magnam jacturam paſſus ſit, & multis me dare oportuerit: numerus accedit, ut opinor, ad quinquageſimum. Sed tu inter primos. Cogitabam Sextum mearum Obſervationum librum, qui & poſtremus, hac praeterita aeſtate abſolvere; ſed adverſus caſus impedivit: Nos Leydae, Deo volente, illum inſequente hieme ſcribemus. Eos autem, etſi hîc haeſiſſem, non dediſſem iſtis typographis cudendos, quia Moretus illos habebit, cui & ante annum priores tres miſi. Deſino; nam multae legendae epiſtolae, multae ſcribendae ante meum diſceſſum, qui in initium Octobris incidet, ſi Deus

valetudinem qualem qualem conſervabit. Vale, mi Lipſi. IV. Kal. Octob. CIƆ IƆ XCIII. Greg. faſtis.

EPISTOLA CCCXXI.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

SUb meum Francofurto diſceſſum, mittebam ad te pyxidulam, Cl. Lipſi, in qua ſelecti aliquot bulbi, & tuberaceae radices: gaudebo, ſi ad te ſalvae pervenerint. Magnam jacturam feci earum ſtirpium, quas in meum uſum ſervaveram: nec in me nunc ea alacritas, quae ſolebat, hoc meo morbo valde imminuta. Francofurtenſes chirurgi, mi Lipſi, meam valetudinem corruperunt, non bene explorato meo morbo, aut, ſi illis agnitus, malicioſe diſſimulato. Negarunt enim obſtinate, ullam eſſe femoris luxationem, quam tamen ſentiebam, & quae ab uſu thermarum magis fuit detecta: nihilominus eorum obſtinata ſententia (cum mihi ſuſpecta eſſet) factum eſt, ut IX. aut X. primariorum chirurgorum concilium convocarem, adhibito etiam eo Medico, quem tu iſtic vidiſti. Nudum conſiderant, prehendunt, rectum, in lectulo decumbentem, indico illis ſuſpiciones, quae me movebant, ut luxationem crederem, ſecedunt illi paulliſper, & inter ſe conferunt: omnes tandem uno ore luxationem negant. ego illis, quandoquidem ita vultis, perſuaderi mihi ſino: ſed tamen luxationem ſentio. Poſtquam huc veni (non ſine magnis difficultatibus & moleſtiis facta eſt haec profectio) peritum iſtorum morborum Chirurgum, quique multos juvit, ad me evoco: ille me in lectulo decumbente prehenſo, ſtatim luxationem agnovit: ſed curam diſſuaſit: Morbus enim, inquit, jam non recens, & tu ea aetate es, quae ad cruciatus ferendos (ſi quis reſtitutionem moliri vellet) non ſufficeret. Claudus maneas neceſſe eſt: ſed emplaſtra roborantia applicabo, quibus, Deo volente, juvaberis, ut cum tempore, nullis fulcris, ſed unico ſcipione innixus obambulare poſſis. Jam totos tres menſes mihi medicatur, necdum levamen ſentio, ſpem tamen non abjicio, licet accedat etiam aër & intemperies hujus regionis, naturae meae non conveniens. *Raphelengius* etiam catarrho valde affligitur & defluxione in oculum ſiniſtrum, quae vereor, ut illius uſum tandem adimat. *Scaliger* etiam lenta & interna febre graviter laboravit, ſed nunc meliuſcule valet. Uterque plurimam ſalutem tibi dici voluit: hunc enim ante biduum, quia vicinus, conveniebam, ille me. Aliud quidpiam eſt, de quo tecum agam, ſed invitus. Typogliphus quidam Francofurti eſt, qui aliquot Americae hiſtorias cum picturis in lucem emiſit. Is a *Barone de Peſche* veterum Inſcriptionum, Romae obſervatarum a *Jano Jacobo Boiſſardo*, ipſique nuncupatarum, librum per amicos, qui Baroni familiares, exprimendum impetravit, inſcio *Boiſſardo*, qui Raphelengio libenter tradidiſſet, ut ad me ſcripſit. Petit.

tit a me *Theodorus* ille (id viro nomen) cum intelligat mihi tecum nonnullam eſſe familiaritatem, ut rogem, ſingulis Inſcriptionibus declarationem aliquam adderes, viros enim doctos ipſi perſuaſiſſe longe facilius Inſcriptionum librum venundatum iri. Reſpondi, qui illi hoc perſuaſiſſent, imperitos eſſe homines, nec in veteribus inſcriptionibus verſatos: me enim, ſub diſceſſum, librum illum curſim evolviſſe, pleraſque Inſcriptiones adeo eſſe faciles, ut interpretatione non egeant, paucas forſitan eſſe, quae ad veterum Romanorum ritus & caeremonias, quae eam operam requirerent. Praeterea te eas habere occupationes, quae tantum otii non permittant tibi, ut quidpiam iis ſubtrahere poſſis. Nec ſane de ejusmodi rebus te libenter interpellem. Addebam, etiam ſi tu hanc provinciam in te recipere dignareris, nihil efficere poſſe, niſi habeas ſingularum Inſcriptionum exempla. Sed iſti haec non conſiderant, & plerumque aliis ſunt moleſti. Sed non plura, tu bene vale, & me, quod facis, amare perge. Lugduni apud Batavos poſtridie Kal. Martias ∞ IↃ XCIIII.

EPISTOLA CCCXXII.

CAROLUS CLUSIUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

DIu in tuo aere ſum mi Lipſi: ſed in cauſa fuit non bona valetudo, & quantum per imbres valde frequentes licuit, bulbacearum mearum plantarum (quarum pleraſque corruptas inveni) exemptio. Nam tam multi à me petunt, ut ſi aliquot annis eorum petitionibus ſatisfacere velim, ego meis delitiis plane ſpolier, alii divites fiant: & ſunt certe hîc quidam adeo importuni & inciviles, ut cuperent ſibi integra aulaea donari, qualia hoc anno in meo horto conſpexerunt, quae tamen ſarta integra conſervare cupio. Multas Tulipas ſuperiore hieme amiſi, quorum LXVI. jam ante flores dederant: ſemine natas, (quarum pleraeque florem promittebant) plures CL. mures abſumpſerunt. Non volui tamen negare amico pauca, quae habui, catalogo, quem Raphelengio miſiſti, inſcripta, nempe Dentem caninum, Fritillariam, Lilium Suſianum; iis adjeci Anemonem, cujus nondum conſpexi florem, Crocum vernum aureo flore, prolem Croci verni flavi purpureis venis diſtincti, quae ſtirps mihi valde rara eſt, & Tuliparum utriuſque generis ſemina, quae tibi certe ſerenda, ſi earum copiam & varietatem habere voles. Experire, fortaſſis non minus voluptatis capies ex iis naſcentibus, & earum ſingulis annis incremento, quam ex ipſis floribus, & experieris in floribus majorem varietatem, quam illarum ſemina mitto: habui enim hoc anno ſemine natas, quae elegantes flores dederunt, atque ejus quidem coloris, qui mihi ante non conſpectus. haec te ſcire volui, ne ſationi diffidas: binas capſas ligneas tibi parato, quibus terra repletis, ſemina committes; majori, praecocium Tuliparum; minori, ſerotinarum: deinde in horto tuo defodito aprico quodam loco, &

iſtic relinque in tertium annum: tum eximendi bulbi inde nati, & laxius in horto reponendi: ſint autem capſae, altera tres pedes longa, altera binos cum ſemiſſe, utraque vero ſeſquipedem alta.

Negotium illud Francofurtenſe mihi impoſitum invitus ſuſcepi, & ſcripſeram ſatis aperte cauſas, cur iſta à te petere non deberent. Sed conſilium quorundam imperitorum, bonum ſenem impulit, ut haec à te cuperent. Noſti Germanorum ingenia, libenter impetrant epiſtolas liminares, imo etiam emendicant, ut ſuis libris praefigantur: *Crato* contra, etiam non rogatus, typographis eas offerebat ſponte, ſed ea conditione, ut quaterna aut ſena exemplaria impetraret in ſuum uſum, aut aliorum: is merito librarius muſcus dici poterat. Non abutar deinceps tua benivolentia, id modo ignoſce. Monebo denuo hominem ſerio, ne amplius hujuſmodi negotia mihi imponat.

Si ſextus liber hiſtoriae ſtirpium abſolutus eſſet, (quae non erit generalis, ſed earum duntaxat, quas obſervavi aliis non proditas, aut ſatis negligenter deſcriptas) Typographo totum opus dare poſſem, modo icones omnes, quae eos libros ingrediuntur, ſculptae: Antverpiae unicus, & ſatis negligens ſculptor, Hagae alter eſt diligentior, de quo ſcripſi ad Moretum, qui reſpondit quidem tabellas aliquot depictas miſſurum, quae Hagae ſculperentur, ſed eas duos menſes jam expecto: & niſi eicones adjiciantur Hiſtoriae ipſi ſtirpium, omnis aberit gratia. Quae ſecundum Tomum ingredientur, jam parata habeo: reſtat duntaxat Sexti Libri Stirpium deſcriptio nitidior (quia mihi materia omnis parata) ut Tomus primus etiam integer ſit. *Scaligerum*, *Raphelengium*, *Douzas* ſalutavi. Iidem tibi plurimam ſalutem adſcribi juſſerunt, & *Hoghelandus*: tum, quam primum nominatam oportebat, Nobilis illa femina, quae tibi diſcedenti roſas aliquot conditas mittebat: eam valde benivolam erga me experior, quotieſcunque huc venit. *Hautenus* mirae eſt naturae, expectavit avide meum adventum, atque ubi adveniſſem, cum uno Conſulum & Penſionario, gratulatum venit: paulo poſt ſchedam mittebat cereviſiariam, qua adſcriptum eodem privilegio me uſurum, quo reliqui ſtudioſi. ſchedam remiſi, atque renunciari juſſi, me poſt tot Academias conſpectas, in quarum nonnullis diu etiam vixiſſem, huc non veniſſe ſtudiorum cauſa: ſcire ipſum, quibus conditionibus eſſem evocatus. iſtud me valde pupugit, ut verum fatear: ſed admonitus eum magnae eſſe auctoritatis in ſenatu, ſolo curatore, qui supereſſet, Hagae habitante, propterea obſervandum; ſciens etiam colendos Vejoves ne noceant, homini elegans bulbaceum munus miſi, quo paulo lenior redditus, ut mihi quidem viſum: ſed ejus' gener, homo arrogans & reliquos prae ſe contemnens, atque etiam natura valde invidus, ipſum videtur denuo pervertiſſe: nam multo tempore jam animadverto alieniorem à me factum. Si id ſciviſſem, nunquam huc tetuliſſem pedem. Invenio tamen multos alios hîc in me benevolos, etiam in magno Senatu. Sic nos exercemur, mi Lipſi: & adhuc, ut magis exercerer, febris tertiana me ſub initium hujus menſis corripuit, cras reditura, propterea hodie x. Auguſti hanc ſcribo (cras enim non liceret) quia tabellaria perendie diſceſſura. De *Curtii* cancellarii viri humaniſ-

ſimi

ſimi & politiſſimi morte valde doleo, expertus enim eram valde amicum. Ignotus mihi ſucceſſor ejus *Freimonius*. Bene vale. CIƆIƆXCIIII.

Adjeci in hoc faſciculo T. praecocem A. R. ſerotinam unam elegantis coloris & proles elegantiorum praecocium & ſerotinorum, quae matris colorem retinere ſolent; cum ſemine natarum color, non poſſit certus eſſe, niſi flore conſpecto, qui plerunque variare ſolet. Tu boni conſule quae mitto, & vale. Haec multa nocte jam dicti diei

1 Doctor *Pauvius*.

EPISTOLA CCCXXIII.

J. LIPSIUS

Carolo Cluſio S. D.

Leidam.

PAuca, mi Cluſi, poſſum, ita feſtinat muliercula, quae has feret. Nam hoc ipſum dubito, an exſpectabit. plura tamen volebam & debebam, certe largiter & libentiore ſtilo gratias agere pro hortenſi munere, ad me miſſo. Quid tamen faciam? totum hortum debeo & inſcribam tibi, niſi quod *Boizotus* venire vult in partem, qui ultro valde in me munis eſt & benignus. utinam illi in te tales, quos ſignificas? Merebaris, mi Cluſi, & in hac aetate & valetudine adhibenda erant omnia fomenta. ſed homines ſi non noviſti, noſce bonos quidem pleroſque & candidos, ſed ſaepe aſperos, & nunc magis vento iſto fortunae ſecundantis. Apud Principes non ambigis mitiora omnia aut ſuaviora eſſe: ubi Plebs imperat, aut imperii habet partem, faſtus etiam in vilioribus eſt, & ſui ignorantia alienique. ferenda ſunt, & penſanda aliis quibusdam, quae ſectamur. Plura alias, nunc mihi ſalve mi Cluſi cum *Scaligero* magno, Lovan. XI. Kal. Octob. A°. 1594.

Illuſtriſſimae Principi officium & affectum a me defer.

EPISTOLA CCCXXIV.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio ſuo P. S. D.

Lovanium.

GRatum tibi fuiſſe qualecunque noſtrum hortenſe munus, libenter intellexi, mi Lipſi; certe tui ſimilibus & aliis amicis, qui voluptatem ex hoc ſtudio capiunt, cuperem interdum largius impertiri; ſed adeo multi ſunt mihi in petendo moleſti, ut non poſſim, quibus velim, pro mea voluntate gratificari. Vile tandem fiet iſtud ſtudium, mi Lipſi, quia & mercatores, imo ſartores & cerdones, aliique viles artifices, id tractare volunt, ſpe quaeſtus illecti; nam vident opulentos iſtos pecuniam interdum profundere, ut plan-

plantulam aliquam redimant, quae raritatis nomine commendetur, ut gloriari apud ſuos poſſint, ſe illam poſſidere. Male ſit iis, qui primi iſtam nundinationem invexerunt. Ego ſemper hortum colui, cum meae voluptatis cauſa, tum ut amicis, quos videbam iſto ſtudio delectari, gratificarer. Sed cum nunc experiar, viles iſtos, nonnunquam etiam eos, quorum nomen nunquam antea mihi auditum, tam impudentes eſſe, ut ſuis petitionibus moleſti eſſe non deſinant, animus eſt interdum, harum mearum delitiarum ſtudium prorſus deſerere, praeſertim cum propter adverſam valetudinem ipſe colere non poſſim, ut ſolebam, ſed miniſtri opera mihi utendum ſit, qui plerumque aliud, quam praecepi, agit, deinde quod metuam, ne mihi furto tollantur ab his, quibus merito negare, quae petunt, poſſim. Quod ad ea attinet, de quibus poſtremo ad te, fero ea moderate, cum mecum reputo, neminem unquam ita inculpate vixiſſe, quin adverſarios habuerit. Sed in eo me conſolor, quod non ſim mihi conſcius quenquam offendiſſe, aut cauſam praebuiſſe, cur nonnulli adeo a me alieni. Contra, pleroſque experior erga me benivolos, & inter illos Principes & Nobiles viros. Attamen ſi obodoratus fuiſſem, me ab iis, qui me evocarunt, excipiendum ita fore, non me abdicaſſem meis facultatibus (licet tenuibus) quas ſciebam fiſco ceſſuras, ſi huc venirem, & potuiſſem etiam apud exteros meo ſucco vivere. Sed Deus, qui nunquam ſuos deſerit, etiam me ex his extricabit anguſtiis, & dabit, nt hoc vitae curriculum peragere ſine aliorum moleſtia poſſim. Tibi autem hoc perſuadeas velim, mi Lipſi, Cluſium tuum ex animo eſſe. *Scaliger*, *Douſa*, *Raphelingus* tibi plurimam ſalutem dicunt, &, quam primo loco reponere debebam, Illuſtriſſima Princeps. Salve, mi Lipſi, Leydae. XI. Kal. Novembr. ∞ IↃ XCIIII. hoc eſt menſe poſtquam tua epiſtola fuit exarata.

Ex hac & praecedenti ad Lipſium epiſtola colligere licet, Cluſio *injuriam* factam a Leidenſis Academiae Curatoribus, nec ex voto ipſi ſtipendium fuiſſe adſignatum, quod aequaret jacturam, quam fecir bonorum, quae fiſco fuere adſignata ab Hiſpanis, ut puto, & quae forte Atrebati, unde oriundus erat, ſita fuere. epiſtola etiam alia de *Hauteno* querelas ad Lipſium defert. potentiſſimus enim hoc tempore erat ille, & ex ejus ſententia res Academica & urbana fere adminiſtrabatur. exercitam & aerumnis plenam egiſſe aetatem ex vita ejus apparet, quae eſt apud *Boiſſard.* t. II. Icon. pag. 20. *Meurſ.* Ath. Batav. p. 186. & *Laur. Craſſ.* Elog. t. II. pag. 36. Ann. 1577. ſcribit *Languetus Sidnaeo* Epiſt. 60. ademtum ipſi fuiſſe ſtipendium, quod ab Imperatore habebat, odio purioris religionis. *Craſſus*, qui Italice ſcripſit, Urbem Lugdunum Batavorum, in qua obiit Cluſius, vocat *Lione*, confundens Lugdunum in Gallia, cum Batava. quare rectius nos *Leidam* urbem noſtram vocamus.

EPI-

EPISTOLA CCCXXV.

CAR. CLUSIUS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

GRatiſſimum mihi fuit Admirandorum tuorum munus, mi Lipſi, in quibus vere Admiranda, quorum lectione mirum in modum delectatus ſum, & tu ſane in omnibus tuis ſcriptis admirandus, ſerio loquor. Sex mei Libri de Plantis, quos ante novem menſes Moreto cudendos miſi, adhuc apud viſitatorem haerent, ut proxime intellexi ab ipſo Moreto. Eos ubi ſub praelo ſudare audiam, Alterum Tomum mittam, qui eos Libellos continebit, quos Latio donavi aliquando, recenſitos & locupletioribus interdum ſcholiis illuſtratos. Hortum tuum belle floruiſſe libens intellexi, meus e Tulipis ſemine natis ante quadriennium jam aliquam voluptatem parere incipiebat: ſed dum Hagae per octiduum haereo, ut elegantiſſimos Tuliparum flores, quibus Illuſtriſſima Dux Arſchotenſis ſuum iſtic hortum belle inſtructum habet, obſervarem, Plantarum, quas habebam, ſelectiſſimae furto ſublatae fuerunt, ut nunc omnium, qui hortos colunt, ſim pauperrimus, qui ante biennium omnium ditiſſimus eſſe ſolebam. Haec eſt rerum viciſſitudo. *Joſephi Scaligeri* conviva heri fui, qui epulum praebuit *Jano Douſae*, & omnibus ejus liberis ob reditum *Georgii* ipſius filii, qui recens Conſtantinopoli rediit, allatis aliquot veteribus Graecis codicibus, & epiſtola Patriarchae Conſtantinopolitani ad Patrem. Hodie apud *Bonaventuram Vulcanium* omnes prandebimus. Utinam in utroque convivio tu praeſens. omnes tamen plurimam ſalutem tibi adſcribi voluerunt, & ego longum te ſalvere cupio, mi Lipſi, Leydae VIII. Kal. Jun. MDIIC.

[1] EPISTOLA CCCXXVI.

PAULLUS MELISSUS

J. Lipſio.

Leidam.

UTrum litterae ad te meae pervenerint, necne, ignoro. In tanta rerum omnium perturbatione, & hoſtium graſſatione (hoſtes appello, qui Muſis incommodant) incertum, quid cui credas? O mi Lipſi, ecquando tandem iſtarum Furiarum ſedatior commotio? ecquando bellorum nefariorum conſopitio? Sic inimicis amicum.

Viginti totos jam nunc Mars impius annos
Saevit, & horrendis graſſatur atrociter armis,
Sed fruſtra. voto nunquam potientur Iberi.

1 Reſpondet ad hanc Lipſius II. Cent. Miſc. 30.

Tu interim non deſinis beare nos elegantiſſimis electiſſimisque ingenii tui fetibus: quo nomine te amamus plurimum; te ſuſpicimus; te in caelum tollimus, atque, ſi liceret, ulterius etiam. Salus te nobis ſervet quam diutiſſime incolumem. Dialogum tuum nuperum de Pronunciatione percurri avidiſſime, exemplari nondum compacto. Sunt, de quibus libenter tecum conferrem; ſed mihi jam non vacat. Ego fundamentum hoc pono: veteres Latinos ita pronunciaviſſe, ut quantitates Syllabarum omnino obſervaverint. unde alioqui Poëtarum in ſyllabarum dimenſione convenientiae? Auſim hoc tibi confirmare me & vidiſſe & audiviſſe antiquos oratores & poëtas; atque in his Ciceronem, Craſſum, Hortenſium: deinde Catullum, Cinnam, Virgilium, Horatium, Tibullum, Ovidium, Propertium, alios denique. ſed fortaſſis neque tu, neque alii credent. Et tamen verum eſt, quod dico. Interroga me, & reſpondebo tibi. Sed de his mallem tecum coram. Pronunciatio noſtri temporis nihil omnino valet. Quod in centuria Epiſtolarum tuarum unam mihi inſcripſiſti, gratiam tibi habeo. Legi in Anglia. Inde ad vos perveniſſe credo *Carolum Zerotinum* Baronem, & *Hieronymum Groslotium Lislaeum*: quos meo nomine complectaris velim. Cum *Zerotino* eſt *Wenceslaus Lavinius.* Quaeſo te, mi Lipſi, admone Plantinum, ut Poëmata *Angelii Bargaei* ad me remittat alteris nundinis. Heic nunc ego fixum habeo, ut quidem ſpero, domicilium. Poterunt ergo Francofordia huc percommode per Bibliopolas noſtrates perferri. Salutem a me velim tum nuncies, tum adſcribas plurimam *Donello*, *Cantero*, *Lernutio*, *Giſelino*, *Benedicto*: in primis autem *Douſae*, cui ſcripſi, & *Vulcanio.* Bene vale. Dat. Haidelbergae, calendis Aprilibus, anno CIↃ IↃ LXXVII.

P. S. *Haidelberga*, id eſt, Myrtorum mons. In oppidi ſuperioris inſignibus Virgo ſtans in monte myrtis ſilveſtribus pleno, tenens & ipſa manipulum baccarum in manu. Et quotannis naſcuntur iſtiuſmodi fructus eodem in monte prope arcem. Errant, qui aliunde derivant, aut aliter ſcribunt.

EPISTOLA CCCXXVII.

PAULLUS MELISSUS

J. Lipſio.

Leidam.

Litteras ad *Hildenſaemum* tuas, mi Lipſi, e veſtigio Berlinum in Marchiam tranſmiſi: quas ille, ut ad me ſcripſit, ſumma cum laetitia accepit; jamque eum reſpondiſſe arbitror. In mora quod ego fuerim, atque hactenus de Politicis tuis, mihi dono miſſis, nondum gratias, quas mereris, cum ob munus, tum ob laborem, quem ſumpſiſti maximum, egerim; habeo autem habeboque ſemper, valetudini adverſae imputabis, quae me ſuperiore hieme graviter adflixit, nulli alioqui morbo per annos XXII. obnoxium. Incredibile dictu, quantum liber ille tuus, cum in ipſa aula Palatina, tum apud conſilia-

ſiliarios (ut de Academicis nihil dicam) probetur. Ego certe eum cupidiſſime ſum exoſculatus. Viciſſim a me reliquias Schediaſmatum meorum, ubi excuſa typis fuerint, habebis. Interea hac ode qualicumque deſiderium expleto. *Marquardus Freherus* J. C. Marquardi Cancellarii Neagoraei F. cupit habere effigiem tuam, quam ſe apud amicum quemdam vidiſſe adfirmat. Morem geres homini tui amantiſſimo, & in tuis libris evolvendis verſatiſſimo. Cave autem unicum tantummodo mittas exemplar: nam & ego te delineatum effictumque in Bibliotheca Palatina videre geſtio. Meam jampridem ad te miſi: in quam & abs te ipſo, & a *Douſis*, patre & [1] Filio ſcripta Epigrammata exſpecto. *Douſa* jam quinquennium totum ipſum tacet. Conqueri me dices de ipſius ſilentio, niſi illud ruperit. Quidam ſuperiore anno ex Batavis huc profecti, eam nobis ſpem injecerant, fore, ut animi cauſa ad Nicrum uſque noſtrum iſtinc excurreres. mirum quantum illo nuncio fuerimus excitati! Crediderim ſane, melius te habiturum alibicumque & commodius, quam iſtic; ubi aëris humiditatem minime ſalubrem eſſe adfirmant. Plantino e vivis ſublato ecquisnam Typographiam inſtaurabit Antverpiae? Vellem tua non ita inaequali charta excudi. Quae formâ, quam vocant, ſunt quartâ, minime conveniunt. Cum recudentur, id tibi curae erit, & cautionem adhibebit typographus. Omnia tua pulchra, omnia maxime ornata & expolita, Lipſi. ſed miror, quî ferre poſſis accentus acutos Encliticis particulis ſuperimponi, qui non ſint neceſſarii, immo plane exterminandi. ſunt enim contra naturam. Neſcio equidem, a quo, aut per quem hac tempeſtate abuſus iſte & mala conſuetudo irrepſerit in omnes prope officinas. Nihil ejuſmodi in antiquis reperio libris. De Latinis loquor. *Scaligerum* noſtrum laudo, qui has nugas explodit. Idem te facere vellem, antiquitatis ſtudioſiſſimum. Sed de hoc & aliis alias. *Raphelengios*, *Douſas*, *Canterum* & *Colvium* a me ſalutabis: item *Lernutium*, quem liberatum eſſe ſpero ex cuſtodia. *Busbequius* ubi gentium nunc vivat, ſcire aveo. Bene Vale, mi ſuaviſſime Lipſi, & nos amare perge. Dat. Haidelbergae, nonis Aprilibus anno Chriſti CIↃ IↃ XC.

1 Filii epigramma legitur inter Juvenilia num. XXXII. & in inſignia ejus, quae Cygnum cum Liliis praeferunt, ode ejuſdem Douzae fil. pag. 117.

EPISTOLA CCCXXVIII.

J. LIPSIUS

P. Meliſſo S. D.

Haidelbergam.

GRatae mihi literae tuae, mi Meliſſe, ut ſemper, imo etiam jucundae. An ſcriptum illud adjunctum me turbaverit? movit riſum. Quid autem vir ille ſibi vult? aut cur proterviter ſic incurrit? nam ego nec laeſi eum unquam, nec (Deum teſtor) animum habui laedendi. Verba illa mea quicunque ſanus & ſobrius legat, admirationem habere videbit, non contemtum. Quod

ſi

ſi aliorſum illa acceperit, cur non verbo me monuit? inter bonos ſic oportuit: ego autem libens vel immutaſſem, vel prorſus omiſiſſem. Non mihi nigra mens, nec propoſitum unquam laedere cujusquam famam: multo minus illius, quem in Chronica hac re bonam operam poſuiſſe ne nunc quidem nego. At enim dixi, *durum eſſe concurrere cum Scaligero.* Idem nunc dico, & vir eſt, quicumque eum vincit. An igitur de victoria in alterutram partem aliquid definivi? Quomodo potui? ne videram quidem ſcripta. Ego hoc libere nunc dico, impotens & μενός ἄχετος ille vir eſt, qui publice & tam aſpere me laceſſit. Sed tamen tuto, quia non mordemus, & jamdiu didicimus ferre ejusmodi ingeniorum laſcivias, ſive quo alio nomine ſint appellandae. Gratum mihi feceris, ſi haec ipſi N. legeris, cum rogaveris, ut manifeſtam apud omnes bonos culpam emendet. ſi non, ubi probitas? ego non ultra reſpondeo, aut me ulciſcar. mentem & ſenſum verborum meorum aperui: in quibus ſi quid maligni aut pravi fuit, malignus & pravus ego ſim apud omnes: ſed ſuper hoc ſatis. Imaginem noſtram tibi ac *Frehero* quod poſtulas, libens miſiſſem utrique, ſi ulla nobis ad manum. Quid tamen opus? vita & vires mihi ſuppeditent, ego hac aeſtate vos videbo & amplectar. pro effigie Lipſium ipſum ſiſtam, qui te, mi Meliſſe, & *Freherum* ſalvere jubet atque amat. Lugd. Bat. poſtrid. Non. Febr. M IↃ XC.

Reſpicit haec epiſtola *Chriſtmannum*, de quo actum ſupra ad Epiſt. CLVII.

EPISTOLA CCCXXIX.

PAULLUS MELISSUS

J. Lipſio.

OMnes mehercule, qui te amant, Lipſi, vehementer gaudent, fore ſperantes, ut quum in propinquo ſis, ad nos uſque excurras. Comitem ſe tibi praebebit *Cluſius*, qui Francoforti eſt: ita enim ad me ſcripſit. Ego contra hanc illi miſi Oden, ut ad te porro transmitteretur. Venies profecto omnibus nobis & gratiſſimus & acceptiſſimus: in primis autem utrique Principi Palatino; tum autem Conſiliariis, & Academicis, [praeter [1] *Vappam.*] Litteras meas, Calendis Januariis ad te ſcriptas, acceperisne ſcire aveo. *Colvius* nobiscum fuit; cum Principe Anhaltino, imperatore exercitus, deinceps futurus. Ex acidulis fontibus, qui Sualbachi ſcaturiunt, aliquid praemittes, quod Hippocrenen aut Acidalium ſapiat. *Otho Grynradius* te plurimum ſalvere jubet. Cura, ut valeas, & fac venias, ocelle unice hominum elegantiorum. Dat. Haidelbergae, die XVIII. Aprilis antiqui, anno CIↃ IↃ XCI.

P.S. *Uber*, an *huber?* utrum rectius? libri antiqui variant.

1 Al. *Bubonem.*

PAULLUS MELISSUS AD JUSTUM LIPSIUM.

Divine Lipſi, quaenam acuit tibi
Cor atque mentem cos ſapientiae?
Quae lima ſermonem polivit?
Quae teretes calamos amuſſis
Direxit? Acri diluerit niſi
Aures aceto ſpongia Mercurî,
Miniſtra avaris hauriendi
Dia ſacrae Sophies reperta,
Quei tale non lota imbibere audeant
Philtrum caverna? ni reſeraverit
Sollers Thaleiae clavis illa
Pectoris introitum retruſi;
Fruſtra laboret Daedalus ingredi
Vigor? niſi alti moenia verticis
Percommodum haſtatae feriris
Pallados ingenioſe pollex.
Suapte per ſe vi ſapiant rudes?
O ter beatos, Juſte, quibus tui
Data audiendi, & colloquendi
Copia! nos itidem beatos,
Queis pellegendo ſcripta tua excitat
Mentem acris ardor! non ita floreos
Saltus Hymetti, non Matini
Delicias nemoris, neque Ennae
Campos feraces pervolitant apum
Examina, hauſtis mella liquoribus
Stipantum, & humanos ſuoſque
Dulce penu cumulantum in uſus.
Ceu tu per auctorum ampla volumina,
Grajûm ac Latinorum exſpatians vagus
Depaſcere exſugiſque paſſim
Aurea dicta, perennitatem
Latura ſaecli, non eadem potis
Non ruminari. Dii tibi dent dies
Cenſere vitae longioris:
Qualia quaeve dehinc abunde
Aevo es daturus fertilis ingenî
Magmenta! cordi quin mea ſint tibi
Futura doctorumque vota
Haud dubitamus, in iſta fuſi

Verba: Ecquis aptum conſerit uniter,
Novale? proh, quantum inſtar in huberi
Bono eſt agelli rite culti!
Quantus honos ſegeti educatae!
Eviluerunt aſpera glandium:
Fruges renatae ſunt alimonio.
Reduxit aetatem virenti
Lipſius aureolam juventae.

A. CIↃ.IↃ.XC. Myrtilleti.

Non repperi hoc nec ſequens inter Poëmata *Meliſſi*, quae habeo; an prodierint in aliis partibus, aut editionibus, neſcio. & quia neſciebam, malui, ſi exſtant, bis legi, quam ignorari. quia vero hac in epiſtola mentionem unius odes facit *Meliſſus*, ego vero duas inter ejus ſcripta reperi, hîc exhibui utramque.

PAULLUS MELISSUS AD JUSTUM LIPSIUM.

Moguntiam.

EXcurramne meum viſere Lipſium
Ad Moeni reducem flumina Francii?
Quae me cura moratur?
Quae me vincula detinent?
Praeſciſſem citius; nae pede concito
Tantillum celerans praecipitaſſem iter,
Veniſſemque inopinus.
Nunc te corpore languidum
Transrhenana tenet, Juſte, Moguntia,
Condiſcentem acidûm mergere fontium
Pleno labra liquore.
Multis profuit is latex,
Nais Swalbachio quem lapide eggerit.
Multis reſtituit priſtina roboris
Lymphae nobilis hauſtus:
Proin tu ſpes, age, praecipe
Matutine novas. Jam tibi Sanitas
Spondere anticipat ſalva Hypochondria.
Jam promittit Hygea
Vires ingenuas magis,
Optent quam pugiles, vincere ſeu gravi
Fortes Pancratio. Vos agite, o Aquae
Veſtra ſponte ſalubres,
Nunc tanto mage vividam

Ex-

Exſertate alacres vim penetrabilem,
Quanto potor aquae promptior eſt ſuam
Vobis ferre ſalutem
Acceptam, haud ſine gratiis.
Immortale equidem faxo novem deae,
Gaudentes alias fontibus integris
Grato nomen ab aevo
Dignis concilient modis.
Quin & perpetuo Lipſius ipſemet
Veſtram munis opem carmine concinet:
Tanti muneris ambo
Douzae *cum* Raphelengio.
Nec non & probitas Colvia, *laudibus*
Extollent meritis obſequium: & ſimul
Mecum Poſthius, *aegrae*
Oblitus querimoniae
Nodoſam ob podagram, vos potioribus
Praeponet ſcatebris, conſcius utilis
Venae, praecipuaeque
Virtutis. ſed enim pium eſt
Omnes ante alios his medicarier,
Qui proſunt aliis, quique cluent pii;
Sic huberrima vobis
Unda, & limpida profluat.
At tu, cum fueris ſanus & integer
Lipſi, ne fugias antra Nicri, & juga
Pallatina, Lyaeo
Circum quaeque virentia.
Te ſudi laciat veris amoenitas
Te Princeps geminus, Teque Academia, &
Ipſa haec Bibliotheca
Invitet, fidei meae
Commiſſa; Argolicis & Latiis libris
Inſtructiſſima, cui par ubi, vix ſcias:
Dulce eſt, Theſea amici
Vultus inſpicere optimi.

Haidelbergae XVI. April. MDXCI.

EPI-

EPISTOLA CCCXXX.

J. LIPSIUS

Paullo Meliſſo.

Haidelbergam.

VIdere te quod ſtatueram & deſideraveram, mi Meliſſe, non licuit. Ignoſce, valetudo, & negotia contra opinionem, & longius etiam, me abduxerunt. Animo tamen a te non abiero. tu ut ſis in me, quo ſoles, te rogo. Utinam Bibliothecam veſtram licuiſſet inſpicere. Ardebam, & nunc ardeo, maxime cum e *Colvii* literis didicerim, multa apud vos eſſe ſtudiis noſtris & μελετέμασι oportuna. Pangimus enim in hoc otio pluſcula, edenda brevi, ſi apud nos vita. nam illi veſtri, ut ex Homero dicam, ὑλακόμωροι, me non terrent. imus nihilominus & pergimus in recta via. hoc magis nobis placentes, quia talibus diſplicemus. Male cum magnis & poſteritati quoque gratis ingeniis agatur, ſi delibent aut atterant ea iſti morſus. Minimi ſunt, & eo magis his majores illi ſibi videntur. At tu ad vindicandum hortaris, ex affectu ſcio: ſed non obſequentem. quia in his talibus optimum vindicandi genus, ſilere. adverſus petulcos iſtos ego quoque petulcus? non, non; *Bono vinci ſatius eſt*, ait ille, *quam malo more injuriam vincere*. Tu, mi Meliſſe, vale, & noſter perſevera. Leodici poſtr. non. Sept. CIƆ.IƆ.XCI.

EPISTOLA CCCXXXI.

CAR. BARO ZEROTINUS

J. Lipſio Salutem mitto.

Leidam.

PUdor meus pene ſubruſticus deterruit me hactenus a ſcribendo, maxime Lipſi. Verebar enim inanibus literis obſtrepere tanto viro, & vacuis manibus accedere ad Genium Deorum. Jure enim ita te appellem, in quo non ſolum divinae & humanae ſapientiae vis omnis recondita conſpiciatur, ſed quidquid pietatis, virtutis, & intelligentiae hominibus tributum eſt, id omne ſimul congeſtum & coacervatum appareat. Abrupit nihilominus id verecundiae vinclum; & haec paucula expreſſit amor meus erga te, qui etſi ſemper antea fuit maximus, tamen abs quo te vidi & cognovi propius, tantus illi acceſſit cumulus, ut jam nihil vel addi vel adjici poſſit amplius. Totum enim me poſſediſti, mi Lipſi, totum mancipaſti, tum exteriori illa fronte, quae ſemper tibi blanda & comis erga omnes, tum intimis illis ingenii atque judicii dotibus, quas in te omnes tui colimus pariter & admiramur. Ac de his quidem praeſtabit me ſilere, ne infantia mea detrahat aliquid tuis laudibus; De illa vero, non poſſum ſine mea labe, & vereor ne ingratitudinis crimen mihi ſubeundum eſſet, ſi ſilentio praeterirem, id quod plena voce tum ad alios, tum imprimis ad

ad te teſtari me & decet & oportet. Quî enim taceam, tam promptam humanitatem tuam erga me? tam prolixam benevolentiam? tam ampla amoris indicia? tam denique propenſa ſtudia & officia? quae omnia expertum me eſſe ſcio, non meritum. Rapis me in amorem tui, quoties iſta apud me recolo, & incendis deſiderium reviſendi te, ita, ut jam hoc ipſo momento geſtiam tecum eſſe, & refocillare hunc ardorem tuo adſpectu & alloquiis. Sed quandoquidem ſors mea, minus hac in re mihi aequa & clemens, id vetat, atque non ſolum abeſſe a te jubet, ſed longius etiam avocat, ſuppleat meas vices haec rudis quidem & inculta Epiſtola, ſed teſtis veri & ſinceri adfectus, quem ex ipſis cordis penetralibus depromptum, ei inſerui, atque ad te deferre juſſi. Eam igitur ſolita comitate excipe, atque permitte, ut locum aliquem apud te habeat, non ſuo nomine, ſed ſcriptoris, qui te merito amat & colit, a teque redamari unice cupit & exoptat. Sed eſt, quod te paucis velim. Accepi here literas Haga veſtra ab amico meo *P. Brederodio*, quibus lectis intellexi, quoſdam ex Ordinibus graviter apud eum conqueſtos, de neſcio qua Epiſtola, qua me criminari illos & conviciis petere ajunt, quaeque non alio ſpectet, quam ut plebeculam furentem, & ſponte ſua in pejus ruentem, ad ſeditionem & turbas excitet magis & animet. Crimen profecto non ſine diſcrimine famae meae, ſi vere poſſet objici. At quia falſo, deſpicio id magis, quam deteſtor. Video enim ſatum & natum ex improbitate & dementia quorundam, quorum Fatum videtur eſſe, ut omnes omnium ordinum homines ſibi infeſtos reddant, & etiam amiciſſimos quoſque a ſe abalienent. Quamvis autem parvi facio rem iſtam dignam ſuis autoribus, me indignam, tamen commoveor nonnihil vulgato proverbio, quod Calumniari audacter jubet, eo quod ſemper aliquid adhaereat. Metuens itaque ne iſtiuſmodi quid ad te pertigerit potius, quam irrepſerit, nolui mihi ipſe deeſſe, quominus calumniis malevolorum occurrerem, & meam ipſe cauſam apud te agerem. Nolo itaque te ignorare, totum id, quod mihi crimini datur, tam falſum eſſe, quam verum eſt ſolem illum lucere. Neque enim ego unquam tale ſcripſi aliquid, neque in mentem venit ut ſcriberem. Quo magis miror unde furiae iſtae? & in me quidem? Ajunt exemplar literarum Lugduni haberi. unde id? Non adſequor. Nihil me ſcripſiſſe memini in ea urbe, nihil accepiſſe literarum. Praeterea totum id tempus, quo ibi fui, aut conveniendis amicis, aut urbi luſtrandae tribuiſſe ſcio, aliud neſcio. Ex quibus facile apparet, quam vana & futilis accuſatio iſta, plena tetrae cujuſdam & lividae malevolentiae. Peto itaque a te, & enixe peto, non equidem, ne ipſe te iſthuc abripi patiaris: (Abunde enim perſpectam tibi arbitror mentem meam innocuam, & a talibus factis plane alienam) ſed ut ſi quos ſcias, quibus ea opinio jam adhaeſerit, eam ex animis illorum evellas, & cauſam meam conſtanter & acriter tuearis. Quod ſi feceris, non ſolum magna me liberaveris moleſtia, ſed & honori nominis mei proſpexeris, qui vellicari ab improbis poteſt, non laedi. *Jano Douzae* plurimam ſalutem aſſcribo. Dediſſem & literas, ſi plus fuiſſet otii; ſed non licuit per occupationes. Quidquid tamen hac in re a me peccatum eſt, cis paucos dies ubertim

 tim

tim compenſabo. Salveant a me viri clariſſimi *Donnellus*, *Vulcanius*, *Raphelengius*, & tu quoque, vir rariſſime & eo nomine omnibus bonis cariſſime. Vale & me ama. Londini Trinobantum. Kal. Maji. A°. 1587.

Hujus *Baronis Zerotini*, legati *Matthiae* Auſtriaci, forte meminit *Lingelshemius* Epiſt. xci. ad Bongarſium. Pater ejus fuiſſe videtur *Joannes*, fautor & patronus Eccleſiarum Valdenſium in Moravia, cui elogium egregium dat *Languetus* Epiſt. xxiv. ad *Joach J. F. Camerarium* p. 221. & ſaepe in ſequentibus epiſtolis ejus honorifice meminit. *Diterici Baronis a Zerotin*, Luſatiae ſuperioris praeſidis, qui obiit Kal. Jan. 1595. meminit Gruter. Chronic. Eccleſ. t. 11. pag. 1177.

EPISTOLA CCCXXXII.

HUBERTUS GIFANIUS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

SUperioribus menſibus, V. C. xii. tabulas hîc in Acroaſi explicaturus, litteris te rogavi, ut ſiquid in eas obſervaris, quod quidem divulgatum non putes, ad me mitteres. Iterare id nunc volui, quod verear, ut illae ſint redditae. nam & ad D. *Donellum* litteras adjunxeram, a quo item, ut a te, nihil dum reſponſi trimenſtri fere ſpatio accepi. Sunt qui putent leges regias omnes in xii. conjectas fuiſſe. de aliquibus aſſentior, de omnibus dubito. tu id quoque explicabis, ſiquid certius habueris. Siquid contra ex re mea tenui tibi uſui eſſe poterit, eadem libertate petere velim. nam tametſi omne fere tempus in aliis ſtudiis pono: interdum tamen in veſtra illa amoena virecta deflectere ſoleo. Vidi non ita pridem magnum commentarium in Vegetium. ejus auctor tibi notus videtur: diligens ille quidem, ſed ut fit, non omnia vidit. ut illud lib. 1. cap. 5. *proceritatem* (inquit Vegetius) *tironum ad ſacomam ſcio ſemper exactam.* ſic enim leg. puto ex vet. cod. in quo erat, *ad incomam.* Quid σήκωμα, & Latine *ſacoma*, & *ad ſacoma*, fere notum puto: de quo jam in prioribus literis. Videas, quaeſo, an lib. 2. de finibus cap. 4. illud, de *Pelaſgis omnibus* probari poſſit. conatur id *Victorius* lib. 1. Var. lect. 10. ſed *Turnebus*, iv. Adv. 8. *pagis* aut aliud neſcio quid malit. *Lambinus* nihil adfert. ſed de *Themiſta* eod. lib. 2. de finibus cap. 21. *Lambinus* in notis numero 27. nomen meum tacet, & quod ex orat. in Piſonem cap. 26. conjecit in Aemil. Probum, totum noſtrum eſt. utrumque enim locum eodem tempore indicaveram. ſed ea de re alias, fortaſſe jam enim fere haec omiſi. tantum mihi explices, quis ille ſit *Diagoridas Thebanus* lib. 2. Cic. de leg. cap. 15. in eos enim libros aliquid paro. Vale vir doctiſſ. Altorphio. 3. Junii 1587. Si D. *Gerardus Bontius*, & D. *Grotius* iſtic etiam commorantur: quaeſo te, ut a me iis ſalutem dicas.

EPI-

EPISTOLA CCCXXXIII.

HUBERTUS GIFANIUS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

BIs jam V. D. ad te miſi. ſed nihil tibi redditum eſſe, argumento mihi eſt ſilentium. miſeram litteras D. *Donello*: quem & ipſum video nullas a me accepiſſe. nec miror tamen, ut haec fluunt tempora, vias quoque infeſtas eſſe litteris licet innocentibus. Sed in aurem, quod liceat, Lipſi, idem ne iſtic in *Donellum*, quod Argentorati in [1] *Sturmium*? illum hîc ſub Kal. April. expectamus, ſi ad condictum occurrat. Rogaram te prioribus litteris neſcio quid, de XII. ἀλλὰ τὰ μὲν πετυγμένα &c. Nunc ut argumentum tibi praebeam, velim mihi explices illud Caeſaris lib. I. de bel. civ. cap. 5. *Sed de ſua ſalute die* VII. *&c.* quid enim illud quod ait de IIX. menſe, & hulcus ſubeſſe mihi videtur, cui ego niſi ſcalpello mederi nequeo. tu ſi poteſt, explicabis. Si quid praeterea in hunc ſcriptorem obſervaſti, quod tuo commodo fiat, rogo id mecum ut communices. aberramus enim & nos ſaepe ad haec viridia, ne tu nos putes tantum in directis legum ac juris ſcopulis ſuperandis laborare. Indicaram & de *Sacoma* apud Vegetium, in illis litteris, & alia quaedam, de quibus alias, ſi voles. nunc enim tabellarius inſtabat. Vale. Dordraci habeo amicum *Hermanum Biſium* J. U. D. in aedibus D. *Johannis Paulii* a ſecretis ei urbi. is ſiquid tu ad me, recte curabit: cui & haec ad te, mitto. 27. Feb. 1588. Altorphio. De capto a Polonis optimo principe Maximiliano, aliaque id genus, jam pervulgata, & ἕωλα.

1 Nihil ſimile de *Joanne Sturmio* habet *Melch. Adamus* in ejus vita. Ille vero anno ſequenti III. Martii die obiit, conſtanti Argentoratenſium amore & honore per annos unum & quinquaginta rei literariae moderamine defunctus. ab *Oſiandro* & aliis calidi ingenii Theologis inquietatum ſaepe ſcriptis acerbis legi; ſed his favebat *Donellus*, non *Sturmius*. quare idem ipſi eveniſſe, quod *Donello*, vix puto.

EPISTOLA CCCXXXIV.

HUBERTUS GIFANIUS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

IN diſceſſu, ni fallor, inter nos pactum fuit, tu ut prior ad me ſcriberes, idque more majorum; utpote cujus ſtatio etiam incerta eſſet: Valde ut mirer tanto intervallo, jam enim quartus abit menſis, ne unam quidem epiſtulam tuam ad me perlatam eſſe. Ego interea cum ſanctum illud conſilium tuum amicis ſed interioribus aperui, tum principibus te duobus coram diligenter commendavi, noſtro, & Virceburgico: adeo ut hîc bis mihi (diſcedenti enim

a te iter illac erat) mandarit, ut ſi noſter tua opera uti nollet, certiorem te ſtatim facerem de loco tibi apud ſe parato. noſtri autem optimam quoque voluntatem in te cognovi: ſed ea nunc eſt Scholae hujus ratio, ut intelligam obſcure, earum Profeſſuras artium, iis quibus tu excellis, non facile, niſi Patribus mandatum iri. Omnes certe Academici te & videre, & habere cupiunt, atque in primis D. Procancellarius D. Doct. *Hungerus*, Pater *Hallerus* Societatis Rector, & D. *Turnerus* Anglus vicinus noſter. is enim Archſtadii jam conmoratur: omnes tui amantiſſimi. Dedi hanc epiſtulam duobus amicis meis, D. *Petro Stevartio*, Leodienſi, & D. *Cholino* Agrippinenſi: quorum hic Collegio Georgiano hîc praefectus eſt, alter eſt & Theologiae Doctor ac Profeſſor, & Paſtor Eccleſiae ad S. Mauritium, viris doctiſſimis & humaniſſimis. Quibus mandavi, ut vel ipſi eam tibi reddant: vel ſi nullus appareas, eam dent *Silburgio*, ad te curandam. De rebus ac ſtudiis meis, quae jam tamen cum domino ſuo languent, ſcribam, cum de tuis ero certior. velim autem primo quoque tempore te reſcribere ecquid probes, quod cum principibus illis egi. Poene omiſeram de *Modio*, quem paucis abhinc diebus Virceburgico commendavi. Tres fere ſunt menſes, cum Auguſta Vindel. relicto itinere Romano, quod inſtituerat, huc ad me venit. Suaſi ut omiſſa motoria fabula, ſtatariam agat. non enim ſatis ex dignitate eſt, ex carmine praeſidia cotidiana quaerere hominem doctiſſimum. Vale. pridie Kal. Aug. Ingolſtadii 1591.

EPISTOLA CCCXXXV.

J. LIPSIUS

Huberto Giſanio.

PRaeveniſti me ſcribendo, mi Giphani (aliter pacti eramus) atque hoc ipſo oſtendiſti largiter amorem. Ego cur ſilui? cauſſa, te quoque arbitro, juſta Quia amicus communis ad me ſcripſerat Francofurto, non ultra te eo loci agere; diſceſſiſſe, & Coloniam veniſſe, incertum manſionis. Ea res ſcripturientem me tenuit ignarum, quo deſtinarem. At nunc via facta eſt, nec profecto culpabis me, ut lentum. Conſilium meum retectum a te viris primariis quibuſdam non nolo. In luce enim ambulamus, nec in actionibus meis ſubdoli aliquid eſt, aut obliqui. Deum rogo, uti bene tibi mihique coepta proſperet ac ſecundet, & robur in animis magis magiſque firmet. Nam profecto contra calumnias & admorſus multorum (non id ſilebo) clypeo illo ab alto egemus. Quod de Principis veſtri in me inclinatione ſcribis, gaudeo, & gratiam debeo, & ſcio, quanti mihi ſit inclyta inter omnes Germanicas illa domus. Etiam Illuſtriſſimo Herbipolenſi devincior,. cujus μεγαλοψυχία in rebus praeclaris & virtutes praedicatur mihi a multis. ſed de utraque re quid reſpondeam? diſtincte a te nihil ſcriptum eſt, atque ideo nil, niſi γενικῶς mihi eſt reſpondere. Ego hanc hiemem Leodici, ubi nunc ſum, acturus videor, in de-

deſiderato diu otio & quiete. Libri ſoli me habebunt, me vindicabunt, atque etiam ſtilus. Vocamur a magno duce Piſas, identidem ϰ̀ ἐπαλλήλως ſtipendio peramplo. nos haeremus, nec temere iterum trans Alpes. pro tempore & rebus conſilium capiemus, & tuum quoque audiemus, quoniam decet nos harum artium & (fas ſit ita loqui) dearum conſecraneos συμφρονεῖν καὶ συναργεῖν ἀλλήλοις (*conſpirare & adjuvare invicem*) Ego pro copia mea faciam & de te idem exigo ac ſpero. De *Modio* miratus ſum, utinam a te meque conſilium capiat, aut potius ceperit:

Αἰδὼς δ᾽ οὐ ἄνδρα γεραίτερον ἐξερέεσθαι

(*Nec pudor eſt juvenem ſeniorum exquirere mentem*)

res ejus ſint ſtabiliores. Amo revera illud ingenium, & amavi bonum aliter, ſi non boni abſint; a me ſaluta, & tu vale. Leodic. prid. Kal. Sept. 1591.

EPISTOLA CCCXXXVI.

HUBERTUS GIFANIUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

BIs aut ter jam ad te ſcripſi, nec tamen litteram, toto fere triennio a te accepi: culpam credo eos ſuſtinere, quibus illas damus. Has tamen certo perlatum ad te iri confido, quod eas D. Licentiato *Quirino* dedi, Principum Bavaricorum Eccleſiaſticorum praeceptori. quem, ni fallor, noſti Treveris, ut & ipſos Principes. Eſt popularis noſter, Bomeliae natus, *Elberti Leonini* J. C. fratris filius, Canonicus jam & Ratisbonae & Hildeshemi, vir magnae hîc auctoritatis, & Principibus illis, eorumque patri, Duci Wilhelmo Principi noſtro Sereniſſimo cariſſimus, idemque Vir doctiſſimus ac tui amantiſſimus. Cupit ille majorem tecum notitiam contrahere, me velut parario & auctore. Qua in re dixi ei minime difficilem te fore, ut qui ultro talium virorum amicitiam expetas. Quia tamen ille, vir mihi amiciſſimus ita voluit, rogo te quoque, tuorum ut in numerum eum recipere, atque commendatum habere velis. Reperies amicum te dignum, & ad omnia officia promptum ac paratum. Ecce autem, ut intelligas quanti vir hic te faciat, ipſe Princeps *Philippus*, Epiſcopus jam Ratisbonenſis, mandavit mihi, ut tibi ſuis verbis ſalutem adſcriberem: cum hac clauſula, fore ut & ipſe non ita pridem ad te det litteras. Quam incredibilem tanti principis liberalitatem, atque in te ſtudium, non dubito quin gratiſſimo animo ſis accepturus. Eſt enim magni hic Princeps non modo generis, ſed etiam ingenii & ſpei: idemque liberaliſſimus & omnium litteratorum amantiſſimus ipſe, ut in hac aetate, praeclare doctus, multarumque linguarum jam peritus. Quod ſi quid ad illos jam ſtatim reſcribendum putaris, id quod & mihi conſultius videtur: fac ut & litteras mihi mittas, & noſtri quoque in iis memineris. Fui his diebus Ratisbonae, ſub exitum Concilii Imper. contraxi ibi notitiam cum D. *Ancantero*, Lotha-

tharingo, ſed qui Bononiae diu vixit cum *Sigonio*, cujus & mortui exiſtimationem, ut gratus diſcipulus, ſtudioſe tuetur. Dedit ille mihi has litteras, quas ad te curem. nam & ipſe notitiam tecum inſtituere magnopere cupit. Et eſt, mihi crede, vir Latine & Graece doctiſſimus, in litteris interioribus & reconditis verſatus, ut Sigonii diſcipulum agnoſcas: factus non ita pridem Hiſtoricus Caeſarius, in locum *Mich. Bruti*, nuper apud Tranſilvanos mortui. Idem & *Meliſſo* noſtro jam diu eſt familiaris. quem & ipſe peramicum ex brevi licet conſuetudine, ſenſi. Quare ad hunc quoque ſiquid voles, ut voles, curabo ut ad eum perferatur. Te autem rogo ut & meas ad *Modium*, ei certe mittas, & ſi quid de his Juriſconſultis, vel in Plinio, vel in Tacito, aut aliis eorum fere aequalibus reppereris, facias me certiorem. Valde equidem miror tam raram eorum mentionem, tantorum hominum, in hiſtoriis aut annalibus eorum temporum extare. ſed ut noſti, ejus aetatis 100 fere annorum annales multi interciderunt. Quis autem eſt hiſtoricus ille *Sulpicius Blitho*, ſic enim in cod. MS. dicitur in extremo Hannibale Cornelii Nepotis, ſive Aemilii Probi. in hunc enim aliquid paro. in quem ſi & tu quid habes, rogo ut id quoque litteris ad me tuis adjungas. Ego in Epaminunda magis probo *Sepulcro*, quam *Periculo*, etſi & in MS. eſt *Periclo* non tamen *Hotomano* adſentior, neganti in Obſer. *Periculi* notionem pro libello. De *praediatore* conjecturam noſtram jamdiu eſt cum ad te ſcripſi: de qua tamen ut & de verbo *Strigare*, & de *Senibus Coëmptionalibus* judicium tuum expecto. Eſt hîc in vicina nobis Suevia, vir doctiſſimus D. *Matthaeus Klock*, qui & ipſe innoteſcere tibi velit: & ni fallor jam ad te ſcripſit. quas litteras ſi accepiſti: fac quaeſo ut & in litteris & in ſtudio ei reſpondeas. eſt enim in litteris noſtris reconditis apprime verſatus, annorum admodum 30, ut & *Scheghius*, & *Gruterus*, quocum tamen nulla mihi eſt notitia. Vale, vir doctiſſ. & ſalve, etiam a clariſſimis V.V.D. *Hungero* & D.P. *Hallero*. Ingolſt. 13. Sept. 1594. Hac aeſtate Viennae ſepultus eſt *Leunclaius*.

Reſpondet Lipſius III. Cent. Miſcel. 15.

EPISTOLA CCCXXXVII.

J. GROTIUS

J. Lipſio meo eandem quam mihi opto ſalutem.

Leidam.

CErtum igitur mihi ex litteris tuis, mi Lipſi, non tantum tibi rogato curae eſſe res meas, verum etiam ultro illas meorum. Equidem χάριν μεγίστην κεχάρικας, quod de rebus fraternis te cogitare ſignificaſti. Non ego te prudens ſciens habebo fruſtra. Dicam plane quod ſentio, ita plene ſalutem ſentiam. Exiſtimem ego eum, ſi quid opera ſua Academiae veſtrae prodeſſe poſſit, libenter quicquid erit oneris, quicquid honoris ſuſcepturum. Duo tamen

men ſunt, quae tam illum quam me, cujus quamquam junioris conſilio non gravate utitur, trahere non immerito in contrarium poſſunt. Alterum exilitas, aut quicquid illud vitium vocis eſt, alterum etiam ipſe docendi modus. Et primum quidem tale eſt, ut vix ſperem facile unquam hoc eum emendare poſſe, quod nimis quam certus ſum nunquam potuiſſe. Tentata jam olim non ſemel correctio, tentata fruſtra. Memini ego, meminit ille rem ſibi moleſtam, auditoribus moleſtiorem. Credidi aliquando loci mutatione aliquid in hoc fortaſſe mutatum iri. Credidi, neque ſpero vana mihi illa fides. Etiam amplum iſtud & vaſtum Auditorium Academiae veteris (utar ea voce in re quam nuperrime nota) mihi quidem videtur etiam mediocrem vocem vaſtitie ſua diſpergere, & nimis alio, quam ad aures auditorum deferre. ſi quis forte locus arctior fuerit voci ſatis continendae, fuerit itidem continendis ſatis ſuperque auditoribus. De ratione docendi quid apud te dicam? Alia e re ſtudiorum eſt, aliam ipſimet quaerunt; ut ex doctoribus doceat, aut Jovis more adverſus ingenium noſtri adverſatur. Actum agant, qui velint, hic illud agit, ut potius nihil agat, ſed doceat ex principiis & ipſo jure. Vide igitur, pervide; numera auditores. Neque ex uſu Academiae fuerit, ſi cum illo dicat, ſatis pauci, ſatis unus, ſatis nullus. Hac igitur de re cum apud ſe, tum vero apud te conſilium ineundum eſſet. Si ſperes peritorum imperitorumque judicio ſatisfieri ab eo aliquo modo poſſe, auctor, ſuaſor, & ſi fas, juſſor ei ſum conditionem optimam atque honeſtiſſimam accipiat, recipiat, retineat aetatem. Nam ut ſperet in hoc otio ſemper manere, non video poſſe id eſſe diuturnum. Scio ego, ſcis forte & tu, graviora ei non ſemel deſtinata. Scribo germane, tanquam ad ipſum illum meam germanum. Velim rei ejus quam optime conſultum, nolim tamen per hoc ipſum Academiae male. Haec tibi de illo. ubi Cenſoria mea quaeris? Aliud, id eſt nihil actum mihi atque cogitatum. illa dudum ordine mota & loca, cum me tantum non Cenſor ille perpetuus omni hîc cum ordine, tum loco moverit. Si unquam plena redeat ſalus, redibit haec inchoata cura. Ita illa redeat, tu nobis maneas. An unquam tam laeta laetitia laetus illuceſcet dies, ut omni ex parte lentum utrique deponatur hoc malum. multa ſaepe multis inſperato obtigerunt, & haud ſcio an non plura pluribus, quam ſperato. Speremus igitur, an nec ſperemus? Speſque metuſque adhibendi, abſtinendi procul non tantum nobis, ſed omnibus, qui ſtudent, dum ſpe falluntur ipſa metuenda fallere. Qua in re o quanto tu felicior nobis! languor, inquis, internus, & viſceribus inſidet. Scio, neque neſcio durum, acerbum, intolerabile. ſed tamen tibi interim oblectamentum certum eſt, ſine jam labore ex laboribus quondam hoc ipſum nos quaerimus, atque aegre invenimus, tu ne quaeras paratum jam habes. habeas, neque nos tibi invidemus, quod petimus ne ſuperi nobis invideant. Vale, mi Lipſi, noſque, quod facis, ama. A. d. XIV. Cal. Jul. CIƆIƆLXXXVII.

Joannes, ſive *Janus Grotius*, Delphenſis, filius *Hugonis*, ex nobili illic familia orundus, fuit Curator Academiae, & in patria conſulatus quatuor geſſit. Fratrem habuit *Cornelium Grotium*, primum Juris Profeſſorem in Academia nova, cujus contubernalis fuit & diſcipulus *Janus*, qui cum,

cum, neſcio qua de cauſſa, honores Academicos in juventute petere neglexiſſet, Curator jam factus, voluit Doctoris Juris titulo inſigniri. quod cum petiiſſet a Senatu 30. Nov. 1596. hoc honore ornatus fuit. Magnum vero illud Patriae noſtrae lumen *Hugo Grotius*, Jani hujus filius fuit: *Cornelius* vero frater *Jani*, de quo haec Epiſtola agit, cum ab initiis Academiae primum Philoſophiam, deinde Jus Civile profeſſus eſſet, xv. Julii 1583. petiit a Senatu Academico miſſionem valetudinis cauſſa. veram tamen cauſſam fuiſſe ſuſpicor, quod *P. Buſius* invitis omnibus *Thomam Zoeſium* intrudere conaretur, quod ſequenti anno effecit, licet non receptus fuerit a Profeſſoribus ante 2. Jun. 1587. Vid. ſupr. ad Epiſt. ccxv. & alibi. dimiſſum fuiſſe patet, quod iterum Anno 1587. vi. Decembr. ex decreto Curatorum admiſſus fuerit ad Profeſſionem Juris Extraordinariam, Rectore *Lipſio*, qui colligitur de eo laboraſſe ex hac Epiſtola, & altera, ſed ex qua me expedire non potui; quia tam moleſte ſcripta erat, ut legi non poſſet. ſed inde tamen collegi vocatum iterum a Curatoribus *Grotium* eadem conditione, qua olim fruebatur, propter aerarii inopiam, cum vellet luculentiorem. *Buſium* vero propter adventum & exortum novi ſolis, id eſt Leiceſtrii, magis rem factam habere ſe cenſuiſſe, & omnia poſſe, id eſt *Zoeſium* intrudere. Cur vero extraordinarius voluerit eſſe non exputo, niſi forte Philoſophiae fuerit Ordinarius. nam poſtea inter Ordinarios fuiſſe docent ejus Magiſtratus Academici, qui non niſi Ordinariis, certe hodie, mandari ſolent. Rector enim ab A. 1594. per tres annos continuos fuit, & poſtea A. 1603. & 1608. rediit forte inter ordinarios poſt ablegatum *Zoeſium*, quae forte omnia ex actis Curatorum illuſtrari poſſent. Profeſſorum enim multis partibus deficiuntur circa haec tempora.

EPISTOLA CCCXXXVIII.

FRIDERICUS SYLBURGIUS

J. Lipſio S.

Leidam.

TAnta eſt tuae tum doctrinae, tum humanitatis fama, Lipſi, ut jam pridem me in familiaritatem tuam inſinuare percupiverim. Obſtitit hactenus partim δυϛωπία mea, partim continuae occupationes & alia impedimenta conſimilia. Tandem neceſſitas ea omnia obſtacula perrumpere docuit. Noſti opinor me *Wecheliis* jam per aliquot annos navare operam. Ii cum poſt Ariſtotelem ad hiſtoricos reverti cogitarint, inter alia hiſtoriae Caeſareae ſyntagma per me ſunt aggreſſi; cui praemittendos cenſuimus eos ſcriptores, qui viam quandam ad hiſtoriam Auguſtam munierunt; hoc ordine: (In ordine ſiquid mutandum cenſeas, gratum erit id cognoſcere.) Caroli Sigonii Faſti, cum ejuſdem Commentario; L. Florus, Vellejus Paterculus, Meſſala Corvinus, Eutropius, Sex. Rufus, Sex. Aurelius Victor, Caſſiodorus: tum Suetonius, Aelius Spartianus, Julius Capitolinus, Vulcatius Gallicanus, Aelius Lampridius, Trebellius Pollio, Flavius Vopiſcus, Ammianus Marcellinus: Pomponius Laetus, Baptiſta Egnatius. Ii ſcriptores, ut ſcis, multis in locis ſunt corrupti, bonorumque codicum & eruditorum ingeniorum ope vehementer indigent. quorum utrumque cum apud te inveniri poſſe conſtet, freti tuo erga remp. ſtudio indefeſſo, petere audemus, ut quae praeter ea, quae jam ſcriptis publicaſti, adhuc intra privatos parietes habes, nobis & reip. impertias. cupimus enim emendatam illorum auctorum editionem dare; eamque ad rem undequaque petivimus adjumenta: ſed tua in primis ope nobis opus eſſe duximus. Tu ergo quaeſo noſtram, immo publicam petitionem ne aſpernare, ſed quae vel ipſe habes, vel ab amicis impetrare potes, benigne contribue.

bue. Nos viciſſim & verbis & factis nos gratos exhibebimus. Xiphilino, Herodiano, fortaſſis etiam Zoſimo, ſuus in Graeco volumine locus dabitur. Paeanius, Graecus Eutropii interpres, citatur a *Sigonio.* ſed is nondum ad nos pervenit. Extra ordinem nunc Grammaticis etiam aliquid tribuendum fuit, *Clenardo* ſcilicet & *Anteſignano.* eos ad juvanda juventutis commoda minore forma nunc excudimus. addentur in fine ſeorſum meae notae multo auctiores, & ſyntaxeos compendium novum. Sed potiſſima de hiſtoricis ſupradictis cura eſt: quam pro ſingulari humanitate tua, ſuaviſſime Lipſi, adjuva quantum potes, ac viciſſim Sylburgio pro libito utere, abutere. Velim autem de inſtituto noſtro apud alios typographos ſileas. noſti enim τῶν ἐμπέχνων τὸ Φιλένεδρον. Vale, mi Lipſi, meaeque audaciae ignoſce. Salutat te *Modius* noſter: ſalutant *Wechelii.* Francofurti in Wecheliorum aedib. 13. Julii 1587.

EPISTOLA CCCXXXIX.

FRIDERICUS SYLBURGIUS

J. Lipſio S.

Leidam.

TRimeſtre eſt circiter, cum epiſtolium ad te dedi, Lipſi clariſſime. id quia neſcio an acceperis, praecipuum ejus caput his litteris iterare volui. Significabam igitur illo epiſtolio, cogitare *Wechelios* meos de conjungendis in unum corpus hiſtoricis Latinis, qui Caeſarum vitas conſcripſerunt, vel Romanam hiſtoriam ad Caeſares uſque brevi compendio deduxerunt. Priore tomo continebuntur hi; Faſti Sigoniani cum Commentario: Origo gentis Romanae; Meſſalla Corvinus, L. Florus, Vellejus Paterculus, Eutropius, Sextus Rufus, Sextus Aurelius Victor, Caſſiodori ea quae ad Rom. hiſtoriam pertinent. Poſteriore tomo, hi: Suetonius, Aelius Spartianus, Julius Capitolinus, Vulcatius Gallicanus, Aelius Lampridius, Trebellius Pollio, Flavius Vopiſcus, Ammianus Marcellinus, Aurelius Victor. Addentur iiſdem fortaſſis Pomponius Laetus, Baptiſta Egnatius: vel Pauli Praetorii Imperatorum Romanorum a C. Julio Caeſare uſque ad Maximil. II. Epitome: vel ſi qua epitome alia tibi magis probetur. Tum Auſonii monoſticha & tetraſticha in Imperatores Romanos, cum Jacobi Boiſſardi diſtichis in Caeſares Romanos, Byzantinos & Germanos, quae ceteris auctiora atque elegantia eſſe perhibentur. Tertius tomus Graecorum ſcriptorum erit, Xiphilini, Herodiani, Zoſimi, cum verſione Latina. Praemitteremus his faſtos Siculos Graece ſcriptos, & Paeanium Eutropii Graecum interpretem, qui a *Sigonio* in Faſtorum Commentario paſſim laudantur. ſed an impetraturi ſimus ex Italia, ſpes eſt admodum dubia. De hoc inſtituto noſtro cupiebam tuum, Lipſi, audire politiſſimum judicium, tuum audire conſilium; tuum etiam ad idem opus impetrare auxilium. Vellemus enim, ſi quas haberes emendationes, quas in Criticis libris nondum publicaſſes, eas nobis, & per nos reipublicae impertires: mo-

neres etiam ſi quid addendum, demendum, aut mutandum in hoc inſtituto videretur. Hoc a te, Lipſi, & nuper petii, & nunc etiam atque etiam peto vehementer: & quidem ea conditione, ut viciſſim tibi operam meam obſtrictam eſſe velim, ubi aliquid officii tibi videbor praeſtare poſſe. *Stephanus* meus ſub prelo habet majus teſtamentum *Bezae*, extrema auctoris manu expolitum: Homerum Graecolatinum, forma enchiridii: Herodotum & Thucydidem Graecolatinos. Thucydidis ſpecimen mitto. ſed Herodotus certas ob cauſſas in lucem exibit prior. Vale, praeſtantiſſime Lipſi, ac Sylburgium tibi commendatum habe. Velim autem, ſiquid ad primum tomum contribuere libeat, id nature facias. cum enim propediem aggrediemur. ad ſecundum quae pertinent, ſatis erit, ſi mercatu verno ad nos mittantur. quae ad tertium, morae plus ferre poterunt. Mittendi rationem tutiorem fore puto, ſi vel Bremam ad *Joannem Pezelium*, vel Coloniam ad *Arnoldum Mylium* tua perferenda cures. ii poſtea efficient ut inde ad nos perferantur. Iterum vale, literarum decus, Lipſi. *Modius* noſter an aliquid abs te acceperit, nondum ex eo quaeſivi. Francofurdi 25. Septembr. 1587.

EPISTOLA CCCXL.

J. LIPSIUS

[1] *Hieron. Groslotio Leslaeo.*

VIx legi tuas, reſcribo. Heus, heus, quid hoc mali fati, an fraudis? Tune ad me toties? etiam *Mercerus*? Juro tibi hanc vitam, & vitae meae Deum, verbum non vidi. Hoc ſcito tibi opus, ut conſtet tibi de conſtantia mea non in ſilendo, ſed ſcribendo & amando. Nam ego certe a diſceſſu tuo bis te compellavi. negas? apud me, quod [2] vix ſoleo, exempla. Jactura mihi haec

1 *Hieron. Groslotius Leslaeus* Aurelianenſis, dum in Gallia omnia turbantur, in Scotiam conceſſit, & Buchanano magiſtro, in ſtudiis mirificos progreſſus fecit. vid. *Buchanan.* Epiſt. 37. qua eum *Bezae* commendat, & adjicit egregium teſtimonium. fortaſſe originem maternam ex Scotis, apud quos Gens *Lislaea* vel *Leslaea* celeberrima, repetebat. neſcio an hujus fuerit Pater *Hieron. Groslotius* Aurelianenſis, cujus ſunt, libellus de uſucapionibus, & commentarius in Pauli JCti legem *lecta* ff. ſi certum petatur, quos habeo editos Pariſiis 1538. 4to. ubi in Praefatione ad *Franc. Oliverium* dicit, ſe ad periclitandas ingenii vires in Aurelianenſi ſchoia dixiſſe de nobiliſſimo Pauli reſponſo: & ex *Petri Ponguerii* Aureliani carmine in hos libellos, vix ſexdecim annos natum *Groslotium* reſpondiſſe, medio in ſcholae theatro, colligitur: ipſe Juvenis inſignem antiquitatum & utriuſque linguae & Juris peritiam oſtendit. noſtri *Groslotii* cum inſigni elogio meminit Lipſius ad Tacit. III. Ann 66. & alibi. nihil quod ſciam, edidit. ſed quia ipſe aliunde nactus ſum notulas ejus in Tacitum, quas miſit *Jano Douzae*, Londino An. 1585. & ille cum *Lipſio*, qui non ſemper in notis ſuis, ſed aliquando earum meminit, communicavit: has hic ſubjicere e re literaria viſum, ne pereant.

2 Neſcio cur ſic mentiri velit Lipſius, cum ab ann. 1580. omnium epiſtolarum exempla fecerit & ſervaverit. Licet ipſe queratur in migratione a Batavia quaedam periiſſe, furto, caſu & negligentia. Centur. v. Miſcel. 34. ſed ita amicis ſuis verba ſaepe dedit. vid ad Epiſt. cccxcI. *Blo-sii.* nec nos omnia reperire potuimus. multa etiam lacerata & reſciſſa deprehendimus.

haec eſt, & eo major, quod periiſſe cum litteris veſtris intelligo, *Merceri* mei ad Tacitum, & ad Tranquillum. ſi amicus es, juva, id eſt iterum, quantum potes, mitte. Nam avide illa aveo; Baro diſceſſit? credo. ſin illic, etiam ſaluta: Placuit mihi ingenuum illud ingenium, & pro nobili ſic ſatis eruditum. At tu in primis, mi Grosloti, quem, ſerio tibi dico, ſerio amamus. Cepit nos tua Muſa, tua Venus, tua Fides. Hanc enim certe praefers, & elogium tibi hoc a tuis jamdiu datur non vanum. ſine ea ceteras elegantias vel in elegantiarum patre, imo, Deo, quî amem? ſaepe jam nimis, ſaepe ab his verſutulis inducor, qui id ſimulant, cujus in iis nulla mica. Etiam non ita nuper manum mihi adiit quiſquam, quem noſcere te nolo, etſi noſti. Nemeſis ſua eum protrahet. Apulejus *Colvii* prodiit. vide, jam enim mitto, ſi aliunde nondum nanctus. At tu, ſi es in hac cura, nullus ideo omittes. Cur nefas plures collimare ad unum ſcopum? & ſcis tibi ſagittas in corito, quas nondum expromſit hic ephebus Phoebus. An quid aliud moliris? Emolire & indica: nam volo te, & poſſum fortaſſe etiam in alio genere ire adjutum. *Merceri* dia mens quid agit? nimium, ſi non ceſſat, ſilet. Utinam me ſtimulante paullo magis ſe det ac veniat in ora famae! Illa eum vocat, & quidem aeterna. Ego in Senecae Tragoedias, quae odioſa, ſed otioſa nobis hac Canicula peregerim, cis paucos dies videbis. Nam liber jam affectus, ſed plane levi & luſoria manu. De Tacito ſuppedita, iterum moneo, & vide ne ſero. Boreas, & ea quae ſcribis, valde nos urunt & ſtringunt. hoc magis, quod nonnemo veſtrum Zephyritin illi miſceat. Foveri haec conſilia volunt occulta ejus aura. Mihi non ſic videtur: quia illa perdendis nobis eſſe ſcio, perdendae ipſi. aut alia certe novit κρυφία κρατȣ́ντων, ad quae non aſpiro. Quicquid hujus eſt, vereor, ne quis Δȣ́ρειος ἵππος. nos tamen ſtamus, & ſtabimus (ita Deus adjuvet) inconcuſſi, & certi non ferre illud ſuperbum jugum, quocumque nos pedes ferent aut venti. *Donellum* miſſum a Scholarchis, cenſeo te audiſſe. de reſtituendo eo ſerio agitur per Ill. Comitem, neſcio an evincet. E Gallia veſtra quid? nihilne de *Fabro*, aut a *Fabro*. *Cujacio?* aliis? ſignifica, ſimul quo publicae veſtrae res loco, cui magnae navi noſtra haec cymba adnexa. Vale, mi Grosloti. IV. Id. Octobr. CIƆIƆLXXXVII.

V. C. JANO DOUSAE NORDOVICI

HIER. GROSLOTIUS LISLAEUS

D. D. L. M.

HAs ſcribtas mihi ante ſex menſes ad Corn. Tacitum notas, verius dicerem nugas, quarum illi ſi vel una placuerit, tum plane me feciſſe putem pretium operae. LondinI Trenobantum. Prid. Non. Dec. ∞ IↃ LXXXV. Vale, V. C. amicus mihi, & bea me magna amicitia Lipſi tui, viri ſupra viros hujus ſaeculi.

Ad lib. I. Annalium.

CAP. XI. *POſtremo Livia gravis in Remp. mater, gravis domui Caeſarum noverca.*] Quidam libri, *gravius.* corrupte. Placeret, *gravior domui Caeſarum noverca.* ſed cenſeo nil mutandum, etſi eſſet illa Tacito dignior lectio, concinniorque.

XLIX. *Et quidam bonorum caeſi, poſtquam, intellecto in quos ſaeviretur, peſſimi quoque arma rapuerant.*] Forte ſcrib. *peſſimi quique.*

Ad lib. II. Annalium.

CAP. XXXI. *Atque illis dum trepidant, dum refugiunt, evertentibus adpoſitum menſa lumen, feralibus jam ſibi tenebris duos ictus in viſcera direxit.*] Reſcribo, *adpoſitum menſae*, vel, *adpoſitum in menſa lumen.*

XL. *Cum Tiberium anceps cura diſtrahere, vine militum ſervum ſuum coërceret* &c.] Imo, *non ſuum*, i. Tiberii, ſed Poſt. Agrippae. Aut ergo vocem, *ſuum*, uſurpavit improprie, ut eo velit intellegi ſervum Poſt. Agrippae. aut forte leg. *ſervum tum coërceret.* i. eo ipſo tempore.

LXIII. *Exſtat oratio, qua magnitudinem viri, violentiam ſubjectarum ei gentium, & quam propinquis Italiae hoſtis* &c.] Leg. *propinquus.*

Ad lib. III. Annalium.

CAP. XXIV. *Sed aliorum exitus, ſimul caetera illius aetatis memorabo, ſi effectis in quae tendi, plures ad curas vitam produxero.*] Fortaſſe leg. *tendo.*

XXV. *Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam ſenior Auguſtus poſt Julias rogationes incitandis coelibum poenis, & augendo aerario ſanxerat.*] Deſperatae ſanitatis locus. de quo tamen mihi fas ſit hallucinari. Quid ſi legas, *incit indûm coelibum poenis & augendi aerarii ſanxerat.* ſc. *cauſſa.* ſed ſatius ab hoc ulcere abſtinere manum.

LXVI. *Junio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit, mox Sejani potentia Senator, obſcura initia impudentibus auſis propolluebat*, ſive, ut vult magni au-

auctoris magnus cenſor, *porro polluebat.*] Capio. putarim tamen Tacitum potius ſcribſiſſe, *propellebat.*

LXVII. *Igitur petito paucorum dierum interjectu, defenſionem ſui deſeruit, auſis ad Caeſarem codicillis, quibus invidiam & preces miſcuerat.*] An, *orſis*, an vero, *miſſis ad C.* An etiam, *auſus ad C. codicillos q.*

Ad lib. IV. Annalium.

CAP. XLI. *Rurſum Sejanus non tam de matrimonio, ſed altius metuens tacita ſuſpicionum.*] Scrib. *non jam de matr.*

XLV. *Is praetorem provinciae L. Piſonem pace incurioſum ex improviſo in itinere adortus, uno vulnere in mortem adfecit*] Potius ſcribſerit Tac. *adecit*, ἀρχαϊκῶς pro, *adegit.* illud tamen & poſſe defendi aliquo modo non ignoro.

LV. *Eſſe in civitate * Germanici conjugem, ac liberos ejus recipere dignaretur.*] Videtur hiatus expleri poſſe adjecta vocula, ſic, *Eſſe in civitate qui Germ. conj. ac l.*

LXXI. *Qui ſcelerum miniſtros, ut perverti ab aliis nolebat; ita plaerumqne ſatiatus, & oblatis in eandem operam recentibus, veteres & praegraves adflixit.*] Forte an ſcribſerit Tac., *veteres ut praegraves adflixit.*

Ad lib. VI. Annalium.

CAP. III. *Quid illi cum militibus, quos neque dicta imperatoris, neque praemia, niſi ab imperatore accipere par eſſet.*] Aut redundat & delenda vox, *imperatoris.* aut immiſſa vocula leg. *dicta niſi imperatoris.*

IV. *Ut vero Latinium Latiarem ingreſſus eſt accuſator ac reus &c.*] An, *aggreſſus?*

Ibid. *Metum prorſus & noxam conſcientiae pro foedere haberi.*] Peccatum properantis nec advertentis librarii. reſcribendum, *noxae conſcientiam.* Ita ad uſum hujus vitae eximia gnome.

X. *Nec ſecus apud principem Veſcularius Atticus, ac Julius Marinus ad mortem aguntur, è vetuſtiſſimis familiarium Rhodum ſecuti, & apud Capreas individui. Veſcularius inſidiarum in Libonem internuntius.*] Hic ergo *Veſcularius* idem eſt, quem ſupra lib. 2. in Libonis hiſtoria *Flaccum Veſcularium* nominat. *Demonſtrato crimine & reo per Flaccum Veſcularium equitem Romanum, cui propior cum Tiberio uſus erat.* At hîc *Veſcularius Atticus* vocatur. non vere, cenſeo. videtur enim mihi cognomen *Attici* huc manaſſe imperitiſſime ab illis verbis, quae ſequuntur minimo intervallo. *Marino participe Sejanus Curtium Atticum oppreſſerat.* Itaque aut plane inducendum, ſic, *Veſcularius ac Julius M.* aut vice ejus ſcrib. *Veſcularius Flaccus, ac J.*

XIV. *Sanus repertus apud fretum Siciliae, retractuſque per centurionem, nullas probabiles cauſſas longinquae peregrinationis adferebat.*] Corruptus locus incogitantia librarii, cui feſtinanti impoſuit extremus ſonus vocis ſeq. *retractus*, ut & adhaeſerat perperam priori. Plane leg. *Sane retractus.* quaſi dicat. Argue-

batur fugiſſe Parthorum ad miſericordiam; quod etſi incompertum & incerta tantum ſuſpicione creditum, non abſimile tamen vero, quod rep. &c. *Fretum* autem *Siciliae*, nomen loci, de quo memini me legere alibi.

XXXIV. *Ac ſaepe, modum obſidii, ſtationibus cingebat.*] Puto, in *modum obſidii.*

In lib. XI. Annalium.

CAP. XV. *Rettulit deinde ad ſenatum ſuper collegio haruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiae diſciplina exoleſceret: ſaepe adverſis Reip. Temporibus accitis, quorum monitu &c.*] Imo leg. *accitos.*

XXVIII. *Dum induſtria cubiculum principis occulit adulteros, dedecus quidem illatum, ſed excidium procul abfuiſſe*] Nullus eſt locus in toto Tacito, quem magis vexarint Critici. at, cenſeo, injuria. haec enim verba mihi videntur plena probiſſimae ſanitatis integritatisque, quorum ſenſus tum commodiſſimus tum planiſſimus, exponas modo illud, *induſtria.* i. per induſtriam, Meſſallinae ſc. non inſolenter. Nec ſane minor induſtria in occultandis talibus flagitiis, quam in faciendo bono facinore. Res clara ex comparatione loci Xiphilini in Claudio, quem fateberis huic vere germanum, & huic interpretando vindicandoque forte unicum. Is ita ſe habet. ἡ Μεσσαλῖνα δὲ, ὥσπερ οὐκ ἐξαρκοῦν αὐτῇ ὅτι καὶ ἐμοιχεύετο καὶ ἐπορνεύετο, (ἤδη γὰρ καὶ ἐπ' οἰκήματος ἐν τῷ παλατίῳ αὐτή τε ἐκαθέζετο, καὶ τὰς ἄλλας τὰς πρώτας ἐκάθιζεν) ἐπεθύμησε καὶ ἄνδρας τοῦτο δὴ τὸ τοῦ νόμου πολλοὺς ἔχειν. διὸ καὶ Σίλιον τὸν Γάιον ἄνδρα ἐπεγράψατο. &c. Vides ergo *cubiculum* illud, de quo Tacitus, verius lupanar fuiſſe in Palatio, de quo etiam bis ſupra diſerte Xiphilinus. *Occulit*; imo, inquit Xiphil., haec ſtupra & adulteria quae fiebant ἐν τῷ Βασιλείῳ, ita nota in vulgus, ut etiam hoſtes ſcirent exprobarentque. at Claudius dedecus domus & conjugis ſolus ignorabat. Sed, *Occulit*, ſimpliciter accipiendum potius. *Adulteros*: in his praecipuum Mneſterem pantomimum, quem ſignificavit Xiph. occultum & retentum à Meſſallina in palatio, id eſt, in palatii illo cubiculo, adeo ut murmuraret & indignaretur populus, quod tamdiu non ſaltaret. Per induſtriam autem hîc intellege, tum omnes Meſſallinae callidas & aſtutas artes, tum illam inprimis, qua effecit ut imperaret ipſe Claudius Mneſteri, ut obſequens eſſet voluntati & libidini uxoris ſuae; quod imperium obtentui fuit adulterio cum Mneſtere, cum illi aſſiduum uſque eſſe oporteret. Sic cenſeo.

In lib. XII. Annalium.

XLVI. *Ne dubitaret armis quam incruentas conditiones malle.*] Suſpicabar olim ſcrib. *quam arma incr. cond. m.* nunc eviluit evanuitque haec ſuſpicio. δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι certioresque mihi viſae ſunt. autumo corrigendum, *Ne dubitaret armis incruentas cond. malle* eleganti locutione, quam uſurpavit. Terent. in Eunucho. & Plautus. nec dubium quin illud, *quam*, malum pedem huc intulerit à gloſſa.

LVIII. *Utque ſtudiis honeſtis & eloquentiae gloria niteſceret cauſam Ilienſium ſuſc.*] Melius, *noteſceret.*

LXIII. *Quippe Byzantium fertili ſolo foecundoque mari. quia vis piſcium in Pontum erumpens, & obliquis ſubter undas ſaxis exterrita, omiſſo alterius litoris flexu, hos ad portus defertur*] Falſum hoc, in Pontum erumpere eam vim piſcium, imo contra, e Ponto, ut teſtantur Strabo & Plinius. & fortean quoque Salluſtius, qui mihi videtur hac ipſa de re loqui iiſdem plane verbis in fragmento iſto, quod ita legitur in optimo Servii exemplari MS. *Qua tempeſtate vis piſcium Ponto erupit.* Id manifeſto hîc mutuatus eſt ſolens, lubenſque uſurpavit SalluſtI ſimia Tacitus. Itaque vere reſcribſerim, *quia vis piſcium Ponto erumpens.* vel, ut propius abeam a vulgata ſcribtura, *quia vis piſcium Pontum erumpens.* i. ex Ponto. ſublato τῷ, *in*, quod fortaſſe perperam repetitum a fine praecedentis vocis. Hi autem Piſces, de quibus loquitur, *Pelamides* vocantur. At vero librorum omnium MSS. longe diverſa & vanior publicata lectio haec eſt. *vis piſcium in Metapontum erumpens.* cujus ſi habenda ulla ratio, ſecundum illius veſtigia corrigendum putem, *vis piſcium in mare Pontum er.* vel, *vis piſcium in mare Ponto er.* ut intelligat mare Byzanticum.

In lib. XIII. Annalium.

CAP. XIII. *Donec exueret obſequium in matrem, Senecaeque permitteret.*] Farn. codex, *ſeque neci permitteret.* Scribo ego, *ſeque Senecae permitteret.*

XIX. *Ex quibus erat Junia Silana, quam matrimonio C. Silii a Meſſallina depulſam, ſupra retuli, inſignis genere, forma laſciva, & Agrippinae diu percara.*] Malim, *forma, laſcivia.*

XXV. *Non aliud remedium repertum eſt, quam ut hiſtriones Italia pellerentur, mileſque theatro rurſum aſſideret.*] At ſi hiſtriones Italia pulſi, quid opus aſſidere theatro militem? Leg. *mileſve theatro r.*

XXXII. *Et Pomponia Graecina inſignis foemina Plautio, qui ovans ſe de Britanniis retulit, nupta.*] Vidi excuſum librum in quo legitur, *qui ovationem de Br.* & probavi, etſi nec improbem quidem alteram lectionem.

XLVI. *Saepe auditus eſt conſurgens è convivio Caeſaris, ſe ire ad illam, ſibi conceſſam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium, & gaudia felicium.*] Inurunt notam huic loco viri docti. nollem ſane. vix enim quicquam hic video quod mereatur. At Budenſis codicis lectio variat hoc modo, *ubi conceſſam dictitaret.* ex qua, ſi ejus hîc ullum apud doctos debet eſſe pondus, tale quid excuderem: *ubi congeſtam ductaret*, vel, *ductitaret nobil.* &c. *Ducere*, eſt uno ductu & ſpiritu bibere: a quo verbo *Ductare* & *Ductitare* volo effícta hîc eodem ſenſu. aptiſſime tum ad rem ipſam, tum etiam ad tempus convivii, è quo conſurgens haec dicebat Otho. Porro & *Ductandi* verbum primis temporibus honeſtum, coepit deinceps male audire, *Ductare* enim eſt meretricem inire, & cum ſcorto publico rem habere. hac puto ratione, quod impudici & illegitimi hi coitus, etſi falſam, retinent tamen quandam veluti umbram juſtarum nuptiarum: ideoque ridicule & nuptiarum nomine quandoque ſignantur, ut tot nuptiae

nuptiae factae dicantur, quot furtivi tales congreſſus cum meretrice habiti. Hinc Plautinus jocus, quem memini tantum per nebulam, quem non ideo adſcribam, quia non habeo nunc librum ad manum. Dicitur autem juſtis in nuptiis vir *Ducere uxorem.* at vero qui volgivagam & liberam Venerem exercet, & quotidie, ut ajunt, equum mutat, *Ductare ſcortum*; quod toties ducere, toties novas nuptias facere videantur, quoties habet & ductat meretricem. Quid vetet vero, vel Othonem ipſum, vel potius Tacitum hîc una reſpexiſſe quoque oblique tamen ad hanc *Ductandi* notionem juxta illam, quam primam poſui. Prius enim Poppaeam Otho adulterio pellexit ad matrimonium. *Congerendi* autem verbum convivio aptum & propriiſſime cum *Ductandi* verbo item conviviali conjunctum. Cat. *Inger' mi calices amariores.* imo *Congerere* amplioris eſt ſignificationis quam *ingerere.* eſt enim, ad ſumma uſque labra poculum implere, ita ut exundet, imo exuinet potius. Sed cum multa dixi, vereor ut halluciner.

In lib. XIV. Annalium.

CAP. V. *Agrippina & Aceronia eminentibus tecti parietibus forte validioribus, quamvis oneri cederent, protectae ſunt.*] Legebam, *quam ut on.* At vidi poſtea Gallicum interpretem idem annotaſſe.

VII. *Quod contra ſubſidium ſibi?*] Optima lectio. Turbat tamen editio Ro. in qua, *ſuffragium.* plane nullo bono ſenſu. Forte, *ſuffugium*, legendum.

VIII. *Nam in mortem centurioni ferrum diſtringenti, protendens uterum, Ventrem feri, exclamavit.*] Corrigo, *Jam in m. vere.*

XI. *Ac poſteaquam fruſtra oblata ſint, infenſa mil. &c.*] Indicavi jampridem Mercero meo, juveni plane doctrina & moribus antiquis, mihi videri emendandum, *optata ſint.* & aſſenſit mihi. Levis mutatio, quae prorſus expediat hunc locum.

XX. *Vel ſi vetuſtiora repetas, ſtantem populum ſpectaviſſe: ſi conſideret, theatro dies totos ignavia continuaret.*] Videtur excidiſſe vox, quam repono, ſic: *ne ſi conſ.*

XXI. *Graeci amictus, quos per eos dies plaerique inceſſerant, tum exoleverant.*] Scrib. *quîs per.*

XXII. *Idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine deûm deſtinari credebant.*] Autumo leg. *origo: hinc illum* &c.

XXVII. *Non enim, ut olim, univerſae legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & ſui cujuſque ordinibus militibus.*] Verum eſt, *& ſui cujuſque ordinis mil.*

Ad lib. XV. Annalium.

CAP. XXI. *Quae ſi arceantur, aequalius atque conſtantius provinciae regentur.*] Probe? forte tamen ſcrib. *aequabilius*, ex SalluſtI Catilinario. *Aequabilius*, inquit, *atque conſtantius ſeſe res humanae haberent.*

XL. *Sexto demum die apud imas Eſquilias finis incendio factus, proruptis per immenſum aedificiis, ut continuae viol. &c.*] Notum eſt, *ſiſtendi* incendii optimum

mum remedium eſſe, vicina igni aedificia diruere hamis dolabriſque, vel alia quavis ratione. Itaque non dubium eſt, quin Tacitus hoc exprimere volens, ſcribſerit; *prorutis per imm.*

XL. *Necdum poſito metu redibat. Levis rurſum graſſatus ignis, patulis magis urbis locis.*] Prima fronte apparet mutilus locus. non eſt tamen. imo tantum abeſt, ut redundet verbum, *redibat*, quo ſublato facilis procedit ſententia. Sic; *Necdum poſito metu levis r. gr.*

LII. *Plaerique Veſtini quoque conſulis acre ingenium vitaviſſe credunt, ne à libertate moveretur.*] Integer locus, ſi inducas τὸ, *à*. ſic. *ne libertate mov.*

LXXI. *Alius filio, fratre alius aut propinquo aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru donum. &c.*] Ex ritu, emendo, *domum*. Juvenalis ubique, & alii.

Ad lib. XVI. Annalium.

CAP. V. *Unde tenuioribus ſtatim irrogata ſupplicia, adverſus inluſtres diſſimulatum ad praeſens, & mox redditum odium.*] Placet mihi clariore antitheſi ſcriptum fuiſſe; *& mox editum odium.* id eſt, depromtum, oſtenſum, manifeſtatum.

XXV. *Quibus intrari curiam placebat ſecuros eſſe de conſtantia ejus dixerunt.*] Lego, *ſecuros ſe eſſe* &c.

In lib. I. Hiſtoriarum.

CAP. XXI. *Occidi Othonem poſſe. proin agendum audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Piſonis nondum coäluiſſet.*] Praefabor. Hac conjectura mea nihil unquam verius cortina Phoebi. Corrigo, *Occidi Piſonem poſſe.* clarum ex his ipſis verbis ita legendum. Conſultat enim ſecum Otho an interficere Piſonem debeat.

XXX. *Sed proinde à nobis donativum ob fidem, quam ab aliis pro facinore accipietis.*] Legebam, *perinde*. Sed in Pandectis Florentinis video fere ſemper, *Proinde*, ſcribi, & accipi pro, *Perinde*, & apud alios auctores quoque.

XXXI. *Dilapſis ſpeculatoribus, caetera cohors non aſpernata concionantem, ut turbidis rebus evenit, timore magis & nonnullo adhuc conſilio, parat ſigna, quod poſtea creditum eſt, inſidiis & ſimulatione.*] Veriſimile eſt inſita voce leg. *quam quod poſtea cr.* praeceſſit enim *magis*. & facilis oblivio unius literae, qua τὸ *quam* expreſſum & compendio exaratum, maxime cum proxime ſubſequatur ſimilis eademque litera.

XLI. *Plaeraque vulnera, feritate & ſaevitia, trunco jam corpori adjecta.*] Quid ſi ſcribas? *adacta*. vulgata tamen lectio ferri & defendi poteſt.

XLIII. *Centurio is praetoriae cohortis ad Galbae cuſtodiam a Piſone additus.*] Imo contra ex fide hiſtoriae reſcribo; *a Galba ad cuſtodiam Piſonis additus.* verum eſſe paret ex ſequentibus. ait enim, Piſoni effugium dediſſe, non Galbae.

LIII. *At in ſuperiore Germania, Caecina decora juventa, corpore ingens,*

gens, animi immodicus, cito ſermone, erecto inceſſu, ſtudia militum allexerat.] Scribſit Tacitus, ſcio; *Scito ſermone.*

LV. *Nec tamen quiſquam in modum concionis aut ſuggeſtu locutus.*] Deeſt vox, quam repono, *aut è ſuggeſtu loc.*

LVII. *Nec principes modo coloniarum aut caſtrorum, quibus praeſentia ex affluenti, & parta victoria magnae ſpes.*] Potius, *ex parta vict.* At, *quibus praeſentia ex affluenti.* id eſt, praeſentia affluentia ſunt.

LXXV. v. Lipſ. *Et ſtetit domus utraque ſub Othone, incertum an metu; Vitellius victor, clementiae gloriam tulit.*] Adjuvo locum diſtinctione; *utraque: ſub Oth., i. an metu: V.*

LXXXIX. *Sub Tiberio & Cajo tantum pacis adverſa pertimuere.*] Labor ut ſcribam; *pertinuere.* Sed vulgati voce auctiores, *Reip. pertimuere.* Repono. *Remp. pertinuere.*

In lib. II. Hiſtoriarum.

CAP. XVII. *Faciles occupantibus & melioribus incurioſos.*] An, *meliorum incurioſos.* ſc. partium. i. qui non curarent meliores partes eligere & ſequi? An, *melioribus injurioſos.* ſc. ducibus. quod poſtremum tamen non aeque probo.

In lib. III. Hiſtoriarum.

CAP. V. *Remiſſum id munus, ne inter diſcordias externa molirentur, ac majore ex diverſo mercede, jus faſque exuerent.*] Puto ſcrib. *aut majore ex d.*

XIII. *Id Baſſo, id Caecinae viſum, poſtquam domos, hortos, opes principi abſtulerint, etiam militibus principem auferre, licet integros incruentoſque.*] Recta lectio & certa mihi; *etiam milites principi auferre; licet integros incr.*

In lib. IV. Hiſtoriarum.

CAP. I. *Quae ſaevitia, recentibus odiis, ſanguine explebatur; dein verterat in avaritiam.*] Quid ſi, *vertebat.*

II. *Paucos erumpere auſos, circumjecti preſſere.*] Optime. ſimplex pro compoſito. at olim legebam imperite, *oppreſſere.*

II. *Dein L. Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in principatu ejus vigilantior, nec perinde proſperis ſocius, quam adverſis abſtractus. Iiſdem diebus Lucilius Baſſus &c.*] Cenſeo aut delendum τὸ, *abſtractus, quam adverſis. Iiſdem d.* aut interpungendum ſic: *quam adverſis. Abſtractus iiſdem diebus Luc.* at & vulgata tolerari & commode exponi poteſt.

III. *Caeterum ut princeps loquebatur, civilia de ſe, & Rep. egregia. nec ſenatus obſequium deerat.*] Emendo, *civilia de ſe; de Rep. egregia.*

XLIX. *Nihil ad ea moto Piſone, centurio a Muciano miſſus, ut portum Carthaginis attigit, magna voce, laeta Piſoni omnia, tanquam principi continuare.*] Putarim ſcribſiſſe Tacitum, *conclamare*, aut quid ſimile.

LXXI. *Spreto hoſte, quem temere collectum haud ita loco juvari, ut non plus ſuis in*

in virtute foret.] Proba ſententia, quam capio. tentabam tamen; *ut non plus vis in virtute foret.* ſed abſtineo.

In lib. v. Hiſtoriarum.

Cap. iii. *Sed ſibimet ut duci coeleſti crederent, primo cujus auxilio credentes, praeſentes miſerias pepuliſſent. Aſſenſere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt.*] Si hac luxata tantum, ita exiſtimarem relocanda. *crederent. Aſſenſere primo cumque ejus auxilio praeſentes miſerias pepuliſſent, omnium ignari f. iter inc.* minima mutatione, reſcribto tantum (pro, *cujus atque*) *cumque ejus.* vel ſic, *crederent, cujus auxilio pr. miſ. pepuliſſent. Aſſenſere primo, atque o. i. f. i. inc.* Ejeci manifeſtum gloſſema, *credentes.* quod nec agnoſcit Oroſii MS. Petri Danielis, viri doctiſſimi, popularis & amici mei.

viii. *Hieroſolyma genti caput. Illic immenſae opulentiae templum, & primis munimentis urbs dejugis, templum intimis clauſum.*] Somniabam ego, *& pr. mun. urbs, dein jugis, templum int. cl.* quaſi vellet, urbem clauſam & circummunitam primum munimentis, deinde jugis. templum vero intimis munimentis in intima Hieroſolymorum parte clauſum. Vel, *urbs, dein jugis templum int. c.* ut voluerit templum clauſum intimis jugis. Nec puduit adſcribere ſomnia mea, ut ab his acciperet lucem certiſſima & acutiſſima divinatio Merceri mei, capitis unice cari mihi, Galliae noſtrae clariſſimi. Ea ſic habet. *& pr. mun. urbs; dein regia; templum intimis clauſum.* non procul a manuſcribtae lectionis tractu ad rem ipſam veriſſime. Ipſe infra poſt deſcribta urbis munimenta; *Alia intus moenia regiae circumjecta.* & proxime. *Templum in modum arcis, propriique muri &c.* Vide & Joſephum proprium & peculiarem ejus gentis.

xxii. *Utque ad fallendum ſilentio, ita coepta caede, & quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miſcebant.*] Forte inducto τῷ, &, leg. *caede, quo plus terr. add.*

Scribebam, Annotabamque

HIERONYMUS GROSLOTIUS LISLAEUS

Avarici Biturigum.

A. D. iv. Kal. Apriles.

ꝏ IↃ LXXXV.

Legendo ſcribendo procudenda aetas.

Homo ſum.

Hieronymi Groslotii Lislaei Notae ad C. Corn. Taciti libellum De moribus Germanorum.

Cap. xiv. *Quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clareſcunt, magnumque comitatum nonniſi vi belloque tueantur.*] Reſtituo, *tutantur.*

xv. *Mos eſt civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam neceſſitatibus ſubvenit.*] Ridiculus bonus Rhenanus ad hunc locum. Hujus ſcribtoris juſtiſſimus cenſor, *Juſtus Lipſius*, lumen Belgii ſui, & ſaeculi hujus, putat defectum locum, quem reintegrat inſerta nota, X. quae Decimam, vel Decimas ſignificet, *ultro ac viritim X. conf.* Ego vero cenſeo nullum fuiſſe praeſcribtum numerum definitumve, quem unusquiſque offerret principibus viris, ſed ex voluntatis & facultatis modo. itaque ut leguntur edita iſta in vulgatis libris recta eſſe & plena.

xx. *Quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratioſior ſenectus.*] V. C. *tanto major.* Corrigo, *quanto major aff.* Ex eodem V. C. ſupra Cap. xix. ſcrib. *Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam; nec ulla cogitatio ultra, nec longior cupiditas, nec tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium amant.*

xxi. *Pro fortuna quiſque apparatis epulis excipit. Cum defecerit, qui modo hoſpes fuerat, monſtrator hoſp.* &c.] Magis mihi placet lectio V. C. manuſcribti, quem inſpexi ego. *Cum defecere, qui modo. quand ils n'ont plus de quoy.* Forte etiam, *Cum defecere, is qui m.* Sed nimia miniumque minuta haec diligentia noſtra.

xxii. *Gens non aſtuta, nec* (V. C. *aut*) *callida, aperit adhuc ſecreta pectoris, licentia loci.*] Malim ſcribi; *adhaec*, vel *adhoc.*

xxxi. *Et aliis Germanorum populis uſurpatum, rara & privata cujuſque audentia; apud Cattos in conſenſum vertit* &c.] Is ipſe V. C. *in conventum vertit.* quam eleganter?

xxxiv. *Seu quidquid ubique magnificum eſt, in claritatem ejus referre conſenſimus.*] V. C. *magnum.* non placet: Idem, *conſuevimus.* optime.

xxxviii. *Apud Suevos uſque ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſaepe in ipſo ſolo vertice religant.*] Ambigo an depravatum ſit verbum, *ſequuntur.* Caeterum viſum mihi pridem leg. *in ipſo ſummo vertice rel.* nunc tamen vix quicquam mutandum putem.

xl. *Reudigni deinde & Aviones & Angli.*] V. C. *Anglii.*

xlii. *Marcomanis, Quadisve uſque ad noſtram memoriam reges manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui & Tudri genus*] Primum reſcribo, *Quadisque uſque ad n.* Anſa culpae librario fuit, illud, *Quadive*, quod paulo ante praeceſſit. Deinde interpungo; *ipſorum; nobile Marobodui & T. genus.* vult enim Mar-

Marcomanis Quadisque reges fuiſſe ex ipſorum gente, eosque ex nobili & regio genere Marobodui & Tudri.

Ibid. *Nec minus valent retro Marſigni, Gothini, Oſi, Burii: terga Marcomanorum Quadorumque claudunt.*] V. C. conſtanter, *Buri.* Scribo. *Buri: ii terga M.*

XLIII. *Apud Naharvalos antiquae religionis lucus oſtenditur. Praeſidet ſacerdos muliebri ornatu, ſed deos interpretatione Romani Caſtorem Pollucemque memorant. Ejus numinis nomen Alcis. nulla ſimulacra, nullum peregrinae ſuperſtitionis veſtigium. ut fratres tamen, ut juvenes venerantur.*] Non cohaerent iſta, ſi propius attenderis. ſenſi ego, & ſubodoratus trajectionem, niſi valde fallor judicii, vero ordine reſcribſi, ita; *Praeſidet ſac. mul. ornatu. Ejus numinis nomen Alcis: ſed deos int. Rom. Caſt. Pollucemque memorant. nulla ſimulacra* &c. Caecus ſit oportet, qui non videat merum lumen.

XLV. *Ipſis in nullo uſu, rude legitur, informe perfertur.*] V. C. *profertur.*

XLVI. *Domos figunt & ſcuta geſtant, & pedum uſu ac pernicitate gaudent.*] V. C. *peditum*, non placet.

Hier. Groslotii Lislaei Annotationes
Ad C. Corn. Taciti librum
De Vita Julii Agricolae.

CAP. I. *Ni incurſaturus tam ſaeva & infeſta virtutibus tempora.*] Rectiſſime. elegans metaphora eſt a tauro, qui cornubus aliquem petit & incurſat.

XI. *Eorum ſacra deprehendas, ſuperſtitionum perſuaſione.*] Conſydera propius, & forte aſſentieris mihi legenti, *Eadem ſacra d.*

XIX. *Nihil per libertos ſervoſque publicae rei.*] Cenſeo ſubſtituendum, *publice geri.* Sequentia probant.

XXV. *Hinc terra & hoſtis, hinc auctus Oceanus militari jactantia compararentur.*] Emendo, *hinc actus Oc.* id eſt permenſus, ſubactusque.

XXXI. *Nos integri & indomiti, & libertatem non in praeſentia laturi, primo ſtatim congreſſu unde oſtendamus, quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit.*] Correxi jampridem. *& libertatem, non jam Pi Roi: ſervitia laturi, primo ſtatim congreſſu demum oſt.* &c. nec poenitet. memini enim me probaſſe juveni C. M. *Jano Gulielmio*, dicam veritate volente, jubente, necnon audiente, fatente invidia, Germanorum, imo hujus ſaeculi eruditorum, qui in terra degunt, âh, quondam doctiſſimi, & humaniſſimi. amabam, admirabar, viventem ſupra omnes amicos. ita is factus erat ad animum meum. in quo, non poteris improba mors, quin habitet & vivat aeternum. At, ut repetam deverticulum; pro, *in praeſentia*, levi mutatione ſcribſi, *jam P. R. ſervitia.* pro, *unde*, facili inverſione, *demum.*

XXXVIII. *Hunc rerum curſum, quanquam nulla verborum jactantia, epiſtolis Agricolae actum; ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit.*] Facilis correctio. Leg. *curſum, quamquam n. v. jactantia epiſtolis Agricolae auctum, ut D.*

Hier. Groslotii Lislaei Annotationes
Ad C. Corn. Taciti Dialogum
De oratoribus.

Cap. viii. *Tam hercule quam divitiae & opes, quas facilius invenies qui vituperet, quam faſtidiat.*] Inſerta voce lego, *quam qui faſtidiat.*

ix. *Et ut beatiſſimus recitationum ejus eventus proſequatur.*] Scribe, *recitationem.*

xix. *Num dubitamus inventos, qui pro Catone Appium Caecum magis mirarentur.*] Quid ſi, *prae Catone?*

xxiii. *Porro ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quae animi anxietate contingat.*] Puto emendaſſe me vere, *quae a nimia anxietate* contingat. confirmant tum quae ſupra praecedunt, tum quae ſequuntur infra.

xxv. *Ut ſi omnium pariter libros in manum ſumſeris, quamvis in diverſis ingeniis, eſſe quandam judicii ac voluminis ſimilitudinem & cogitationem.*] Vidi pridem immittendum verbum, *ſcias*, aut *videas*, vel quid ſimile, fulciendae ſententiae. Forte, *ſumſeris*, *ſcias*, *quamvis in d.* Deinde legendum etiam; *judicii ac voluntatis ſimilitudinem & cognationem.*

xxvi. *Ipſis etiam quibus utitur armis incompoſitus, & ſtudio feriendi plaerumque dejectus, non pugnat, ſed rixatur.*] Magis ad rem apte ſcribſeris, & ad artem; *detectus.*

xxxv. *At nunc adoleſcentuli noſtri deducuntur in ſcenas ſcholaſticorum, qui rhetores vocantur.*] Fruſtra fuit vir magnus, qui ſollicitavit hunc locum. *Scenas* hîc vocat ſcholas rhetorum, in quibus vix umbra quidem verae & ſanae eloquentiae, & ubi ut in ſcena mimus, tanquam per luſum exercetur futilis illa & umbratica eloquentia. Hanc ipſam vocem eodem modo uſurpaſſe Senecam patrem volo in praefatione lib. iii. Declamat. *Agedum iſtos declamatores produc à ſenatu in forum; cum loco mutabuntur, velut in aſſucta claſſe & dilecta umbra corpora ſub dio ſtare non poſſunt.* Emendo, *produc à ſcena*, (vel, *a ſcena tu*) *in forum.* Qui Senecae locus admonet me ut detegam obiter in Suet. Ner. cap. 12. eandem mendi indolem. *Deinde in orcheſtram ſenatumque* deſcendit. Oſtendit mihi veriſſimum verae doctrinae & amicitiae exemplum, *Bongarſius* meus leg. *ſcenamque deſcendit.* At ego ut fatear ingenue, adhuc delibero, nec tam leviter mihi perſuaderi ſino. imo nec jam delibero, & ſi fas eſt diſſentire à tam caro capite, non probo. a proſcenii enim faſtigio deſcendiſſe Neronem vult Suet. ad orcheſtram, ubi ſedebat Senatus.

xxxvi. *Controverſiae robuſtioribus aſſignantur, quales per fidem & quam incredibiliter compoſitae.*] Verum eſſe autumo; *quales ſuper fidem & quam incr. comp.*

xxxviii. *Ita tamen ut omnia in foro, omnia in legibus, omnia apud Praetores gererentur.*] Malim, *omnia legibus.* inducta praep. *in.*

Hier. Groslotius Lislaeus Scribſi Annotavique in Inſulano meo
A. D. iii. Non. Majas. ∞ıɔlxxxv.

EPI-

EPISTOLA CCCXLI.

HIER. GROSLOTIUS LISLAEUS

V. C. *J. Lipſio Sal. Dico.*

Leidam.

ITaque duplex jactura mea, mi Lipſi: ſed potiſſima & graviſſima illa eſt, quam feci de literis tuis ad me, quae mihi certe carae non eſſent contra auri pondus. tanti facio quaecunque veniunt a te, ſed & eſt cur doleam quoque intercidiſſe meas ad te, quae etſi rudes, tamen fuiſſent ſaltim qualeſcunque teſtes non rudis diligentiae meae in te diligendo, nec negligentis curae in curando, quae tu mihi mandaras, quaeque ego tibi receperam coram. etenim praeterea illarum fato ſimul ſunt opreſſa *Merceri* ad te pro Tacito, & ad Suetonium Excerpta mea. Sed ille nunc remittet Corneliana ſua, ego nec dum potui, nec vero jam poſſum illa ad Tranquillum. ſed fidem do brevi me miſſurum, ſi mihi vita cum otio. Nunc autem ut tibi obiter retexam brevem, ſed certam rationem fidei & curae meae, ſcribſi pro *Scaligeri* Patris Vita ter quater accurate ſatis ad *Cujacium*; a quo tamen a reditu meo nihil accepi & miror; quanquam deinceps mirari deſinam: adeo ſunt infeſto milite undiquaque obſeſſa itinera omnia. hoc tantum reſcivi nuper ex literis *Fr. Pithoei*, *Cujacii* [1] novam nuptam enixam eſſe illi prolem ſequioris ſexus. Ipſi *Scaligero* noſtro ideo non ſcribſi, quod mihi incerta illico ſedes in hoc tam turbulento rerum ſtatu. puto tamen rogatu meo *Cujacium* & *Patiſſonem* dediſſe ad illum literas hac ipſa de re. Etſi nunc non ſit amplius opus iſto ambitu. Nam ille *Gul. Salluſtius Bartaſſius*, Phoebus Galliae noſtrae, cujus binae Hebdomades vincent omnia ſaecula, cum hac nuper proficiſcenti in Scotiam injecto ſermone de te expoſuiſſem votum tuum pro *Caeſaris Scaligeri* Memoria, cujus filiis ſciveram ipſum amiciſſimum, ultro mihi obtulit in tuum uſum Commentarium Librum de Vita & ſcribtis Patris, conſcribtum ſatis fuſe ab ipſo [2] *Sylvio F. V. C. M.* quem librum *Sylvius* ipſe mandavit illi moriens, una cum tu-

1 Quae *Gabriela Hervea* dicta, ex qua edita *Suſanna* fuit, cujus impudicitiam & Meſſalinae aemulam libidinem deſcripſit *Catherinottus* Biturig. A. 1684. quem ſi videre licuiſſet, facile illum mendacii convincere licuiſſet, ſi vivente Patre eam corpus proſtituiſſe narret, ut etiam alii plures, & inter illos *Patinus* in Patinianis pag. 130 & *Menagius* in Menagianis t. II. pag 62. & Auctor addit. t. IV. pag. 47. ſi enim hoc anno nata fuerit, patri ſeni & 65. annos nato, & poſt biennium defunctus fuerit *Cujacius*, illa diu poſt patris mortem proſtraviſſe pudicitiam debuit *Pancirollus* de clar. legum interpret. lib. II. cap. 190. filiam vocat *Eliſabetam* & Matrem *Annam*. perperam utramque. Perſonatus ille *Adolphus Clarmundus*, ineptiſſimus vitarum, ſi quis umquam, conſarcinator, *Cujacium* natum A. 1590. & 1660. mortuum nobis narrat: ſed obiiſſe IV. Non. Octob CIↃIↃXC. A. aetatis LXVIII. ex Epitaphio ipſi a *Pithoeo* poſito apparet. vid. Pap. Maſſonis Elogia tom. II. pag. 300. quare etiam errat *Samarthanus*, qui ſeptuagenarium facit lib. IV. Elog. *Morerius*, dubitans an A. aetatis 68. an 70. obierit, mortis tempus in 25. Septemb. confert *Paul. Freherus* T. II pag. 919. natum A. 1532. dicit. ſed ſi calculum a mortis tempore iniiſſet, decennio priorem natalem debuiſſet edere.

2 *Sylvius* hic filius major *Julii Caeſaris* fuit, & ad quem maxima pars ſcriptorum patris pervenit;

tutela unicae filiae. eum mihi ſancte pollicitus eſt ſe miſſurum ad me prima quaque occaſione, poſtquam domi redux fuerit. nunc vero eſt in reditu, & jam incepit tamen experiri me importunum monitorem, nec deſiſtam monere, quamquam vero ſit iſtud pene injuriam facere tam prompto illius erga te animo, & menti tam memori virtutum tuarum, quas vere amat & miratur. in ſumma hoc mihi credas praedicanti de ſummo hoc viro, neminem vivere magis faventem nomini tuo, magis amicum famae. *Baro* pridem abiit. De Apulejo *Colvl* ago tibi gratias: vellem poſſem etiam de Politicis tuis, quae eo ardentius deſidero, quod jam tum, cum apud vos eſſem, cenſebam affecta. Sed in illo Afro non vafra ſane, ſed bona opera amici noſtri: quantum ex unica inſpectione videre adhuc licuit. nam nunc tam miſere diſtrahor aliis curis, ut vix poſſim ne cogitare quidem de ſtudiis. in quibus tamen ſi quid ſerio cogitem unquam, quod vix audeo ſperare, minus vovere, tanta eſt mihi perſuaſio de eximia benivolentia tua in me, ut prae te nullum adire velim Apollinem, cujus dicta mihi ſemper certa nec ambigua aeternum manabunt, ſpero, ab aeterno & puro fonte certi amoris & verae doctrinae. manu deſcribtum Lucium tuum retineo adhuc, remiſſurus certo prima occaſione. Senecam quando jubes expectabimus. De Tacito vero urgeo, ut tu urgeas ſerio. intereſt enim tua inprimis, ut illum ſemel miſſum facias, quam primum ſolvere fidem tuam de noviſſima editione. &, ut haec tempora ſunt, non alio tempore magis opus novis Centuriis; itaque vide an tibi ſit animus nunc producendi alia ex tuis. Sed, quando de Centuriis ſermo, ad centenas hoſtium ad minimum nuper delevit inſignis illa clades Contracenſis, in qua tam proſpere pugnatum a noſtris, ut in tanta adverſarum partium caede milites viginti numero tantum amiſerint noſtri, quod de nulla hactenus victoria proditum animadvertas unquam. omnes duces infeſti exercitus vel capti vel caeſi, ipſe Praetor *Dux de Ioyeuſe* cum fratre exanimis. Et ipſe *Rex Navarrenus* dedit illa die egregium documentum & ſummi Imperatoris & ſtrenui militis. Reliqua victoriae fuſius & melius intelliges ex vulgato hoc ſcribto, quod mitto nunc ad te. Quod ad vos attinet, hîc pro certo creditur mitti legatos ex primoribus hujus regni ad Principem Parmenſem paciſcendae paci. Pro vobis videat, qui omnia videt: nam quantum providere poſſunt homines, res veſtrae in praecipiti lapſu. nihilominus tamen quod mireris, conſtans hîc fertur fama, Scotum ſerio turbare, & excipere claſſem Hiſpanam. Sed nos, mi Lipſi, ſtemus uſque tranquilli inter hos nimbos, qui terram hanc noſtram mo-

nit; ſed quae per uxorem ſuam, ex qua nullos liberos tulit, ad ſecunda vota tranſeuntem in alienas manus devenerunt. vide *Mauſſaci* prolegomena ad Ariſtotelem de Animalibus, a quo commentarius *J. Caeſaris Scaligeri*, a *Sylvio* maximam partem deſcriptus, editus fuit, & cujus alterum exemplar in hujus Academiae bibliotheca, inter Scaligerianos libros, ſervatur, ad quod conferri edita a Mauſſaco poſſint. Cauſſa autem cur Vitam *J. C. Scaligeri* a filio conſcriptam voluerit Lipſius videre, fuit, quod ipſe magni ejus viri vitam in ſcripta mittere haveret, ſi aliquod ſibi auxilium ab iis, qui interiora & minuta illa vitae norunt, ut ſcribit Morello 11. Centur. Miſc. 69.

movere fortaſſe poterunt, nunquam animum. Vale, mi Lipſi, & me ama. Londini Trenobantum, A. D. XIII. Kal. Novembr. ∞ IↃLXXXVII.

Reſcribe, quaeſo, per hunc eundem tabellarium, an illi tuto poſſim committere ſcribtum Apulejum tuum.

EPISTOLA CCCXLII.

HIER. GROSLOTIUS LISLAEUS

V. C. *J. Lipſio.* Sal.

Leidam.

NEc dum ceſſo ſcribere, nec vero tu ſilere. ſit illud ex officio meo, hoc autem, teſtor amorem tui, inprimis praeter votum meum. quid enim mihi ſit magis in votis, quam crebro videre ſpirantem effigiem amoris tui in literis, & quaſi contrectare blanda manu. quo bono quando nobis potiri non licet, quibus non licet eſſe tam beatis, at ſaltim liceat deſiderare: quod nunc certe facimus ſerio ego & *Mercerus*; cujus ad Tacitum, item ad Suetonium Excerpta mea pervelim ſcire an acceperis. Sol noſtrae Galliae *Bartaſius* denuo recepit per literas, miſſurum ſe ad nos quamprimum poſt reditum Vitam *Julii Caeſ. Scaligeri*, conſcriptam a viro clariſſimae memoriae *Sylvio F.* de qua jam ſcribſi ad te fuſius. Sed, Dii boni, an eſtis vos omnes iſtic muti? ita tacetis omnes, quaſi de compacto. Scribe tu ſaltim, quî valeas, quid agas, & quid velis me agere tua cauſſa. nam adeo me angunt afflictae res veſtrae, ut quid iſtic agatur nec velim quaerere, nec optem ſcire. *Daverlius* noſter cetera: plura namque non ſinit ſumma properatio ipſius. Vale, mi Lipſi, & me ama unice devotum cultui tuo. *Mercerus* noſter te ſalutat. Londini Trenobantum, A. D. IV. Kal. Novembr. ex nova recenſione anni. CIↃ IↃ LXXXVII.

EPISTOLA CCCXLIII.

HIER. GROSLOTIUS LISLAEUS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

FEbricitantibus non aeque gratus hauſtus frigidae, quam mihi fuere ſuaves literae tuae jam pene tabeſcenti anxia ſollicitudine, quam mihi alte impreſſerat, quantum video, nimium verus rumor de graviſſima valetudine tua; quam tandem ut abs te depulit ipſa ſanitas, optimo bono omnium hominum, qui ſanitatem amant; ita ſanitatis tuae iſtae nuntiae illam nuper eraſerunt penitus animo meo, qui tibi habet aeternas gratias de Cenſuris tuis ad Senecam Tragoedum, quas ego cenſeo adeo probas, ut multo melius eſſet acuminibus hujus ſaeculi, ſi iſto modo languerent, quando tu vis illas videri

 lan-

languenter ſcriptas, quae tam ſunt revera accuratae & acutae. vel illud judicium tuum de Thebaide & Medea quam rectum! quae mihi ſemper viſae elucere inter ceteras non ſecus, quam inter minora ſydera duo illa clariſſima mundi lumina. De Philoſophicis Apuleji ſic habeto; ante quadriennium contuliſſe me illa diligenter cum quatuor optimae notae manuſcriptis, ex quibus ego profecto poſſem, (audiat vel Nemeſis!) priſtinam illis faciem maxima ex parte inducere. ſed fatum meum, ſive negligentia mea eſt, ex illo tempore, quo comparabam, vix illa inſpexi, vel attigi quidem. tam mihi exinde ab his ſtudiis mens aliena fuit, & nunc vero eſt etiam multo magis. tamen tu ſi jubes, mi Lipſi, quod nunquam a me ipſo impetraſſem mea cauſſa, tua fortaſſe potero impetrare: reſcribe tu tantum quid voles. hinc enim, mihi crede, honorem nunquam quaeram, utilitatem publicam fortaſſis, ſed multo magis occaſionem aliquam teſtandi mei adverſum te obſequii. Interim, ſi forte, defunctoriam operam ponam, nam & vix illam quoque nunc audeo polliceri. Verum ſi jam recudit ille [1] ab Aetna, laudo, nec res eſt tanti, ut invideam, etſi hoc ſciam oportere illum fretum tam minuto auxilio praetervehi plaeraque loca non recto pede. tamen ego ut concurram tam flagranti atque aeſtuanti Fabro, nunquam hercle faciam, ſi ſapiam. nimis enim novi, quam hodie ſubito incaleſcant Criticorum pueri ex, ignea illa etiam omnes, ut videtur, gente, ut ego non vitem quantum poteſt tam notos fervores, ſive potius furores tam nothos. deinde ſat mihi, puto, ſat eſt, ſi me habeat Veneris proles, nec etiam maritus, pro incude & fornace. *Colvius* quoque nomine *Raphelengii* egit mecum. illi pro me ſpondebis quicquid voles: ſum enim totus, quantus ſum, arbitrii tui. [2] Emendatio tua in libro de Mundo certo certior eſt: omnis enim mea ſcripta lectio habet, *Nebuli*, ex quo tu vere, *Naevuli*. Suetonii Excerpta iterum curavi deſcribenda: ea nunc mitto; una Regis Navarreni effigiem, ſed veram, cui hoc elogium quod a me eſt, me inſcio pene, ſane invito, addi curavit pictor ipſe. nam divini hujus Principis laudes fruſtra tentet libare, nedum dicere, os humanum. Verſa fata adeo verterunt res Gallicas, ut meminiſſe animus horreat, tantum abeſt ut nunc ſcribere poſſim. Sed & jam aliunde reſciviſti opinor. Vos quoque in lapſu, niſi vos potenter ſuſtineat fulcimen hujus mundi. Temporis tractus, quo jam adſuevimus adverſa ferre, impatientia noſtra facit ut videatur longior, ſed cum tot etiam ſecum commoda ferat, nonne ſi reſpicimus nos & noſtra, reipſa multo brevior eſt quam mereamur. Patiamur, ne patiamur tandem. Legati pro Pace abeunt, non abeunt. Vale, mi Lipſi, & in hoc miſeri ſaeculi fluxu fac ut me bees conſtantia amoris tui. [3] *Hotomannus* te plurimum ſalutat, rogatque obi-

1 Intelligit *Bonav. Vulcanium*, qui Apulejum edidit typis *Franc. Raphelengii* A. 1594. in minori forma, quae repetita a *Chriſtoph. Raphelengio* 1600. & Pariſ. 1601. ſed in prima editione paucae quaedam animadverſiones *Vulcanii* in libros Philoſophicos habentur, quas omiſerunt ſequentes. immo Pariſienſis Typographus dedicationem *Theodoro Cantero* Ultraj. Conſuli inſcriptam rejecit.
2 Hanc videbimus infra in Epiſtola ad *Fr. Nanſium.*
3 Hic *Joannes Hotomannus Villierius* fuit *Franciſci Hotomanni*, JCti celeberrimi, filius, & Libel-

obnixe, ut tuto tranſmittas *Petro Regemortero* faſciculum hunc literarum inſcriptum Domino ipſius. Iterum Vale. Londini Trenobantum. Prid. Kal. Febr. ∞ IↃ LXXXVIII.

bellorum ſupplicum magiſter apud Leiceſtrium. vide *Borr.* lib. XXI. pag. 76. & *Reidanum* lib. VI. p. 155. Edit. Belgic. quem abiens Leiceſtrius reliquit in Belgio, ſimul cum *Junio*, exploratores, qui quid ageretur in Belgio literis miſſis nuntiarent. ſed cum imperitus eſſet linguae Belgicae *Hotomannus*, vulgi ſermones, & rumores vagos nuntians, & omnia acerbans, Anglorum animos a Belgis alienabat. Epiſtolae ejus, & aliorum ad eum, editae ſunt ſimul cum Patris Amſtel. 1700. unde videmus in Angliam miſſum, & in *Pauleti* familiam receptum, Fratres *Pauletos* rexiſſe, & Oxoniae cum illis in ſtudia incubuiſſe, & poſtea Londini cum illis vixiſſe. *Leiceſtrio* a *Pauleto* commendatus tranſiit in Belgium, & ſcribit Epiſt. XLV. ad Lipſium, ſe a Leiceſtrio relictum agentem *in rebus ejus, cum aliqua dignitate, quam Lipſii maxime conſilio tuebitur.* & Epiſt. 97. taedium ejus provinciae ſe habere profitetur; & ipſe fatetur, ſibi deeſſe rerum Belgicarum uſum & intelligentiam. hinc video eum patre mortuo Baſileae aliquamdiu ſubſtitiſſe, poſtea Lutetiae res Ducis Bullionii egiſſe. retulerat in commentarios domeſticos biennii Leiceſtriani res geſtas, quos ab eo *Grotius* petiit & obtinuit, ad Hiſtoriam ſuam inſtruendam. vid. Epiſtol. *Joannis Hotomanni* 138. (quae inter Grotianas eſt 47.) & pro iis gratias agit *Grotius* Epiſt. 141. quae deeſt Grotianis. ſi ſchedas illas excutere liceret, multa forte inde obſcura illuſtrarentur.

EPISTOLA CCCXLIV.

ADRIANUS A SARAVIA

J. Lipſio, Academiae Rectori Magnifico.

Leidam.

DE tua in me & in meos voluntate ac ſtudio, D. Lipſi, maximas tibi habeo gratias, pares me relaturum polliceri non audeo, referam quas potero, ſi unquam ſe occaſio obtulerit. Sed meam innocentiam in dubium vocari vehementer doleo, propter vitae meae conditionem, que non tantum a ſcelere, ſed ab omni ſuſpicione ſceleris integra eſſe debet. Hoc tamen me conſolatur, quod ſum extra culpam, ut pote qui ſemper callida, & turbulenta conſilia ſum averſatus. Cujus rei Deum, meam conſcientiam hominesque teſtes citare poſſum. Quotquot me norunt, & familiariter mecum de rebus noſtri temporis locuti ſunt, ſciunt quae ſit mea ſententia, & quis animus. Quod Leidenſe negotium attinet (cujuſmodi ſit in medium relinquo, ut judicent quorum intereſt). Tuam M. ſcire cupio, quicquid ad me quocunque modo pervenit, me ſignificaſſe S. Ex. cujus in primis intererat, & ſimul quid ſentirem. Meminiſſe potes, quid reverſus Ultrajecto tibi dixerim, & quam S. Ex. non probaret conſilia, quae turbas aut ſeditionem in civitate excitare poſſunt. ſi qui fuerunt conatus civium, eos a ſua Excellentia repreſſos fuiſſe arbitror. Nam quod me attinet, conſiliis civium aut aliorum non interfui, nec conſcius literarum, quas ſcripſerunt, nec quae civis miſſi cum ſua Ex. ſunt locuti. Haec Magn. tuam ſcire volui, quo de mea ſit certior innocentia. Si *D. Buſium* fueris adlocutus, ſalutem ei meis verbis dicito & S. Ex. deſiderare, ut ad eum veniat, gratum ipſius adventum futurum; ſicut ex literis ad eum

 da-

datis poterit cognoſcere: ego eas ipſe attuliſſem, niſi haec interveniſſet calamitas. Vale, & me, quod facis, ama. pridie Calend. Novembris 1587.

Haec epiſtola ſpectat illam conjurationem Incolarum quorumdam Leidenſium, de opprimenda urbe & Leiceſtrio tradenda, de qua vide ſupr. ad Epiſt. XLII. *Saraviam* conſcium fuiſſe ſatis patuit judicibus; ſed evaſit dignum meritis ſupplicium, a filio monitus, & ſubito Hagam refugiens, & inde clam in Angliam transgreſſus: ubi mercedem ſceleris accepit Canonicatum, dum alii conjurati capite luerent facinus. vide omnes patriarum rerum ſcriptores ad hunc annum, & in primis diligentiſſimum & verum Hiſtoricum *Borrium* lib. XXIII. pag. 64. ubi inter alia profert ſententias latas in captos ex conjuratis, unde ſibi liquido conſtitiſſe ajunt *Magiſtratus Leidenſes*, & *Mauritius* Princeps, inter alios *Adolfum Metkerkium* & *Adrianum Saraviam* coetui interfuiſſe in domo *Coſmi de Peſcarengis* IV. Octob. hujus anni, ideoque adfirmat Princeps ſe eos Amneſtiae, quae poſt ſupplicia noxiorum fuit promulgata, exſortes eſſe velle: & tamen ſanctus hic Theologus, *Deum, homines & conſcientiam teſtes* in hac epiſtola invocat, ſe conſiliis conjuratorum non interfuiſſe, nec conſcium literarum ad Leiceſtrium. praeterea *Saravia* Leiceſtrium diſſuaſiſſe & repreſſiſſe tumultus dicit, cum Magiſtratibus confeſſi fuerint damnati, mandato Leiceſtrii hoc ſe ſuſcepiſſe: ſed noluerunt Leidenſes judices hoc ſententiis inſeri, ut parcerent Leiceſtrii famae; & ipſi exſules deinde profeſſi fuerunt in Apologia ſua, quam Comiti dedicaverunt, ſe conſcio Leiceſtrio id aggreſſos. Poſtea & *Saravia* apud Eccleſiaſticos conventus ſe purgavit epiſtola, cujus exemplum *Borrius* conſequi non potuit, caventibus Theologis, ne ordini ſuo ab Hiſtorico tam ſincero nota inureretur. *Lipſium* (ſi non conſcium, certe callide ſe tegentem) pro noxiis deprecatum eſſe ſupra vidimus. Sed & ipſe Lipſius II. Centur. Miſc. 20. verbis admodum dubiis & incertis, ſe Saraviae collegae *junctum* fuiſſe *ſermonibus & conſiliis* dicit, & plura, quae huc trahi poſſent, addit. Vera ſolus Deus, & qui ſceleri interfuerunt, noverunt: ſed *Saraviam* & ſimiles turbones, a Deo non modo veniam, ſed praemia pro talibus meritis erga cauſſam Dei, ut vocant, deberi ſibi credere, & aliis perſuadere conari, multa docent triſtia patriae noſtrae monumenta, quae repetere nihil attinet. Saraviae vero quam cordi fuerit vera pietas, & tranquillitas vitae, quae Theologum maxime decet, ſine ulla ambitione aut avaritia, docent acta ejus: nam de interno ejus animo judicium Deo permittentes, videmus eum in religionis externo cultu ſcenae ſerviiſſe: dum enim in Belgio eſſet, cum rigidiſſimis faciebat, & voce & ſcriptis *Calvini* ſectam acriter propugnabat. In Anglia vero in *Calvinum* & *Bezam* debacchari ſolitus, ejus eccleſiae formam unice commendabat: ita ſolent ambitioſi illi rerumpub. & eccleſiarum perturbatores, quibus religio ad quidvis audendum ſpeciem praebet. vide Epiſtolam Saraviae ad Uytenbogardum inter Eccleſiaſticas CLXXXI.

EPISTOLA CCCXLV.

ADRIANUS SARAVIA

D. *J. Lipſio, Magnifico Rectori Academiae Leidenſis*, S. D.

Leidam.

TAmetſi, humaniſſime Lipſi, nihil mihi jucundius eſſet, quam ad te literas dare, & viciſſim a te accipere, me a ſcribendo deterret ea, quae tibi intercedit cum [1] hominibus mihi infeſtiſſimis, conſuetudo: qui illi ſint a te intelligi, quam a me nominari malo. De injuria, quae mihi facta eſt, nihil ſcribam. Innocentia mea eos latet, qui excaecati odio ita eſſe rem volunt, ut ipſi cupiunt. ſed ego me comprimam, hoc tantum T. D. ſignificatum vo-

lo,

1 Intellit *Janum Douzam*, *Janum Hautenum*, Conſulem *Petrum Adriani Werſium*, & alios judices conjuratorum. ex hac epiſtola colligere licet, *Saraviam* etiam *Lipſium* inter ſuos habuiſſe ſemper; licet ille diſſimulandi artifex Magiſtratibus os ſublineret. reſpondet ad hanc Lipſius II. Cent. Miſc. 20.

lo, odium malorum mihi hîc conciliaſſe amorem bonorum, quibus, ſi huc te venire contigerit, tuus adventus futurus eſt gratiſſimus. ſcripta tua legunt, admirantur. ingenium coram videre & alloqui ſi dederis, beabis: tuam ſortem deplorant, te inter eos vivere, quos tua familiaritate judicant indigniſſimos, a quibus non aliam mercedem te reportaturum arbitrantur, quam ego accepi. De D. D. *Donello* nihil dico, in illum fuere ingrati, ſed in me, impii. ut meliorem mentem ipſis det Deus, precor. nihil gravius in eos commiſi, ne faciam, in ipſorum adhuc eſt poteſtate. Ad te redeo, tibique gratias immortales habeo, habeboque dum vivam, pro ſingulari tua in me meoſque pietate. me amare perge, & ego te redamare non deſinam. Vale. Londino 7. Calend. Februarii 1588. ſtilo veteri.

Plurimam ſalutem dici meo nomine opto collegis omnibus, & bono ſeni D. *Nanſio*.

EPISTOLA CCCXLVI.

ISAACUS CASAUBONUS

J. Lipſio, viro clariſſimo ac praeſtantiſſimo S. D.

Leidam.

NOminis tui ſplendor is eſt, vir clariſſime, eaque fama, ut a quo tempore primum coepi guſtum aliquem literarum habere, tu mihi dies noctesque ante oculos, doctiſſima autem ſcripta tua prae manibus perpetuo fuerint. Nam & ingens illa gloria, quam videbam te eſſe conſecutum, ita me jam tum excitabat; ut vere poſſim affirmare, ſaepius tuam famam, quam non armis, nec corporis robore, ſed ſtudio, ingeniique viribus, & rara quadam ac plane divina ἀγχινοίας περιουσίᾳ tibi peperiſti, ſomnum mihi eripuiſſe, quam Themiſtocli olim Miltiadis trophaea. Et ſcripta tua ejuſmodi profecto ſunt, ut de iis merito dici queat, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ, imo μυριάκις lecta, novam tamen voluptatem ſemper afferunt, cum ſumma utilitate conjunctam. Quare ſic velim tibi perſuadeas, eum eſſe me, qui tibi quam plurimum debeam: non eo tantum nomine, quod in doctiſſimorum tuorum librorum lectione multum profecerim: ſed etiam, quia tu cum pauciſſimis aliis, quaſi ἔναυμα fuiſti mihi; & incentivum, quo ego ad harum literarum ſtudia acriter perſequenda ſum incenſus. Ac fuit quidem perſaepe animus, quando iter ad te (rem ſaepiſſime optatam) fortuna mihi denegabat ſuſcipere, tentare, ecquid literis meis pateret ad te aditus. Verum factum eſt neſcio quomodo, ut partim pudor quidam ſubruſticus, qui in me eſt; partim verus tenuitatis meae ſenſus ſemper hactenus me impedierint. Non enim audebam graviſſimum virum & eloquentiſſimum, ipſe infantiſſimus & plane novus homo interpellare. Itaque ſicut olim homines religioſi, ſi fanum praeterirent, manum labris admovebant adorandi gratia: ita ego te quum procul ſuſpicerem, nec literas ad te meas mit-

Has & ſequentes epiſtolas non reperi inter editas Caſauboni.

mittere auderem, continui me, ut ait ille ἀδεξήλως, ἀφώνως, ἀλόγως: quum interea nihil magis in votis haberem, quam ut daretur mihi occaſio teſtificandi amoris erga te mei ſummi, ſummaeque obſervantiae. Quare quum nuper Clariſſ. V. [1] D. *Gothofredus* literas tuas ſibi a *Brederodo* noſtro redditas, oſtendiſſet, ſuſtuli manus illico, laetatuſque ſum vehementiſſime, poſſe me ad te ſine ulla temeritatis ſuſpicione ſcribere: qui id non ſponte tantum mea, ſed etiam invitatu tuo quodammodo eſſem facturus. Enimvero, Lipſi clariſſime, quid cauſae eſſe dicam, cur tu, quem totus orbis admiratur, me novum, ut dixi, hominem & tantum Φιλομαθῆ, non amare tantum ultro, ſed ſingulari etiam teſtimonio ornare dignatus ſis? quid faceres, ſi ea eſſent in me, quae omnes etiam doctiſſimi noſtri ſeculi in te eſſe agnoſcunt & profitentur? ingenium ad omnia praeclara natum, ſummam rerum omnium cognitionem, ſolertiam & ſagacitatem prorſus admirabilem, cum pari δυνάμει κριτικῇ conjunctam: quae omnia in te perfecta, in me vel nulla ſunt, vel inchoata tantum, vix ut appareant. Quando tamen tu me amicitia tua dignum judicaſti: dabo operam, ut quod virtuti & doctrinae tribuere voluiſti, id Φιλομαθεστάτῳ ſaltem homini, & virtutis amantiſſimo tribuiſſe videaris. faciamque, ut ſpero, ne te unquam propenſi hujus tui erga me animi poenitere poſſit: teque ſemper, dum ſpiritus hos reget artus, amabo, colam atque unice obſervabo. Vale, vir ornatiſſime. Genevae III. Id. Feb. CIↃ IↃLXXXIIX.

[1] Vid. II. Centur. Miſc. 33.

EPISTOLA CCCXLVII.

IS. CASAUBONUS

J. Lipſio viro maximo S. D.

Leidam.

QUum mirifice ſemper amicitiam tuam, Lipſi clariſſime, ambiiſſem, nec viam tamen adeundi ad te prius reperiſſem: laetatus ſum, ante menſes opinor quindecim, vehementer, quod ex literis ad *Dionyſ. Gothofredum* meum tuis ſatis juſtam ſcribendi ad te cauſam nactus mihi viderer. Itaque nihil ab illo tempore habui antiquius, quam ut literas ad te quam primum darem: quibus & gratias tibi ob propenſum iſtum erga me animum, quem abunde illa tua epiſtola teſtatus eras, agerem: & rogarem te etiam atque etiam, ut quem ultro diligere videbaris coepiſſe, cum magis magiſque amare velles: qua re nulla mihi aut gratior aut optatior queat contingere. Eae literae, ſi ad te ſunt perlatae, vereor valde, ne ſpe amicitiae tuae exciderim. Jam enim annus praeteriit, & quod excurrit, cum interea literarum a te nihil. Verum periiſſe eas in itinere, ut opto vehementer, ita mihi facile perſuadeo. Viſum ergo κατὰ δεύτερον πλοῦν, quod ajunt, has ad te exarare: quae ſi, ut ſpero, in tuas manus pervenerint, erunt tibi ſummae meae erga te obſervantiae teſtes. Ego enim, Lipſi clariſſime, cum omnes doctrina inſignes & tui ſimi-

les

les viros (ſi qui tamen tibi ſimiles) unus omnium maxime admirari ac paene dixerim Semonum loco habere ſoleam: tum te in primis (& merito id quidem) tuaque doctiſſima ſcripta tanti ſemper feci, ut nihil ſupra. Quod ſi tu me tua amicitia haud indignum judicaveris: dabo ſedulo operam, ut ſumma fide atque obſervantia coli te a me intelligas: praeſtabo etiam σὺν θεῷ καὶ μνήσεις, ut amicitiae noſtrae etiam apud poſteros extent monumenta. quippe ſi hoc meo voto me damnaveris, ita me Muſae ament, ut ego mihi videbor ſublimi ferire ſidera vertice. Vale, vir maxime. Genevae. [1] XIII. Kal. Jan. CIↃ IↃ LXXXVIII.

1 Id eſt 20. Decemb. 1588. ſed nec ita annus inter priorem Epiſtolam Id. Februariis datam & hanc interceſſiſſe poteſt. Reſpondet ad has duas Lipſius II. Centur. Miſc. 84.

EPISTOLA CCCXLVIII.

IS. CASAUBONUS

J. Lipſio, Viro Clariſſimo & omni laude cumulatiſſimo S. D.

Leidam.

Accepi tandem, quas ad me proximis nundinis dederas, Lipſi clariſſime, literas: quae ut exoptatae diu fuerant, ita ubi venerunt, dici nequit, quam gratae & jucundae fuerint. Quod enim hactenus ſemper expetieram, ut doctorum & praeſtantium virorum, inprimis Lipſii, qui mihi unus vere πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, amicitia uti liceret; id video eſſe me, ad te quod attinet, aliunde conſecutus. Ego vero, Lipſi Cl., ſic velim tibi perſuadeas, non id tantum me operam daturum, ut in amore tibi reſpondeam, & ἴσῳ ζυγῷ, ut ille ait, te redamem: ſed ut quanti ego te faciam, & inſignes illas animi tui dotes, quae te adeo, ut cum poeta dicam, ἀρίζηλον ἔθηκαν, poſteri etiam intelligant. Atque utinam diem illum aliquando videam, quo conſpectu tui praeſentis & conſuetudine frui licebit: quod quidem ita avide pridem exopto, ut ſaepe cum pluſculum otii nactus eſſem, vel unius tui nomine Belgium veſtrum viſere in mentem mihi venerit. atque id pridem eſt, cum factum fuiſſet, niſi huic meae voluntati alicunde ſemper neſcio quae remorae eſſent objectae. Nuper vero cum ſub tempus nundinarum Francfordienſium obſcurus quidam rumor de tuo Francfortum adventu aures meas percuſiſſet, illico rebus omiſſis itineri me accinxi, ut ſimul & nobiliſſimum totius Europae emporium, & haud minori fama & nobilitate virum viderem. Quod quando ſecus accidit, literis ſaltem meis te ante diſceſſum hinc meum ſalutandum duxi: rogandumque etiam atque etiam, ut tuis ipſe quoque literis nos velis ἀντιπροσαγορεύειν. Vale, vir praeſtantiſſime, & me ama. Francofurdi in taberna Franciſci Probi, raptim, cum eſſem jam petaſatus, ut Heidelbergam proficiſcerer. XII. Kal. Majas veteri Stylo, CIↃ IↃ XC.

EPI-

EPISTOLA CCCXLIX.

J. LIPSIUS

Iſaaco Caſaubono S. D.

Francofurtum.

ERgone tu Francofurti? o quis me Deus quoque illic? jamdiu geſtio: ſed utique accendor, cum te & tales cogito, cum quibus ſermones & dextras miſcere bibere ſit mihi nectar. Mi Caſaubone, non laudemus, inter nos, ſed ſerio amemus, certi de conſenſu quodam & conſpiratione non ſtudiorum tantum, ſed naturae. Ariſtotelem tuum vidi: & utar. ſed vergente jam aevo parum grata mihi deinceps minuties iſta literarum. At quam opus ipſum probum, probius, ſi totus in eo fuiſſes. Nam curſim te hoc egiſſe, non ego video? recipe ſpiritum, & aliquando itera. Haec ſunt illa ſtudia, quae ab ineunte aetate amamus, & ducem in iis hunc virum. Valde probo, quae in retorridum illum ſpargis & infelicem [1] *Ramum.* Ubi Philoſophia vetus & vera, ſi locum haec novitia invenit? & apud multos jam invenit, ſed Dei porro arcete hanc peſtem. Apud me, & ſi quis me audit, nunquam ei locus. Ego nunc ad haec talia me dabam, & φυσιολογεῖν ſerio incipiebam. At noſtri illi heroes quid agunt, *Cujacius*, *Scaliger?* quid *Chriſtianus* etiam *Florens?* quem poſtremum valde tibi video amicum εἴπου ἔτι ζώει, καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο? nam in urbe capta, imo bis capta, vereor haud temere, ne capiti ejus aliquod diſcrimen: ſi quid ſcis, ſcribe. Illud etiam, quid de Politicis noſtris tu, & Critici veſtri? μηδέ τι μ' αἰδόμενος μειλίσσεο. Credo me brevi daturum Hiſtoricas aliquas obſervationes. ſive quis alius titulus erit, ſed res tamen iſta. Tu vale, & dum virent genua, ut ille loquitur, ſedulo in hoc Famae Stadio curre. Lugd. Bat. XI. Kal. Sept. MIↃXC.

[1] Vide & Cent. I. Miſcel. 89.

EPISTOLA CCCL.

IS. CASAUBONUS

J. Lipſio, Clariſſimo & omni laude digniſſimo Viro S. D.

Leidam.

CUm eſſem nuper Francofordiae, literas ad te raptim exaravi, quas credo tibi fuiſſe redditas. quoniam autem nihil mihi queat jucundius accidere, quam ſi tuis literis nos aliquando beares, volui etiam nunc paucis te affari: perſuaſum enim habeo, qua tu manſuetudine es, meas literas tibi non ingratas fore. Etſi autem non ita τετυφώμεθα, ut Lipſium curare putemus, quid cogitemus, aut in quibus ſtudiis nos ſimus: quia tamen inanes ſcribere literas, ad te praeſertim, parum mihi videtur eſſe κατ' αἶσαν, non dubitabo de

qui-

quibuſdam Plauti locis te conſulere, vel οὐδὲ πάρεργον, ut ſi nihil aliud, hoc ſaltem tibi aliquando ſcribendi ad me argumentum praebeat. Cum igitur cepiſſem nuper ex variis ſcidis meis quaſdam colligere, & in unum quaſi corpus redigere, quod proximis, ſi Deus daret, nundinis ederetur, tanquam δεῖγμα quoddam Obſervationum noſtrarum, quas habemus quamplurimas, reperimus etiam in Plautum quaedam, quae non indigna fortaſſe luce viderentur: praeſertim cum vir doctiſſimus, tibique amiciſſimus, cui ſecundum te Plautus plurimum debet, pleraque horum, haud, ut videtur, animadvertiſſet. Horum ſpecimen quoddam hoc erit: cujus ſi pars aliqua tibi probabitur, nae ego aliorum judicia non admodum requiram. Bacchidibus Act. v. ii. 10. locum illum depravatiſſimum, qui Lambinum & Turnebum ipſum adeo habuit exercitos,

— — Vetulae ſunt thymianae.

ſic emendabam, *Vetulae ſunt & minae*: vel *Vetulae ſunt, luſcae minae.* De ovibus enim, aut potius de ſenibus tanquam de ovibus loquuntur improbae meretriculae illae: meminiſti autem, Vir maxime, quid ſint *minae* & *luſcae oves*, apud rei ruſticae ſcriptores: ad vocem quidem *luſcae* videtur alludere cum mox addit. *Viden' limulis obſecro ut intuentur.* Moſtellaria locum illum initio Act. iii Scenae 2.

Nec quando eſca una bene meruerit magis.

hunc locum aliter habet editio Aldi: quam ſi ſequimur, aliter fuerit emendandum. haud dubito ita legendum vel metri cauſa, *bene me juverit magis.* ſic loquitur alibi: Capteiveis, *Neque unquam quicquam me juvat quod edo domi.* quod Ariſtophanes in Lyſiſtrata, ſi memini ſatis, dixit οὐδεμίαν τοῖς σιτίοις οἶδα χάριν ἐσθίων. Pſeudolo, Act. i. ſc. 5. 89.

Quid nunc agetis? nam hinc quidem a me non poteſt.

Lego:

— — — nam hinc quidem jam non poteſt.

annon enim tibi quoque τὰ *a me*, gloſſa videntur eſſe τοῦ *hinc?* Truculento Act. iv. ſc. ii. 57. ſic habent omnes quos vidi codd.

Sed quid hoc eſt? prô dî immortales, Callidem video ſenem,
Alteram tonſtricem hujus, alteram ancillam ſuam, meus
Qui affinis fuit, ancillas duas conſtrictas ducere.

ego vero Jovem lapidem jurare paratus ſum, ita ſcribendum, & reſtituendum:

Sed quid h. e.? p. di i. C. video ſenem, meus
Qui affinis fuit, ancillas duas conſtrictas ducere,
Alteram tonſtricem hujus, alteram ancillam ſuam.

Eadem Truculento, ſc. ſeq. vſ. 60.

Scio equidem, quae nolo: multa mihi audienda obnoxia.

ſcribo autem,

Scio equidem: quae nolo multa mihi audienda ob noxiam.

Item, Act. v. vſ. 10.

Puero opu'ſt cibum, opus eſt matri autem quae puerum lavit.

Lego & diſtingo,

Opus eſt matri; ei item quae puerum lavit.

duas enim nominat; & matrem, & eam ancillam, quae puerum lavit: cujus etiam alibi meminit. Trinummo Act. II. ſc. IV. 126. locum vulgo male diſtinctum ita diſtinguo:

Conſuadet homini: credo, etſi ſceleſtus eſt,
At mihi:

Lambini interpretatio non placet: qui etiam foede in hoc Mercatoris loco peccat, Act. V. IV. 24.

Itidem ut tempus, anni, aetatem aliam aliud factum convenit.

non enim vidit ſublata diſtinctione *tempus anni* ſcribendum, & hunc eſſe ſenſum, ſicut aliud anni tempus aliud factum poſtulat, ſic aliam aet. &c. *tempus anni* ὥρα ἔτους, apud Cicer. Plin. Varronem, & quem non? Rudente in prologo vſ. 69.

Increpui hibernum, & fluctus movi maritimos.

poterone tibi, vir maxime, ſomnium meum probare? mihi enim videbatur *maxumos* legendum, non *maritimos*. Moſtell. Act. IV. ſcen. III. 18.

Minas quadraginta accepiſti, quas ſciam,
A Philolachete?

putabam legendum, *quaeſo jam.* & illud *quas ſciam* ex ſequenti carmine fuiſſe depravatum. Jam cum ait idem Plautus Poenulo Act. III. I. 10.

Nam iſti quidem gradus ſuccretu'ſt cribro pollinario.

non poſſum doctiſſimo amico tuo aſſentiri novam interpretationem comminiſcenti: nam profecto *cribrum pollinarium* non aliud hîc ſignificat, quam γυρεσήριον κόσκινον, ut recte aureum illud Gloſſarium vetus explicat; neque video cur ſpiſſus & teſtudineus gradus non poſſit eleganter dici *ſuccretus cribro pollinario.* Sed ſatin' ego ſum ſanus, qui his nugis aures tuas onerem? Erit tamen fortaſſe aliquid, quod non improbes: habemus ſane quam plurima hoc genus, cum in Plauto, tum in aliis Latinis, & in his haud pauca in Tacitum tuum, qui tibi animam debet: quae ſi tibi non diſplicere intellexerimus, non dubitabimus publici juris illa facere cum aliis prope infinitis, quae in Graecis ſcriptoribus ſunt a nobis emendata & obſervata. Tu igitur, vir clariſſime, facies me, ut quid ſuper his ſentias (ſi grave non eſt) intelligam. Vale. Genevae ad x. Kal. Sept. CIↃ IↃXC.

EPISTOLA CCCLI.

IS. CASAUBONUS

J. Lipſio S.

Leidam.

NAe munus illud tuum, quod cum proximis literis tuis accepi, Lipſi clariſſime, varie me affecit: cum enim eſſet mihi & ſua ſponte gratiſſimum, &

& quod erat a tali manu, longe jucundiſſimum: idem tamen non mediocrem mihi curam & ſollicitudinem attulit. Nam quid ego tibi pro tali munere reponam? quod δῶρον ἀντάξιον; Mearumne affaniarum aliquid? vetat pudor: nam & me ipſe novi, & mea cujuſmodi ſint non me fugit. quae, quo minus ad te mitterem, pudor ſolum fuit, qui me hactenus impediret. Etſi enim non poſſe illa oculos tuos effugere intelligebam: multum tamen ad ruborem illum meum referre videbatur, ut tu vel caſu aliquo in noſtros libellos incideres: vel tua voluntate inductus, eos requireres: potius quam ut ego tibi eos videndos legendoſque obtruderem. qui profecto nunquam ea fui oris duritie, ut libenter ſpectante Roſcio geſtum agerem. Sed redeo ad munus tuum, pro quo ſi te ſcriptorum meorum aliquo remunerare inſtituam, fecero eadem opera te Glaucum, me Diomedem. dedero enim χάλκεα χρυσείων: nedum Heſiodeo praecepto paruero. Quieſcam igitur, & me hac cura ſemel liberem? non queo: video enim fieri id non poſſe, ut non ingrati animi maculam ſuſcipiam. quo in vitio vere pronuntiaſſe ſapientes videntur, omnia ineſſe vitia. Quid ergo faciam? Opinor illud, ut tua ſingulari humanitate fretus, non dubitem poſthac quamvis levidenſe, & craſſo filo aliquid è noſtra cuicuimodi officina tibi offerre. Tu in hoc exigendo nomine, ut ne ſtricto jure mecum, in quantum teneor, ſed ex aequo & bono, in quantum facere potero, experiaris. Enimvero, mi Lipſi, *Lipſius* ſit oportet, aut *Scaliger*, qui tecum parem calculum ponere velit. — ἀργαλέος γὰρ ὁ Λίψιος ἀντιφέρεσθαι. Sed de his nimium multa: praeſertim cum & tu ſoleas meas eſſe aliquid putare nugas: & ego in poſterum aut ſilere decreverim: aut ſi quid edidero, eniti ut id ſit non ſolum probum: ſed etiam (φθόνος δ' ἀπέστω καὶ νέμεσις) foetus vere γόνιμος, non ἀνεμιαῖος. ſint modo vires mihi, faveatque meis ſtudiis Deus Opt. Max.

— γλυκὺ δ' ἀνθρώ- πων τέλος, ἀρχά τε δαίμο- νος ὀρνύντος αὔξεται.

Quamquam, quid ego ſtultus tibi polliceor de me ſtudiiſve meis? quin illud potius ſcito langueſcere animum ingeniumque noſtrum, & jam propemodum unum illud probare λάθε βιώσας. Cur enim me excruciem, cur genium meum fraudem, ut ſim aliquis in literis? An non vides jacere ubique ſtudia ſapientiae, Graeca praeſertim? an ut aliquid laude ſcilicet dignum pangam, & de Graecis ſcriptoribus bene merear? At amabo te, nonne ea ſunt tempora, ea impendent, ut qui in Graecis, quibus praecipue hactenus mea opera dicata fuit, aliquid vulgavit paullulum ſupra vulgi captum, is nihil aliud conſecutus videri queat, quam ut credatur voluiſſe cum Aſpendioithariſta ſibi canere? Quare jam deſino, quod ante ſedulo faciebam, mihi ipſi canere,

Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Quod quaeris, Politica tua, ut hîc probentur: illa vero unice omnibus: quorumque eſt harum rerum exiſtimatio, & judicium. οὐ γὰρ παντὸς ἀνδρός, ut tute ſcis. neque omnes, qui docti, imo doctiſſimi audiunt, his ſacris ſunt initiati. Doctorum certe & intelligentium nemo eſt, qui non Phoenicem te (dicerem, vere phoenicem: & jure dicerem: ſed nolo in os) alterum fateatur. unde melius quam ab illo Homerico, diſcant juveneſque ſeneſque, ſi modo velint

lint ἔργων πρηκτῆρες eſſe, non ſolum λόγων ῥητῆρες. *Cujacius*, magnus ille τῆς Νομικῆς ὀφθαλμὸς, quod, puto, non neſcis, paucis ante menſibus, Biturigibus occubuit: occubuit, inquam, lumen illud unice unicum literarum: & cum eo vereor, ne in noſtra quoque Gallia humanitatis & legitimae Juriſprudentiae ſtudia. Nos quoque hîc ſuperioribus diebus ſummum proh dolor! & omni laudis genere cumulatiſſimum virum, *Antonium* [1] *Sadeelem* cum gemitu & lachrymis extulimus. De *Scaligero* nihil plane per aliquot jam annos magnus noſter ſenex, *Bezam* dico, intellexit. qua ex re & ego, & ille magnum dolorem capimus. putamus autem eſſe illum in aliquo caſtrorum nobilis illius, quîcum tot jam annos vivit. Tacere vero virum tantum tamdiu, in tanto (ſic enim audio) otio, οὐ δεινὰ καὶ δεινῶν πέρα. *Florentius Chriſtianus*, de quo etiam quaerere te memini, ubi ſit, aut omnino ſit in vivis necne, cum diligenter quaeſierim, inveſtigare nondum potui. Hiſtoriales tuas Obſervationes mirifice ſitimus hîc omnes, quotquot his epulis delectamur. quod hominum genus ſcis eſſe vehementer ὀξύπεινον. quare vide, ut brevi ſitim expleas, aut ne deſiderium nobis commoveres. Equidem non dubito fore aliquid tuis caeteris ſcriptis ſimile, & plane

— χρυσοῦ ἄξιον ἀντερύσασθαι.

Deus te, Lipſi, Deus Opt. Max. nobis diu ſervet incolumem: qui culmen es & columen decuſque unicum Muſarum. Vale & me ama. Genevae III. Nov. Mart. CIƆIƆXCI.

Clariſſimis viris, *Douzae* utrique, *Nanſioque*, plurimam à me, ſi grave non eſt, ſalutem. ſcripſiſſem ipſe, ſi otium fuiſſet. *Colvius* ſi Apulejum, ſuumne dicam an tuum? cogitet iterum edere, poterit, ſi volet, centum credo, locorum divinationes à me ſumere.

1 Ejus vita eſt apud Melch. Adam. in Theol. Exteris p. 159.

EPISTOLA CCCLII.

IS. CASAUBONUS

Cl. Viro J. Lipſio S. D.

MI Lipſi, mi Lipſi, tune igitur tam prope ad nos acceſſiſti, & ego tamen te non vidi? in ſuaviſſimos & exoptatiſſimos amplexus tuos non veni? O me quarta plane luna natum! Ecce enim jam bis conantem te amplecti, vana & falſa luſit, ut illum, apud poëtam, imago, ita me ſpes. Accidit enim mihi anno, quod tute ſcis, ut ſpe tui videndi maxime illectus, Francofurtum uſque venirem: quod cum aliter accidiſſet, ſpe tamen illa ſuſtentabar, ſi quando propius ad nos accederes, fore me voti mei compotem. Nunc ecce, veniſti tu: & ego tamen voti non ſum damnatus. quod quidem factum eſſet, ſi de tuo adventu maturius paullo certior eſſem factus. Ea enim videndi tui & conveniendi cupiditate flagro, ut ſtatim ubi à noſtris mercatoribus te

iſthic

iſthic viſum eſſe intellexi, conſilium de profectione ad te ceperim: neque propius quicquam eſt factum, quam ut itineri me accingerem. Tenuit autem me ſola itineris tui incertitudo: veritus enim ſum, ne hoc eſſet τὰ πετόμενα, quod ajunt, διώκειν: cum neque de loco, quo tenderes, neque de mora tua in iſtis locis, quam longa futura illa eſſet, quicquam a quoquam diſcere potuiſſem. Quod utinam, mi Lipſi, conſilium hoc tuum, per *Lectium* noſtrum, veniſſet tibi in mentem (non enim dicam, voluiſſe) mihi ſignificare. feciſſem, σὺν θεῷ εἰπεῖν, ita me Muſae omnes ament, ut huic querelae, locus nunc non eſſet.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.

Praeſertim cum, ut ait idem poëta, nulla ſit πρῆξις κρυεροῖο γόοιο. Literas meas, credo, Francofurti accepiſti, quas ego [1] *Polyandro* cuidam veſtrati, optimo adoleſcenti dederam. Me vero nullas a te accepiſſe mirarer, imo quererer, (eſt enim, ut ſcis, amor φιλαίτιος) niſi ſcirem, quam ſit difficile tibi, atque adeo ἀδύνατον, amicis tuis te ſubducere, qui tua praeſentia dum licet indeſinenter frui volunt. Hei mihi! cur non mihi quoque tanto bono vel ad unius horae uſuram frui licet? Nunc contra evenit; ut ex aliorum voluptate, novus mihi creetur dolor: nam & tuo conſpectu careo, & hoc amplius literis tuis. quam tamen jacturam, ſi me amas, proximo quoque tempore, ſarcies. Vale, mi Lipſi, & vive diu felix. Genevae 5. Id. Maj. CIƆIƆXCI.

1 Hunc puto fuiſſe *Johannem Polyandrum a Kerckhoven*, poſtea Leidenſi in Academia Profeſſorem Theologiae, niſi ſcrupulum moveret, quod Meurſius in ejus vita, inter Profeſſores Leidenſes pag. 142. dicat, eum An. 1588. Genevae fuiſſe, & ſequenti anno, in Hollandiam rediiſſe: ſed male calculum ſubduxit; nam ſi anno aetatis XX. Genevam venit, certe A. 1588. (nam 1568. natus eſt) ibi fuit; ſed non abiiſſe, niſi triennio poſt, apparet ex carmine *Antonii Fagi*, quo IV Kal. Mart. 1591. ipſi iter fauſtum precatur, & ita recte *Caſaubonus* potuit hoc anno ipſi literas ad *Lipſium* dare. Debuiſſet ipſi locum dediſſe inter Theologos nobiles *Rollius*, qui eos nuper recenſuit. nam familia antiqua & nobili erat ortus; ſed turbis Flandricis ejus parentes ſolum verterunt, & variis erroribus circumducti fuere. excitavit generis ſplendorem Joannis filius, etiam *Joannes*, Toparcha de Hemvliet, & venationum in Hollandia ſummus magiſter, cui mortuo egregium hîc Leidae, in majori templo, eſt poſitum monumentum.

EPISTOLA CCCLIII.

IS. CASAUBONUS

Clariſſimo Viro J. Lipſio S. D.

Lovanium.

VErſanti mihi ſuperioribus diebus in aula Chriſtianiſſimi regis, narrarunt ampliſſimi viri *Belieuraeus* & *Silerius*, quos tu ſecum de nobis ſermones habuiſſes, Lipſi clariſſime: benevolentiae nimirum erga nos pleniſſimos: cum ea de nobis & ſtudiis noſtris praedicares, quae tribui a te amori noſtro potius, quam veritati facile agnoſcimus. Facis, vir graviſſime, quod omnes quidem τοὺς καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς, ſed te in primis decet, qui conſtantiae praecepta aliis dediſti: conſtas inquam tibi, & a judicio tuo non diſcedis. Et mirum ſane eſſet, ſi quem juvenem benevolentia tua ultro dignum judicaſti, in hac matu-

riore aetate deſereres, aut aſpernareris. Spero equidem, ſi quid olim in nobis fuit, quod te mihi conciliaret, non eſſe illud ab eo tempore factum ἐξίτηλον, ut modeſtiſſime dicam. Sedenim praecipua cauſſa, cur nos amares, in te fuit: qui noſtros in literis conatus juveniles non ſuo pondere examinabas, ſed eo quod benevolentia tua illis praeter meritum adjicebat. Ego vero te a puero inter principes Reip. literariae, & habui jure merito, & ut talem, praecipua ſemper veneratione colui. Ac licet ſilentium tuum aliquot jam annorum, moleſte admodum feram: nunquam tamen ita iniquus fui virtutis tuae aeſtimator, ut immutatum te propterea crederem. Temporum te rationem habere, & ex praecepto ſapientum, καιρῷ δουλεύειν judicavi. Mihi interea fides mea & diligentiae conſcientia ſolatio fuerunt. Nam & amavi te ſemper conſtantiſſime, & tuas elicere, aſſiduitate fortaſſe ἀκαίρῳ diu ſum conatus. Cum nihil proficerem, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ tandem obmutui. fecit idem & *Lectius* noſter, vir doctrina & prudentia juxta magnus. Nam & ille tentato ſaepius tecum per literas colloquio, cum praeter morem tuum ne tertiae quidem epiſtolae reſponderes, perſuaſus parum gratas tibi ſuas literas eſſe, invitus ſilentium ſibi indixit. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Nunc enim dubitare non poſſum, gratas tibi acceptaſque meas deinceps futuras: cum vir maximus & graviſſimus D. *Silerius* tuam de meo ſilentio querellam mihi retulerit, mihique ut haec ad te ſcriberem auctor fuerit. Non falles, ſpero, tanti viri opinionem: qui amari me a te vehementiſſime & ſibi & vulgo omnibus perſuaſit. Vale, clariſſime & eruditiſſime Lipſi. Scripſi Lutetiae raptim & extemplo, ſub meam ab Urbe profectionem, Volcas Arecomicos repetentis, qui me alterum jam annum habent. Nonis Octobr. ἀπὸ τῆς τοῦ λόγου ἐνσαρκώσεως A. CIↃIↃXCVIII.

Reſpondet huic Epiſtolae Lipſius Centur. ad Gallos & Germanos Ep. XLI.

EPISTOLA CCCLIV.

IS. CASAUBONUS

Viro Cl. J. Lipſio S. D.

Lovanium.

OPus muſteum Animadverſionum in Athenaeum noſtrarum, mitto, ecce, tibi, Juſte Lipſi, vir praeſtantiſſime. Expreſſit eam operam nobis ingens in Muſas amor, & juvandae Reip. literariae infinita quaedam noſtra cupiditas. Etſi non eramus neſcii, cum operi manus admoliremur, onus illud virium eſſe non iſtarum. Sed neglectam à maximis ingeniis provinciam animus fuit tentare: non ſane perficiendi ſpe, quam ut aliorum induſtriam provocaremus, quibus dedit ingeniorum parens ἴσον τὸ δύνασθαι τῷ βούλεσθαι. Nos vero in hoc egregio incepto, praeter animi alacritatem, omnia fere deſtituebant. Divinationis res erat: nos Davo propiores, quam Oedipo. Alta quadam & recondita eru-

eruditione opus erat: quae aut mediocris eſt in nobis, aut etiam intra mediocritatem conſiſtit. otium denique & animi tranquillitatem ſtudia haec poſtulant. Nos ab inſtituto opere caſibus variis, & quaſi procellis ἐπασσυτέραις jactati, vix unquam quievimus. Sed longiore apologia nihil opus, utique apud te, Cl. Lipſi: quem favere conatibus noſtris perſuaſi ſumus. Accipe igitur πρόφρονι θυμῷ munuſculum noſtrum, & quia voluntate Dei propius nunc abſumus, de tuis rebus fac nos certiores. Vale, vir eruditiſſime: & nos ama. Lutetiae Pariſ. a. d. x. Kal. Octob. CIↃIↃC.

Reſpondet Lipſius Epiſt. LXIX. Centuriae ad Gall. & Germ.

EPISTOLA CCCLV.

IS. CASAUBONUS

J. Lipſio V. C. S. D.

Lovanium.

CAptanti mihi qua otii, qua tabellarii opportunitatem, ut priori epiſtolae tuae, vir praeſtantiſſime, reſponderem, poſterior reddita eſt, III. Nonas a te data. Quae etſi multis nominibus gratiſſima mihi atque jucundiſſima accidit: pupugit me tamen illud, quod tua iſta diligentia ceſſationem meam increpare, & neglecti officii me poſtulare, atque adeo reum peragere videbatur. Sed bene habet, quod ἀμβολιεργίαν noſtram humanitas tua non aliter quam par eſt interpretatur. Poſthac ne officium in ſcribendo meum poſſis deſiderare, cautio erit. Animadverſiones noſtras in Athenaeum exactiſſimo judicio tuo probari, equidem pro eo ac debui, vehementiſſime ſum gaviſus. Non iverim inficias πάντα κινῆσαί με λίθον τὸ γοῦν καθ᾽ δύναμιν, quo ſcriptori eruditiſſimo lucem afferremus. Verum id inceptum ita difficile experimento cognovimus, ita virium non iſtarum, ut ſaepe oneri poenituerit ſubiiſſe, cui eſſent humeri impares. Tua, Lipſi doctiſſime, tua, aut τρισμεγίστου *Scaligeri* erat haec provincia: non ejus, quem neceſſaria ferme omnia praeſidia deficiebant. Quod igitur & tu, & divinus ille vir rudes conatus noſtros favore & laude proſequimini: ita vivam, ut candori id ego veſtro amborum, non lucubratiunculis meis acceptum fero. Merito igitur ego vos praecipua ſemper veneratione colui: non magis propter ſummam, quae eſt in vobis, literarum cognitionem: quam ob ſingularem animi χρηστότητα, & ἀπείρητον φθόνου ἦθος. Ad Polybii vero editionem quod me hortaris: σπεύδοντα tu quidem, & de tanto ſcriptore bene mereri geſtientem. Verum mihi hoc ſtadium pridem ingreſſo, aliae ſemper ex aliis remorae ſunt objectae, ut plurimum moleſtiſſimae. Quam ſtudiorum meorum infelicitatem cum animo reputarem apud me, &, qui meus eſt in literas amor, σιγῇ ἐπ᾽ ἐμοῦ deflerem, in ea erupi verba, quae tu me jubes revocare. Mihi vero, Lipſi eruditiſſime, ἐν δοίῃ θυμός, vigilias meas omnes ἢ σώζειν ἢ ἀπολλύειν. Moveor rationibus illis, quibus te quoque refrigeratum eſſe priore epiſtola nuntiabas. Enimvero cui ita ſit cor-

nea

nea fibra, ut eum ἀυχμὸς hic purioris literaturae non tangat? qui quidem ejuſmodi apud nos eſt, ut liceat nobis, opinor, nec vane, cum antiquo ſapiente vaticinari: κινδυνεύει ἐκ τῶ δὲ τῶ τόπων παρ' ἄλλοις οἰχέσθαι ἡ ἀληθινὴ παιδεία. Inde ergo & nobis incredibilis quaedam tacendi libido. Sed non multum fortaſſe intereſt, ſileam ego nec ne. Tu, Lipſi, δυνάσαι γὰρ, virum te praeſta, & exemplo tuo, ductu atque auſpiciis adoleſcentium, quorum adhuc ἀκεςαὶ φρένες, ſtudia firma, dirige, rege. De Seneca, beaſti me eo nuncio, atque utinam brevi facias nos ejus voti compotes. Scito autem tanta me videndi illius tui operis cupiditate flagrare, ut nihil ſupra. Deus Opt. Max. vir amiciſſime, diu te reip. literariae ſalvum atque incolumem praeſtet. Vale. Lutetiae Pariſiorum, VIII. Kal. Jan. CIↃIↃC.

Reſponſio eſt ad Epiſt. LXIX. & LXXIV. Centuriae ad Gallos & Germ.

[1] EPISTOLA CCCLVI.

J. LIPSIUS

Iſaaco Caſaubono S. D.

Lutetiam.

EGo vero illas tuas amicas, & aurum contra caras accepi, & animo lubentiſſimo legi ac relegi. Sed quid? tene imputare mihi haec judicia, quae dedi? noli: dedi ex *animi mei ſententia*, & teſtimonii religione ac fide. Alia in me ama, & hoc, quod ἔξοχα te amo. Sed tu etiam illa veri an [2] pſeudo-Itali legiſti? fraudem ſuſpexiſti? Ea eſt, ſed & imperitia eſt, ut vides: atque ego operae cenſui ſcripto utramque producere: & feci, & ad te publicatum miſi. Jam acceperis: velim judicia tua ſcire & notas. alium non refugio: ſed hujus, quae ratio admittat? Caprimulgus aliquis aut foſſor magis dixerit κατὰ μοῖραν. Videbis & ſi alibi δηκτικώτερος tibi videar, non ab ingenio eſt, ſane mihi, ſed ab indignatiuncula, quod non dicam judicent, ſed incurrant in nos etiam tales. Ite ſcripta, ite litterae, ſi haec ſilentio meo & aliorum ferenda ſunt. Ego vero ejuſmodi διασύρμας ἀσελγεῖς ἅμα καὶ ἀμαθεῖς, puto cum omnium venia fortiter poſſe rejicere nos, & Demoſthenis verbo ἀποτυμπανίσαι. Diſſentis? dic libere καὶ ἀτρεκέως. Venio ad monitiunculam tuam, ſic malo, quam querelam appellaſſe. De Graecanicis ſtudiis parum ex decore aut uſu dixiſſe Tibi videor: audi me, dixiſſe, ſed non judicaſſe. Egone? amo, aeſtimo, & nunc ſtilo apud te, ore ſi poſſum apud omnes, qui ubique orbis ſunt, clamem, *non aeſtimare me aut habere doctrinam, cui Graecanica illa abeſt*. Dii deaeque, aliquis litteratus abjiciat illam literarum omnium & elegantiarum Graeciam fontem? Quid tamen eſt? ad quem ſcripſerim, & de quo, vi-

1 Reſponſio eſt ad Caſauboni Epiſt. CCXCI. & MXXIX. vid. & Epiſt. CCCVI & quae huic reſpondet CCCXVII.

2 *Lampugnani*, qui in Caſauboniana depravate legitur, *Lanapugnarius*. vid. ſupr. ad Epiſt. CCXLIII.

videndum erat: nec omnes faciunt, qui epiſtolas legunt. Pro iis ſcripſi, non communi aut meo judicio, quod teſtor aliter eſſe. Sed, mi Caſaubone, ne nimis mirare. nos Latinas litteras abiturientes vix lacinia tenemus; de Graecis quid tu ſperas? felicem Galliam, ſi ſic ſapitis: opto, faveo. hoc unice, ut me eximie tuum ames. Lovanii, VI. Kal. Sept. ∞.IↃCII.

In libello noſtro miſſo quaedam ſunt à Typographo menda, in Graecis duo aut tria, quae nollem. a mea etiam improvidentia de *Templo in porticu Octaviae*, quod negavi fuiſſe. Aliter nunc deprehendi è Plinio, & in ejus parte *Junonis aedem*. Tu ſiquid aliud, me libere & amice mone.

EPISTOLA CCCLVII.

J. LIPSIUS

Iſaaco Caſaubono S. D.

Lutetiam.

JUſta mihi cauſſa [1] ſilentium impoſuit, ſontica, & morbus, qui nec nunc manumiſit. Morbus, qui valde àtterit, plane γηςβόρος, nec ſcio an me ad originem mei mittet. Tamen affectus juſſit pauca ad te ſcribere, & aliquid reponere ultimis tuis, quas ſcito gratas mihi fuiſſe. tangebar in iis de [2] *Timone* veſtro, qui me etiam lapidat: quid mirer? abſentem, & animi mitem: an & vobis ſcilicet parcit? Ille vero omnibus ſtudet, qui eminent, μῶμον ἀνάψαι: & naturae, ut opinor, vitio peccat. Prometheo opus ſit, qui refingat. Ego haec & alia aequanimus patior, conſcius mihi aliquid in rem litterarum contuliſſe, ſupra quam iſtae caniculae vel voto tentent. Sed mittamus ἄνθρωπον ἀπάνθρωπον, & quem nec mater ſua amet: ad jucundiora veniamus. Adfuit mihi ante triduum, qui nunciaret novum tuum opus paene confectum, quod Caeſareos ſcriptores ſpectat. Gaudeo, videre aveo: mitte ſodes, ut cum legero, doctior abeam ex hac vita. Mea ad Senecam jacent, perire periclitantur, ſi pereo: imo perire decretum eſt inchoata, & quibus recenſionis meae lima non acceſſit. Et tamen ſcire potes aliqua non protrita nec obvia obſervitaſſe. Alius ſuccedet, & faciet: meo voto tu ille in utiliſſimo ſcruptore eſſes. Aetas, valetudo, ingenium, judicium adſunt: velle ſupereſt, & potes. Sed hoc tui judicii atque etiam fati eſt. Deus inſtigat, aut reprimit:

1 Vid. Caſaub. Epiſt. CCCXVII.

2 *Theod. Marcilius*, quem laudaverat *Lipſius* II. Miſcell. 29. ſed quem ſaepe *Caſaubonus* in epiſtolis acriter tangit. nam Epiſt. CLXXXIX. Paedagogorum Apollinem vocat. vid. & Epiſt. CCCLXX. & Scaligeri XC. ut & vitam Caſauboni pag. 40. nec mitius a *Salmaſio* exceptus fuit, qui in praefatione confutationis Animadverſionum *Ant. Cercoetii*, ſub nomine *Franciſci Franci*, de eo agit; Fuit vero *Marcilius* Arnhemienſis. vide *Valer. Andr.* Biblioth. Belgic. male eum Colonienſem facere *Bailletum* oſtendit *Menagius* tom. I. Antibal. cap. 35. Antverpienſem etiam perperam facit *Colvius* in Epiſtola ad Lipſium, quam edidit *Crenius* parte VII. Animadverſ. pag. 75. niſi error ſit ſcribae vel editoris, pro *Arnhemienſem*, quod videtur.

—— —— ὅστε διδῶσιν
Ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.

Vale, & me aut memoriam mei, ama. Idem a Thuano veteri meo peto. Lovanii, poſtrid. Kal. Maijas, ∞.IↃCIII.

[1] EPISTOLA CCCLVIII.

IS. CASAUBONUS

V. C. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

MAgno nuper affectus ſum gaudio, cum mihi Rex Chriſtianiſſimus narraret ſummopere cupere ſe Academiam Pariſienſem ſplendoris tui radiis illuſtrare. Inaudiveram ea de re aliquid & jam ante, nec ſemel aut iterum, ſed ſaepius: ego tamen gnarus, quanti vulgo ab aulicis fiant literae, adduci vix poteram, ut ſerio id velle aut agere principem Ἄρη πνέοντα crederem. Suſtulit ipſe dubitationem omnem; qui mecum de hac ſua ingenti (nam ita ajebat,) cupiditate ſic perdiu locutus eſt, ut ea cura nihil ei videretur eſſe antiquius. Poſſum liquido tibi jurare, confirmaſſe ipſum mihi, ſe quo voti hujus ſui compos fieret, ſumtibus nullis parſurum. Quid multa? cum ſic animatum viderem principem tantum, credebam vix aliquam in hoc negotio tantam difficultatem exoriri poſſe, quam non de facili ἀήττητος illius virtus ſuperaret. Laetari igitur nos mirandum in modum: qui etiam Majeſtati ipſius ſtatim recepimus, ſi Lipſii vox in ejus Academia audiretur, noſtram quoque operam acceſſuram, vel eo ſane nomine, ut tanto & tam conjuncto collega poſſemus gloriari. Grata fuit optimo Regi alacritas noſtra: qui mox ita nos dimiſit, ut bene juberet ſperare. Vellem, praeſtantiſſime vir, ita res tuliſſent tuae, ut quo minus hoc conſilium exitum haberet, per te non ſtetiſſet. Verum non tantum mihi ſumo, ut conſilium tibi auſim dare: non neſcius, ejus momenti rem in unius tui poteſtate ſitam non eſſe. Illud velim perſuaſum habeas, ſi me aliqua fatorum benignitas propius tibi admoviſſet, in amore tui & cultu nemini mortalium fuiſſe conceſſurum. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Quas nuper ad te ſcripſi an acceperis neſcio. reſpondi ad noviſſimas tuas, quae mihi ante aliquot menſes binae ſimul redditae ſunt, cum totidem nuperi tui Syntagmatis exemplaribus. Niſi impediſſent nos πολυποίκιλοι quaedam curae & moleſtiae, quae vix inſpicere libros me heic ſinunt, miſiſſem tibi levidenſe ἀντίδωρον commentationum mearum in Perſium: quem philoſophum ἔμμετρον vindicavimus ab imperitia interpretum. Olim lucubrata nobis hac opella: ſed non tanti faciebamus, ut ejus editionem damno graviorum ſtudiorum cenſeremus nobis eſſe cu-

[1] Reſponſio ad hanc edita Offenbachii n. XLVII. De hac vocatione in Franciam vide Lipſ v. Centur. Miſc. 17 & famam fuiſſe Lipſium accepiſſe conditionem, hoc anno 2. Februar. ſcribit *Vulcanius Th. Cantero* in epiſt. VII. Sylloges a Matthaeo editae. vid. & infr. Epiſt. CCCCXXXVIII. Immo jam A. 1594. Pariſios invitatum docet ſupra Epiſt. XLIX. *Bongarſii.*

curandam. Expugnarunt propoſitum noſtrum amici, quibus negare nihil poſſumus. Quare eum librum brevi expecta à nobis, cum propitio numine. Interea accipe Amphitheatri Doveonenſis olim accurate tibi depicti non invenuſtam, ſi quid judico, deſcriptionem. Auctor illius amicus meus, domo [2] Sileſius, genere nobiliſſimus, φιλομαθεία vero καὶ τῷ τ̃ καλῶν μαθημάτων ἔρωτι omni laude digniſſimus. Is ſingulas fere Europae provincias ἐπελθὼν, peregrinationis ſuae hunc retulit vel praecipuum fructum, quod multa cum in Hiſpania, tum alibi vetuſtatis monumenta antiquariis noſtris aut minus animadverſa, aut parum ex fide deſcripta, ipſe eruderavit, eruitque, ac ſingulari diligentia adnotavit. Scio cogitare ipſum iſthuc cis menſes duos aut tres ad ſummum: neque dubito communicaturum tecum aliquot inſcriptiones Hiſpanicas, quas non ſine fructu cum editione nupera contulimus. Feci autem lubenter, ut indicio meo nomen ejus tibi innoteſceret: quem ubi propius noris propter ingenii praeſtantiam & caeteras virtutes, fore tibi unice charum confido. Vale, & me, quod facis, ama. Lutetiae Pariſiorum a. d. VI. Kal. Feb. CIƆIƆCIV. anno τῦ Σωτῆρος.

2 *Abrahamus Bibranus*, cujus Epiſtolas infra exhibebimus.

[1] EPISTOLA CCCLIX.

IS. CASAUBONUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

ETſi non tanti mea facio, ut oculis tuis digna putem, clariſſime Lipſi, dolui tamen non fuiſſe tibi redditam eam epiſtolam, qua ad προτεθέντα ὑπό σῦ ἀπορήματα omnia reſponderam. Sciſſes defuiſſe fortaſſe gratificandi tibi facultatem; voluntatem certe non defuiſſe: quam nec defuturam unquam perſuaſiſſimum tibi eſſe cupio. Cogitabo iterum de illis locis, & per otium quid videatur ſcribam. Tua vero de Stoica Philoſophia quando videbimus? Non dubito quin magnus ſit futurus noſter profectus e tuis obſervationibus. an & Perſiana tractaſti τὰ ἀπὸ τ̃ ςοᾶς? videris hoc ſignificare. ſi ita eſt, gratulor mihi, quod labore ſim defunctus, quem nuper ſuſceperam. Et jam typographo noſtras nugas tradideramus: ſed fregit conſilium noſtrum valetudo uxoris periculoſiſſima & χρονιωτάτη. Itaque dilata in aliud tempus editio. Interea autem rogatu *Morelli* noſtri Diatribam in Dionem Chryſoſtomum edimus: opus αὐτοσχέδιον, nec magnae rei: in quo tamen multa emendantur loca politiſſimi illius ſcriptoris. *Thuani* τῦ πάνυ hiſtoria pauciſſimis exemplis edita fuit, non tam ut publicaretur, quam ut regi offerretur, voluntate illius caſura aut ſtatura. neque enim ambitione impulſus vir ſummus ad eam ſcriptionem acceſſit. Itaque velut periculi faciendi cauſſa, edi ſuis ſumptibus pauca exemplaria curavit. Nunc cum Rex magnus patrocinium ſuum illi prolixe detulit, praelo ite-

1 Reſponſio ad illam, quae Offenbachii edit. n. XLVII.

iterum ſubjecta eſt a typographis: quae editio ubi fuerit abſoluta, ſtatim ad te mittetur. quod ut tibi ſignificarem egit mecum *Thuanus*. Puto inaudiviſſe te aliquid de ſermonibus multorum ad primum libri illius conſpectum. Et dubitamus adhuc μισαληθείᾳ laborare hoc ſeculum, ſi unquam ullum aliud? atqui illorum querelae potiſſimum ſunt auditae, qui in religionis negotio idem cum ipſo ſentiunt. Indignum ſit relatu, quo proceſſerit quorundam furor: quanquam nemo ita fuit impudens, qui palam γογγύζειν auderet. Vidi nuper quae de eodem integeririmo viro ſcripſit tuus [2] *Delrius*: vidi & demiratus ſum: nam quae de *Scaligero*, de aliis viris piis, ſcelerate mentitur, minus viſa ſunt admiratione digna O ſi iſti εἰρήνης κήρυκες eo amore pacis eſſent & concordiae, quo tu es, vir clariſſime, quanto ageretur melius cum orbe Chriſtiano! Utinam hunc illis animum omnibus, hanc mentem duit ὁ τῆς ἀληθινῆς εἰρήνης πρυτάνις θεός. Spem tui adventus ſupereſſe nullam, etiam ex aliis didiceram, cum tuas accepi. Excidimus non tam ſpe, quam expectatione incredibilis cujuſdam voluptatis. Qui has tibi reddet honeſtiſſimo loco ortus juvenis, narrabit tibi, qua cupiditate bonis omnibus fueris expetitus. Is ſtudiorum cauſſa iſthuc proficiſcens, aditum ſibi ad te literis meis patefieri optavit. Quamobrem te oro, vir praeſtantiſſime, ex commendatione mea dignum benevolentia tua judices: quem poſtmodum, ubi propius innotuerit, etiam amore tuo non indignum es experturus. Vale: Lutetiae Pariſiorum a. d. XII. Kal. Apr. CIϽIϽCIV.

2. Vid. Epiſt. CCXLVI.

EPISTOLA CCCLX.

IS. CASAUBONUS

Viro Cl. J. Lipſio S. D.

Lovanium.

NObilem Sileſium, de quo paucos ante menſes ad te ſcripſi, Lipſi praeſtantiſſime, eccum tibi. Meretur ſingularis ejus virtus, atque in te affectus, ut in tuorum numerum ipſum adſcribas. Mihi vero rem feceris gratiſſimam, ſi commendationem noſtram aliquid apud te ponderis habere intelligere potuerit. Narrabit ille tibi, quam graviter ſim perculſus eo nuntio, quem de tua valetudine nuper accepi. Utinam, mi Lipſi, rebus, non ſolum verbis animum meum poſſem tibi probare. Scires, ex omnibus, qui ubique gentium propter exquiſitam eruditionem te colunt, neminem unum eſſe, quibus charior vivas, quam mihi: aut qui magis ἐξ ἄκρου μυελοῦ ψυχῆς te ſalvum eſſe ac florere quam diutiſſime cupiat. Stoica tua legi pridem, incredibili quadam cum voluptate, ut ſemper omnia tua. Non poterat dilucidius aut elegantius id argumentum tractari. nam quod nonnulla praetermiſeris interdum, quae ex Graecis auctoribus potuiſſe adjici videntur, judicio id factum interpretor:

non

non quod illa te fugerint: ſed quia ita viſum tibi melius, λεπτολογήματα hominum fortaſſe otio ſuo abutentium miſſa facere. Pergo igitur, amabo, ad tertiam partem, omnium meo judicio & pulcherrimam & utiliſſimam: Dionis quod pridem promiſi exemplar mittam, qua primum fieri poterit occaſione. ante octo ſolum dies Morellus noſter ſuis in illum Notis τὴν κορωνίδα ἐπέθηκεν. alioquin dudum habuiſſes. Libros tuos, quos miſiſſe ais, nullus accepi. ſed nolo te de ea re ſollicitum eſſe. Vale, & quam feliciſſimus diu vive. Lutetiae Pariſ. a. d. XIV. Kal. Sept. CIↃIↃCIV.

EPISTOLA CCCLXI.

IS. CASAUBONUS

J. Lipſio.

Lovanium.

SI neſcis quanti merita in Remp. literariam tua à noſtris magnatibus fiant, potes ex iis, quae ſcriptioni huic occaſionem praebuerunt, certo cognoſcere. nam cum *Thomas Morantius* auditor ante biennium tuus, magnae cujuſdam dignitatis candidatus eſſet, objiceréturque illi lex annaria: monitus eſt ab amicis, ampliſſimum virum, Praeſidem *Seguierum* facile legis illius gratiam ipſi facturum, ſi navatae tibi operae, atque in percipienda tua diſciplina aſſiduitatis diligentiae ac fidei teſtimonium abs te impetraret. Cum igitur in uno te ſitum videatur, quis futurus ſit petitionis hujus exitus, egit mecum optimi adoleſcentis parens optimus, ut te per amicitiam noſtram, & earum literarum ſacra, quarum in te notitia, in nobis amor viget, orarem, obſecraremque ſpei filii ſui favere velles, & gratia auctoritateque tua aditum illi ad honores patefaceres. Scimus te vanis rerum non moveri: eſt tamen heic, quod jure laeteris: tantum te in ea urbe, in quam pedem nunquam intuliſti, poſſe, ut etiam primarii cives ad ſtabiliendas fortunas ſuas ope tua habeant opus. quid futurum cenſes, ſi heic viveres? regnum, mihi crede, in hoc regno obtineres: & quidem lubente illo, imo cupiente, quem in ſublimi adeo ſitum faſtigio, & meminiſſe tui, & amantem eſſe non ignoras. Sed redeo ad *Morantium*: cujus cauſſam ſi probas & petitioni adnuis, ad praeſtantiſſimum *Seguierum* ſcribas oportebit: idque adeo ut facias vehementer te etiam atque etiam rogo. Vale. Lutetiae Pariſiorum, a. d. VI. Eid. Decembr. CIↃIↃCIV.

EPISTOLA CCCLXII.

IS. CASAUBONUS

J. Lipſio, viro praeſtantiſſimo S. D.

Lovanium.

PErſium, de quo ſcribere aliquando ad te memini, clariſſime vir, ecce tibi. miraberis, ſcio, tantulum auctorem tanta mole Commentariorum

potuiſſe onerari. nos quoque ſaepe mirati ſumus ἀδολεσχίαν noſtram in hac ſcriptione: à qua abſtinere fortaſſe ſatius fuerat, quam tot verba perdere. Ante multos annos cum publice illum poëtam magna frequentia exponeremus, ut illum etiam tironibus planum redderemus, nec verbis neque operae pepercimus. id cum ſpectaremus unum, incidimus imprudentes εἰς ἀπεραντολογίαν iſtam, cujus nos profecto piget. non pigebit, ſi ſtudioſae juventuti profuerit haec noſtra opera. cum illa res heic nobis eſt: doctos, ut olim Perſium Lucilius, noſtra legere noluimus. Quod igitur librum hunc ad te mittimus, non ea cauſſa eſt, quia optemus, ut bonas horas male colloces: ſed quia illud etiam atque etiam vehementer expetimus, ut amari te & coli à nobis τὸν γνήσιον τρόπον, perſuaſiſſimum ſit tibi. Vale. Lutetiae Pariſiorum a. d. VIII. Eid. Martias CIↃIↃCV.

EPISTOLA CCCLXIII.

J. LIPSIUS

Iſaaco Caſaubono.

Lutetiam.

NUper in morbo, an morte fui? & redii tibi, mi Caſaubone, ab ipſis Orci cancris. Paullo poſt ſcripſi, & miſi ad te Monita noſtra & Exempla Politica, per Germanum juvenem, qui ſchidam tuam tradiderat, *Ovenum Grutherum.* promiſit reddere, & gaudeo, ſi fecit. Nam hac miſſione etſi exigui muneris, nec apud auctorem ſuum magni, teſtari tamen animum volui tui peramantem. *Divam* non miſi nuper, quia in alio argumento, & (candide loquendum eſt) non ex tuo fortaſſe guſtu. Utinam eſſet! Sed id ſcriptum reſcripta mihi paravit, & forte vidiſti vel audiſti. Quid autem hoc eſt? quem laceſſii aut laeſi? ubi vel verbi aſperitas? Sane malo more haec fiunt, & nos εἰρηναῖοι καὶ φιλήσυχοι ad turbas & lites trahimur inviti. Objiciunt enim extra rem, quae diſſimulari ego velim, nolunt qui me amant. Tamen modeſtia non deficiet, ſi reſpondeo: & qualis natus ſum, κόσμιον καὶ εὐσταλῆ me exhibebo. Perſium tuum coepi legere: placebit, ut tua. Nec de diffuſione excipe, aut excuſa: imo vel eo magis placebit, quod multa hîc βιωφελῆ etiam video immixta. Vale, Vir Clariſſime. Lovanii, poſtrid. Idus April. ∞.IↃC.V.

EPISTOLA CCCLXIV.

IS. CASAUBONUS

J. Lipſio τῷ πάνυ S. D.

Lovanium.

PRrimum tibi gratulor, & Reip. literariae univerſae, quod e graviſſimo morbo ἐῤῥώσας. oro Deum, & toto pectoris affectu veneror, firmet in dies va-

valetudinem tuam bonam, & quam diutiſſime tui uſuram nobis concedat: ſimul det tibi, poſſe omnia praeclara illa tua incepta ad umbilicum perducere, & aliis etiam ſuſcipiendis detexendiſque idoneas praebeat vireis: qui animum dedit adeo cupidum publicae utilitatis, & hoc tam excellenti ingenio te ornavit. Monita, quae miſiſti, accepi, & habeo agoque magnas maximas gratias. dignum opus hac ſenectute tua. nihil enim poterat βιωφελέςερον. quid autem melius, aut tibi honeſtiûs, quam ut viris principibus virtutis praecepta dictes, & communem omnium conſiliarium agas? atque utinam qui illis aſſident, & ipſos contingunt propius, parem fidem, prudentiam & probitatem afferrent ſemper, quoties ad dicendam ſententiam accedunt: ἐπεὶ, ὥς γε νῦν ἔχει τὰ πανταχȣ τῆς πολυπόρȣ Εὐρώπης πράγματα, δέδοικα μὴ το τȣ Σπαρτιάτȣ ἔιη εἰπειν μάλα ἐν δίκῃ. Παλαι ἔρρει τὰ καλά unde enim tot tantaque mala, ſi Neſtoribus eſſent refertae noſtrorum Agamemnonum aulae? Perſium noſtrum non accepiſſe te miratus ſum. ſed jubet ſecurum eſſe Brugenſis adoleſcens, cujus opera ſum uſus. ſin accidit aliter, tu quidem damnum feciſti nullum: qui librum nihili amiſeris, ipſe vero gravi me affectum damno putarem, ſi propterea tuum de eo ſcripto judicium non eſſem cogniturus. Mittam igitur aliud exemplar, ſi prius periit; & ut illud tuto deferatur tibi, ſedulo avebo. Vale, vir praeſtantiſſime & me ama. Lutetiae Pariſ. pridie Kal. Majas, CIↃIↃCV.

Salutat te peramanter & officioſe magnus *Thuanus*. cujus hiſtoriae ne aliquod praejudicium faciat publicatio [1] epiſtolae, quam ad ipſum ſcripſiſti, ut communis amborum cultor, te velim rogatum.

1 Neſcio an epiſtolam innuat ſcriptam Lovan. VII. Id. Nov. 1604. editam Offenb. n. LXI. in qua emendanda quaedam, ſi ſuum conſilium admittat, ſuadet. & ſi coram adfuiſſet, ſe ea, quae offendunt, diſtinctius oſtenſurum fuiſſe ſcribit. nihil vero reſpondet Caſaubonus in hac epiſtola ad id, quod *Divam Hallenſem* ſpectat. noluit, ſcilicet, amico Lipſio in os aliquid gravius dicere, ſed ſententiam ſuam de duobus his, in Deum & religionem Chriſtianam contumelioſis, ſcriptis conſignavit in Adverſariis ſuis, unde edidit Cl *Wolfius* in Caſaubonianis pag. 6. ubi cum dixiſſet Lipſium, veterem amicum ſuum hac in parte (quod Mariam *Divam* vel *Deam* vocaſſet) ſatis vituperari non poſſe, adjicit hoc ἐπιφώνημα. *Tantine nominis virum tantam auſum eſſe impietatem! proh facinus! ego frivolum putavi utrumque ſcriptum ejus. tam impium non putavi.* &c. & praeclare & recte de Lipſio judicat in Epiſtola DIV. ad Scaligerum, qui ex animi ſui ſententia etiam in Epiſt. CXX. de Lipſio judicium tulerat. deſinant ergo ſummum hunc virum calumniari, quaſi & ille in partes Papiſticas pronus fuiſſet. quae mendacia graviter refellit Mericus Caſaubonus in ſua Pietate, praecipue parte ſecunda.

EPISTOLA CCCLXV.

IS. CASAUBONUS

Cl. Viro J. Lipſio S. D.

Lovanium.

SOllicito mihi de tua valetudine, vir clariſſime, opportune reddita eſt epiſtola tua, quam Antverpiae ſcripſeras. Gaviſus ſum gaudium μανικὸν ὅσον μέγα, ubi primum accepta epiſtola tuam ſtatim manum agnovi. egi igitur

(&

(& nunc quoque ago) Deo Opt. Max. gratias plane ex animo, quod te hactenus ſervaſſet: qui te porro ut ſervet etiam atque etiam vehementer ipſum obſecro. Priores illas tuas, quas neſcio cui legato ais tradidiſſe, ſcito mihi non eſſe redditas. eae ſi iſthîc caſu aliquo remanſerunt, etſi moleſtum eſt, feram tamen patientius illam jacturam, quam ſi ludibrio habitus fueris ab iis, quibus tradidiſti. Perſium tandem tibi fuiſſe redditum laetatus ſum. ſciebam eruditis oculis tuis nihil eſſe dignum in ea ſcriptione: ſed non dubitavi vel eo nomine gratum tibi fore, quod a me eſſet profectus. brevi libellum mittam, cujus fortaſſe non erit ingrata lectio. Nos heic vidimus [1] librum iſthîc editum a cane quodam Stygio, quo omnes nullo diſcrimine petuntur, qui ab annis multis cum aliqua laude in literis ſunt verſati: furor hominis, ſi homo dici meretur, plane ſtupendus: qui non vereatur pronunciare omnes e *Calvini* ſchola eſſe profectos, qui in eruendis veterum monumentis e ſitu & tenebris ſeculo hoc tam erudite operam poſuerunt. Ego fatebor tibi ignorantiam meam: nam tantum virum fuiſſe *Calvinum*, e cujus ſchola, ceu equo Trojano, *Politiani*, *Antonii Auguſtini*, *Fulvii Urſini*, *Turnebi*, *Scaligeri*, *Lipſii* prodierunt, equidem ante neſcius: Viderint illi, quorum gratia ſcriptus adeo deteſtandus liber. mihi cum illis nihil fuit unquam negotii: quoſdam etiam ex ea ſocietate novi & eruditos & probos, mihique amicos. Sed profecto valde afflictam oportet eſſe cauſſam, quae ad ſui defenſionem tot portentoſis mendaciis opus habeat. Ipſi igitur, ſi quid in illis viri eſt, injuriam ſuo nomini factam ulciſcantur, nos iſtiuſmodi canum latratus non movent. Sed moror te. Vale, clariſſime vir, & diu felix vive, γένοιτο, γένοιτο. Scripſi raptim ſub profectionem nobilis hujus: quem tua benevolentia non indignum, ſpero, judicabis. ἔῤῥωσο πάλιν αὖ καὶ πάλιν. Lutetiae Pariſiorum pridie Kal. Quint. CIↃIↃCV.

Cogitaveram in Hollandiam, ut ſignificas te fama accepiſſe; unius *Joſephi Scaligeri* videndi deſiderio: qua cupiditate mirifice vehementer ardeo, multi jam ſunt anni. diſtuli propter graveis cauſſas. Quod ſi benignus Deus votis annuat, erit, erit ille dies, cum ego te complectar, & a te dimiſſus ad *Scaligerum* veniam: nam ut ambos ſimul videam ne ſpes quidem ulla eſt, hoc rerum veſtrarum ſtatu. utinam vel ſeparatim vos videre, & praeſentes venerari aliquando poſſim.

1 Intelligi puto *Amphitheatrum Honoris* a *Carolo Scribanio* editum, de quo ad Epiſt CCXLVIII. & Caſaubonus in dedicatione libri ſui de Satyrica &c. apud Joan de Rieu graviſſime etiam de hoc ſacerrimo libro queritur. & Filius ejus Mericus in Pietate p. 79. ubi epiſtola *Schotti* Jeſuitae producitur, qua ille teſtatur Scribanium a Thuano & Caſaubono laedendo ſtudioſe caviſſe, ſed optaſſe, ut deſertis Calvinianis caſtris in Eccleſia Romana eum complecteretur. ſed nihilominus deteſtatus eſt Caſaubonus Bonarſcii petulantiam, nec palpum ſibi obtrudi paſſus eſt: & forte hoc Caſauboni de hoc Amphitheatrum judicium Lipſius cum Jeſuitis communicavit, unde & *Eudaemon* ille, ſive *Scioppius* eo nomine, in Caſaubonum invectus fuit. & ſi Mericus hanc & ſeq. CCCLXIX. vidiſſet epiſtolam, patris querelam & expoſtulationem fortius defendere potuiſſet.

EPISTOLA CCCLXVI.

IS. CASAUBONUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

QUae ſuperioribus diebus ſcripſi ſuper Graecorum Satyrica & Rom. Satira, mitto tibi, praeſtantiſſimè vir, fine duplici. nam & pignoris locum mei in te cultus atque obſervantiae obtinere munuſculum illud cupio: & graviſſimae cenſurae tuae hoc, quicquid eſt quod ſcripſi, lubens merito ſubjicio. Quod ſi tu me tantum amas, quantum ipſe mihi perſuadeo: non negabis hoc mihi officium, quod ipſe a te contendo. Habemus in [1] adverſariis noſtris multos antiquitatis locos, pari aut majore diligentia explicatos: de quibus poliendis publicandiſque ex hujus lucubratiunculae eventu conſilium capiam. Interea narro tibi, in Polybii concinnanda editione totum jam eſſe me: quando fruſtra hactenus exſpectavimus, ut alius quiſpiam, quicumque tandem ille foret, nos anteverteret. multa enim cunctatorem me heic reddebant. aetas ipſa paullatim ingraveſcens pridem abducit me ab hoc ſtudiorum genere; & quod ita cenſebant amici, denuo Latinitate donandum eſſe illum ſcriptorem, ſi de hodiernis ingeniis bene mereri vellem; mirum quantum ea res impetum meum illuſtrandi eum auctorem hactenus retardavit. tantam enim temporis jacturam aequo animo ferre non poteram. adde quod ingratas ad hunc uſque diem Muſas expertus, Aſpendium cithariſtam imitari conſtitueram. feceremque adeo, ſi per magnorum quorundam amicorum quotidiana κελεύσματα, ac prope convitia, liceret mihi eſſe ſecuro. Nunc igitur poſtquam ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ de Polybiana editione, (quod Deus conſilium fortunet) ἅπαξ κέκρικα: conſtitui, quam minimo damno facere potero aliorum meorum ſtudiorum, in Latinum ſermonem nobiliſſimnm ſcriptorem vertere: & uberioribus Notis illum explanare. ſpero fidelem ἐπιεικῶς futuram, quam dabo, verſionem: elegantem non fore, neque ad Cleanthis lucernam elaboratam, hoc tibi multo ante praedico: curret enim manus noſtra cum currente prelo. itaque ſi adfuerit coeptis Deus, cum proxime ad te ſcribam, inchoatam intelliges editionem, de qua vix dum cogitavi ſatis. ad hoc temerarium conſilium adigit me temporis inopia: cujus pars maxima in hac civitate negotioſiſſima, otioſorum hominum matre, miſere quotidie mihi ſurreptum perit. Vale, ampliſſime vir; ſic enim nuper audivimus: tibique honoris acceſſionem factam ex animo ſumus gratulati. Lutetiae Pariſ. pridie Nonar Sept. CIƆIƆCV.

Literas legato neſcio cui à te datas ſcito male periiſſe. ea fides iſtorum.

[1] De his Adverſariis, vide vitam *Caſauboni* pag. 70. & ſeq. ubi ſex tomis comprehenſa enarrantur, quae hodie, ex legato *Merici Caſauboni* ſervantur in Bibliotheca Bodlejana Oxonienſi, & ex quibus nuper, ſub titulo *Caſaubonianorum*, excerpta cum publico communicavit Vir Doctiſſimus *Chriſtophorus Wolfius* Hamburg. 1710. quo munere rem literariam egregie ornavit. utinam plura inde excerpta prodirent!

EPISTOLA CCCLXVII.

J. LIPSIUS

Iſaaco Caſaubono.

Lutetiam.

DE Satirica & Satira tua accepi: & tua, id eſt docte καὶ ἐπιμελῶς ſcripta. Atque utinam quam tu ſcribere, tam omnes aut plures judicare & capere ſint apti! Sed non te fallam. pauci ſunt, pauciores erunt: ut ego res video labi. Nec tamen ideo e via recta aut gradu dejicere: conſcientia ſufficit, & approbatio vel perpaucorum. De Polybio, nimis mihi gratum eſt. Age, ſuſcipe & perfice: non alius publice melius poteſt, non privatim & famae tuae glorioſius. Jamdiu a te exſpectamus, & vox ac votum publicum fuit. Senecam meum jam videris. quem juſſi quidem mitti, & quidem immunem atque ἀτελῆ: & ſpero me non fallent. fac ſciam, ſed hoc inprimis me a te amari. Lovanii, VI. Kal. Novembr. ∞. IↃC. V.

EPISTOLA CCCLXVIII.

IS. CASAUBONUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

ACcepi, vir praeſtantiſſime, quas proxime ad me dediſti, poſt acceptum libellum De Satyrica & Satira. Gaudeo non diſplicuiſſe tibi faetum illum ingenioli noſtri, quod ſe tibi probari mirifice geſtit. Nos in tuo Seneca nunc ſumus, & aliquid quotidie, te docente, proficimus: atque utinam proficiamus diu, & tu Neſtoreos annos felix impleas. Quod me ad Polybium hortaris, per mihi gratum eſt: Deumque veneror, ut mihi perficiendi opus, quod dies noctesque me nunc habet occupatum, det facultatem: tibi illud cenſendi & miniatulis tuis ceris Ariſtarchi more notandi. Praeter verſionem, quam confido ξύνγε τῷ θεῷ εἰπεῖν, Latinam fore, utique fidelem, alia accedent ornamenta, quae magno labore nobis conſtabunt. Totam enim rem militarem, praeſertim Graecorum, explicabimus, & ejus artis τὰ τεχνικὰ vocabula pleraque omnia. Sed nolo μέγα εἰπεῖν τι, ante opus perfectum, tunc quoque non adeo inſaniam, ut à me profecta faciam tanti: quod tamen ille ἀπαρθηρὸς καὶ ἀλάστωρ Amphitheatri ſcriptor de nobis praedicat, homo θεοστυγὴς & ex mendaciis conflatus. Vale, praeſtantiſſime Lipſi, & me quod facis ama. Lutetiae Pariſiorum V. Eid. Dec. CIↃ. IↃ. CV.

EPI-

EPISTOLA CCCLXIX.

DIONYSIUS GOTHOFREDUS

J. Lipſio.

Leidam.

JUcundiſſimae, ſi quae mihi unquam, Juſte Lipſi, literae tuae fuere, a *Brederodo* tuo, aut potius noſtro, mihi redditae. Nam & animi tui erga me benevolentia tuarum ad me litterarum conteſtatione jam mihi nota plane, perſpectaque: eo mihi gratior futura, quo eſt ab homine aevi noſtri ac ſeculi doctiſſimo, cum aliqua etiam mei commendatione profecta. Quod cum facis, mones obſcure & amice non quae in me ſint, ſed ea potius quae eſſe debeant. Et vero, tua cohortatione, Juſte Lipſi, effeciſti, ut mihi animus mirum in modum creverit, ad ſtudia poſteritatis juvanda. Neſcio quid tum in Tullium coeperam meditari atque etiam ſcriptitare, quod rude, & impolitum verius ereptum mihi a Typographis, quam precario aut juſta conventione impetratum. Et tamen, unum exemplar a me tibi dictum ac deſtinatum, quod mei erga te amoris ſinceri monimentum erit, vellem operae mihi fideliores in excudendo fuiſſent, puriorem Tullium & minus contaminatum haberemus. Sed quid, ſcis commentitium jus eſſe; *Noxam caput ſequi.* Quae ſunt à me vetere, ad jus ea maxime vel ad hiſtoriam pertinent, ſine pompa, phaleris, cothurnis & grallis conciſe ac nude, (quod & meae naturae & alioqui hujus noſtrae editionis formae convenit magis) in eorum gratiam adjecta, qui in Tullio legendo tirones paucis contenti, non qui perfecti ſelectam ac plenam tui unius aut nullius manum efflagitant. Damus hoc tibi, Juſte Lipſi, ut & alia omnia ingenio tuo digna, hoc eſt terſa, politaque: quae nos miſeri, minus pro animi noſtri ſententia ac deſiderio tractare poſſumus. Nam quae elegantiae ſpecies mihi eſſe poteſt inter Aſinos, Capras, Lupos, Porcos & id genus veteres juris noſtri interpretes verſanti; ut omittam alios pleroſque, quorum nomina vel triſtiora ac formidabiliora, quam ullis antiquis Febris, Pavoris, Palloris & Manduci nomina? Atqui nobis ſubinde navigandum eſt ad iſtos Calecutanos & Peruanos; aut ſi mavis Coclites, auri quaerendi cauſa. Nos merito melioris in eo fati; quibus omnia pura, mundaque, vobis praeſertim Criticis authoribus. Damus hoc iterum tibi, Juſte Lipſi, ut & nos ipſos: quos ſi amicorum tuorum menſae adhibueris, in eamve admiſeris, non liberos modo, ſed Semonas ſis facturus. Vale, Vir Clariſſime, & nos, ut inſtituiſti, amare ne deſine. Datum Genev. 8. Mart. 1588.

Reſponſio ad Lipſii 11. Miſc. 33.

EPISTOLA CCCLXX.

DIONYSIUS GOTHOFREDUS

J. Lipſio S. P.

Francofurtum.

EN alteras a me Juſte Lipſi, ſed, ut ſpero, tuo bono. Poſtulabam a te prioribus illis, ut valetudini tuae fideliter inſervires. ſed quis tum ego? privatus: nunc a manu Principis Illuſtriſſimi Electoris Colonienſis, ad eandem te amiciſſime hortor. ut primum inaudiit ille, te non vini, ſed aquarum cauſa in Germaniam penitius veniſſe, & quidem Francofurtum, de te quaeſiit ſollicitius. Amabo te, inquit ille, ne Lipſius iſtis aquis utatur intempeſtivius, noxiae ſunt, ſi non ad ſolennes ſuas horas ebibantur: Proclivo jam Majo, tum ſalubres ac medicae. Quid vis amplius? hic id te ſui Archiatri (cognitione & longo rerum uſu magni) conſilio hortatur: imo & ſuo exemplo. Tuae partes, ut cum te tanti faciat, atque amet uniciſſime, id perſuaderi tibi patiaris non invitus. Nondum omnia. Retuli ad eundem Principem, te Argentinam etiam venturum. Exiliit gaudeo. Perſcribe tu (inquit) ocyſſime, ut conſilium mutet & de nobis antea cogitet, quam iſtis acidis utatur. Vis hîc argumentum amoris erga te certius? Sumptus tibi pollicetur: Paratae tibi aedes ampliſſimae ſi non regiae, ſaltem commodae, ac ne quid ad plenam animi tui hilaritatem deſit, hortus amoeniſſimus. Petit in amplius, ut quam primum urbem noſtram fueris ingreſſus, ad Cervi hoſpitium currum tuum ad tempus deflectas. Aedes ſunt Praetorio ejus oppoſitae. Da quaeſo, (mi Lipſi,) qua rei litterariae, qua principi optimo, & de te ſupra Principem etiam (quod quis vix credat) de te tuaque valetudine anxio ac ſollicito, ut ab acidis iſtis nunc tibi intempeſtivis, tempeſtive retrahas, etiamſi iis uti jam coeperis. Tu ſi feceris id, tui te non minus, quam optimi & amiciſſimi tibi Principis ſtudioſum effectu ipſo teſtabere. Vale, & ſi quid aliud ſenſeris melius, reſcribe. Achentorato XIII. April. 1591.

Medicus ille, de quo a me facta tibi mentio eſt, illuſtrem *Lazarum Suendium*, Charonianum ac pene Acheruntium, olim tibi & in antea notiſſimum, feliciſſime curavit, eodem, quo tu, morbo laborantem. Hoc nominatim illuſtriſſimus Princeps addi voluit, ut de re tua ſerius cogitares.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXI.

MATTHAEUS KLOCKIUS

Dom. Juſto Lipſio Viro longe Clariſſimo S. D.

Leidam.

[1] SPartam, ἣν ἔλαχες, id eſt Livianos annales, audio te adhuc κοσμεῖν. Si non invides nobis, obſecro quare dees vulgare? Diu ferimus deſiderium. nimis mehercule quam par eſt. ſi non pergis: video qui decretam tibi provinciam Sulpitia ſollicitare lege audeat. Perge igitur faventibus Diis, & exple nobis conceptam diu famem lautiſſimae doctrinae eruditionis tuae dape. degulabimus certe & devorabimus quicquid mittes, adeo

—— collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccae ſanguine fauces.

In eo ſcriptore, quae tui judicii ſint excipua haec fere nos obſervavimus. ſed nos, id eſt, ex iis uni, in quos dictum, an convitium tuum, nimis verum, O piſces, piſces. Sed quis ſcit ſi non opportuna olitor?

Lib. I. Cap. 9. *Centum creat Senatores. ſive quia is numerus ſatis erat; ſive quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent. Patres certe ab honore, patriciique progenies eorum appellati.*] Critici, *qui ciere patres poſſent.* recte, quamvis in adverſariis ſit adverſarius magnus Turnebus. ſed quia res apud veteres quoque ignorantia claudit, ſupra repetendum eſt. Romulus urbem ſuam condidit parva manu. Partim eorum ex Albanis, Latinis: partim ex paſtoribus erant. plera libera, tamenetſi ignobilis, & ſine nomine turba. ſed urbem, quum pro numero Civium, aedificatio frequens eſſet, an Cives imperio videri nimis pauci: adjiciendae multitudini aſylum aperit. Tum vero ex circa locis, omnes undique noxae, ſcelera, atque flagitia: (latroni Regi opportuni homines) ad hoc ganeones, comedi, quique bona patria per dedecora pauperaverant, ii Romam ſicuti in ſentinam confluebant. Sed multo maximum pondus ſervitiorum, carcerum, atque ergaſtulorum eo perfugiebat. Hi poſtquam libertate auxerant, cum Albanis, Latinis, vetere multitudine, juxta vivebant. Niſi tamen utros inter diſcrimen Romulus fecit ab natura, atque fortuna. *Patricios* (id eſt, ingenuos, & nihil praeterea) nobilitatem, Senatum: *Nepatritios* (libertinam illam, & novitiam turbam) vulgus plebem eſſe volebat, pro re nata. ſed Romani irriſui, contemptui eſſe, & per gentes cluere peregrini, obſcuri, maculoſi cives. Absque illo fuiſſet, juxta Remp. ventum erat. Nam cum ſenatorem neminem eſſet lectio, quam liberum, & eum patri-

1 Recidimus ab hac epiſtola longam praefationem, inſinuantis ſe in amicitiam Lipſii & de contemtu Literarum humaniorum, & ſolius ſtudii Juris cura apud Germanos querentis. quia, & affectata dictione, & ſervili adulatione nobis cum taedium faceret, lectoribus bonae mentis vix placituram credebamus. nec in iis, quae edimus putida antiquariae dictionis affectatio, & acuminum ſtulta captatio placebit eruditioribus. nec in emendationibus Archaiſmi & novandi pruritum deeſſe, facile videbunt ſaniores quaedam etiam vix intelligo.

tricium, patres novae intra pomoeria urbis deerant ciri poſſe. Alba, Lavinio, aliunde ciebant patres, e circulo patres, & qui cubito ſolebant. Igitur ii filios Romanos Senatores dehoneſtatum ibant, turpia capita clarae futurae nobilitatis, & quae familiam ducerent, ſerie majorum imagines deformes. Hercules valuiſſet etiam praeterea contumelia, ni mature praevertiſſet prudens futura Rex, tam horum, quam illorum, qui genus, & unde domo memoriam rebus incertis confundere. atque in ſingulos (in univerſos enim quî pote?) ſuam cuique eluere ad poſteros maculam. Jam primum igitur omnium, illam infamem & nuperam turbam ex terra ſibi mentiebatur natam. poſtdeinde in Senatorem *Patris* nomine *Patricium* mutabat vocabulum, qua abolendae memoriae, qua abſtergendae ſorditudini paternae. Sed in Senatorum progenie relinquebat *Patriciorum* appellationem. ut enim quod non in voce, ſed in patre, quem primus ciebat Senator, verſaretur dedecus. Quod non abs re pulchro conſilio a civitate ſua procul habuit. Plane ut cujuſque in Senatu legendo rationem habuit, ſi ingenuitatem, & ſtatum edocuit, id illi ad honorem capiendum ſatis erat. Sed cum Romulus, quae Alba atque Lavinio indigna Senatore laudabat, a creatione illico exuere, & pro *Patricio*, *Patrem* dici velle, non ab honore, aut curae ſimilitudine: ſed quod ab Albano atque Latino novum jam hinc orſurus genus, atque a ſe fortaſſean poſt ſerendae gentis ipſe caput futurus foret. id temporis enim innupti, atque improles omnes ſimul erant. Nihil igitur abſonum fidei, ſolos fuiſſe centum; qui ciere Patres poſſent: addito, quorum rationem habitum fuit. pleri enim quamvis ingenui, tot tamen flagitiis & ſceleribus cooperti atque obſtinati erant, ut a Repub. tanquam contagia & peſtes procul arcendi, non arciendi eſſent.

Cap. 11. *Sunt qui eam ex pacto tradendi, quod in ſiniſtris manib. eſſet, decreto arma petiſſe dicant &c.*] al. *directo*. lego. *dierecto*.

Infra. Cap. 15. *Ab illo enim, profecto viribus datis, tantum valuit, ut in XL. deinde annos pacem tutam haberet*] conjiciebam. *A bello enim pro exercitus viribus ſtatis &c.* ſed a ſcriptura longius exerrat. itaque quod hunc locum emendare non poſſum.

—— mihi eſt ſenium multo acerrimum.

niſi verum eſt. *profato viribus ſtatis &c* vides quam facile τὸ a εἰς τὰ 𝔢 id eſt *ec*, antiquae ſcripturae degeneret; rurſus quam leviter τὰ ec εἰς τὸ *a* coaleſcant. ſi perſuaderemus deeſſe vocem, rem haberemus factam, & leg. eſſet. *A bello enim protectus exercitus viribus ſtatis &c.* ſed crediderim ſcribendum. *A bello enim* (vel, *ab illo enim*) *protectus virib. ſtatis, tantum valuit &c.* ſic Virg. Culice.

—— —— ille ut Vulcania ferro
Vulnera protectus depellere navibus inſtet.

Statas vero *vires* Livius dixit, ut idem Virg. 2. divini operis

—— —— Vos o quibus integer aevi
Sanguis, ait, ſolidaeque ſuo ſtant robore vires.
Vos agitate fugam.

Tu

Tu judica *Lipſi* Criticorum Africane.

Cap. 16. *Cum perfuſus horrore, venerabundusque adſtitiſſem.*] lego, *obſtitiſſem.* v. Feſtum in *Obſtitum.*

Cap. 17. *Hodieque in legibus magiſtratibuſque rogandis uſurpatur idem jus, vi ademptum: priuſquam populus ſuffragium ineat, in incertum Comitiorum eventum patres autores fiunt. Tum Interrex &c.*] Trajectione juverim locum. *Inde legib. magiſtratibuſque rogandis uſurpatum, Ut priuſquam pop. ſuffr. ineat, in incertum Com. ev. pat. aut. fiant. Hodie quoque idem jus, vi adempta. Tum interrex &c.* Id eſt, uſurpatur hoc quidem jus etiam hodie, ſed dicis cauſa, quam ut ulla vis ſubſit; lapſa diſciplina, & legum poteſtate ſeneſcente. Scio quid Sigonio, Turnebo, Stephano Vir. Cl. hic dictum ſit, ſed ego iis cras credam? Tu *Magne Praetor* ſecundum quem litem dabis?

Infra Cap. 23. *Etruſca res quanta circa nos teque maxime ſit, quo propior Volſcis, hoc magis ſcis.*] Nannius teſtis eſt, in Buslid. libro perpetuo eſſe *Vulſci, Vulſcorum, Vulſcis, Vulſcos.* Expediam igitur nodum hunc, quem librarius vitio calami nectebat; & abjecta prima litera diviſim ſcribam, *quo propior uls cis, hoc magis ſcis. Propior uls cis.* deeſt *Tyberim*, oratorie non vere: id temporis enim Romani Ciſtyberes, Etruſci Ultistyberes.

Cap. 26. *Hac lege Duumviri creati, qui ſe abſolvere non rebantur ea lege ne innoxium quidem poſſe, cum condemnaſſent. Tum alter. &c.*] lego (abjectis tamen gloſſulis, quas qui volet, recipiat. pugnanti non repugnabo.) a vulgata transverſum unguem tantum, a ſententia vero multis millibus. *Hac lege Duumviri creati. qua ſe abſolvere non rebantur nequitem poſſe; In noxiam cum condemnaſſent. &c* Omnes conjecturas noſtras tuo judicio ſubjicimus; Et hercles niſi tu approbas, videtur mihi haec ipſa emendatio pravo acumine eſſe conficta. Certe enim ſi Livio *Nequiris* pictus fictus eſſet, obſervaſſent Grammatici. *Nequitem* pro *Nequiritem* ſcripſi. *Nequiris* eſt Quiritium numero exemptus. ad mentem Raevard: praeclare convenit, aut da melius. Noſti autem Salluſtii, *Nejure* Plauti, *Nerecte.* Catulli, *Neamicta*, *Nefunera.* Ovidii, *Nemunera.* Ciceronis, *Nevoluptatem.* Feſti, *Nepurum*, *Nehominem.* Scauri, *Nefrendes* porcos, *Neſapum* &c. JCtor. *Necmancupi.* *In noxiam* autem *condemnare* dictum, ut, *ad noxam*, in *noxam dedere.* cap. 19. D. de nox. act. cap. 1. D. ſi quadrup. Mecum vides, eruditiſſ. vir, quam itum ſit ad hanc corruptellam. *Nequiritem*, vel *Nequitem* &, *in noxiam condemnare*, boni noſtri patres nulli intelligebant. Ergo demendo, mutando, interpolando aliquid paulatim voces probae ſua ſede extorres, in alia vitii verba aberrarunt. cum fraude hujus egregii loci magna. Volui olim. *Hac lege Duumviri creati, qui abſolvere rebantur ea lege nequitum. In noxiam cum condemnaſſent &c.*

Lib. 11. Cap. 18. *Sed nec quo anno, nec quibus factis Coſſ. quia ex factione Tarquiniana ut eſſent (id quoque enim traditur) parum creditum ſit, nec quis primus Dictator &c.*] al. τὸ *ut* non habent. Reſtituo, *qui ex factione Tarquiniana eſſe (i.q.e.t.) parum creditum eſt &c.*

Cap. 24. *Caeterum deliberationi de maxima quidem illa, ſed tamen parte civitatis,*

tis, metum pro univerſa Rep. interveniſſe.] τὸ, *maxima quidem illa, ſed tamen*, à Sciolo eſſe credo.

Cap. 30. *Multis, ut erat, horrida & atrox videbatur Appii ſententia. Rurſus Verginii Largiique exemplo haud ſalubrem, utique Largii putabant ſententiam &c.*] lego. *atrox videbatur Appii ſententia Verginii Largiique exemplo. Rurſus haud ſalubrem &c.* mox: *Sed curae fuit Coſſ. & ſenioribus patrum, ut imperium ſuo vehemens, manſueto permitteretur ingenio.* Neminem vidi, libere dicam, qui hoc loco, quod in rem eſſet, diceret. Ego τὸ *manſueto*, hîc extermino. & trajectis verbis lego. *ut imperium vehemens ſuo permitteretur ingenio.* Nam, *ſuum ingenium*, voce & ſono tantum non eſt *manſuetum ingenium*, caetera idem. ſic Liv. hoc ipſo lib. *Tributum iniquum, & non ſuo tempore imperatum.* lib. 4. *ſi Ardeates ſua tempora expectare velint.* lib. 42. (quod noto) *ſuo tempore* (ſic etiam *ſuum* & *alienum ingenium.*) *alieno hoſtibus.* eod. lib. *loco ſuo & tempore.* lib. 38. *Tempore tuo pugnans.* (quod Salluſtio eſt, *ſuo loco pugnam facere.*) lib. 4. *Ex alieno incommodo ſuam occaſionem petere.* lib. 22. *neque occaſioni tuae deſis, neque ſuam occaſionem hoſti des.* lib. 42. *opportunitates ſuas ignorare.* lib. 44. *ut explorarent, qua provincia noſtra, qua hoſtium foret.* Seneca ep. 72. *Ignoranti quem portum petat, nullus ventus ſuus eſt.* Propert. (quod Palmer. obſervavit)

Namque in amore ſuo ſemper ſua maxima cuique.

Lib. III. Cap. 7. *Et auxere vim morbi terrores populationis*] meus lib. optime. *& auxerat vis morbi terrore populationis.*

Cap. 10. *Ita jacuiſſe per aliquot dies, ut nihil odoris mutaret.*] al. *odor.* lego. *odore.*

Cap. 31. *Rem non aſpernantur patres, daturum leges neminem niſi ex patribus ajebant. Cum de legibus conveniret &c.*] Ridiculus, & ineptus locus. meus MSS. recte. *laturum l. n. niſi ex partibus & plebe. Cum de leg. &c.* ſi quid vero mei judicii eſt, gloſſema puto, repetitum ex ſupra verbis. *at illi communiter legum latores & ex plebe, & ex patribus ſinerent creari. &c.* lego igitur. *Rem non aſpernantur patres. Cum de legibus &c.*

Cap. 37. *Hi ferre agere plebem, plebiſque res: cum fortuna, qua quicquid cupitum foret, potentioris eſſet. Et jam ne tergo quidem &c.*] MSS. cujus ſupra mentionem factum eſt, paullo impreſſis antiquior, ſed qui cum iis fere in omnia vitia quaſi de compacto conſpiravit. *Hi ferre agere plebem plebiſque res fortune qum quicquid cupitum foret potentioris eſſe.* lego. *Hi ferre, agere plebem: plebiſque res potentioris eſſe. Et jam ne tergo quidem &c.* caetera a gloſſa huc irrepſiſſe arbitror.

Cap. 40. *Cenſendo enim quoſcunque magiſtratus eſſe, qui ſenatum haberent, judicabat &c*] lego. *Cenſendos*, vel *Cenſendum enim q. m. e. q. ſ. h. judicabant.*

Eodem Capite. *Mirari ſe dictitans, ut Xviros qui Xviratum petiſſent, aut ſocii, aut hi maxime oppugnarent.*] lego. *Cur Xviros ſocii, & hi maxime &c.*

Ibidem. *Niſi quod in turbido minus perſpicuum fore putent quid agatur.*] Et haec lectio non quiſquiliae. lego. *Niſi quod in turbis*, vel *turbido, Cominus perſpicuum &c.* *Cominus* ut illud Virg.

— *ja-*

—— *jacto qui ſemine cominus arva*
Inſequitur.

Quid agatur expono, quid agi debeat, &c. *In turbido eſſe*, dixit Seneca ep. 3. a fine.

Cap. 64. *Si Tribunos pl.* x. *rogabo, ſi quinos minus hodie* x. *Tribunos pl. fecerint, ut hi tum ubique, quos ſibi collegas cooptaſſint, ut illi legitimi ea lege Tribuni pl. ſint, ut hi quos hodie Tribunos pl. feceritis.*] In aliis aliter, deterius etiam. Certe ego Attellanas tricas citius, quam hoc extricavero. Confirmo tamen (poſſum falli ut humanus) ſcribendum. *Si Tribunos pl. rogaſſo, ſi minus quinos hodie Trib. pl. hodie faxitis* (vel *facitis*) *ut hi tum utique, quos ſibi coll. coopt legitimi ea lege Trib. pl. ſirint, uti illi quos hodie Trib. pl. faxitis* (vel *facitis.*) Fefellit bonos emendatores Duillium non eam allegare legem, quam ipſe & collegae, Q. Minitio Augurino, C. Horatio Pulvillo Coſſ. de x. Tribunis poſthac creandis tulerunt; ſed ſupra legem, quae in monte Sacro per plebis ſeceſſionem lata eſt, repetere. Jam tum enim ſtatim ab initio duo creati Tribuni tres ſibi aſcivere collegas. clare Liv. lib. 2. *Hinc inſtitutum manſit, ut ſi minus quinque (qui tum juſtus Tribunor. eſſe numerus coeperat.) Tribunos ſibi plebs feciſſet, iis, qui creati erant, perinde ut primis Tribunis, liceret hactenus collegas cooptare, dum legitimus numerus impleretur.* Eam fuiſſe Duillii mentem, eo mihi veriſimilius fit, quod Collegae novum legis ſimul a ſe latae interpretem Duillium haud tuliſſent. Deinde quia ipſius Duillii verba contra ſunt. *Satisfactum legi ajebat, quae numero nuſquam praefinito, Tribuni modo ut relinquerentur, ſanxiſſet. &c.* ſed fallor? an nuſquam praefinitus numerus his vulgo verbis non eſt. Si *Tribunos pl X. rogabo* &c. quaſi quinque Tribunos per tribus creari, quinque a creatis ſumi neceſſe fuiſſet. quod falſum eſſe tu ſcis. Mox, *Negando* xv. *Tribunos pl. Remp. habere poſſe.* lego, xiv. Nam quinque a Duillio creati: caeteri, ix. collegae Duillii eum magiſtratum, ſive honorem competebant.

Cap. 72. *Scaptione Concionali ſeni hoc aſſignaturos putarent?*] Audio Cic. *Concionalem clamorem:* video *Concionarium populum*, & *Concionalem plebeculam.* ſed num legendum hîc? *Cocioni ſeni.*

Lib. iv. *Alter res Romae curaret &c.*] expungo τὸ *res.* ſaepe Salluſt.

Lib. v. Cap. 11. *Fors ita tulit, ut eo anno Tribunus pl. C. Trebonius eſſet. Qui nomini ac familiae ut debitum praeſtare videretur Treboniae legi patrocinium. Is quod petiſſent patres quidam primo incepto repulſi cum Tribunos militum expugnaſſent, vociferans legem Treboniam ſublatam &c.*] lego. *Id quod petiſſent patres (qui clam, primo incepto repulſi, contribunos expugnaſſent) vociferans &c.* vel *(qui clam, primo incepto repulſi, tamen Tribunos nobilium expugnaſſent.) &c.* ſic enim infra lib. 10. *Ni ſciret mancipia nobilium Trib. pl. legem impedituros.*

Lib. x. 37. *Sed fanum tantum, id eſt locus templo effatus, jam ſacratus fuerat.*] lib. meus: *id eſt locus templo jam ſacratus, effatus fuerat:* recte, ſi abjicias gloſſema, *id eſt, locus templo jam ſacratus.* Feſtus in *ſiſtere fana.* Varr. 5. de LL.

Lib. xxi. 8. *Falarica erat Saguntinis miſſile telum, haſtili oblongo. &c.*] lib. meus. *haſtali ab ligneo.* tentabam. *Miſſile telum fala ab lignea.* ſed poenitet: ſi

 enim

enim Sagunti turres ligneae, quare Poeni ariete, quam igne pugnabant?

CAP. 38. *Neque Hercle montibus his, ſi quem forte id movet, a tranſitu Poenorum ullo Veragri incolae jugi ejus norunt nomen inditum: ſed ab eo quem in ſummo ſacratum vertice Penninum montani appellant. Peropportune. &c.*] Emendatorum hae nugae, quas unde profectae ſunt, remittimus. vett. —— *a tranſitu Poenorum ullo, ſed ab uno vel acri incolae jugi ejus norunt nomen inditum. Peropportunè &c.* meus MSS. aliter, praeter ſolitum. *ſed a pño ſeu acri incola* &c. lego. *ſed à penno celſei ocris incolae jugi ejus norunt nomen inditum.* vel certe. *ſed a penno Veragri incolae jugi ejus norunt nomen inditum. &c.* Merito autem fatemur, hanc emendationem conformatam eſſe ad tuam explicationem hujus loci, quam olim tuis ad Tacitum inſeruiſti notis.

LIB. XXIII. 8. *Unus nec dominorum, nec ipſius interdum Annibalis invitatione Calavii filius Perolla vino vinci potuit. Ipſique valetudinem excuſans patri, animi quoque ejus mirabilem interturbationem, cum quaereret, ante ſolis ferme occaſum patrem Calavium ex convivio egreſſum ſecutus filius &c.*] al. aliter. ego lego. —— *Calavii Perolla vino poſuit; Ipſi quoque excuſans valetudinem patri (animi ejus mir. interturb. cum quaer.) ante ſolis fer. occ. pat. ex conv. egr. ſec. filius &c.*

LIB. XXIV. CAP. 34. *Murum per inaequales ductum colles, plaeraque alta, & difficilia aditu, ſummiſſa quaedam, & quae planis vallibus adiri poſſent. &c.*] lego. *plaeraque altum & difficilem aditu, ſummiſſum quaedam, & quem planis vallibus adire poſſes.*

CAP. 37. *Praeſidio decedere apud Romanos capitale eſſe, & nec liberum etiam ſuorum eam parentes ſanxiſſe.*] alii aliter. ſed οὐδὲν ὑγιὲς. lego. *Capital eſſe, id nece liberûm etiam ſuorum parentes ſanxiſſe.* vel. *id liberûm etiam cruore parentes ſanxiſſe.* vel. *& nece liberûm etiam ſuor. eam rem parentes ſanxiſſe.*

CAP. 38. in Oratione Pinarii. *Utinam reliquum tempus nec patiendo infanda, nec faciendo traduci poſſit. Nec occulta fraude cautio eſt, quam ſi adhuc ſumus, cui quoniam procedit aperte ac propalam claves portarum repoſcunt.*] Vallae libri haec lectio, a vulgatis haud parum diſſidens. Eſt autem hic locus adteger, quem integritati meis verbis praeterpropter reſtituo, & emendo. *Utinam reliquum tempus nec patiendo infanda, nec faciendo traduci poſſit. tamen defendenda injuria eſt. Aennenſes, milites, principes civitatis hujus, quia Himilconem omnem paene iterum a noſtra fide Siciliam ad ſe traduxiſſe vident, res novas & ipſi volunt. Collocuti cum eo jam de defectione, & ne gratuitum ſcelus ſit, acceſſionem, mercedem nos & precium nefariae proditionis invicem pacti ſunt. Nec occultam fraudem cautio eſt, quam eniſi adhuc ſumus; qua quom non procedit, aperte ac propalam claves portarum repoſcunt &c. Occultam fraudem cautio eſt*, pro occulta fraus cavenda eſt, genus dicendi elegans, & frequens Comicis. Plaut. Trucul. *Quid tibi hanc, inquam, notio eſt, Amicam meam?* Curcul. *Quid* (vel *Quis*) *iſtum tibi tactio eſt?* & alibi &c. Terent. Eu. *Quis tibi huc reditio eſt? quis veſtem mutatio eſt?* ubi Donat. *Quis veſtem mutatio?* ſic veteres. Plaut. *Trinummo. Quis tibi interpellatio, aut in Concilium huc acceſſio eſt?* Caecil. ἁρπαζ: *Quis tibi aucupatio eſt argumentum, aut de meo amore verbificatio eſt*

pa-

patri? ita ibi de eodem oleo & opera Terent. & Donatum emendem. Adelph. quoque. —— *piſces ex ſententia nanctus ſum, hi mihi ne corrumpantur cautio eſt.* ſolet etiam verbi caſum dare nomini Salluſt. Jugurth. *ſpeculator conſilia.* hiſtor. 3. *aemulus facta.* Palmerio obſervatum jam ante.

Cap. 45. *In ea caſtra Claſſius Altinius Arpinas clam noctu cum tribus ſervis venit; promittens ſi ſibi praemio foret, ſe Arpos proditurum eſſe. Cum eam tunc rem ad concilium retuliſſet Fabius.* (al. *Altinius* peſſime, & quod toti huic loco corrumpendo fuit.) *Aliis pro transfuga verberandus necanduſque videri ancipitis animi communis hoſtis, qui poſt Cannenſem cladem, tanquam cum fortuna fidem ſtare oporteret, ad Annibalem diſceſſiſſit, traxiſſetque ad defectionem Arpos: tum poſteaquam res Romana contra ſpem votaque ejus velut reſurgeret, turpius videatur novam referre proditionem,* (ita tuus lib.) *ut proditis pelli u. m. virali indictione* (meus MSS.) *deeſſet, ſemperque aliunde ſentiret infidus ſocius, vanus hoſtis ad Faleriorum Pyrrhive proditorem tertium transfugis documentum eſſet. Contra ea Conſulis pater Fabius temporum oblitos homines in medio ardore belli libera de quoque* (lib. Baſil. & tu.) *arbitria agere ajebat:* (τὸ *&* alii non habent, magno hujus loci malo. *Eſt* autem in vet. Mediolanenſi.) *Et cum illud potius agendum atque eis cogitandum ſit, ſi quomodo fieri poſſit, nequi ſocii a pop. Rom. deſciſcant, documentum* (Mureti liber.) *aut ducant non* (meus MSS.) *nocitet, ſiquis reſipiſcat, & antiquam ſocietatem reſpiciat. &c.* Vulnus huic loco adactum,

> *Quod Chironia nec manus levarit,*
> *Nec Phoebus, ſuboleſve clara Phoebi.*

adeo per omnes ejus articulos gangraena quaſi ſaeviſſimi permeavit morbi.

Ego, ſi fas eſt deſperatis adhibere medicinam, anquiſivi herbas primum, id eſt variantes lectiones, quae reſtituendae ſanitati eſſent. Foveam nunc an medear vulnuus judicium tuum eſto.

——— *tum poſteaquam rem Romanam contra ſpem votaque ejus velut reſurgere videat, turpius novam referret proditionem. Aliis, ut proditis velle IIVum virali indicio dederetur infidus ſocius, vanus hoſtis, quique ſemper aliud ſentiret; & ad Falerior. Pyrrhive proditorem tertium transfugis documentum eſſet. Contra ea Conſulis pater Fabius temporum oblitos homines in medio ardore belli, tanquam in pace, libera de quoque arbitria agere ajebat. Et cum illud potius agendum atque eis cogitandum ſit, ne noxae ſtet,* (vel. *ne ſe noxae det*) *ſiquis reſipiſcat, & antequam ſocietatem reſpiciat, documentum ducant ſtatui oportere, ſi quomodo fieri poſſit, ne qui ſocii à pop. Rom. deſciſcant. &c.*

vel. *Aliis, ut proditis velle Triumvirali indicio dederetur, & ad Faleriorum, Pyrrhive proditorem, infidus ſocius, vanus hoſtis, quique ſemper aliud ſentiret, tertium transfugis documentum eſſet. &c.*

Non expecto Lipſi aliorum judicia, ambitioſe dico, locum qui animam egit, depoſitum, & conclamatum, reſtitui a mortis limine.

Ut proditis velle dederetur, id eſt, ut Claſſius dederetur, quos volebat eſſe proditos, Arpinatibus eleganter. *Noxae ſtare*, ut illud lib. 3. *injuriae puella ſtabat.* Quod vero Mureto lib. 15. var. lect. cap. 16. hîc magnopere cordi eſt,

 mi-

mihi vehementer diſplicet. Cauſa haec eſt. Si enim hoc Romanis agendum fuit, ne qui ſocii ab iis deficerent, proditae fidei mehercules gratiam facere non debuerunt; ut quae res peccandi, atque deficiendi feneſtram aperuiſſet, cum facile impetrandae veniae ſpem reſpexiſſent deſciſcentes. Sed hoc monet Fabius, Per Punicum bellum multos a Romanis ad Poenos defeciſſe populos, Reip. ſemper vulnere. Ergo Diis habendam gratiam, ſi qui antiquam ſocietatem reſpiciant, tantum abeſſe, ut in eos ob proditam fidem ſevere animadvertendum ſit. Non enim iis locis Remp. ſtare, quo Pyrrhi, & Faleriorum bello fuerit. Tunc temporis enim florente pop. Romano, & rebus ſupra votum fluentibus, impune ſociórum perfidiam contemnere licuiſſe, & quae Fortuna urbis fuerit, etiam ſupplicium ſumere. Nunc vero hoc periculoſiſſimo bello, ſi non mutandi in melius conſilii locus ſit, ecquem non intelligere, neminem ex iis, qui defecerint, ob deſperatam veniam rediturum; ac eos etiam, qui adhuc fidem colunt, odio Romanae ſaevitiae, ac prementis inſuper belli neceſſitatibus animum ad hoſtes clementiores utique & benigniores abalienaturum? De *Triumvirali* autem *judicio*, ſive *indicio*, tu vide, an recte emendaverim. Scio *VIIem viralis judicii* Paulum meminiſſe JCtum Cap. 7. 28. & 31. de inoff. teſt. Cujac. lib. 3. obſ. cap. 32. Raevard. etiam lib. ſing. protrib. cap. 20. ſed πρὸς ἔπος οὐδέν. Crediderim ex notis numeri natum errorem, *IIV virali*, imperitos invertiſſe *VII virali*.

Lib. xxvi. Cap. 12. *Auditaque vox Annibalis fertur, potiundae ſibi urbis Romae modo mentem non dari, modo fortunam. Minuere etiam permelius aliae parvae, magnaeque res. &c.*] Tanti eſt inſpexiſſe, & tractaſſe libros veteres, meus MSS. *modo fortunam. Minuere vere etiam permelius &c.* Ex eo, & Vallae libro lego. vel —— *fort. minuere. Vertere & jam praeter Divos, melius & aliae &c.* Vel, *modo fortunam minuere. Etiam praeter Divos vertêre melius & aliae &c.*

Cap. 33. *De iis rebus quid fieri velitis jubeatis, rogo Quirites. Plebs ſic juſſit. Quod Senatus jurati maxima pars cenſet, qui adſidetis, id volumus jubemuſque.*] Ita nobis Briſſonius & tu hunc dediſtis locum. Ego τὸ *adſidetis* detrunco, & reſcribo. *qui adſid*, id eſt *adſit*, ἀρχαϊκῶς. Librarii verbum exiſtimabant eſſe adtegrum, alius *adſidetis*, alius *adſidens* varie explebant, pro captu, & ſuo quiſque acumine. Liv. ſupra lib. 1. *Quandoque pars major eorum, qui aderant, in eandem ſententiam ibant, bellum erat conſenſu fieri ſolitum* Et eſt Senatus verbum *adeſſe*, Briſſonio obſervatum in formulis. Sed quid huic loco, *qui adſit?* Credo ne impedimentum SCto. adferret *numera Senatum*. Te quoque, *Magne Lipſi*, rogo, velis jubeaſve ita hunc locum reſtitutum eſſe? Certe locum, quem diu torſeram, torſit me quoque acriter, & ipſae fere me acuendi curae reddiderunt hebetem.

Lib. xxxvii. Cap. 55. *Certare pio certamine cujuslibet bonae artis ac virtutis auſi ſumus cum parentibus quaeque civitas & conditoribus ſuis.*] lib. MSS. Priſciani, (cujus mihi copiam fecit doctus juvenis *Jacobus Schegkius*, *Schegkii* illius Magni Philoſophi Nepos, amicus meus amiciſſ. quem ſolum ſperare audemus *Camerarii* & *Sambuci* ſuccreſcere laudibus.) *Certare pio certamine cujuslibet*

bonae

bonae artis & virtute auſimus cum parentibus, quia quaeque civitas auſit à ſuis. aliter in excuſis. — *& virtutis auſi ſumus, cum parentibus quoque civitas ſuis.* lego. *Certare pio certamine cujuslibet bonae artis ac virtutis auſimus cum parentibus, & civitas quoque conditoribus ſuis.* vel. — *parentibus, civitas quoque &c.*

Has ex Sexcentis potiſſimas judicii tui explorandi εἰς Ἀθήνας volui γλαῦκας. Itaque ignoſce ſi alicubi ſus Minervam. Tamen ſi ſenſero te *Meas eſſe aliquid putare nugas*, Hercle dabo operam, ut Francofurtum noſtra per ſingula ſemeſtria ſingulas tibi litteras mittat. Nam ut frequentiores inter nos, ego in praeſens occaſionem nullus video. Niſi tu quaque occaſione Auguſtam Vindelicorum tuas poteris. Poteris: ad oram litterarum ad me ſuperſcriptionis, ſi Germanice ſcis, appinge aliquid tale. & ad me perferentur certo certius. Aliter, mercatores noſtri homines certi veſtros mercatores, vel bibliopolas homines certos requirent, & dabunt iis Francofurti noſtras ea conditione, ut proximis nundinis (queis mei tuos iterum requirent.) tuas accipiant. Si placet conditio, ego me jam nunc ita paro, ut per ſcriptores varie hinc inde conceptos ſuccos unius tibi ſemper epiſtolae emulgeat uber. Sed amittamus τὸ ἐπιςέλλειν. Tu potius ad me (per fortunas) ſcribe prima quaque occaſione, quis veſtrae ſcholae ſtatus; quis tum ejus pars; qui praeter Clariſſ. *Donellum* Profeſſores Juris; qua iter a Colonia Lugdunum mihi notabis. qua mihi ad vos tutum a bello iter; pro victu, potu, habitatione in ſeptimanas, in annos, quid veſtri ſtudioſi viritim pendeant; ubi vivere ego poſſim; tecum, an alibi: tecum tamen obſecro. Nam tui me unius ardor videndi, alloquendi, complectendi, atque fruendi hoc ſuſcipere iter impellit, alienum a re mea, & vero etiam ab honoribus atque fortuna alieniſſ. ſed quae mihi tanti fortuna, quae me tuo conſpectu, complexu abſtinere potis ſit? Itaque feſtino, & vero etiam feſtinat qui has ſecum Francofurtum auferet; venit enim ad me petaſatus, & itineri duabus jam ante horis accinctus. Ignoſces ergo epiſtolae ineleganti, atque impolitae. Quamvis enim dudum aliquid dignum te meditabamur ſcribere, ſimulac tamen ob metum latrociniorum tempori ſe noſtri pernegabant ituros, eam curam projeceram. Itaque haec fere ad te voluimus, *Magne Lipſi*, amicitiae conſtituendae tecum, a ſtylo celeratim, neglecte: ab animo mature, aperte, candide, Germanice, mehercles. Ne ſim ſalvus ſi aliter ſcripſi, ac ſentio. Non enim ex iis ſum, qui

Compoſita dicta pectore evolvunt ſuo;
Quae cum componas, dicta factis diſcrepant,

Verbum non ſinit addere importunus flagitator, & jam minatur occentaturus oſtium. Quanquam quanti te faciam *Lipſi*, quamque me totum tibi dicaverim, hac ex epiſtola ſcire licet. Prorſus de Klokio tuo ſic ſentias, habeasque animo, nihil tam aſperum, neque tam difficile fore, quod non tui commodi cauſa cupidiſſime facturus ſim. Salve Muſarum juxta & humani generis delitiae, amores, & me mutuiter dilige ſaltem, qui te plus jam ſuis oculis amet. De noſtris annis diurnent te nobis ſuperi Neſtoreos in annos, Vir Clariſſ. *Bibraci*,

braci, vulgo *Biberbach*, *Biberach*, & *Bibrach* συγκοπτικῶς, quod interpretari potes, ad ripas caſtorum, Sueviae & Imperii urbe libera, quam inter & Ulmam eſt quatuor millium terra. x. Kal. Apr. ∞ IↃ. LXXXIIX.

EPISTOLA CCCLXXII.

MATTHAEUS KLOCKIUS

Magno Lipſio meo Salutem & amorem nuncio.

SI vales, *Lipſi*, gaudeo, ego vaſeo. Iterum gaudeo meas te proximis accepiſſe nundinis, & per *Brederodium* noſtrum aditum mihi eſſe factum ad amicitiam tuam. Vellem reſcripſiſſes tamen; nam ego in *Brederodii* reditum Baſileae haeſi, & vix jam unus exivit menſis, cum in patriam inde pedem retuli J. Cti. titulo auctus, ſi ſcire etiam tua id intereſt. Commentarium in *L. Tranſigere*, C. de tranſact. tumultuario opere his conſcripſi nundinis. vellem mihi exemplar in mundo eſſet, ut publicum opus tua Cenſoris probatio eſſet. Francofurto tamen per bibliopolas veſtros habebis facile. Ibi cap. I. ſecundae partis contra *Delrium* longam inſtitui diſputationem, adulterii crimen, non ſub Divis fratribus, non ſub Alexandro, non ſub Diocletiano, ſed ſub Conſtantino Magno demum factum eſſe capital. Probavi, ut mihi videtur, rationibus validis. Ecce tamen in Tertullianum meum here incidi, & divina quaſi virgula in de Cultu femin. inductus ſum. legimus ibi: *Quare femina cultu ſuo concupiſcentiam alteri importat? quam ſi Dominus ampliando legem a facto ſtupri non diſcernit in poena, neſcio an impune abeat, quae alicui fuerit cauſa perditionis. Perit enim ille ſimul in tua forma, ſi concupierit, & admiſit jam in animo quod concupivit, & facta tu es* (apud Deum ſcilicet, qui cogitationes & voluntates pro ipſis factis punit) *gladius illi. &c.* ut videtur certe Tertull. eo alludere, quaſi ſub Severo jam, id eſt, ſuo aevo, capitalis & nominatim gladii poena adulterii fuiſſet. valde haereo. (imo non haereo amplius, poſtquam *Renati Laurentii de la Barre* in eum locum annotationes inſpexi.) quaeſo expedi me, & doce tu aliquid certius. Interim tamen, videſis mihi hos Valerii Maximi locos, quos tui judicii facio.

LIB. I. CAP. I. exemp. I. in Baſilienſibus membranis eſt: *Portentorum depulſus.* poſtea. *Cum aliquem commendandum eſt, precatione.* valide probo.

Exemp. 14. lego. *Non ignarus ad quam crudeles, quamque etiam merito ſibi infeſtos Penos* (i. *Poenos*) *reverteretur.*

Exemp. 16. in Baſil. MSS. eſt. *Creditum eſt Varronem Cos. apud Cannas cum Carthaginenſibus ab ira Junonis tam infeliciter dimicaſſe.*

In externis exemp. I. tuam lectionem: *Factum Maſaniſſae animo, quam Punico ſanguini conveniens &c.* confirmo aperte MSS. Baſilienſi.

CAP. 3. exemplo I. τὸ *judicabant*, deleo.

CAP.

Cap. 5. exemp. 4. lego. *Cum in ſacello quodam ei rei aliquandiu perſediſſet.*

In extern. exemp. 2. in fin. ex MSS. Baſil. lego. *Ex inſperato enim ſuperatis hoſtibus, ſucceſſum ſuum omini acceptum referentes, & tunc Aeanti ut Deo immolaverunt, & deinceps omnibus proeliis duce uti inſtituerunt.*

Cap. 6. exemp. 1. lego. *Servio Tullio etiamnum puerulo dormienti &c.*

Exempl. x. in MSS. Baſil. eſt. *ea re ſignificari exitum ſuum, in quem metu augurii triſti fine vitae incidit.*

Exemplo 11. Deleo τὸ *exercitum*, & τὸ *exeuntibus*.

Exemp. 12. in MSS. Baſil. eſt. *pectus alioqui procul ab amentia remotum.*

In extern. cap. 2. lego. *infantiaeque incunabula fructili deorum munere donata &c.*

Cap. 7. exemp. 1. legis. *divino numine effectum eſſe.* ſic etiam Baſil.

Exemp. 3. Deles τὸ *aggrederetur.* & do tibi MSS. Baſil. auctorem.

Poſtea in MSS. eſt. *victricem abituram.* recte. vulg. *victoriam habiturum.*

Exemp. 7. ex Baſil. MSS. lego. *Siquem talis habitus &c.* pro, ſiquidem.

In extern. exemp. 3. in Baſil. quoque eſt. *quam in deſertis & ignotis arenis inſtruxerat.*

Exemp. 4. *quod non in dentis, ſed ferri ſaevitia in metu reponebatur &c.* ſic vulgati, nec Pighius habuerit. lego. *quod non in dentis, ſed ferri ſaevitia metus reponebatur.*

Cap. 8. exemp. 2. ex MSS. lego. *Paventibusque inviſitato ſpect. nautis eo eſcendit, ubi Q. Ogulnii leg. tab. erat, inque mult. orb. per ſum. quiet. eſt obvolutus.*

In fin. libri 1. ex Baſil. MSS. lego brevius & conciſius quam tu. *Romana inde ſummoviſſe caſtra. Corium CXX. pedum in urbem miſſum.*

Lib. 2. Cap. 1. exemp. 3. *Exiſtimabant enim eum praecipue matronae ſincera fide incorruptum eſſe animum, qui depoſito virginitatis cubili pudicum egredi neſciret.* ſic MSS. Baſil. habet, cum qua vulgatam confundo & emendo. *qui depoſita virginitate cubile unicum egredi neſciret.*

Poſtea tu legis. *quaſi legitimae cujuſdam intemperantiae.* recte. nam Baſil. MSS. *quaſi cujuſdam legitimae intemperantiae.* & hanc lectionem confirmant Conanus lib. 8. comment. jur. Civ. cap. 7. n. 5. Cujac. Parat. in C. de ſecundis nupt.

Exemp. 4. lego. *Cupiditatem quaerendorum liberorum.* pro *quidem liberorum.*

Exemplo 9. emendationem tuam probo, & porro Baſil. MSS. adjuvo. ſic liber. *Brevique proceſſurarum in lucem virtutum ſuarum verecundia laboris meditatione ipſi coctiores erant.*

Cap. 2. exemp. 3. in Baſil. MSS. eſt. *Quapropter non es damnandus ruſtici rigoris crimine C. Mari.*

Cap. 4. exemp. 5. in Baſil. quoque eſt. *Vidiſſe ſe in ſomniis, a neſcio quo Deorum, ſpongia corpora ſua praetergui, & praecipi &c.*

Cap. 6. exemp. 7. in MSS. eſt. *qui cauſas cenſentis, id enim Senatus ejus nomen eſt &c.* al. *ſeneſcentis.*

Lib.

Lib. 3. exemp. 2. lego. *Abiecturus inde, niſi precibus obtemperaret, minatus eſt.* cap. 2. exemp. 6. in MSS. Baſil. eſt. *quodque ex ea ſuperaverat. &c.* cap. 6. exemp. 1. lego. *inque pallio & crepidis viſus eſt.* poſtea lego. *hoc vehementiores impetus dant.*

Cap. 7. exemp. 1. ex Baſil. lego. *roſtra eſcendit.* poſtea emendo. *Carthaginem magna ſpirantem.*

Exemp. 3. lego. *Cujus inſtincti minime utilis interpellandi Naſica contrariam actionem ordiri coepit.* in MSS. eſt. *Cujus inſtinctu.*

In extern. exemp. 2. lego. *adjiciam ſchemae ejuſdem exemplum.* reſtituendum id verbum authoribus ſaepe. Senecae epiſt. 100. *remota omni lugentium ſchema.*

Cap. 8. exemp. 3. in MSS. Baſil. eſt. *dum ſponſum* (vulgo *ſpecioſum*) *menti ſuae non flecti vult rigorem.*

Exemp. 6. lego. *Inſtabat tibi torvo vultu manus protentans ampliſſ.* (MSS. *altiſſima*) *poteſtas.*

Lib. 4. cap. 3. in extern. exemp. 3. lego ex MSS. *nullam partem conſtantiſſimam ejus abſtinentiam labefecit.*

Cap. 5. exemp. 3. lego. *comitiali certamine confoedarat.*

Poſtea lego. *Nam ut vidit omnes ſe centurias Scipioni anteferre.* & in MSS. eſt, *anteferri.*

Deinde: *ut ſcilicet Praeturam juſtius Africani memoriae concederet, quam ſibi vendicaret.*

Statim in Baſil. membranis eſt. *Nec maximum eſſe verecundiae precium. Scipio tunc honorem adeptus eſt.* nam ibi totum illud, *Cicerejo tamen magis gratulati ſunt*, in contextu deeſt, ſed ad marg. tali adjungitur lectioni. *Tunc etſi maximo verecundiae precio Scipio honorem adeptus eſt., Cicerejo tamen gratulati ſunt.* & al. *Cicerejus tamen magis gratulatus fuit.* lego: *Tunc etſi Scipio maxime honorem adeptus eſt, Cicerejus tamen verecundiae praeconio magis adulatus fuit.* vel, *cumulatus.*.

Cap. 7. exemp. 3. legis. —— *tu exilium indiceres, (adeo blando uteris imperio) ſupplicium honori praetulit.* recte. nam ſic in Baſil. MSS. diſerte eſt.

Exemp. 5. lego. *Paria enim ob inclytam amicitiam auſo par gloriae portio afferenda eſt.* vel, *paria enim & inclyta amicitiae auſo par gl. port. aff. eſt.*

Exemp. 7. in fin. in MSS. Baſil. eſt; *qua libentius, qua etiam religioſius erit operata.*

Lib. 5. cap. 1. in praefat. lego. *quoniam in idem genus laudis expetunt.* Egregium verbum *expetere*, quo de Palmerius extremo ſpicilegii novi pag. 144. a. & b. Liv. lib. 1. *ut in eum omnes belli hujuſce clades expetant. &c.* reſtituo Senecae 1. de benef. cap. 10. *Non expetunt uno loco vitia. &c.*

Cap. 2. exemp. 1. in MSS. Baſil. eſt. *Marcium Coriolanum patriae interitum conantem.* optime.

Cap. 3. in extern. exemp. 3. in Baſil. eſt. *His dotibus, quae ad parcendum hominem potentiſſimae judicantur &c.* audi marginalem gloſſam ineptiſſimi hominis. *pariendum.*] *Nota quod quaedam virtutes faciunt ad gignendum hominem, ut Juſti-*

tia

tia & temperantia. quaedam faciunt ad pariendum, i. e. *ad publicum ducendum, ut Clementia & Liberalitas.* nam pro illis verbis —— *potentiſſimae judicantur, eloquentia & integritate*, in Baſil. quoque textu eſt, *Clementia & liberalitate.*

Emendationem poſtea tuam valde amo, & juvo Baſilienſibus membranis, in quibus aperte eſt. *Diſcordes foci tui, pagiſque dividua tuguria Graeciae facta ſunt columen. Lucet Marathon &c.*

Cap. 7. exemp. 1. in externis lego; *eaque egrediente pallere, & ſedatiorem anhelitum ſubinde* (vel, *ſubito*) *recuperare animadvertit.*

Cap. 9. exemp. 1. lego. *abſolvit eum tum de concilii, tum etiam de ſententia ſua.*

Cap. 10. exemp. 2. lego. *duos jure adoptionis in Corneliam Fabiamque gentem ſibi ipſe abrogavit.*

Lib. 6. Cap. 1. exemp. 13. in MSS. eſt. *C. Memmius L. Octavium ſimiliter deprenſum per vis contudit.* & ad marg. *contulit.*

Cap. 3. exemp. 9. eſt in Baſil. MSS. *quod vinum biberet furtim, percuſſam interemit.*

Cap. 9. in extern. exemplo 1. lego. *ſertis caput redimitus.*

Exemp. 5. lego. *velle ac poſſe in aequo erat.*

Exemp. 7. in MSS. Baſil. melius eſt. *improviſo recurſu deſtitutos.*

Lib. 7. Cap. 1. in fin. lego. *& uſus neceſſarii horreolum nulli munus appetendum, quam &c.* vulgo ineptiſſime juxta ac corrupte, *nulli nimis appet.*

Cap. 2. in extern. exemp. 2. ex MSS. lego. *inque ſequentibus ſaeculis ſint habituri.*

Exemp. 11. induco vocem *videmus*, authore MSS. Baſil.

Cap. 3. in extern. exemp. 1. lego ex MSS. *quidnam ſe immerentem capitale ſupplicium adigeret.*

Exemp. 2. in Baſil. ad marginem eſt. *ſordida Magorum dominatione Perſide oppreſſa, Darius reſtitutoribus ejuſdem dignitatis aſſumptis, pactum cum praeclari operis conſortibus fecit. &c.* ejicio importunas gloſſas, conjicio & lego. *ſordidâ Mag. dominatione oppreſſâ, Darius praeclari operis conſortibus aſſumptis, pactum cum eiſdem fecit &c.* niſi brevius placet: *ſordidâ Magorum dominatione oppreſſâ, Darius pactum cum praeclari operis conſortibus facit &c.* nam illa, *reſtitutoribus ejuſdem* (& hoc praenomen ſcio ad illam quoque inſititiam vocem *Perſide*, referri) *Dignitatis &c.* clarum gloſſema ſunt eorum, *praeclari operis conſortibus.*

Cap. 6. in fin. in Baſil. MSS. ad marg. eſt. *Ex hoc nnmirum hoſte tanto duci poena, quam victoria petenda fuit: quia plus vindicatus liberis natis, quam victus gloriae afferre potuit &c.* agnoſco gloſſam & defectum. lego & expleo lacunam. *quia plus vindicatus interemptis conjugibus liberiſque piaculi dare, quam victus victori gloriae afferre potuit.*

Cap. 7. exemp. 1. lego. *domum petit, errore patris, impudentia amicorum ſibi clauſam. Quid enim &c.*

Cap. 8. exemp. 7. lego. *praeteritis advocationibus & patrociniis ſuis &c.* nam MSS. *patrociniis* clare ad marginem praefert.

Lib. 8. Cap. 3. exemp. 3. lego, & addo vocem, quae fortean excidit. *Revixit in muliebri ſtirpe Q. Hortenſius, verbiſque filiae gratiam aſpiravit. Reſpexit*, ad illud Virg. *& dictis divinum aſpirat amorem.*

Cap. 7. in extern. exemp. 7. lego. *ſed protractis à pulvere manibus.*

Exemp. 15. *ut ſine nomenclatore exercitum ſalutaret.*

Cap. 8. exemp. 2. lego. *in ſanis luſibus.* proxime ad Pighianos libros.

Cap. 15. exemp. 7. ſuppleo aliquas voces; —— —— *ſi quid illi humanitus accidiſſet, quemnam Reſp. aeque magnum habitura eſſet Imperatorem? ipſum reſpiciens ſupra ſe cubantem: vel hunc dixit, vel neminem.*

Cap. 13. in extern. exemp. 1. in MSS. Baſil. ad marginem eſt. *Quo dicto paene* (i. fere) *abjecit* (i. e. abdidit, forte *objecit*) *glorioſam dulcedinem gloriae & victoriae ſuae.*

Lib. 9. Cap. 1. exemp. 2. lego. *Inde infuſae culinis arcae, inde cenſibus edendi atque bibendi voluptas reperta eſt.* vel, *inde infuſae culinis cenſibus arcae, inde edendi atque bibendi &c.* in Baſil. MSS. eſt. *Inde infuſae culinis arche cenſibus edendi &c.*

Lib. 8. Cap. 7. extern. 3. emendationem tuam probo, & confirmo Baſil. MSS. in quo eſt. *à Timaeo, Arione & chete Locris praecepta Pythagorae acciperet &c.*

In Livio lib. 23. cap. 8. *Unus nec dominorum invitatione, nec ipſius interdum Annibalis, Calavii filius Perolla vino vinci potuit: ipſi quoque valetudinem excuſans patri, animi ejus mirabilem interturbationem cum quaereret. Ante ſolis &c.* τὸ *vino* vetus meus Mediolan. nullus habet. & meo judicio recte. nam fuerit ſane ſumptuoſiſſima coena, tamen Campanos poculis certaſſe, & ſe more ſuo in ebrietatem invitaſſe, nunquam crediderim, ob praeſentiam, verecundiam & majeſtatem Annibalis. volebam emendare, ſed ſuſpenſa manu. *invitationi jungi potuit.* quaero adhuc verbum aptius, niſi exciderunt aliquae voculae.

Lib. 40. Cap. 52. Regilli tabulam ſic emendo poſt Sigon. *Supra valvas templi tabula cum titulo hoc fixa eſt:* DVELLO MAGNO DIRIMENDO, REGIBV' SVBIGENDIS, PATRANDAE PACID, EXEVNTI (pro, *exeunte*) L. AIMYLIO M. F. REGILLO PR. *Auſpicio, imperio, felicitate ductuque ejus inter Epheſum, Samum Chiumque, inſpectante ipſo Antiocho, exercitu omni, equitatu elephantiſque, claſſis Regis Antiochi a. d.* XI. *cal. Jan. victa, fuſa, contuſa, fugataque eſt. Ibique eo die naves longae cum omnibus ſociis captae* XLII. *Ea pugnâ pugnatâ Rex Antiochus regnumque ejus ad L. Scipionem Cos. de pace legatos miſit. Ejus rei ergo aedem Laribus permarinis vovit.* cauſſas dedi in Comment. meo ad L. *Tranſige* C. de transact. in epiſt. dedic. ad Gothofredum & Brederodium.

Apulejus lib. 5. metamorph. *occipiunt ſciſcitari qualis ei maritus, & unde natalium feſtacula provenirent.* Colvius, Pictor, & Gruterus tentarunt locum, mecum fruſtra. legerim lubens *qualis ei maritus, unde natalium feſta, & cuia proveniret.*

Petronius. *& eloquentiam, qua nihil eſſe majus confitentur, pueris induunt adhuc.*

huc naſcentibus. lego, *Papantibus.* Dicit Petronius nos ſpes noſtras ambitioni donare, propellere ſtudia, & properare ad vota. Finge patri alicui natum eſſe puerum. jam deſtinat & ſperat eum oratorem, mora, expectatio, ſollicita, longa, moleſta, cruciabilis eſt, donec ille fari, loqui, doceri, diſcere. Jam bimulus linguam ſolvit, & *papa*, *atta*, *tatta* garrit. huic feſtivus ille ambitioſus & ſtultus pater eloquentiam ex tempore induere properat, cupit, ardet. praepropere, quia papanti eloquentiam: ridicule a contrariis, papare, eloqui.

In Sen. de benef. 1. cap. 1. lego. *Quia qui non dat, vitium ingrati anticipat. Dicam quod ſentio. Qui beneficium non reddit, non magis peccat, quam qui non dat.*

Cap. 2. lego. *Illud enim falſum eſt, perdenda ſunt multa: Nullum perit: cujus quis rationem putaverat, id perit. Beneficiorum ſimplex ratio ſit: Ego illud dedi, ut darem. tantum eroga: ſi redit aliquid &c.*

Cap. 9. lego. *in ſella proſedere vetuit.*

Poſtea lego. *& in duicenſum caelebs aut viduus nemo uxorem ducit, niſi qui abducit maritatam. Duicenſus*, ut *cenſus*, *recenſus*, hinc *duicenſi* dicti, qui praemia patrum conſecuti cum prole in civitatem adſcribebantur. vide Scaligeri Feſtum, in *Duicenſus* & *Improlus.* caetera emendare non poſſum. quaeſo conare tu. Ego in hoc cap. multa deeſſe credo.

Eod. Cap. lego. *At ejus pejor eſt conditio, qui lingua aſper, vultu gravis, cum invidia fortunam ſuam explicavit. Colunt enim deteſtanturque felicem: & ſi compotiverint* (i. voti compotes facti fuerint) *eadem facturi* (circa cultum ſcil.) *odere facientem* (i. e. benefacientem) Gotthofredum hîc audio, ſed non auſculto.

Cap. 11. lego. *Poſt haec ſine quibus nolumus.* vel. *nolimus.* corruptiſſime vulgo, *Poſt haec manebimus.*

Lib. 2. Cap. 12. *niſi in os ſenatoris ingeſſiſſet Imperator digitos ſuos.* i. digitos ſuos pedum ſcil.

Lib. 3. Cap. 15. lego. *In quid iſti viri orati adhibiti ſunt.*

Lib. 7. Cap. 10. lego. *immenſi greges ſervorum.* non, *pecorum.*

Lib. 6. Cap. 38. in vulg. eſt. *Agricolam annonae caritas erigit. Eloquentiae exceptat precium litium numerus.* pro *exceptat*, lego *exciptat* i. e. excitat. ſed hoc gloſſema eſt τȣ̃ *erigit.* igitur amolior, & lego. *Eloquenti pretium in litium numero eſt.* vel. *Eloquenti precium litium numerus eſt.*

Epiſt. 14. lego. *Quam minimum ſit in corpore tuo ſpoliorum. nemo ad humanum ſanguinem propter ipſum venit, aut admodum pauci: plures conam* (vel *ſonam*, i. e. zonam) *petunt, eam oderunt.*

Lib. 1. de clem. cap. 12. ex MSS. Baſil. lego. *ſic feras linea & penna cluſas contineas: eaſdem a tergo eques telis inceſſe, tentabunt &c.*

De tranquill. vitae lib. 2. cap. 14. in vulg. eſt. *Ille puſilli animi eſt, qui ſibi placet, quod oſtiario libere reſpondit, & virgam ejus fregit: quod ad dominum acceſſit & petiit thronum ejus.* Suſpicor in veteribus fuiſſe *thernum.* ex eo facio

thergum. ſic enim ſolebant veteres librarii; *thumultus*, *Catho*, *Ptholomaeus* &c. ſaepe autem *h* anti τȣ *g*, in libris obrepſit, pluribus oſtendam exemplis aliquando. lego: *quod ad dominum acceſſit*, *& petiit tergum ejus* (oſtiarii ſcil.) id eſt, qui parum habuit oſtiarii fregiſſe virgam, niſi etiam dominum in ſcapulas & tergum ejus irritaret, & querelis accenderet ſuis.

Conſolat ad Martiam. cap. 20. lego. *Venientes impactum* (i. e. concuſſum, labefactum) *hoc proſpicimus hoſpitium.* id eſt, naſcentes jam videmus hujus mundi hoſpitium vitium feciſſe, ita ut citius nobis hinc abeundum ſit, ne ejus ruina opprimamur.

Epiſt. 26. libens mihi tale aliquid permiſerim. *Juvat diligenter excutere quae non poſſim facere*, *quae nolim: ut ſi quidquam velim*, *quod a futuro* (i. aliquando) *ne proſit*, *id ſi non poſſim*; *non poſſe etiam gaudeam.* ſed in MSS. Baſil. eſt. —— —— *quae nolim: prodeſſe atqui ſi nolim*, *quidquam non poſſe me gaudeo.* optime. quidquid enim debemus nolle, hoc velle debemus nos non poſſe, ut alibi ipſe Seneca ait:

Haec impraeſentiarum ad te volui Magne Lipsi, nec tamen ea quaſi Pythius Apollo, certa ut ſint & fixa; ſed ut homunculus unus e multis probabilia, an forte, conjectura ſequens. Oro te per genium tuum, mi Lipſi, bea aliquando me tua una epiſtola. Si libet oranti & ſupplicanti aliquid reſcribere mihi, Francofurtum fac ut ad *Nicolaum Baſſaeum* typographum perveniat. inde ego per Argentoratum & Baſileam hîc Bibraci Suevorum accipio. Vale, Magne Lipsi, omne officium meum tibi offero, cultum & venerationem debeo. Bibraci Suevorum. Kal. VII. Sept. A. ∞.IↃ.XCI. concito calami protelo.

EPISTOLA CCCLXXIII.

JAC. AUG. THUANUS

V. C. *Juſto Lipſio* S. D.

Lovanium.

Libris tuis de Conſtantia Synonymum ad te mitto; abſit ut alia in re comparandum exiſtimem; intelligo quod in eo a me eſt; nam quod a divino Spiritu eſt, extra comparationem eſſe ſcis. tui certe recordatio fecit, ut quam alii patientiam, ut omnes fere theologi, conſtantiam appellaverim. nec poenitet. quî enim poenitendum, quod tuo exemplo factum? de nomine ſatis, nunc de re. librum ad te mitto, ut eum acri illo judicio tuo examines, & quae in eo a Latinitate peccata ſunt (ſunt autem quamplurima) emendes. Cum enim duo in eo mihi ſervanda fuerint, veritas Hebraïca, inquam, & ſermonis puritas, vereor, dum in altero nimis anxie laboro, ne neutrum adſecutus ſim. id tu videbis, & per otium amice monebis. nam caſtigatiorem poſtea ſum editurus. nunc tantum pauca exemplaria excudi juſſi, ut ad amicos mitterem, & eorum judicia per literas explorarem. nunc ad litteras tuas li-

licet ſerius reſpondebo. *Scaliger* ad me nuper ex Arvernis ſcripſit, ſe propter has turbas prorſus a Muſis alienum: deſiderare tamen, ut Horatius denuo recudatur cum Porphirione antiquo & Helenii Acronis, quae ſuperſunt, ſcholiis: item commentatore vetere nuper a *Cruquio* edito, cui & additurus eſt ſuas notas. habebat & prae manibus apologiam pro libris de emendatione temporum, nec non & elenchum anni Liliani. ſed omnia excuſſa e manibus. Prope diem Servius antiquus edetur curante id *P. Daniele*. nunc viciſſim quid a te expectemus accipe. De Plauto ſpes erat; quia & potes, & velle videbaris. Sed T. Livii editionem amplius differre non potes. certe Velleium P. Suetonium, Lampridium, Spartianum, Capitolinum, & reliquos quotidie flagitant ſtudioſi, & quaſi convicio exigunt a *Sonnio*, qui res *Plantini* heic agit. Si & heic nota privata locum haberet, cuperem ut ad Saturnalia, circum, venationem & ſcenam adderes. item triumphum & funus. Crede mihi doctorum judicio, ac noſtri *Scaligeri* praecipue, nihil non potes. tantum velis, & per valitudinem liceat. *Jano Douzae*, *Jano Lernutio*, & *Victori Giſelino* plurimam a me ſalutem; quibus, ſi non moleſtum erit, copiam unius exemplaris facies: quod ſi dignum cenſura ſua duxerint & annotaverint, ô me beatum! Te *Puteanus*, *Delbenius*, *Pithoei* fratres, & *Nic. Faber* ſalutant. Vale, & me ama. Lutet. Pariſ. pridie Kalend. Aprileis. anno S. CIↃ. IↃ XIIC.

Mitto ad te exemplar HIERACOSOPHII noſtri, nuper δευτέρων ἀμεινόνων recognitum & caſtigatum, quod ut denuo relegere digneris, rogo, & ſententiam ſuper ea re tuam aperire.

Credo ad hanc reſpondiſſe Lipſium II. Cent. Miſc. LXI. quae nota anni caret. *Thuanus* vero Carmine celebravit Conſtantiam Jobi, & tres edidit libros de re accipitraria, quos inſcripſit ἱερακοσόφιον. quos libros nunc mittit Lipſio hac epiſtola comitatos. libri de re accipitratria adjecti ſunt ſcriptoribus Rei Accipitrariae a *Rigaltio* A. 1612. Lutetiae editis. Illos vero perperam *Scaevolae Sammarthano* attributos notatur a *Placcio* cap. x. de Scriptoribus Poëticis pag. 391. & ego jam ſupra ad Epiſt. CCXXV. miratus fueram, non legi inter ejus poëmata. quare niſi videam primam A. 1584. editionem, hanc litem dijudicare non poſſum. & pene adducor me, *Sammarthano* ea tribuentem, cum reliquis erraſſe. *Thuani* certe vidi & legi, non vero *Sammarthani*. vid. *Thuani* vitam ab ſeipſo conſcriptam, qui ſe primum duos libros A. 1581. Burdigalae cura *El. Vineti* edidiſſe, ſcribit, deinde addidit tertium. vid. lib. II. pag. 1346. & lib. III. pag. 1354. & ſeq. Edit. in 8. Francof.

EPISTOLA CCCLXXIV.

JAC. AUG. THUANUS

V. Cl. *Juſto Lipſio* S. D.

Leidam.

ABeuntem hinc *Baudium* ſine litteris ad te meis dimittere relligio fuit. Dum heic manſit, plerique inter nos de te ſermones, ac nulli fere ſine crebra & honorifica tui mentione. gaudeo te & accepiſſe meas illas breveis, ut pote dum in equo ſederem, ſcriptas, & viciſſim redditas mihi tuas, quibus de rebus tuis certior factus ſum. quanquam quod inibi de valetudine tua ſcribis

bis, acriter me pupugit. non hoc ſinat ille, cui literarum ſtudia curae ſunt, & literarum ſtudioſi. de *Scaligero* quod cupis, ex ejus litteris, quas *Baudio* ad te perferendas dedi, cogneſces. totus eſt hodie in Mathematicis. mitto ad te ipſius elegantiſſimum epigramma de problemate, fruſtra a priſcae illius aetatis Geometris tentato, ab eo tandem certiſſimis e geometria petitis rationibus demonſtrato, ſcriptum. Heic apud nos aliquandiu fuit *P. Daniel*, qui Servium antiquum ex diverſis M. S. exemplaribus deſcriptum a ſe & concinnatum edere parat, ſi per has turbas licebit. ſic temporis taedium fallimus, & deſiderium tot magnorum virorum, qui cottidie aut ferro aut maerore animi intercipiuntur, lenimus. *P. Pithoeus* & *Nic Faber* adhuc illa immani Babylone incluſi retinentur; nec tamen otioſe tempus elabi ſinunt. Conciliorum veterum, ac praeſertim Gallicorum, non ante evulgatorum editionem adornant. nam de humanioribus litteris apud nos actum & conclamatum. Aveo videre tuas in Velleium notas. quis autem ille *Dialogiſta?* quiſquamne tam impudens & a Muſis averſus, qui in te aut dicere aut ſcribere auſus ſit? ſed notae & ſcriptum illud in manus noſtras nondum venerunt, ut neque nova Politici centonis editio, quam pro tua agnoſcis. fac ut ea omnia quamprimum videamus. ſic enim tibi perſuade, nihil a te proficiſci poſſe, quod non & reipubl. utiliſſimum & nobis gratiſſimum ſit. Thraſeam promiſſum toties quid amicis invides? ſcis enim nos in ea tempora incidiſſe, quibus e re noſtra eſt animum magnis illis exemplis confirmare. haec ſparſim, & ut in mentem venerunt, confuſe a me ſcripta ſunt. ignoſce feſtinationi. Cura ut valeas, & me, ut ſoles, ama. Vale cor & delicium Muſarum. Caeſaroduni Turonum. VII. Eid Jun. CIↃ IↃ XCI.

EPISTOLA CCCLXXV.

JAC. AUG. THUANUS

Juſto Lipſio V. D. S. D.

Lovanium.

Literas tuas accepi heri tantum, ac proinde ſerius; neſcio cujus culpa. nam illum culpa liberare non poſſum, qui me tam diu re jucundiſſima carere voluit. Ego certe dabo operam in poſterum, ne meam diligentiam, quantum per occupationes licebit, requiras. de nugis noſtris quod addis, id vero caeco amori in te meo potius tribuo, quam quod illas dignas exiſtimaverim, quae in tanti viri conſpectum venirent. Sed veritus ſum ne ſi aliunde eas nactus eſſes, officium meum ea in re deſiderare potuiſſes. Quod item de carmine in parricidas mones, ut omnia, a te & tuo candore profecta in bonam partem accipio; & fateor omitti potuiſſe; ſed tamen ut ſcripſiſſe poeniteat, per illos non licet, in quos ſcriptum eſt: ex quorum officina novi cottidie emiſſarii prodeunt, qui calorem, in quo illud natum non nego, tepere non ſinunt. En cum haec ſcribo, duo ad ſupplicium rapti, quorum confeſſiones mera prodigia, mera monſtra. crede mihi, ſi iſtic ſis, aliter ſentias.

Ve-

Verum illud ad te miſi, & ne longius emanet, nam a reliquo libro ſeparari poteſt, quando ita tibi videtur, cupio. De *Savillo* non habeo quid certi reſpondeam. nam hominem non novi. is, ut audio in aula Sereniſſimae Anglorum reginae verſatur, & quaedam, ſed Anglice, in Tacitum ſcripſit, quae a viris doctis, qui intelligunt, valde probantur. Nos in hiſtoria hujus temporis, quod publicis negotiis ſuffurari poſſumus, tempus impendimus. in qua qui nos juverit, nae ille Remp., cui operam navamus, juverit. ab anno hujus Seculi XLVI. hoc eſt a bello Germanico initium feci; & eam uſque ad annum LXIX. perduxi. Sed mihi in illa evenit, quod Livius alicubi dicit, ut quo plus progredior, eo plus viae reſtet. Sive copia rerum in cauſa eſt, ſive occupationibus diſtricto opus creſcere videtur, quod prima quaeque perficiendo minui debebat. Id quoque tibi dictum puta. Abſit enim a me, ut fama de ea re ambitioſe ſparſa, quod plerique fecere, mihi nomen quaerere velim, aut fructuoſiores aliorum, ſi qui in eodem opere deſudant, conatus retardare. *Merceri* notas quod probas ſummopere laetor: ſunt enim laude tua omnium judicio dignae. & ſi juvenem noſſes, eum, abſque hoc eſſet, etiam unice diligeres: ſunt enim ejus mores prorſus doctrinae ſimiles, hoc eſt elegantes & probi. multa alia parat, & in Nonium Marcellum praecipue. ad quae edenda non mediocre illi calcar addit judicii tui candor. *Caſaubonum* in dies expectamus, qui totus nunc in Athenaeo eſt; & brevi poſt Polybium dabit. Vix tibi enumerare valeam, quae ille in aliquos ſcriptores Graecos ac Latinos, & praeſertim in Patres Graecos paene affecta habet. mitto Hebraicae & aliarum Orientalium linguarum accuratam cognitionem. quibus opibus ſubnixus quid ille poſſit, & quid ab ingenio tam fecundo & omni re inſtructo expectari debeat, tibi, qui harum rerum aequus aeſtimator es, judicandum relinquo. Reliquum eſt, ut illi & tibi publico bono natis longam vitam det Deus, quod totis votis opto. Vale, & me, ut ſoles, ama. Lutetiae Pariſ. VIII. Eid. April. CIↃ.IↃ.XCIX.

Reſpondet hac *Thuanus* ad Lipſii Epiſt. XLIX. Centur. ad Gall. & Germ. ubi Lipſius volebat omiſſa illa eſſe in fine carminis, quae in Jeſuitas, patronos ſuos & tutelares genios, graviter dixerat Thuanus: *Lipſius* carminis Titulum fuiſſe *Parabaten* dicit. neſcio vero an illud ſit, quod Thuanus lib. IV. vitae ſuae p. 1598. ſe Romae compoſuiſſe & ad Oſſatum ſcripſiſſe ait; & poſtea Caeſarodoni Turonum excuſum; cujus principium & finem ibi adſcripſit, ducentos vero verſus ante finem perire expetit. quos forte innuerat Lipſius.

EPISTOLA CCCLXXVI.

FRANCISCUS JUNIUS

Juſto Lipſio S.

Leidam.

GEorgium Benedictum noſtrum, vir doctiſſime, juvenem incredibili pietate, ingenio ſummo, non mediocri eruditione, apud omneis gratioſiſſimum, nobis conjunctiſſimum amiſimus per voluntatem Dei: quam rem etſi alio-

aliorum ſermone & literis potes cognoſcere, id tamen officii a me deberi duxi tum memoriae illius, tum humanitati tuae. Memini enim me tuis verbis ab illo amantiſſime ſalutari, ignotum hominem, ſed tamen amantem & ſtudioſum tui. Quam ſalutem tibi meis verbis ab illo reddi maluiſſem, ſi tantisper exſpectaviſſet Dominus dum cultus & auctus a nobis, & quidem opera mea (quam ſanctiſſime colebat) reverteret. Non credas, mi ſuaviſſime Lipſi, quanto opere & vita praeſentis & mors abſentis animum meum affecerit. Dum enim apud nos vixit (quod diligentiae potius adſcribo ejus, quam peritiae meae) in lectionibus, diſputationibus, aliiſque exercitamentis ab ore meo quaſi pendere videbatur, & aliis typus erat τῦ σπȣδαίȣ in hoc noſtro doctrinae genere. Dum ad mortem properaret, vix a me avelli potuit: adeo religioſe a me ſe patiebatur confirmari, ut apud Deum ſpiritu vivens, apud me quoque memoria vivere videatur. Caeterum ut ad alia veniam, munuſculum mitto ad te, breve & argutum magis ad veſtras illas ληκύθȣς pertinens, quam ad meum ſtudiorum genus. Te oro ſiquid eſt, quod me in eo genere monendum putaveris, de tua illa recondita eruditione ſine diſſimulatione impertias. Audivi te aliquid in Epiſtolas Ciceronis ad Atticum eſſe admolitum. Id ſi eſt & lucem deſiderare videtur, rogo ſignifices. Habeo apud me notas ſatis multas, quas ut tuus ſum, faciam tuas. Hoc a me velim habeas non expenſe dictum, ſed diligentiſſime teſtatum, me omnem operam, ſtudium, laborem, atque induſtriam in te colendo & augendo, ſi quid forte potero, conſumturum. Vale, & D. *Donellum*, *Vulcanium*, alioſque (ſi commodum eſt) a me ſaluta officioſiſſime. Francofurto Kal. Aprilibus. 1588.

Reſpondet ad hanc epiſtolam *Lipſius* II. Centur. Miſc. 14. Quia autem laudes juvenis egregii, qui ſi diutius vixiſſet, Harlemo patriae ſuae illuſtre ornamentum fuiſſet, complectitur, de eo quaedam adnotare viſum eſt. *Georgius Benedicti* (ita enim, non *Benedictus* vocari debet, vid. Lipſ. I. Cent. Miſc. 71.) *Werteloo* (non ut *Valer. Andr. a Waterloo*, nec ut *Gruterus* Chron. Eccleſiaſt. tom. II. p. 1191. *Weſterlo*) Harlemenſis, poëticam in laudem maxime incubuit, ejuſque ſpecimina quaedam edidit; quae *Valer. Andr.* & *Sweertius* recenſent. Ego vero vidi carmina quaedam in Funere *Guilelmi Principis Arauſionenſis*, Delfis parricidali manu occiſi, A. 1585. quibus additus Epigrammatum libellus erat. Comites Hollandiae carmine expreſſos edidit *Gruterus* Chron. Politic. t. I. pag. 100. Epigrammata & Epitaphia idem Part. I. Delit. Poët. Belg. Cantabrigiam ſtudiorum cauſſa celebraſſe A. 1685. ex epigrammate anonymi, ante ejus Epitaphia Principis docemur. *Lipſio* operam dediſſe A. 1586. cum ille iter Germanicum emanendi conſilio ſuſciperet, patet ex epigrammatibus in reditum Lipſii, quae quia neſcimus an edita fuerint, hîc in publicum proferemus: inde Heidelbergam abiit, ubi annos natus XXV. febri continua exſtinctum Kal. Mart. 1588. *Gruterus* in Chron. Eccleſ. d. l. narrat: *Valer. Andr.* V. Non. Mart. 1589. perperam ſcribit. *Boxhorn.* in Theatr. Holland. in Harlemo p. 251. ſine menſe A. 1589. obiiſſe dicit. Sweertius A. 1597. Ante Aprilem A. 1588. obiiſſe haec epiſtola *Junii*, qui morienti adfuit, docet. Amicitiam ipſi cum utroque *Douza* fuiſſe cultam docent eorum carmina. nam *Pater* eum pag. 142. & 143. & ſaepe alibi. *Filius* pag. 67. 175. 176. 182. 185. & aliis locis paſſim celebrant. *Scriverii* epitaphium huic amico ſuo poſitum exhibet Sweertius in Athen. Belgic. ob ſolius vero Georgii memoriam haec epiſtola edi merebatur. ſed & propter epigrammata ſequentia.

Ad

Ad Clariſſ. V.

JUSTUM LIPSIUM

dum Embdae in itinere ſuo Germanico moraretur.

Hyems eſt abitum tuum ſequuta.
Quod ſi non redeas, diſerte Lipſi,
Aeſtas ut redeat, hyems manebit:
Quod ſi vis hyemem fugare nobis,
Hac ipſa redeas, redibit aeſtas.

EPIGRAMMATA

In ejuſdem Reditum.

Dum procul hinc aberas, Lipſi, *mea Muſa ſilebat*
Heu tantum in luctus ingenioſa ſuos.
Aſt ubi te Batavo ſenſit rediiſſe Lycaeo,
Depoſito luctu carmina laetâ canit.
Nec mirum hoc: aberant omnes te abſente lepores,
Nunc omnis rediit, te redeunte, lepos.

Dum Germanus *eques argenti fraude moratur,*
Quam male communi conſuluit patriae!
At dum Lipſiades *cogit remeare* Camoenas,
Quam bene communi conſuluit patriae!
Cum Muſis Martem, cum damnis commoda confer,
Dices, ut nocuit, profuit ille magis.

Heſperias curru dum Sol petit igneus undas,
Ecce iterum nobis Lipſius *exoritur.*
Phoſphore, *quid tantum rutilanti luce ſuperbis?*
Heſperus *hic prae te Phoſphorus eſſe poteſt.*

Non nos triſtior ulla, quum cadit Sol,
Quam diſceſſus erat tuus Batavis:
Nec lux gratior ulla, quum recurrit
Quam tuus reditus, diſerte Lipſi.
Occidunt alii, vagoque motu,
Mutant nocte diem, dieque noctem,
Tu quocunque micas ſub axe, eundem

Semper irradias pari nitore,
Nec ullam pateris videre noctem.
Vos, o ſydera, tuque magne Olympe,
Ne Solem hunc iterum invidete nobis.

Pollicitus fueras abiturus, candide Lipſi,
Quum triſte facundo ore diceres vale,
Ante quater velox renovet quam cornua Phoebe,
Vobis ego me bona reducem ſiſtam fide.
Vix orbem erravit bis frigida Cynthia circum,
Quum ſpem tuo reditu antevortis omnium.
O animi candor! viciſti, maxime, dudum
Fidem omnium, nunc ipſe tuam vincis fidem.

Iture nuper in Germaniam, Lipſi,
Si numen & ſuprema fata concedant,
Huc quarto ab hinc redibo menſe, dicebas.
At tu redis ne tertio quidem elapſo,
Et obruis praeſentia tua incautos.
Mirabar, exultanſque gaudio ajebam,
Quo Lipſius *modo eſſe poſſit injuſtus?*
Et tum, ſuos quum decipit, redit Juſtus.

Dicebam, Lipſi, *quum nos disjungeret aequor,*
Hei mihi, quod comitem non licet eſſe tibi!
Ex hoc ima dolor mihi ſub praecordia adhaeſit,
Nec ſtudium gratum, nec mihi vita fuit.
Poſt, ubi fata meo te reſtituêre dolori,
Dicebam, Salvum me, ſtudiumque volunt.
Lipſi *docte, vide tua quid praeſentia poſſit.*
Vivere & in patria te ſine triſte fuit.

Quod tibi grator ovans reduci, doctiſſime Lipſi,
Non ego Phoebeo numine plenus ago.
Major adeſt Genius, quem ſentis: tu mihi, Lipſi,
Tu facis, ut numeris gaudia laeta canam.

Iratam ſpernam mihi te praeſente Minervam,
Spernam Sicelides, nomina vana, Deas.
Sint illis vates, queis Lauro tempora cingant,
Queis Aganippaeis fontibus ora lavent.
Unum hoc opto mihi, Lipſi, *tibi ſemper adeſſe,*
Tecum habeo Muſas, *te ſine non habeo.*

EPI-

[1] EPISTOLA CCCLXXVII.

FRANCISCUS JUNIUS

J. Lipſio S.

Leidam.

SEro quidem, vir doctiſſime, literae a te mihi ſunt redditae, quas poſtridie Nonas ſuperioris anni dediſti ad me: tamen redditae. De iis gratias ago tibi, & mihi gratulor: adeo ſunt amoris erga me & humanitatis plenae. Munus commendas pro tua illa humanitate, quamvis illo ipſo aſpero aſperius, cujus ſub finem literarum tuarum meminiſti. Hoc facit gratia tua, non meritum meum. Sed tamen ex periculis meis unum aliquod ad te ſemel viſum eſt tranſmittere, ut te quoque celeuſtam agente periclitari dicerer. Fervere omnia video rixis pugniſque ſermonum, ſcriptorum, armorum, infeſtis animis: Ego pacis ſtudio, ſtudiorum alumnae, ferveo, & arenam illam charitati adverſantem fugiens, cum ſentibus ruderibusque bonorum autorum probatorumque praecopto depugnare, quam cum ullo vivente in tumultuario iſto theatro dimicare. Ludibundus itaque, ſed fretus libris veteribus Manilium recognovi, quem proximae nundinae, ſi Deus volet, viſurae ſunt: autorem dignum lectu, ſententiis confertum, gravem argumento & ſcriptionis genere. Quid? tu poſt illum *Scaligerum*, inquies, racematurus veneris? Cui homini ego quidem tam tribuo, quam qui maxime: ſed ille ſane vitem curaverit, ego pedamentum, aut (ſi ita placet) infirmam ridicam pepigiſſe dicar ad opus illius. Nam illius opus eſt ingenio ſatum, labore meum. Ille conjecturis quaſi divinis uſus eſt, ego librorum veterum ac non contemnendorum fulcris: quae fulcra Timonem Nicaeum apud Laërtium olim Arato legimus commendaſſe. Hoc illi non fore grave confido pro eo ſtudio, quo rem literariam colit. Te vero quoniam ad graviorem ſcribendi modum aetas, judiciumque & ratio videntur accendere, ſuaviſſime Lipſi, amanter rogo, ut quum miſero meas illas nugas, ſiquid deſiderabit aut improbabit acrior ille judicii tui ſenſus, id mihi officioſe ſignifices. Scholam veſtram adhuc ſtare gaudeo, & oro Deum, gratioſe a ruina (quae omnibus ferme ſcholis hoc funeſto ſeculo minitatur vehementiſſime) illam vindicet ſoſpitemque ſervet Belgarum ſtudiis. Quod in ea conſpectum meum a te deſiderari ſcribis, amice facis: quid enim niſi amicum abs te? Si tamen ſuo tempore fuiſſet deſideratus, ſcio quid mihi animi erga te, quid erga Academiam, quid erga gentem fuerit. Plura non dicam: niſi quod te plurimum ſalvere jubeo, & de me tibi ſpondere omnia, quae a viro bono & amante tui proficiſci poſſunt. Iterum vale. Heidelberga die Mercurii XXVI. Martii CIƆ. IƆ. LXXXIX.

1 Reſponſio eſt ad Lipſii II. Centur. Miſcell. 14. quae ex hac certam poteſt notam temporis accipere.

Literis ſcriptis noſter [2] *Aloſtanus* me ſalutem tibi ſuis verbis juſſit adſcre, ſcripturus, ipſe ſi per occupationes licuiſſet.

2 Incertum hoc nomen a Patria ſumtum ne quis referat ad *Petrum Aloſtanum*, ad quem Epiſtola Lipſii 11. Cent. Miſcel. 40. & qui ab Ordinibus Brabantiae legatus ad Ordines Foederatos miſſus legitur apud *Borrium* lib. XIX. pag. 181. ſed puto intelligi *Henr. Smetium* Archiatrum Electoris Palatini, ſocerum Jani Gruteri, qui etiam Aloſtanus fuit, de quo vide Valer. Andr. Biblioth. Belg. & Sweertii Athenas.

EPISTOLA CCCLXXVIII.

FRANC. JUNIUS

J. Lipſio S. P.

Leidam.

Politica tua, vir clariſſime, dono a te miſſa nondum vidi: videbo ſuo tempore. Ea avide exſpecto auctoris nomine, addo & argumenti. Filum autem quidni me delectet? ſubtile, elegans, mirabile: ut uno verbo dicam, ſcitamentum Lipſii. Nihil moror hebes judicium vulgi, cui non ſapit palatus. Mihi non poteſt optime non ſapere, quod tua illa ars effecerit. ſive autem huic ſcriptionum generi operam dare ſtatueris, ſive ad caſtra illa Critica revolare, & bonos autores ab injuria antecedentium ſeculorum vindicare, utilem operam, ut adhuc feciſti, ſcio, navaturus es. Quam ad rem ſi quid mea hortatio poteſt, equidem collaturus eſſem, niſi te ſtudioſiſſimum eſſe harum Muſarum alumnum cernerem. Epiſtolas, quas quando ſis daturus publico, tu pro tua prudentia optime omnium judicaturus es. Vides quid expetatur: quid expediat tenes. Ego in hoc genere facile judicio tuo acquieſcam: nec temere auctor & hortator fuero, ut ea lucem videant in hoc tempore, quae vel tenuiſſimam offenſionis nebulam ſint oblatura. De rebus Gallicis quid decam? Jam certa eſt epitaſis nefario illo [1] Jacobitae ſcelere: violenta, cruenta omnia: necdum ab re male geſta reſedit Gallicus ille fervor, quem ſcio adverſus immanes Iberiae ſpes immane quantum exarſurum: in ſua ipſius viſcera armabit ipſam. Sed in monte Jehovae (ut cum Moſe loquar) providebitur. Haec neque cogitationibus meis evolvi, neque humana ulla opera extricari poſſunt. Manilium, quum Typographo dedi, annus eſt: fudi meas cogitationes abludens a graviore occupatione mea. Sed typographus me fefellit, ſuane an operarum culpa? tamen certo editurus eſt, quum primum a nundinis revertetur. Ut per illum primum licuerit, mittam ad te nugas noſtras. At vide, quaeſo, ut repueraſcam. Nunquam, dum vixi, ferme notas vel in tranſcurſu vacavit aut placuit colligere, ac ne libris quidem meis literam unam adſpergere. Juvenis abhorrui, diffidens infirmo judicio meo: nunc vero ingraveſcente aetate, ad juvenalia iſta tyrocinia quodammodo retrahor. Itaque tum demum ad auctores jam aliquid adnoto, quum eorum lectionem inſtituo, mihi & mente quaſi recipio fugitivam: Scilicet hoc ſuavi noegeo, ut Livius olim

1 Qui Henricum III. Galliae regem interfecit.

olim appellabat, ſudores hujus occupationis meae abſtergentur. Manilium ubi videris, aut ſcribes libere, aut importunus ero in extorquendo judicio tuo. ſic timide contari viſum eſt: poſtea ſi vela κριτικῆς pandere mihi expediat videro. ſed ita ut ne extra pietatis caſtra. Caeſarem diu non legi: nihil habeo: quod ſiquid haberem, haberem tibi. Vale, vir clariſſime. Heidelberga pridie idus Septembr. CIↃ. IↃ. LXXXIX.

EPISTOLA CCCLXXIX.

FRANC. JUNIUS

J. Lipſio S.

Leidam.

POlitiſſima tua Politica, vir doctiſſime, accepi grato animo, perlegi lubentiſſimo. Gratias habeo quam poſſum maximas, cum mea ipſius cauſa, quem haec inſtituta & ſcripta plus juvant, quam ventoſae multorum chartae, tum vero publica. Non ſum neſcius multorum judiciis hanc ſcriptionis formam aliter ſapere, quam palato meo: qui non ſe aut ſua, ſed aliena quaevis ſuo modulo ac pede metiri ſolent. Ruſtici homines & illiberali fronte, quibus ne ſponſae quidem placiturae ſunt ſuae, niſi eas moliti ſint, & ſua manu curaverint. Haec non ſine cauſa ad te, vir doctiſſime, placuit ſcribere, qui interdum horridulas barbatulorum juvenum & ἀνζαρέσκων Catonum audio ſententias, rideo, reprehendoque. Me contra illa ipſa varietas Styli, & quaſi Symbolarum gravis comportatio, plurimum recreavit. Quod ſi quid interdum inſpergitur, quod illi non Chriſtianum, non Theologicum clamitant, reſpondere ſoleo, dicere Chriſtianum, ſed alienis verbis ac non ſuis, laudare auctores: haec non a Theologo dici, qui ſi Theologus eſt, & in re ſua haeret, malus erit Politicus, aut certe non plane bonus: ſed tui laboris eſſe, qui in hoc ſcripto non te, non Theologum, ſed alios etiam expertes germanae Theologiae in hoc opere tuo expreſſeris. Utinam vero multa ejuſmodi adjumenta in publicum exſtarent memoria noſtra. utinam promos condos tales plurimos haberemus, per quos uſus auctorum iſtis innoteſceret, qui ne ſibi quidem ipſis innotuerunt ſatis. Sed quid ego ἀντίδωρον ad te? nihil eſt, nihil te dignum. Prodierunt notulae in Manilium: ſed quid hoc? tamen accipies aequo animo a grato. Alterum quoque libellum juſſi ad te mitti, diverſi quidem argumenti, nimirum noſtri: ſed tamen quia materia Theologica, diſceptatio & modus eſt philoſophicus, a neutro (ſpero) abhorrebis. Ego jam ferme totus in his caſtris verſor, & aliena importunitate abripior in iſtam arenam. Meliora darem, ſi eſſent: convenientiora, ſi noſſem. ſed haec tamen, utut ſunt, accipe, & me, ut facis, ama. Vale. Heidelberga die Martis VII. Aprilis 1590.

EPISTOLA CCCLXXX.

FRANC. JUNIUS

J. Lipſio S. P. D.

Leidam.

JUdiciorum, quae alii de aliis ſoliti ſunt facere, vir clariſſime, duo eſſe genera non ignoras: unum moroſum, aſperum, triſte: alterum leve, & ſuaviter a viro bono ridendum magis (etſi ad tempus obtinet) quam graviter extimeſcendum. Hoc qui utuntur vulgo, diſcunt experientia ſapere: illud qui adhibent, vix diſcunt, quia ſibi plus videntur ſapere. Politica a te ſcribi ſcio, non Theologica: haec cum Politicis conjungi non peto ſcriptis: ſed hominibus tamen, etiam περὶ τὰ πολιτικὰ maximis, ineſſe deſidero. Quid enim ſit impedimento, ſi hoc moroſulum genus invaluerit, quominus etiam Juridica, Medica, Chirurgica, Architectonica, caetera Theologicis quoque inferciri jubeant, ac non ſingula diſtincte ſuo ordine locoque explicari? Sed hoc illud eſt, quod tu quoque in libro de Conſtantia expertus es, eodem recidiſti denuo. Scriptum de fide, non de conſtantia; de tua, inquam, fide, non de politia deſiderant. [1] Fidem tuam, mi ſuaviſſime Lipſi, credo te probaturum Domino auctori fidei: ſcripta de rebus humanis, quae ſane quam doctiſſime ingrato aevo tribuiſti, ſi non omnibus, ſaltem probabis bonis. Quae quibus de rebus ſcribis, video, & laudo: quae non ſcribis, ea nec poſſum judicare, nec libet: niſi quod ex rebus illis bene a te dictis, & de his bene ſentire judico. Ego vero quid in his meis poſtremis ſcriptionibus, quid, inquam, niſi res jam olim manſas, & a Patribus in os piae Eccleſiae inſertas ingero? Res arduae, voces horridulae, ſpinas Scholaſticorum habentes, odoratis illis Theologiae roſis intertextas. Spinas amovendo ſpinoſus dicor, curioſas quaeſtiones expugnando curioſus. Quid ad me judicia iſta moroſula? Deo vivo & ſervio: in quo officio parum abfuit, quin hac aeſtate a terris & complexu meorum avolaverim, gravi morbo preſſus. Vixdum ad meos carceres ſum reverſus, niſi forte rationem ejus haberi voles, quod illas ad Atticum Epiſtolas, quam familiares! cum notis commiſi Typographo. Me in locis aliquot MSS. plurimum adjuvarunt. Deinceps cum Samoſatenianis illis regrediar in luctam. Proximis (ſpero) nundinis epiſtolas habiturus es, &, ſi me amabis, leges Ciceronem, & ad eum notas meas recognoſces. In hoc genere petax eſſe a te non dubitaverim: quem Ariſtarchum ſcriptorum meorum eſſe velim. Libellum, quem petis, ad te mitto: ante miſſurus, ſi te hoc ſcriptorum genere affici putaviſſem, aut tantum otii a tuis illis ſtudiis ſuper-

1 Hinc apparet, ſuſpectam jam tunc multis fuiſſe Lipſii religionem, quam ſimulabat. *Junius* vero, ſive ingenio, ſive blandiendi ſtudio, & quia Lipſii, qui multum poterat, ſuffragatione ſperabat Leidam ſe vocatum iri, mitius de eo ſentit, & poſt ejurata ſacra noſtra, ei adulari non deſiit, ut ex ſequentibus apparet, in quibus ne verbo quidem eum objurgat; quod jure aliquis mirari poſſet.

pereſſe. De Epiſtolis tuis gratias habeo maximas: legam tuas ſitientiſſime: pro illis Tullianas ſpondeo, quia jejuniores meae. Vale, & Junium tuum amare perge. Francofurto ad Moenum, Idibus Septembribus 1590.

EPISTOLA CCCLXXXI.

FRANC. JUNIUS

J. Lipſio ſuo S. P.

Leidam.

SOllenne literarum exſpecto a te, doctiſſime Lipſi: nondum accepi, quia me domi adverſiſſima uxoris valetudo continet dolentem, & mea ex parte. Nolui tamen committere, ut abeuntes hinc veſtrates ſine mea manu diſcederent. Etſi quae ſignificatio manus? niſi quod eo ipſo recreatur amici mens, quod videt amici manum. Sed quid illa [1] *Chriſtmanni?* num terret Lipſium? O hominem pertinacem! quem ego & *Meliſſus* ante iſtam fatuam velitationem deterruimus, & ſalibus etiam condivimus, ut ſaperet, ſi unquam vellet ſapere. Ego vero conſulentibus reſpondeo, neſcire eum Latine, qui ſic literas tuas intelligat. Mentior: nam melius literas intellexit Lipſii, quam Lipſius, quia ſe neſcivit ipſe: quo durior concurſus futurus eſt. Indignum facinus eo homine, qui videri vult: indignum loco: indignum Academia. Sed quid agas? etiam ſalpas ferunt Academiae, quae vix unquam, niſi ferula emendantur. Contemne, amabo te, & in tenebris ſine quieſcere illud nomen, quod tua manu ambit lucem. Sed de me, mi Lipſi, cur iſta ſcribis? vellem non factum: magno redimerem: graves mihi cauſae. Inprimis vero, quod me neſcio quo fato meo celebrat illius fatuitas, & invidioſum efficit. Iſte enim ſexcenta ora obvertit ad tuam illam epiſtolam, quae nihil de me unquam cogitaſſent: plura non addam. Mea cauſa rogo abſtineas, etiamque, ſi potes, abſtergeas: ne forte illud hiſtoricorum audias, amori, odio, gratiae, invidiae apud viventes dari, quod poſt cineres elidit veritas. Sed ne plane ἄδωρον hoc tempus ſit, invidioſum ſcriptum mitto ad te, notas in Apocalypſin, quas haec tempora mihi extorſerunt. ſi leges, judicium tuum expeto: ſi faſtidies, ne faſtidias Junium tuum, ſed nos amare perge. Nos in eo officio non ſumus defuturi. Quum nobiliſſimo juveni *Douſae* ſcriberem, nondum fueram confirmatus opus abſolutum fore: nunc vero, ſi non eſt moleſtum, exemplum alterum a me curabis tradi, & ſalutem dici. Vale. Raptim Heidelberga die Sabbathi VI. Kal. Mart. 1591.

1 Vid. ſupr. ad Epiſt. CLVII. & CCCXXIX.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXXII.

FRANC. JUNIUS

Clariſſimo viro D. J. Lipſio S. P.

Lovanium.

QUum ineunte ſuperiore anno, vir clariſſime, de tuo in Germaniam adventu cognoviſſem, gratulabar mihi ex animo ſperatum amplexum & optatiſſimam communicationem tuam. Neque vero, dum Francofurti eſſes, fuiſſem commiſſurus, ut eo fructu jucundiſſimo carerem exſpectationis meae, niſi me gravis Dei manus, preſſa & oppreſſa ſuaviſſima uxore mea, tenuiſſet, acerbiſſimumque moerórem importaſſet. Curavi tamen offerri domicilium meum; & puto oblatum, ſi forte (ut cupiebamus) animus eſſet tranſire ad nos. Hoc officii ſperavi ab humanitate tua: hoc commodum optavi cum utriuſque noſtrûm, tum communi cauſa. Nam & fructuoſam jucundamque inter nos fore confidebam ſtudiorum communicationem, quem fructum in rebus humanis ſtatuo ampliſſimum: & ſperabam fore ut tuus ille animus, qui mihi ſemper lenitatem ſpirare viſus eſt, cum meo conjunctus aliquid ad pacem publicam procurandam & reſtinguenda incendia moliretur. Quid enim aut tibi viro humaniſſimo acerbius, aut mihi, quam videre omnia ruentia, & omnes per omnia ad ſuam ipſorum perniciem & alienam praecipites dari, quamvis per religionem de pietate, per naturam de humanitate, per utramque de charitate inſtitutos? Si liceret, apud te de te conqueſturus eſſem. Sed vide quid amplius fecerim, ut amicam meam apud te querimoniam adaugeam. Annus eſt, quum Leodium veni: percunctatus ſum apud eos, quos mihi compellare licuit, de te diligentiſſime: non potuit aſſequi diligentia mea triduo toto, ut de commoratione tua aliquid certi cognoſcerem. Nunc vero ne meum in te animum mutatum aut minutum putes, quamvis muſſantem aliquid amicae querimoniae, ut ſinceri amici debent & ἀνυπόκριτοι, mitto ad te recentem fructum recentis adventus mei: quem oro ſic a me accipias, ut pignus integri amoris mei erga te. Pro quo amore, mi Lipſi, duo a te peto: unum, ut noſtram initam amicitiam uterque alamus foveamuſque mutuo, nec irruentibus ventis patiamur diſturbari: alterum, ut (quod ante optavi a te fieri coram, & adhuc opto vehementiſſime) quicquid a nobis ad pacem in veritate & ſanctimonia his funeſtis temporibus conferri poteſt, illud non deſinamus ſermone, ſcripto, opere ante omnium ora & oculos promovere. Mei quidem ſtudii hic ipſe libellus, quem ad te curavi tranſmittendum, certiſſimus index & fideliſſimus apud te (ſcio) futurus eſt. Vale, mi ſuaviſſime Lipſi, & nos tui amantes ac ſtudioſos redama. Lugduno Batava die Jovis XXVI. Novembris. 1592.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

MARQUARDUS FREHERUS

J. Lipſio S. P. D.

Leidam.

SI ut vultus ſpecieſque tua, ita animus & ingenium, & ingenio parta nominis fama mihi ignota eſſet, Lipſi doctiſſime; non commiſiſſem ad te ſcribendo, ut audaciam meam ſi non reprehendere, ſaltem mirari poſſes. Sed cum ex ſcriptis quidem tuis eruditionem admirabilem & ingenii acumen ſummum, quod me in tui amorem rapuit, didiciſſem; huic autem comitatem & humanitatem non poſſe non adhaerere facile praeſumerem: non putavi rem a literatorum conſuetudine alienam me facturum, ſi literis ad tuam amicitiam viam affectarem. Nihil enim humanius eſt, quam ut artium & diſciplinarum ipſarum, ita & eorum hominum, qui illas profitentur, eſſe cognationem & vinculum aliquod. Tu, Lipſi, ita elegantiorem literaturam & humanitatis ſtudia colis, ut interim a jure noſtro prorſus non ſis alienus. Ego rurſus, cum me vitae genus & functio mea ſeveriſſimis ſtudiis totum fere occupet, illa ipſa tamen elegantiae ſtudia & optimos vetuſtatis authores negligere minime ſoleo, ſed quidquid a fori aulaeque negociis datur ocii, ita illis liberaliter impendo, ut adoleſcentiam ante omnem impenderam. Quod & aliqua ex parte tibi teſtabuntur ſcripta haec mea, in quibus cum de illa [1] Diva, quam omnes boni ſibi propitiam cupiunt, nos praeſertim, qui literarum ſtudia ſerio tractamus, more vulgato ſcripſiſſem, id eſt, non nimis eleganti cultoque dicendi genere, & ad tuas aures minime facienti; plurima tamen ex auctoribus noſtris paſſim admiſcui, & ſtatim duos obſervationum libros adjunxi minus inelegantes, quique *Jacobi Cujacii*, magiſtri mei, inſtitutionem melius redoleant, amicumque literis bonis & antiquitatis elegantiae ingenium apertius demonſtrent. In quibus cum & tua ſcripta allegaſſem (dabis id pro coalito candore tuo communibus ſtudiis) capite praeſertim 9. & 21. lib. II. putavi me rem non adeo ingratam tibi facturum, ſi ad te ejus libelli exemplum mitterem, cum praeſertim bibliopola Antverpienſis in eo deferendo non difficilem ſuam operam polliceretur. Quod exiguum & vere nihili munuſculum ut boni conſulas, meque in tuam amicitiam recipias, & de me hoc tibi polliceare; ſi quid tibi a me gratum accidere poſſit, id me non ſtudioſe minus quam libenter facturum, atque etiam ſi quando vacat, ut tria verba reſcribere velis, te etiam atque etiam rogo. Et hoc etiam publico nomine peto, ut Politica tua, quorum mihi mentione facta bibliopola ille immenſum deſiderium excitavit, edere matures. Vale, vir omnium doctiſſime. Dat. Francofurti ad Moenum Nundinis. Anno Jeſu Chriſti MDLXXXVIII.

1 Intelligit librum *de Fama publica.*

EPISTOLA CCCLXXXIV.

MARQUARDUS FREHERUS

J. Lipſio S. P. D.

Swalbachium.

QUam jucundum & exoptatum mihi fuerit, Clariſſime Lipſi, aſpectu & alloquio tuo frui, imo & favore benevolentiaque tua beari: verbis explicari non poteſt. Utinam autem & locus occaſioque detur, meum in te ſtudium & obſervantiam tibi comprobandi; & facultas vireſque ſuppeterent, gratum aliquod re ipſa officium tibi praeſtandi. Nunc quod primum prae manu fuit, feci. Ammiani Marcellini exemplar ab *Henrico Stephano* editum, tribus tamen primis foliis mutilum, nactus; de meo libro varias lectiones in id exſcripſi, quod per *Colvium* noſtrum accipies. Contulerat olim *Claudius Fauchetus* (niſi fallor) Conſiliarius Regius Pariſiis, Lugdunenſem editionem cum manuſcripto quodam, invento in neſcio cujus Monaſterii bibliotheca, & variationes margini adnotarat. Eum librum deinde *Gothofredo* noſtro, cognato ſuo, donavit: is *Antonio Fajo*, Theologo Genevenſi, a quo ego precario accepi, ut variationes exſcriberem. Eas quibuſdam locis bonas & ad rem facientes inveni, quibuſdam vanas & nullius rei; verba aliquando compluſcula & verſus integros plures, quam in editione vulgata extent: ſed quibusdam locis confuſa, mutila, e quibus ſenſus nullus ſine alterius exemplaris ſcripti ope (quod quidem vix ſperandum eſt) erui poſſit. Qualia qualia ſint, omnia, nullo diſcrimine, optima fide enotare, & liberam rem illibatamque tuo acerrimo judicio relinquere volui. Conjecturas etiam quaſdam meas, (nota *f.* quae *forte* ſignificat, notatas) & notas alias eadem opera adjeci, ſtudii ſaltem mei, quia non ingenii nec judicii, tibi probandi ergo. Quae tu boni conſules, optime & eruditiſſime Lipſi, donec in graviori aliqua re gratius tibi à me obſequium praeſtari poſſit. Epigramma leviculum in Commentarium tuum de Magnitudine Romana adjicere viſum eſt: nec enim credi poteſt, quanto ejus operis deſiderio ardeam. neque etiam finem modumque orandi tui faciam, donec editionem tam praeclari libri ſeu exorem, ſeu importunitate extorqueam. Tu autem jam valetudinis tuae ſatage, corpuſculumque curare & reficere memineris. Lymphae acidulae ut & tuo palato gratiſſimae, & ſtomacho membriſque omnibus ſaluberrimae ſint; ut aura & rus Sualpachianum, & tota iſta ruſticatio tibi quam optime & ex animi tui noſtrique omnium ſententia cedant, quo ſalvus alacerque ad nos huc venire & amicos inviſere poſſis, ex animo precor, & voveo:

Dî tibi dent mentem vegetam cum corpore ſano:
Deque annis noſtris cumulent tibi largius annos.

Vale, decus & praeſidium noſtrum. & me ama. Datum raptim, (jam enim Il-

1 Reſpondet Lipſius Centur. ad Germanos Epiſt. 4.

Illuſtris D. *Palavicinus*, & cum eo *Colvius* noſter abiturus) Heybelbergae 14. die Aprilis Anno Jeſu Chriſti 1591.

De JUSTI LIPSI, V. C.

Commentariis de magnitudine Romana.

Splendorem dominae decuſque Romae,
Et florem publicae rei vigentis,
(Grandem materiem) novo libello
Noſter Lipſius explicaſſe fertur.
O quantum mea mens opus requirit!
Clarum, Juppiter, & nimis decorum,
Et ſublimius omnibus libellis!
Nam mundi caput, urbiumque Roma
Si nil par habuit, nihil ſecundum,
Olim ut Bilbileus poëta dixit:
Quid haec ſcriptio Lipſii diſerti,
Qua ſe ornarier ipſa Roma ſentit;
E cunctis videat virûm libellis
Vel ulla ſibi parte conferendum.

[1] EPISTOLA CCCLXXXV.

FEDERICUS MORELLUS

Juſto Lipſio V. C.

Leidam.

HOſpes quidem novus ad te Φιλόξενον accedo, Lipſi eruditiſſime, ſed vetus ingenii tui liberorum contubernalis, qui Φιλομούσων πρόξενοι ſunt ad Muſarum tuarum ξενῶνας, ὧν ἄφθονοι θύραι. veritus tamen ne heroicum illud uſurpares adagium, ξένος ἔλθοι ὅςις ὀνήσει, non veni vacuus, ſed nec gravis aere. munuſculum literatum attuli, ξεινήιον εἶναι. atque alterum quidem nimis jam fortaſſe ἕωλον, Piſidae Κόσμουργίαν dico, in cujus editione & interpretatione ſcio me quandoque dormitaſſe, & quaſi ſomniaſſe, ideoque naſturtio tuo indigere, quo me ἰάω tuus Apollo ſuſcitet ac ſoſpitet. Alterum recentioris & elegantioris operae, Irenam ſcilicet Ariſtophanicam, quam recenſuit & commentariis gloſſematis inſtruxit *Q. Sept. Florens Chriſtianus*, ὅςις μοῦ πολλὸν ἀρείων, ὡς πρότερον γεγονὼς καὶ πλειόνα εἰδὼς, cujus alia quoque πονήματα, in quibus nuperae ad Thebaidem Notae, in hunc faſciculum conjeci. Is te plurimum ſalvere jubet, & eodem conſilio ſua luculentiora ad te mittit, quo ego deteriora mea. nam uterque noſtrum, Juſte Lipſi, juſtam κρίσιν tuam,

[1] Reſpondet Lipſius 11. Miſc. 69.

ut optimi Quintilii, ad hoc prehenſamus, non ut laudes, ſed ut culpas oſtendas, & curva nobis corrigas ſtatim emendaturis. In quo hoc ſaltem laudabile feceris, quod maximas uterque acturus ſit tibi propterea gratias. eſt enim apud me pro re & nomine *Chriſtiano* ſecura ſponſio οὐ πάρα γὰρ ἄτη. A te igitur etiam atque etiam peto, ut nos καινοπαλαιοφίλους tuos hujus voti compotes & conſilii potentes facias, beneficio literarum tuarum, quas cupide interim expectamus. bene vale, Lipſi, librorum & ingeniorum juſtiſſime cultor. Salutant te amiciſſ. *Barn. Briſſonius* & *Nic. Sudorius* praeſides; *Cl. Puteanus* & *Ren. Pinceus*, Senatores. *Jo. Pelerinus*, *Nic. Gulonius*, *Jo. Paſſertius* collegae mei, omnes Φιλολειψιάδαι. D. Lutetiae παρ' ἴσιος. Nonis Septembr. CIↃIↃLXXXVIII.

EPISTOLA CCCLXXXVI.

FEDERICUS MORELLUS

V.C. *Juſto Lipſio* S. P.

Lovanium.

O Divum Lucam etiamnum medicum ἐσθλὸς Ὀλύμπου· καὶ πάντων ἀντάξιον ἄλλων! cujus γενεθλίοις amicas, cultas, ſalutares a te literas accepi. quarum χαρὰς νόον ὑπὸ γλυκυτάταις ἔθηκε φροντίσι. abſit tantum illa δυσίατος ἀσθένεια. Adjuvet ipſe Deus, morboque valentior omni Occupet auxilium, παίων ψυχῶν, παίων γυίων. nempe videt alma pios Aſtraea. Sed clam te eſſe nolim, quod in Soteriis illis Papinianis vſ. 17. *fata* in *faſtos* mutare cogitarim, hîc, *Nec tantum induerint faſtis nova ſecula crimen.* quaſi tanti viri jactura quandam χρονικαῖς συγγραφαῖς infamiae notam inureret. hoc videſis, ſi aquila muſcas. da operam imprimis, ut convaleſcas. vive, vale σοφίας ἄγαλμα· αὐθήμαρ αὐτωρεί, quo tua mihi reddita ſunt ἀντεπιστολικαί. Lutetiae XIV. Kal. Nov. ꝏIↃIIC.

Dilatum hoc ἐπιστόλιον γραμματοπληροφόρων σπάνει, in hunc uſque diem D. Matthiae ſacrum, quo tandem datum eſt δυσκληρίᾳ καὶ δυσημερίᾳ τινὶ, ut id in eodem faſciculo includerem cum *Ren. Pincaei*, & tui, noſtrique jam, *De Rupe* literis. haec tuae Scholae gemma, noſtram etiam frequentat & ornat. Iterum vale, καὶ μέγα οὖλε, vir incomparabilis. VI. Kal. Mart. ꝏIↃIC.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

J. LIPSIUS

Frederico Morello S. D.

Lovanium.

EGo vero tua in Statium nec fama acceperam, adeo re non fruitus & inſpectione. Nunc factum tua comitate, ſed ſic ut inſpexerim tantum. Qui enim dedit, ſubito abiturus, hanc velut liberatoriam tabellam & fidei ſuae ἀποχὴν volebat. Libavi tamen καρπαλίμως. & Praefatiunculas & Epigram-

grammatia vidi, ſane ἀνθηρά, & mihi quidem χαριέντως, ſcripta. De *Notis*, judicare nondum licet: niſi hoc, in ipſa illa ſcriptione vivum & vegetum aliquid in te, praequam reliquorum flacentibus ſcriptis, adnotaſſe. Vidi & nomen meum amice inſertum (gratia eſto) ubi de *Tholo*: ſed ſcriptum hoc a me haud ſatis commemini, neque inquiſitioni eſt tempus. Sine auctore ſi dixi, miror, & indictum velim, ſive potius inductum. At tu Libanium nobis, ut adſignificas, & plura prome: — πολλὰ γὰρ ἄλλα βροτῶν θελκτήρια οἶδας: & me ama. Lovanii VII. Kal. Martias, ipſo die, quo tuas vidi. ∞. IↃCIII.

Haec epiſtola legitur in editione Crucei, ad Stat. I. Silv. IV. 100. poſt notas Morelli. Lipſii conjectura prodita eſt lib. II. Elect. cap. 14. ut *Barthius* ad eumdem locum notat & refutat.

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

FEDER. MORELLUS

Clariſſimo viro Juſto Lipſio S.

Lovanium.

INterceptae igitur vel redditae tibi non ſunt poſtremae noſtrae ad te literae cum faſciculo librorum; ut fruſtra ἀντεπιστολικὰ expectaremus. Sic corvi luduntur hiantes. hic eſto δεύτερος πλοῦς. ecce tibi, qui illo naufragio perierant, Orpheus Hebraeus, quem lyricen *Portaeus*, in olorem Gallicum mutatum, ad te cum ſalute miſerat: & nunc iterum cum eodem munere ſalutat. Syneſii φιλάδελφοι hactenus ἀνέκδοτοι, a patre, ſi γνήσιοι, forte an tibi chari, futuri, ſi minus ab interprete, cui tu ἥμισυ. B. Anthelmi μονόστιχα, quibus pannum Atticum animi cauſa attexuimus. haec vero quaedam quaſi πάρεργα ἢ κρόταλα. at περιεργότερον opus & πόνος πόνῳ πόνον φέρων, Libanii ſunt μελέται. quas Dionis Pruſaei χρύσειοι λόγοι aliquantum ſunt remorati. ſed jam πλέον παντός. Narro tibi, V. C. *Th. Morantius*, Quaeſtor integerrimus, te plurimum ſalvere jubet, ſeque jure beatum praedicat, quod ita ſub ſignis tuis auſpiciiſque πρωτότοκος φίλος υἱὸς profecerit, ut ſpes magna ſit eum brevi ante annos Senatorios in Praetoriani magni conſilii Senatum adoptatum iri. & cum hoc nomine multum jam tibi debere lubens omnibus fateatur; plurima tamen adhuc debere vult, imo percupit: iccirco te per Muſas & Charitas orat obſecratque, ut quae de filii εὐφυΐα, εὐμαθείᾳ καὶ προκοπῇ in συγχαριστικῷ illo ſcripto, amice expreſſiſti, eadem pauculis ad Clariſſ. virum *Hieronymum Seguerium*, illius Conſilii praeſidem, tui amantiſſimum, ſcribere non graveris. hic πρόεδρος jam olim mihi injunxerat, ut tibi verbis ſuis ſalutem impertirem: tuis certe literis vel λακωνικωτάτοις majorem quam omnium συστατικοῖς adjunget fidem: quippe tu illi es εἷς μύριοι. Hoc ſi benigne illi feceris, *Morantio* patri & filio, *Seguerio* & *Morello* gratiſſimum feceris; omneſque tibi σύναυλον χάριν εἰσόμεθα ἤματα πάντα. habes in eodem faſciculo δίστιχα Seguerio-Morelliana, & Ariadnen δίγλωττον pro ſaburra. duntaxat Tranquillas etiam naufragus horret aquas. Vive, vale, φίλη καὶ σεμνὴ κεφαλή. Lutetiae Non. Decembribus ∞ IↃCIV.

EPISTOLA CCCLXXXIX.

NICOLAUS REUSNERUS

J. Lipſio.

Leidam.

O lepidum nuncium! ô beatum! Juſtum Lipſium, Muſarum & Gratiarum ocellum, in vicinia noſtra vivere. nam hoc quidem nuncio me beavit *Poſthius*, e Saxonia nuper reverſum Argentoratum: de quo equidem mihi, ut debeo, gratulor plurimum. Plane enim ſpero futurum, ut bona ſit occaſio ſanctioris neceſſitudinis & amicitiae inter nos mutuo contrahendae: quod unum in optatis hactenus habui maxime. Itaque literula iſta animum tuum tentare, & pectus illud ſuave, quod Muſarum concordia jampridem, & trias amicior Charitum ſibi delegerunt domicilium perpetuum, experiri quadantenus mihi libuit: Id vero non omnino tibi ingratum futurum confido. Sed ad rem. Iconem tuam antehac mihi communicavit idem, de quo antea ſcripſi, *Poſthius:* inſerendam cum veteris clarorum Germaniae virorum Iconibus in Centuria ſecunda (nam primam Centuriam anno editam ſuperiore te vidiſſe exiſtimo) quod ut pace tua fiat, rogo. Elogia, ſi quae habes de te ſcripta, ea velim ad me mittas: adjungas his etiam Elogium per te ipſum, qui tibi maxime cognitus es, & vitae tuae actae conſcius, filo compoſitum hiſtorico: quo in genere te antiquitatis Rom. peritum admodum valere intelligo: ad inſtar eorum, quae in pagina iſta leguntur; quam ſpecimen operis alterius de claris Italiae & Graeciae viris una mitto, quod jam Baſileae ſub proelo eſt. Magni beneficii loco habebo, ſi hoc a te impetraro. *Poſthii* & *Meliſſi* Epigrammata de te ſcripta mecum retineo. Caeterum de me polliceri debes omnia, quaecunque ad laudem & dignitatem tuam pertinere videbuntur: quae ſi omittam, hominem me eſſe non putem. Vale. Argentorati. Idib. Octobr. MDXIIC.

AD JUSTUM LIPSIUM.

JUſte *tibi Plautus* Lipſi, *tibi Livius omne*
Acceptum, bene quod fatur uterque, refert.
Plus etiam Tacitus genio felice renatus:
Ingenio vivit nunc magis ille tuo.
Tu genios, tu ſolus habes (nec mentior) omnes
Auctorum veterum, quos modo terra videt:
Quos dare tu puros putos, aut nemo valebit:
Aut tecum Varro Scaliger *iſte bonus.*

De Eodem Anagrammatiſmus.

JUSTUS LIPSIUS: PLUS SIT JUS VI.

Plus, *Lipſi*, Jus ſit vi: *jus vim ſiſtat, iniquum*
Aequi ſubmoveat Lesbia norma boni.

EPI-

EPISTOLA CCCXC.

[1] HUGO BLOTIUS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

MUltae ſunt cauſſae, Juſte Lipſi, (Lipſi, inquam, vere Magne atque Illuſtris) cur in tuam me amicitiam inſinuare jampridem geſtierim; multae, cur non ſim auſus. Cupiditatem excitabant maxime aureoli illi tui libelli, admirabiles elegantis ingenii lepores, & doctrinam ſapientis animi reconditam ſpirantes; augebant amici tui ad nos Auguſtae Caeſaris Bibliothecae, cui ſum praefectus, viſendae cauſſa venientes, nuper *Cornelius Werdenburgius* Ultrajectinus, nuperrime *Jacobus Thiſius* Antverpienſis, & anno Maecenas ille noſter [2] *Hieronymus Beck*, liber Baro, Leopolſtorfii Dominus. Inflammabant alii quamplurimi; ut jam totus arderem tui ſtudio, tui amore, tui admiratione. Sed infelix Corydon, mihi diſplicebam ipſe, nec quid ſperarem habebam. Litteris te provocarem? quibus? indoctis, incultis, inconditis? non decuit: muneribus delinirem? non licuit. Tandem tamen haeſitantem inſtantemque hiſce diebus impulerunt duo illi, quos modo memoravi, *Werdenburgius* & *Thiſius*, docti ambo juvenes, ambo amantiſſimi tui, ambo etiam neſcio qua de cauſſa ſtudioſi mei: quorum ille hoſpitio & menſa utitur mea, hic in Italiam cogitat. Hi inquam timiditatem deſperationemque increpantes meam, autores, ut haſce ad te litteras dare auderem exſtitere. Si igitur pecco, peccatum autores luant. Quid autem tu tandem tibi vis, inquies, quid hiſce verborum ambagibus opus? Dicam. & quo tendam paucis expediam. Recipe, oro te, humaniſſime Lipſi, me tui ſtudio & amore flagrantem in eorum numerum, a quibus te & vere amari & ſingulari coli affectu cupias. Sic te ament Gratiae, ſic te Deus nobis & Reipub. litterariae diu incolumem conſervet. Prolixior nunc eſſe nolo: nam ſi preces locum apud te invenerint meae,

1 *Hugo Blotius* JC. Delfenſis, primus Caeſareae Bibliothecae Praefectus, de quo egregia nuper nos docuit Vir doctiſſimus, *Jac. Frid. Reimmannus* Lib. 1. de Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi pag. 6. & ſeqq. *Lipſius* ad *Blotium* epiſtolam edidit Cent. 11. Miſc. 94. quae circa haec tempora ſcripta videtur: meminit enim *Thiſii.* ſed qua fronte in illa periiſſe has literas ſcribit neſcio, quas inter ſervatas ab eo nunc exhibeo, & quas amiſſas ibi queritur? Niſi vero fallor, hic *Jacobus Thyſius* frater fuit *Antonii Thyſii*, Profeſſoris Theologiae Leidenſis. ipſe Juriſconſultus, & in Academia Marpurgenſi Profeſſor fuit, ut teſtatur *Triglandius* in Oratione Funebri *Antonii Thyſii*, *Paulus Freherus* in Theatro ſuo ex MSS. Marpurgenſibus eum a Mauritio in aulam Haſſiacam vocatum, per 20 annos inſerviiſſe, partim in munere Bibliothecario, partim in linguarum exoticarum interpretatione, & A. 1615. Hiſtoriarum & Poëſeos Profeſſorem ſuceſſiſſe *Kirchnero.* & A. 1620. miſſionem petiſſe & impetraſſe. oriundi vero fuerunt *Thyſii* Antverpiâ, unde Pater eorum *Chriſtophorus* Mechlinienſis ob turbas profugus, obiit Francofurti.

2 *Hieronymus Beck a Leopolſtorf*, Marci filius, fuit Conſiliarius Caeſaris Camerae aulicae, variis itineribus per Orientem Illuſtris. cui obtulit *Jo. Leunclavius* Annales ſuos Sultanorum Othmanidarum, quos Bibliothecae Imperatoriae redux ex Oriente *Beckius* donaverat, & cujus copiam Leunclavio fecit *Blotius:* an fuerit ejus Avus, an alia generis proximitate conjunctus, *Leonardus Beck a Beckenſtain* Caroli V. conſiliarius, cui *Geſnerus* Bibliothecam ſuam dedicavit, neſcio.

meae, ſi voti compos factus fuero, poſtea verbis & rebus hunc primae ſcriptionis defectum ſupplere ſtudebo. Sin minus, quod abominor, etiam hoc, quod modo ſcripſi, nimium eſt & taediosſum. Vale orbis noſtri decus. Viennae, ex bibliotheca Imperatoria. Pridie Idus Februarii CIↃ.IↃ.XXCIX.

[1] EPISTOLA CCCXCI.

[2] JACOBUS MONAVIUS

J. Lipſio.

Leidam.

NOn poſſum verbis ullis exprimere, quam gratam mihi rem fecerit Vir optimus & integerrimus *Abrahamus Ortelius* noſter, qui ante dies non multos ad me miſit imaginem vultus tui, expreſſam ab elegantiſſimo *Golzio*: quae nunc eſt ornamentum muſaei mei admodum illuſtre, & vel primo loco conſpicitur inter effigies alias virorum eorum, quos credo non invitus cernere tibi latus claudere. Ad hanc voluptatem, quam ex Icone faciei tuae percepi, acceſſit gaudium aliud, quo ſum mirifice delibutus, cum idem humaniſſimus *Ortelius* non dubitavit mecum communicare particulam literarum abs te ſcriptarum, in qua non amanter modo, ſed etiam honorifice facis mentionem nominis mei: teque tua erga me ſingulari benevolentia amiciſſime teſtaris. Ignoſces igitur, & veniam dabis mihi, ſi gratias agere tibi non dubitavi hac epiſtola mea, minime quidem illa digna, quae ad politiſſimas manus tuas perveniat: ſed quam tamen ſpero vel eo nomine recipere non recuſabis, quod pignus ſit meae erga te aeternae & quidem ſincerae, conſtantis, & optimae voluntatis, conjunctae cum ſingulari fide & obſervantia: De qua nolo plus verborum facere cum certus ſim, & perſuaſiſſimum habeam, te in animo meo tui obſervantiſſimo & ſtudioſiſſimo ſuaviter acquieſcere. Idque ut perpetuo facias per Conſtantiam tuam magnopere te rogatum cupio. Superiore menſe *Dudithium* amiſimus: ſummum virum, tui ſumme amantem. Is cum veſperi circa horam quintam male valere coepiſſet, priusquam ſexta audiretur, vivere deſiit. Affirmo tibi, candidiſſime Lipſi, datam huic viro εὐθανασίαν, & quidem, niſi me fallunt omnia, multo beatiorem illa, quam Auguſtus Caeſar optabat. Vere licuit ipſi ἐν εὐφημίᾳ τελευτᾶν. Reſpublica viro praeſtantiſſimo caret. Literae ſummum decus amiſerunt, Amici ſunt orbati

1 Reſpondet Lipſius II. Miſc. 78.

2 Inter Maecenates & literatorum fautores horum temporum inſignis fuit hic *Jac. Monavius*, Vratislavienſis Patricius, qui vitam in honeſtiſſimo otio egit, & patriae & religioni emendatae inſerviit. vid. ejus vitam apud *Melch. Adam.* inter JCtos. pag. 389. a Poëtis & literatoribus ejus aevi elogiis plurimis celebratus; quae hîc colligere nihil attinet. Magnum literarum uſum habuit cum *Abr. Ortelio*, cujus opera *Lipſius* epiſtolas ſuas & libros *Monavio* mittebat. *Monavii* ad *Lipſium* epiſtolam unam edidit *Th. Crenius* Animadv. Philolog. tom. XIII. pag. 82. Fratrem habuit *Petrum Monavium* Medicinae Doctorem, & Rudolfi II. Archiatrum. vide *Freher.* Theatr. Tom. II. pag. 1288.

bati dulci praeſidio. Ego quidem ejus obitum acerbius fero: poſtquam tantus inter nos uſus. Sed Conſtantia tua docet nos ferre & amicorum mortes, & quicquid eſt in rebus humanis adverſi. Ad ejus igitur ſigna nos recipiamus. De Thraſea libentiſſime legi, quae ſcripſiſti ad [3] *Ortelium*. Non credis quantis is votis ubique expoſcatur. Deus te ſervet, ut & Thraſeam iſtum & alia plura, cum erit vera temporis, quod tu notas, oportunitas, habeamus. Vale feliciter, Lipſi praeſtantiſſime, ocelle literarum, & ſydus noſtri ſaeculi. Iterum vale: imo ſemper vale, & ama me, tui ſumme amantem obſervantemque. Vratiſlaviae VI. Martii. 1589.

Praeſtantiſſimum *Duzam:* & ornatiſſimum *Vulcanium* amanter & officioſe ſaluto: & vobis omnibus omnia precor optima & optatiſſima ab aeterno luminum patre. Si quid per otium tibi aliquando ad me libeat: quam beares hoc tui ſitientiſſimum pectus? Cave tamen putes me velle, ut amicorum cauſa in publicum pecces commodum.

3 Vid. II. Cent. Miſc. 59.

EPISTOLA CCCXCII.

J. LIPSIUS

Jacobo Monavio.

Vratislaviam.

QUod miraberis, deſerui Batavos meos, & ſum nunc in Leodienſium urbe. Quid ita? inquies. Cauſſae plures, & graves ſunt, ſed praecipue valetudo & quietis ſtudium: quod utrumque in eo loco vix mihi fuit. Homines ipſi in me amici, fateor, & magna amicitia certatim me coluerunt. ſed longius nos proſpicimus, & pii prudenteſque viri, credo, nolunt nos illic eſſe: diſſidia & civilia haec bella noſti; cur iis involvar, & probantis ſpeciem praebeam in iis etiam, quae non approbo? haec & plura nos moverunt, quae ſermone tibi potius (quid enim te celem, mi Monavi, cujus candorem & amorem affatim novi) ſermone, inquam, aperuerim, quam ſtylo. Caeterum in quiete ac ſeceſſu nunc ſum; inter ſcripta mea tantum & libellos. E quibus plura edere paramus. ſed vellemus exemplo aliorum & reipſa moniti, impetrare prius diploma Caeſareum, quod fraudes, ſive ſubitas iſtas imitationes Typographorum cohiberet. Cui rei cum te idoneum mihi *Ortelius* noſter ſignificaſſet, & vero perſuaſiſſet, auſus ſum deſiderium meum ad te perferre; tu porro ulterius ad Caeſaris aulam, a qua nec loco nimis diſſides, & gratiam atque amicos tibi eſſe confido. Etiam mihi fortaſſe aliqui illic fautores: ſed mihi adhuc ignoti, nec habeo quem auctorem ejus beneficii libentius agnoſcam, quam te, mi Monavi. Juva: ſed ea lege; ſi commode potes, ſi abſque magno aliquo molimento: nam ſi difficultatem res habet, omitto. Adjunxi autem iſtis libellum, ſed levi manu & *ἐκ παρέργου* compoſitum. ſaltem in ſpecimen animi & voluntatis meae. Tu liberum jus habebis immutan-

tandi, addendi, delendi pro aulae illius ingenio ſive more. nam haec tibi notiora. vides, mi Monavi, non me affectum tantum amicorum interdum, ſed & operam requirere. quam te prompte mihi libenterque daturum eſſe non ſperare me dicam, ſed ſperem. Vale, Vir Cl. Leodici. Non. Sext. CIƆ IƆ XCI.

EPISTOLA CCCXCIII.

JACOBUS MONAVIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

DIci non poteſt, Lipſi praeſtantiſſime, quam grata mihi fuerit epiſtola tua, quam Non. Sextil. ad me dediſti. Nam & de ſtatu rerum tuarum libentiſſime cognovi, quae tanquam in ſinum meum effundis: & beneficium me accepiſſe puto, dum me dignum judicaſti, cujus opera in rebus & negotiis tuis curandis utaris. Opto ex animo, ut iſta migratio in urbem Leodicum proſit valetudini tuae, & juvet ſtudium quietis, quos quaſi fines profectioni tuae ſtatuiſſe te video. Faxit etiam Deus aeternus, ut ex valetudine tua commodiore, & ex conceſſa tibi quiete promanent fructus multi & magni ad uſus Reip. literariae. De privilegio Caeſareo nolim te nimis eſſe ſollicitum. Ita mihi curae futura eſt, atque cordi haec petitio tua, ut non poſſim majori fide & diligentia ullam rem meam propriam & privatam agere: Quod tibi certe credere tam fas eſt, atque dubitare nefas. Neque puto me in hoc, quod fieri cupis, multum laboraturum, cum ſciam nomen tuum eſſe in magno pretio, apud magnos in aula Caeſaris viros. Et illi ipſi amici mei, quos appellabo, non tam in mei gratiam facient, quod facturi ſunt, quam ut praeſtantiſſimi Lipſii nomine aliquid praeſtare poſſint, ſibi gratulaturi ſunt. Et de his quidem hactenus: de quibus etiam plus facerem verborum, ſi non mallem re ipſa tibi officium probare, quam ſermone. De amore & animo erga me tuo, cujus ſunt tam multa indicia in amiciſſimis literis tuis, tantum dolere me tibi fateor, qnantum perſolvere nunquam potero. Tu mihi ſaltem affectum iſtum ſerva perpetuum; & tibi viciſſim de mea erga te ſincera fide nullo unquam tempore dubita. Gratum etiam erit, ſi me interdum vel tuis literis, vel per *Ortelium* noſtrum, feceris certiorem de fructibus otii tui. *Ortelius* quidem adfirmat, te ante omnia daturum operam Faci hiſtoricae: quod opus in manibus tuis fortunet Deus aeternus, fons omnis boni in tota rerum natura. Rogo te, ne patiaris tibi injici remoras ab iis, qui te laceſſunt ſcriptis tuis. Oſtende tui animi magnitudinem in iſtis ſolo ſilentio vindicandis. *Chriſtmannus* certe nulla a te injuria fuit unquam affectus: Nam quae ille arripit ex epiſtola quadam tua in ſe dicta, pro iis gratiam potius debebat. Iſte autem, qui pro aris & foris Weſtphalicis contra te pugnat, quibus armis certet, vides. Ne patiaris ab iſtis curſum tuorum ſtudiorum impediri. Haec pro mea in te fide ſcribo: quam tibi conſtare volo perpetuam, & probabo eam

eam tibi, quibus modis potero. Doleo mihi periiſſe illas literas tuas, quas ante aliquot menſes ad me dediſti, & adhuc iraſcor illorum negligentiae, qui eas perdiderunt Antverpiae, prius quam in viam darentur. Minus moleſte ferrem jacturam iſtam ſane gravem, ſi quod argumentum illarum fuiſſet ſcirem. Sed tandem oportet ſequi conſilium Imperatoris illius, qui dixit, *Rerum irrecuperabilium ſumma felicitas eſt oblivio.* Bene, beate & feliciter vale, Praeſtantiſſime Lipſi: & ama me tui longe ſtudioſiſſimum atque amantiſſimum. Opto tibi certe ex animo, ut diu ſis ſalvus & incolumis: & adhuc multis modis juves, ornes, & ſuſtentes rem literariam. vix enim credas quot oculi in te reſpiciant utique. Iterum vale & ama me. Vratislavia XVII. Septemb. 1591.

Ignoſce quaeſo negligenti & ſubitae, atque etiam plane ineruditae, & te prorſus indignae, ſcriptioni meae.

EPISTOLA CCCXCIV.

JACOBUS MONAVIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

MItto tibi, Clariſſime Lipſi, a Cancellario Epiſcopi Vratislavienſis *Wackero* noſtro ſcriptas literas, e quibus cognoſces, quid effecerimus in negocio fidei noſtrae commiſſo. Diploma Caeſareum puto nos habituros propediem. Nec video rationem tutiorem, qua illud ad te curemus, niſi ad futuras Francofurti nundinas: ſpero me ipſum eſſe Francofurti futurum propter certa quaedam negocia, quae habeo illic & in vicinia. Si venero, adferam ipſe privilegium Caeſareum, idque ex mercatu tibi mittam ea via, quam mihi perſcripſeris. Si ipſe non veniam: tamen curabo, ut recte ab amicis accipias. Rogo te majorem in modum, ut tunc ad me ſcribas: & literas tuas per certos homines cures tradi *Joanni Aubrio*, haeredi typographiae Wechelianae: Is enim erit hoſpes meus, ſi Francofurtum venero, aut curabit negocia mea, ut ſolet facere omni tempore, ſi emanſero. Ei mandabo, ut faſciculum, quem a me accipiet tibi curandum, iis tradat, quos tu ei nominaveris. Habes in aula Caeſaris e praecipuis viris amicos ſingulares: & inter alios illuſtrem virum D. *Jacobum Curtium*, qui nunc tenet locum Vicecancellarii, ut nominant, imperialis, omni doctrina & virtute praeſtantiſſimum. Is amantiſſimus eſt Q. Curtii, legitque autorem illum diligenter & verſat frequenter. Putant amici te facturum ei rem gratiſſimam, ſi Curtium hiſtoricum, quem inter alios nominaſti in tuo ſupplice libello, cum eum aditurus es, ipſe dedicabis. Imago tua, quam *Wackerus* dedit ei, cujus nunc literas tibi mittit, mea fuit. A te aliam peto, ſed ea lege (id enim poſco laboris mei praemium) ut cures eam coloribus illuſtrari, & faciei tuae, quam ſimilimam reddi. Volo enim illam collocare inter alias, quae muſaeum meum exornant, ſummorum & virorum & amicorum imagines. Non poſſum nunc plura: Bene vale, mi clariſſime & prae-

praeſtantiſſime Lipſi, & ama me quaeſo tui tum amantiſſimum, tum longe omnium ſtudioſiſſimum. Reſponſum ad has literas meas aliud non exſpectabo, quam quod exſpecto vel Francofurti, ſi adſim, vel e Francofurto, ut inde ad me mittatur. Adde quaeſo literas tuas, ſi quid interea temporis, poſtquam e Batavia diſceſſiſti, abs te in luminis oras emiſſum eſt. Iterum vale, amiciſſime Lipſi. VII. Januar. Anno 1592. quem tibi, tuis, nobis: ipſique Reip. Chriſtianae fauſtum felicem & ſalutarem opto precorque ex animo.

EPISTOLA CCCXCV.

JACOBUS MONAVIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

PRaeſtantiſſime Lipſi: decus & ſidus literatorum ſeculique noſtri. Redditae mihi ſunt epiſtolae tuae, quas III. Id. Mart. ad nundinas iſtas miſiſti. Accepi etiam illas,[1] quas Non. Jan. de calumniis Weſtfali ſcripſiſti. Nondum autem vidi, quae de novitio aemulo mecum communicare non dubitaſti: ac puto literas tuas in patriam meam perlatas, ubi me reducem exſpectant. Faxit Deus optimus max. ut cum mea & meorum tum ſalute, tum laetitia fiat. Caeterum per humanitatem tuam quanto poſſum opere iterum atque iterum rogatum te volo, ut mihi veniam dare velis, tum quod privilegium tuum nondum mitto; tum quod ad epiſtolas tuas auro precioſiores, melle dulciores, tam plumbeam & tam aridam ſimul atque acidam remitto. De privilegio certus ſis. confectum id eſſe ex animi tui ſententia, & fortaſſis etiam ſpem & opinionem tuam vincet: Favet enim tibi Caeſaris aula, & amant te atque mirantur qui ſunt in ea praecipui. Et plane non dubito jam nunc eſſe in domo mea diploma, & expectare, ut redeam & ad te curem. Moram aliquam intulit, & huic negotio tuo, & rebus aliis plurimis, occupatio graviſſima Caeſaris, & familiae Auſtriacae propter nuptias, quae parantur Regi Sigismundo Sarmatae, & Archiducis Caroli filiae. cumque noſter Epiſcopus ſponſam adducere Regi debeat, potes cogitare ipſum, & Cancellarium nunc multum ſudare. Velim autem tibi perſuaſiſſimum eſſe: non aliter mihi futurum curae & cordi negocium hoc tuum, quam ſi eſſet mea res propria: eaque maxima & maxime neceſſaria. ipſum diploma non mittam tibi, niſi via certiſſima & ſecuriſſima. Cujus tamen apographon habebis exaratum manu mea, quam primum Deus me reducet ad meos. & tu pleniſſimam fidem illi tribues. deque eo etiam amicos, & quos voles, tutos eſſe jubebis. *Aubrius* hoſpes meus oſtendit mihi viam, qua & ad ipſum curare poſſum diploma, & ipſe ad te, quem amat, colit, & obſervat unice. ait, ſe beatum futurum, ſi quid aliquando poſſit exprimere typis ſuis, quod ſit abs te ſcri-

1 Haec legitur in II. Centur. Miſc. 98. quam vulgatam fuiſſe a *Monavio* graviter tulit, & ſaepe queritur. vide Ibid. Epiſt. 100. ad *Ortelium*, ubi in poſterum ſe ſtilum & manum coërcere velle ſcribit.

ſcriptum: ac pretium etiam offert, quid voles, & ſi quod voles poſcere. Epiſtola ad me tua, quam opponis Apologiae *Domanicae*, placuit magnopere iis omnibus, qui illam viderunt. miſi quoque illius exemplar ad eum ipſum locum, in quo nata eſt Apologia: atque adeo in ipſam Caeſaris aulam. Reſcribam tibi & de illa & de altera, quam adhuc deſidero, ubi me Deus meus reddiderit meis in patria mea: ad quam paro abitum, ſi Deus volet, poſt biduum. Fui ſuperiori ſeptimana Heidelbergae, & amanter ſum acceptus a multis doctis viris, amicis meis veteribus, inter quos etiam *Meliſſum* noſtrum nomino, cum quo mihi de te multus ſermo. Clementiſſimum etiam ſeſe mihi praebuit ipſe Illuſtriſſimus Elector Palatinus. vivit hîc mecum *Leunclavius*, vivit etiam *Sylburgius:* qui te ambo ſalutant diligenter, amanter & officioſe. Pro icone vultus tui maximas ago gratias. Omnes, qui viderunt, dicunt, ſe ipſiſſimum Lipſium videre. Literas, & quae ad *Wackerum* noſtrum ſpectant, coram ei dabo in manus, Deo dante, cum domum rediero. Quaeſo te, praeſtantiſſime Lipſi, ut in optimam partem accipere velis moram non longi temporis futuram, & quam ſpero facturam, ut non te poeniteat iſtius tarditatis; quam oro te cuique potius rei, quam mihi tribuas & adſcribas. Certe quam primum rediero ad meos, erit fere prima cura, ut praeſtantiſſimo & mei, ſupra quam mereor, amantiſſimo Lipſio ſerviam, & ejus deſiderium impleam. Quocunque tempore te contuleris, ad thermas Schwalbacenſes, optabo ex animo ut illae proſint vitae & valetudini tuae. Locutus ſum cum aliquot amicis, qui mire praedicant thermarum illarum ſeu fontium potius ſalubritatem. *Ortelius* miſit mihi inſcriptionem Theatri: quae tantopere placuit mihi & amicis aliis, ut ſatis mirari non potuerimus. Dicam uno verbo & dicam ſincere & vere prorſus ex animi mei ſententia: eſt illa plane divina, & ſingulis vocibus ineſt, quod oraculum dici queat. Eſt igitur munus *Ortelii* carum & precioſum per ſe, propter tuam hanc inſcriptionem longe cariſſimum & precioſiſſimum. Quando vero; quando gratus ero? Habe tibi proprium hunc animum, mi Lipſi, & iſtud Senecae tui cogita. *Quid tam eſt grati animi, quam nullo modo ſibi ſatisfacere, & ne quidem ad ſpem referendae gratiae accedere.* Bene vale; Praeſtantiſſime Lipſi, amiciſſime ſimul atque obſervandiſſime Lipſi: & quam primum *Aubrio* ſignifica, quid facere ex animi tui ſententia debeat, cum privilegium acceperit: Ad illum enim mittere cogito, niſi aliud tibi videtur: Et ſunt occaſiones ſat commodae ad eum, ut mittere recte poſſim. Datae ſubito Francofurti ad Moenum, ipſo die Paſchatis Cal. Julian. 1592.

EPISTOLA CCCXCVI.

JACOBUS MONAVIUS

Juſto Lipſio.

Leodicum.

TAndem, tandem ad manus meas pervenit Caeſareum diploma, quo libris tuis cavetur: Et ſpero, id eſſe tale, ut cauſa non ſit, cur morae diutur-

 nio-

nioris, de qua ſeſe purgant amici noſtri, nimium te poeniteat. Quin etiam erit, ni fallor, de quo privilegium ipſum loquetur, & tibi ſatisfaciet. Nam Caeſar ad totos annos XXX. beneficium hoc extendit; Et Cancellarius nihil poſtulat pro hac navata opera, ſed tibi eam donat. Quid? quod diploma ipſum non eſt perſcriptum formula uſitata & recepta; ſed peculiari quadam & ſingulari! Nam Caeſar ipſe non modo commendat ſcripta tua, ſed etiam de iis judicat & pronunciat. In caeteris etiam videbis, quomodo differat hoc tuum ab aliis. Mitto illud nunc probe munitum & compactum *Aubrio* noſtro, ut ex nundinis Francofurtenſibus, ſi Deus volet, accipias. Equidem moleſte ferebam ipſe moram: itaque tabellarium peculiarem dimiſi ad aulam, & juſſi expectare tam diu, donec paratum eſſet, quod tam diu parturiebant. Hoc etiam officium noſtrum patere tibi gratum eſſe, mi Lipſi, neque aliud abs te expecto, quod cum tibi commodum erit, ut mittas mihi aliquem ex libellis tuis: ſive Conſtantia ea ſit, ſive Epiſtolae tuae, ſive Politica, aut quid aliud: ſive plures ex his libellis compacti in unum, forma tamen minore: & ut tu aliquid proſcribas fronti ejus opuſculi & voluminis, ſeu primis illius pageilis: ut propter te atque inprimis propter tuam manum ſit carius munus, quo ego tamquam enchiridio utar & domi in muſaeo, & foris in curru, aut ubi ero. Scribam plura ex nundinis: & oſtendam, quibus imprimis debeas hoc diploma. De [1] epiſtola tua ad me ſcripta, quae invitis nobis & inſciis edita eſt, egit tecum non ſemel noſter integerrimus *Ortelius*, & egit, crede ex animi mei ſententia. Si vir bonus ſum, inſcio me & non volente prodiit epiſtola: ſi aliquando tibi faciendum videbitur, ut publice oſtendas tibi factum dolere illius, qui hoc fecit, quacunque de cauſa fecerit: rogo te illud etiam oſtendas, prodiiſſe epiſtolam, me quoque inſciente, invito & aegre ferente; unica mea haec culpa eſt, quod eam oſtendi aliis, attamen non multis, iiſque non malis neque indoctis: minime omnium iis, quos tibi iniquos ſcirem. Verum tamen id etiam non eram facturus, niſi tu mihi poteſtatem illam dediſſis, & ſponte tua permiſiſſes. Cogitabam ad te nunc mittere exemplum privilegii, quod legeres interea, donec ipſum, ut nominari ſolet, originale ex mercatu acciperes; ſed video me excludi tempore: fiet igitur id alias. Cum diplomate accipies etiam [2] epiſtolam doctiſſimi Juvenis *Acidalii*, qui nuper edidit Vellejum Paterculum; in quo te ſaepiſſime nominat & celebrat. Ipſe *Acidalius* vivit Bononiae: ſed liber editus eſt Patavii. Bene & feliciter vale, praeſtantiſſime & mihi precioſiſſime Lipſi: & reſponde quaeſo, cum has acceperis: Cumque reſpondebis oſtende quid nunc in manibus habeas, quidque nos velis abs te propediem expectare. Iterum iterumque vale πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος, & nos tui amantiſſimos, ſtudioſiſſimos, quod facis, ama. atque huic ſubitae ſcripturae da veniam. Vratislaviae Poſtr. Cal. Sept. 1592.

Salutari te volunt amanter & officioſe D. *Barvicius*, qui diploma ſcripſit, & noſter *Wackerus*, qui una mecum rem urſit magna fide. *Wackerus* intra ſpatium trium menſium & filiolam amiſit, & uxorem & filium.

EPI-

1 Cent. II. Miſc. 98. 2 Edita illa inter Acidalianas XLVI.

EPISTOLA CCCXCVII.

JACOBUS MONAVIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

ANte paucos dies ad te ſcripſi, & de privilegio Caeſareo, aureis ingenii & judicii tui monumentis tributo, quod ad me perlatum eſſe ſignificavi. Nunc illud ipſum accipis, hinc miſſum *Aubrio* noſtro, qui ad te curet ex nundinis. Faxit Deus, ut ſalvum ſalvus accipias. Accidit autem percommode, ut ſub ipſum mercatorum noſtrorum, qui ad Moenanas iſtas nundinas proficiſcuntur, abitum huc venerit noſter *Wackerus:* Eum igitur rogavi, ut & ſuas tibi ſcriptas, & quas a *Barvicio* de te ſcriptas acceperat, meis adjungere vellet: quod etiam ab ipſo, ſicut vides, impetravi. Rogo te, praeſtantiſſime Lipſi, quam primum iſta fuerint ad te perlata, ut mox velis mihi ſignificare: meque ſollicitudine, qua interea temporis afficior, liberare. Non poſſum plura: Feſtinant noſtri & petunt, ſe dimitti. Tu vale feliciter, & me ama conſtanter, Tui, dum ſpes hos reget artus, ſemper ſtudioſiſſimum & obſequentiſſimum futurum. *Wackerus* me rogavit, ut ego quoque velim mentionem facere Thraſeae, operis, non credis quantopere ab omnibus expetiti & exoptati. Ignoſce quod hoc ſcribo: Scio enim, quid tu aliquando ad me: nimirum iſtud verbum: De Thraſea nequis me moneat oro. Agnoſce amorem meum & ei, ut petii, ignoſce. Vale perpetuo. Vratislaviae IV. Sept. 1592.

EPISTOLA CCCXCVIII.

JACOBUS MONAVIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

FActum, fuit neſcio quo modo, Lipſi clariſſime & praeſtantiſſime, ut aliquid nubeculae nuper fuerit obductum animo meo, quemadmodum fortaſſis ab *Ortelio*, virorum optimo & amicorum integerrimo, de his non nihil cognoviſti. Verum diſcuſſit illius quicquid eſt, & pectus meum plane ſerenavit epiſtola tua, quam v. Id. Oct. ad me Lovanio miſiſti. Cum enim eſſet humaniſſime & amabiliſſime ſcripta, tuumque erga me amorem mihi quaſi in ſpeculo ſiſteret contemplandum, ipſe quoque inde mihi ſum redditus atque reſtitutus. Cave putes me tibi vel iratum fuiſſe, vel etiam leviter ſuccenſuiſſe (quid enim aut poſſem aut deberem tanti nominis viro & tanti pretii amico) tantum dolui quoſdam amicos eſſe, qui, ſumpta praeſertim occaſione ex literis tuis ad [1] *Ortelium* poſtremum datis, perſuadere mihi volebant, Lipſium deinceps mihi non futurum amicum, qui etiam prae ſe ferat ſtyli ad me uſurpandi in poſterum ſilentium: Permovitque me res illa tanto magis, quanto li-

1. II. Cent. Miſ. 100. ubi aegre ferens vulgatam epiſtolam ſuam, in poſterum ſtilum & manum ſe coërcere velle indicat. Epiſtolam Lipſii v. Id. Octob. ad Monavium datam reperire nequii.

liquidius innocentiae meae teſtimonium habebam e puritate conſcientiae meae: de quo plenius docui communem amicum *Ortelium*, quem etiam judicem fero totius negocii. Sed haec nunc mittamus: poſtquam ex hac, cui nunc reſcribo, epiſtola, puriorem affectum tuum agnoſco, & lucidiores amoris erga me tui ſinceri flammas conſpicor, quam multi putabant. Ea res mihi accidit longe gratiſſima: & oro te, Celeberrime Lipſi mi, cum hoc dederis humanitati tuae, ut me ſemel inter tuos recipere dignatus ſis, velis hoc etiam tribuere Conſtantiae meae, ut perpetuo inter eos retineas atque ſerves: hominem certe tui & amantiſſimum & ſtudioſiſſimum, dum ſpiritus hos reget artus, futurum; quod profecto tibi credere tam fas eſt, quam dubitare nefas, & de his quidem hactenus. Caeterum gaudeo tibi tam abunde ſatisfactum de privilegio; cujus tamen exemplar prius ad te perveniſſe miror, quam ipſum diplomatis autographon, quod & accurate munieram, & meas atque aliorum ad te ſcriptas literas, quas certe nolim periiſſe, ita in id conjeceram, ut voluerim ſimul ad te omnia pervenire: de qua re anxius ſane literas tuas operior, ut quod factum ſit, cognoſcam planiſſime. Quod ſcire cupis, cui debeas potiſſimum hanc Caeſaris benignitatem: de eo facient te certiorem literae *Wackeri* noſtri, & iis incluſae *Barvicianae*. Rogatus abs te *Wackerum* noſtrum, qui creber eſt in aula Caeſ. mihi adſcivi: Is porro adortus eſt *Barvicium*, qui una cum *Curtio*, quid velles, Caeſari commemorarunt, & ab ejus majeſtate hoc quod voluiſti impetrarunt. Mora quaedam intervenit, fateor. ſed non ſemel excuſavit ſeſe nobis de illa *Barvicius* occupatiſſimus: & tandem jacturam temporis prorogatione temporis in ſpacium tanto longius compenſavit. Iſtud tamen velim credas, niſi tantopere inſtitiſſem ipſe, tum apud *Wackerum*, tum apud *Barvicium*: ac tandem etiam peculiarem nuncium hac lege dimiſiſſem in aulam, ut prius non rediret, quam adferret privilegium, adhuc interveniſſet mora longior. Tu boni conſule omnium noſtrûm, qui hac in parte operam tibi dedimus (inter quos ſane me agnoſco minimum, at vero tui tam amantem & obſervantem quam eſſe quiſque poteſt) ſtudium & officium, tuae certe doctrinae & virtuti meritiſſimae debitum. De caeteris ipſe videris, cum tempus & locus erit, quid factu ſit opus. De libris, quos promittis, ago ſummas gratias: Laetabor ſupra quod dici poteſt, cum accepero. Etiam libentiſſime legi, quod de libellis tribus de Cruce mox edendis ſignificas, & eos cum editi fuerint, te miſſurum ad me polliceris. Argumentum vere, ut ais, grave & ſanctum: & quod non ab alio auctore tractari debuit, quam ab eo, quo nemo potuit de Conſtantia ſcribere gravius & ſapientius. *Wackerus* voluit te moneri de Thraſea: Ego vero illum ablegavi ad epiſtolam illam, quam olim ad me dediſti in Centuria tua ſecundâ, 78. publice editam, qua rogas, ne quis roget. Bene, beate feliciterque vale, vige, vive & vire: clariſſime & praeſtantiſſime Lipſi: & me tui amantiſſimum atque ſtudioſiſſimum, quod facis, ama: hoc eſt amare perge. Salutat te noſter *Wackerus*: qui nunc eſt nobiſcum, creditque tibi redditas quas ad te ſcripſit D. Epiſcopus, una cum munuſculo: de quo mihi dixit. Salutant te plurimi alii, qui nomen tuum ma-

magnificiunt, at quorum tibi ignota ſunt ipſorum nomina. Salvum te omnes cupiunt, & quidem validiſſime & diutiſſime. Vratislaviae XXIV. Novembris MDLXXXXII.

Ad *Ortelium* nuper ſcripſi de [1] oratione tua, ſi Diis placet, Saxonica. Quae frons iſta facere fuit auſa? quid oris habuit qui fecit? Res non novi. ſed prodigioſi exempli edere aliorum ſcripta, quae illorum non ſunt? praefigere iis prooemia, & quidem addito Autoris nomine: qui neque voluit, neque adeo velle potuit.

1 Innuit Orationem de *duplici concordia*, quam edidiſſe & ſibi ſuppoſuiſſe Goldaſtum Lipſius jactabat. Vide. *Car. Scribanii* Defenſionem Lipſii poſtumam cap. ult. & quae ſupra ad Epiſt. CLVIII. notavimus. ex ſequenti tamen epiſtola patet, non totam fuiſſe a *Goldaſto* compoſitam, cum non neget ſe habuiſſe illam publice, ſed vel exceptam vel ſurreptam fuiſſe. prooemia vero ipſi fuiſſe ſuppoſita facile credam.

EPISTOLA CCCXCIX.

J. LIPSIUS

Jacobo Monavio S. D.

Vratislaviam.

ABſterſam tibi una epiſtola noſtra nubem ſuſpiciunculae, quae animum obſederat, mi Monavi, tua meaque cauſſa gaudeo. Nam nec te decebat diutius de optimo in te animo meo ſequius aliquid arbitrari: nec mihi dolorem dari ex ſubductione amici, cui cum maxime volo jungi. Enimvero quid illud erat? indignum, in quo tria verba commutentur. Edita epiſtola, & ſine tua culpa. quid ſi cum aliqua tua? teſtor Deum, qui me fecit, nec ſic indignarer. Non ſcintilla, ſed fulmen aliquod, ut ſic dicam, criminis eſſe debeat, quod nos ſolvat, Haereamus, mi Monavi, haereamus, & inter tot levia aut infida aevi noſtri exempla, ſimus exemplum priſci. De privilegio reſpondi nuper. & ipſum primogenium diploma in Ubiis apud *Mylium* ex mandato noſtro haeret: deſcriptum apud me eſt, & cum gaudio fateor me legiſſe. Non ſatis, ſed nimis feciſtis, & viciſtis plane opinionem & vota noſtra. Deus tam mihi facultatem det, quam animum gratum non dicendi, ſed habendi. Aula certe Caeſaris, atque in primis ille ipſe, inhonorata (ſi quid ab iſto ſtilo tale poteſt) non abibit, niſi vita mihi ante diem abit. Molimur enim opuſcula, quae effecta etiam dare in quiete iſta poſſumus, niſi valetudo aut hoſtis interpellat. Quamquam & aſſiduus morſus, etſi me non dejiciunt, tamen manum hanc tardant & abſtinent a ſcribendo, quo autem noſtro merito? libere apud te amicum glorior, non fuiſſe patrum aut noſtro aevo, qui minus laceſſierit, aut cauſſam praebuerit impugnandi. Mores & ingenium mihi mitia, & magis dicas, ſi propius noris. Ergo ideo jacemus? inquies! & ubi conſtantia? non, nec imbecillitas, ſed juſta indignatiuncula eſt. ne quid in tam ingratos? ſed vincam. De Jenenſi Oratiuncula, quid ſit, quid non ſit, non poſſum dicere: non enim vidi. Illud certo poſſum, neminem mortalium ha-

habuiſſe a me exemplar. Edita me non invito ſolum, ſed ignariſſimo eſt. ſi hoc fas, puerilia iſta & extemporanea edere, & traducere alicujus famam, qui faciunt, viderint. atque iidem etiam de editionis fide. ſive enim excepta illa, ſive ſurrepta ſit, inimico in nos animo edita fuit, nec aliter poſſum cenſere. ſed tibi iſta, ne iterum irritem crabronem. Vale, clariſſime & amiciſſime Monavi, is mihi eris ſemper. Lovanii, poſtrid. Kal. Anni novi CIↃIↃXCIII. quem Deus tibi, uxori, liberis fortunet.

EPISTOLA CCCC.

JACOBUS MONAVIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

STrenam me accipere putavi, praeſtantiſſime Lipſi, cum literae mihi tuae nuper ſunt redditae, quas ſub initium hujus anni ad me dediſti, tam graviter ſimul & amanter ſcriptas, ut merito nihil mihi potuerit, atque adeo debuerit gratius aut optatius contingere. Et quamquam quas hactenus abs te habui omnes, in rebus cariſſimis numero, has tamen in primis, quibus nunc reſcribo, ſic exoſculor, ut eas inter κειμήλια mea reponam, ac mihi & meis reſervare ſtatuam. Caeterum neque gratias tibi agam verbis pluribus, neque ut iſto animo in me deinceps etiam eſſe velis, operoſius contendam, quia illud quidem abs te non requiri certus ſum, hoc vero pro conſtantia tua ultro te daturum nullus ambigo: ac vetus iſtud cogito, δεῖ τοὺς φιλοῦντας πίστιν, οὐ λόγον ἔχειν. Amemus igitur inter nos, mi Lipſi: amemus: hoc eſt, Tu me perge complecti tua illa ſincera & liberali benevolentia: Ego te contra non tantum amare, ſed etiam obſervare & colere, adeoque mirari non deſinam. Ad priſcos iſtos, quorum meminiſti, libenter me ablegari patior, & de iiſdem cogito, quod vetus poëta ſcripſerit.

Ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ, οἱ ῥα τότ' ἦσαν
Χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, ὅτ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθεὶς.

De epiſtola illa deinceps verbum nullum; ut etiam de oratiuncula, quam tu quidem ſic nominas, & de qua ſic quidem taciturum me deinceps promitto, ut tamen non velim deſinere illis ſuccenſere, qui tantum juris ſibi ſumere non erubuerunt, ut non modo aliena, ipſis tum inſciis, tum invitis proferrent, ſed etiam ita proferrent, ut auſi fuerint eorum nomen mentiri, praefigendo quaſi ab ipſis ſcriptas dedicatorias. Φεῦ φεῦ τῆς ἀναιδείας. Tu ſis bono animo, celeberrime Lipſi, & obdura contra haec & his ſimilia κοῦφα βέλη: iiſque oppone ſcutum tuae tum ſcientiae tum conſcientiae: reliqua fac tradas protervis in mare neſcio quod portare ventis. Dum enim nos vertimus, reſpicimuſque, quod ajunt, ecce aderit immortalitas: ut dixit tuus Seneca. De privilegio ſcrupulum mihi exemptum gaudeo, poſtquam exemplum tibi ſalvum eſſe: & cuſtodiri juſſu tuo primogenium in Ubiis intelligo. *Ortelius* no-

noſter a me petit libellum uſibus quotidianis ſerviturum, natum in his terris. Rogo, ne reſpuas, ſi meo nomine tibi quoque talem donabit: in quo ipſum quidem donum non erit magni precii, ſed animus liquidiſſime tuus. Salutat te amanter, diligenter & officioſe meus affinis, mihi fraterno amore junctus, *Nicolaus Redingerus*, [1] *Thomae* illius B. M. quem noviſti, ex fratre nepos; tui longe amantiſſimus & ſtudioſiſſimus, & quem velim credas talem eſſe, ut in hac tota provincia nemo ſit, qui illum ſuperet ingenio, doctrina, virtute. Dixi paucis multa: & vere profecto dixi. Ama illum, obſecro, dignum certe, quem ames; & nunquam poenitebit, ſi amaveris. fuit mecum ante aliquot ſeptimanas juvenis egregius *Petrus Bertius*, & quem tibi, *Douſae* & aliis veſtris luminibus gratum eſſe facile dedici ex libro, illis veſtris nominibus exornato. Is me, cum hac iter haberet, ſalutavit: & ego cum illo longum ſermonem habui, cujus caput erat Lipſius: de quo ille multa commemorabat. Petebat abiturus, ut ſuis verbis tibi ſalutem officii & ſtudii pleniſſimam nunciare vellem. quod nimirum nunc facio. *Ortelius* te ſcribit publice docere Lovanii: hoc eſt in ea ſchola, de qua memini *Matthaeum Weſenbecium* V. Cl. p. m. praeceptorem meum, ſaepe numero mihi dicere, ſe non credere eſſe locum in tota Europa, magis accommodatum Academiae, quam eſt haec tua civitas. Non poſſum plura. Scribo enim hoc feſtinans: quod tu ignoſces: & alio tempore literas, ſi modo poterunt a me tales ſcribi, accuratiores expectabis. Pro voto, quo filiolum meum perſequeris, tantas tibi ago gratias, quantas verbis exprimere non poſſum: cum ne tu quidem credere queas, quantum fuerit animi mei gaudium, quod in illo excitavit ea pars literarum tuarum, quae agit de filio meo. Scio, ſcio non in labris tibi natam, ſed ex ipſo corde tuo profluxiſſe illam orationem. viciſſim Deus tibi & tuis perpetuo tum benedicat, tum etiam benefaciat. Vale, mi praeſtantiſſime & magno ac multo merito tuo perpetuum mihi colende Lipſi. IX. Febr. 1593. Vratisl.

1 Vid. ad Epiſt. v. *Nicolai* poſtea ad Lipſium literas producemus.

[1] EPISTOLA CCCCI.

JACOBUS MONAVIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

SAlve plurimum, magne Lipſi, & habeo tibi maximas gratias propter animum & amorem erga me tuum, qui non voluit te prius abire, cum nuper eſſes Antwerpiae, & pene obruereris ſalutantium interpellationibus, quam depoſuiſſes apud amiciſſimum noſtrum *Ortelium* literas tuas illinc ad me mittendas. Eſſem enim non tantum ingratus ſed & inhumanus, niſi hoc tuum be-

1 Videtur ad hanc & aliam, quam non repperi, reſpondere Lipſius Centur. ad German. XV.

beneficium agnoſcerem & agnitum praedicarem? Sed & plurimum tibi debeo pro ſingulari ſententia tua, quam nuper tuliſti de Epigraphe Muſaei mei: quae nunc demum mihi placet magis, quam antea: poſteaquam non diſplicet ſummo viro Lipſio. Reverendiſſimus noſter Antiſtes per Cancellarium *Wacherum* nuper ex me ſcire voluit de valetudine & ſtatu rerum tuarum. Reſpondi ferme eadem, quae nunc invenio in literis tuis. Cruciamur expectatione & deſiderio Crucis tuae. Sat illa vero cito, ſi ſat bene, hoc eſt, ſi, cum tibi commodum fuerit viſum, & in luminis oras prodierit, & tandem etiam ad nos veniet. *Acidalium* tuas accepiſſe ſpero te dudum cognoviſſe. Me monente ſcribit nunc quoque. Amo te, mi Lipſi, qui hunc *Valentem* amas: quem fauſto, ut interpretor, omine, nuper adeo Lugdunenſes Typographi per errorem nominarunt *Vincentium*. Vis ſcire, qualis ſit *Acidalius*: Cogita quaeſo te illum ipſum intueri, cum veteris poëtae verſiculus tibi veniet in mentem: *Ingenium*, *probitas*, *artemque modeſtia vincit*. Sed de his ſatis. Audi aliquid minus amicum. Nuper ad me miſſae ſunt Apologiae duae ſcriptae contra Lipſium: a quo? a quodam apud Saxones Hierophanta, cui nomen ab *Ariete*, [2] cum potius ab Aſino deberet. Illarum apologiarum altera eſt pro Comitibus Oldenburgicis & civitate illorum; [3] altera pro toto Weſtphalorum grege. Nondum ſunt editae typis: ſed circumvolant & Chalcographum quaerunt; Noli ab iis, obſecro, metuere, etiamſi prodeant. Adverſarium habes, quem & merito, & ſecure contemnas: & cujuſmodi debeat ſibi bonus quiſque optare, ſi ſine hoſte vivere ei non detur. Ego tamen iſtum etiam tacere vellem, & faceret hoc profecto, ſi ſaperet. *Domanum* audio aliquid reſpondere voluiſſe ad Epiſtolam illam noſtram: (ſic enim tuam voco, quae ad me ſcripta eſt) idque nomini meo dicare. Quidam cordati eum ſunt ab hoc propoſito dehortati & auditurus eos videtur. Ignoſce quod tales nugas tibi adfero. *Bucretius* noſter, & affinis meus *Redingerus*, lumen patriae meae, te amantiſſime & officioſiſſime ſalutant, & poſt Crucem Faci lucem precantur. Bene vale, Clariſſime & praeſtantiſſime Lipſi: & conſerva mihi (quod certe facis) tuum erga me amorem; neque dubita de meo in te ſincero & puro affectu, quem utinam tandem liceat tibi reipſa declarare. *Barwicius* per *Wacherum* te jubet officioſe & amanter ſalutari. Iterum iterumque vale, Celeberrime

2 *Hermannus Hamelmannus* intelligitur, olim Lemgovienſis Paſtor, poſtea ſuperintendens Oldenburgenſis, cujus opera editioni paraverat Vir. Ampliſſimus *Erneſtus Caſimirus Waſſerbachius*, mihi olim dulciſſima ſtudiorum & vitae ſocietate Ultrajecti conjunctiſſimus, dum magno Graevio ſimul operam daremus, ſed cujus immatura mors praecidit gaudia noſtra, & reipub. literariae, ne alia a docta illa manu acciperemus. prodierunt vero poſt ejus mortem Lemgoviae A. 1711. praemittitur illis vita *Hamelmanni*. Inter ejus opera vero t. 11. pag. 1382. legitur *Apologia pro illuſtribus & inclytis Comitibus Altenburgicis*, *& pro honeſtis ac induſtriis Urbis Altenburgiae civibus & totius regionis incolis*, *contra virulentas Juſti Lipſii Calumnias atque injurias*. cui Epiſtola illa ad Monavium ex 11. Cent. Miſc. 98. ſubjicitur. ſi vixiſſet Amicus ille noſter egregius, pluribus Tomis rerum Weſtphalicarum auctores nobis protuliſſet in lucem.

3 Eſt *Joannis Domanni Oſnabrugenſis pro Weſtphalia adverſus J. Lipſium Apologeticum*, inter alia de Weſtphalis opuſcula, editum etiam a *Johanne Goes* Weſtphalo Helmſt. 1668. & additum etiam *Hamelmanni* operibus.

rime Lipſi : & ſalve a tui amantiſſimo & ſtudioſiſſimo. Vratisl. poſtr. Cal. Nov. 1593.

Adhuc per Dei gratiam experior vim votorum tuorum: cum optabas, ut eſſet mihi vitalis filiolus meus *Fredericus*. Vivit enim, viget & valet. Deus, qui dedit, ſervet: & aliquando ſibi ſervire faciat, ipſe faciat. Cum dabitur occaſio, valde te rogo, ut meo nomine diligentiſſime ſalutes Nobiliſſimos *Douſas*, patrem & filium. Opto eis omnia optima & optatiſſima: & cupio ipſis eſſe commendatiſſimus.

EPISTOLA CCCCII.

J. LIPSIUS

Jacobo Monavio.

Vratislaviam.

En Crucem noſtram, quam exſpectare te ſcribis, mi Monavi. Aliquid magnum, elaboratum fortaſſe? Ignoſce errorem, nihil eſt tale. Collegimus aliquid pro ritu antiquo ejus ſupplicii, nec ultra libido mihi ire. Alioquin deſignaveram ſeorſim libellum de *Cruce interna:* ſed parum aſſurgimus in hoc aevo. nunc milito, & ad Facem meam pergo. *Valentem* noſtrum ex Italia rediiſſe volupe mihi fuit. ſcio nihil aut parum ibi eſſe, non dicam pro veteri, ſed nupera Italia, & tractus ille orbis elangueſcit. Ipſe *Valens* (non te fallam augur) gemmula erit Germaniae veſtrae, vivat modo. ſalus mihi ab affine tuo *Redingero* immane quantum grata. Amo gentem & ipſum, ob ea, quae praedicas, nec celabis eum hunc affectum. *Erneſtus* Auſtriacus apud nos eſt, diu expetitus, quo ſucceſſu dies revelabit. Laudes ejus audio, & de moribus ejus omnia bona, quae res me quidem implet bonae ſpei. Etſi video magnos reges magna quaedam moliri, & ideo tarda. ac vereor, ne nos interea in fumo iſto ac flamma. de *Ariete* iſto quod nuntias e Weſtphalia; eſto, arietet. Excepi alios ictus & ſtabo. Hoc videant, ne ſemel melancholiam iſtam moveant, & incaleſcat, in quem finem? non ut pugnet, ſed ut ludat. Ad Satyram tandem me adigent iſti homines, quibus nec publica judicia, nec meus pudor ponit modum. ſed nihil affirmo. *Urſulus* quem non movit, vereor ut ab Ariete excitetur. Tu vale, mi Monavi. Lovan. Non. Febr. CIↃIↃXCIV.

EPISTOLA CCCCIII.

J. LIPSIUS

Jac. Monavio S. D.

Vratislaviam.

VIr Clariſſ. grave mihi aut intempeſtivum nunquam eſt a te appellari, ſemel mihi hoc crede, ut Lutetia in Gallia, ſic Vratislavia in Germania

 affe-

affectus meos poſſidet, & amo vos incolas, & cupio amari. Dictum eſto pro intimo iſto ſenſu. occupamur ſane varie, ſed venia & libertas haec per Vos mihi erit, ut omittam aut differam aliquando reſpondere, ubi non niſi amoris litterae ſunt ſine alia ſignificatione. A *Rhodomanno* carmen accepi, & [1] carmine (etſi raro, aut non Poëta) reſpondi. quos tu commendas (ſcio te judicio facere) ii mihi ſemper cari; de *Henrici Stephani* ſcriptis non audivi ſolum, ſed vidi. Quid ille vir meditatur ſententiam de Stilo ferre? uſurpat, quod nemo detulit, & ubicunque bonus, hîc non ſit in ſuo ludo. eloquentia non ejus, non ipſe eam reſpexit; niſi ſi quicunque Latine aliquid, & non vulgarie pangit, vindicat ſibi & aſſerit eam Divam. Heu quam longe eſt? nec equidem negaverim quoſdam eſſe, qui moroſe & ſtulte me imitantur ex iſtis adoleſcentibus. jamdiu indignor. Sed quae hîc mea culpa eſt? non magis quam Salluſtii; quem Aruntius aliquis varo pede per veſtigia omnia ſecutus, quod alius peccat, alius luat Sua cuique a ſe laus aut culpa eſto. De militia noſtra jam excuduntur, & reliqua ſequentur Hiſtoricae facis. Ea initium eſt, & fores pandit. *Wacherum* apud vos aeſtimo & amo: quid ille in meam crucem? videre non licet! ſi tale eſt, mitte. explere aliquid in meis, aut mutare etiam per ipſum & per alios poſſim; nec id neſcio, & pro beneficio habeam, ſi quis praeſtet. Weſtfali ſileant, per me non excitandi: nec ego per eos, ut maxime latrent. Pacem apud vos quoque turbari doleo. ſi nondum re, metu tamen propinquioris hoſtis. hoſtis non metuendus ſit, Chriſtianis inter ſe pax ſit. de qua multus hîc jam ſermo: ſed meo animo non niſi ſermo. videbimus. ſi firma ea eſſet, animo & corpore exciter, & fortaſſe vel impetum capiam Germaniam ſemel curſim reguſtandi, & vos videndi. Amicos illic ſaluto, *Wacherum*, *Acidalium*, alios: & inter primos *Redigerum*. Lovanii poſtridie Natalem Dominicum. 1594.

1 Illud legitur inter epiſtolas Offenbachii editas Num. LIX.

EPISTOLA CCCCIV.

JACOBUS MONAVIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

GRaviſſima & gratiſſima tua epiſtola, quam poſtridie Natal. domini ſcripſiſti, tam mihi grata fuit, ut non poſſim ullis verbis exprimere, quantas ſecum commoditates attulerit. Venit enim plane in tempore. Amiſeram, cariſſime Lipſi, Vir praeſtantiſſime; ſororem meam unicam, unice charam: & poſtremam ſtirpis meae foeminam: At non tam propter ſanguinis conjunctionem moleſte ferebam, quod ea eſſem orbatus: ſed etiam cruciabar cogitatione virtutum, quae in illa fuerunt praeter ſexum. Ecce in hoc luctu meo acerbiſſimo, adeſt mihi epiſtola tua ὡς ἀπὸ μηχανῆς: ac vere poſſum affirmare,

re, non vulgarem levationem moerori meo contigiſſe ex lectione accurata tam ſapientis & doctae epiſtolae. Peto autem reverenter, ut mihi veniam dare veliſ, quod nunc ad eam non reſcribo, ut debebam. fiet hoc alio, ſi Deus volet, tempore. Ad *Rhodomannum* miſi tuum carmen, & nunc ago illius nomine gratias maximas amabiliſſimae humanitati tuae: aget paulo poſt ipſe quoque verbis ſuis. De [1] *Corona* tuum graviſſimum judicium probo: Quin hoc audi, quod auribus tuis credo. fiebat aliquando illius hominis mentio, cum una loqueremur *Joſephus Scaliger* & ego; neſcio fiebat quomodo, ut *Scaliger* commotior de illo, qui contra te ſcriptiones molitur, haec verba diceret, quorum ſaepe ridens ſoleo recordari. *Tantum*, dicebat, *iſte homo habet judicii, quantum eſt cerebri in meo calceo.* Et profecto ſic mihi videor hominem noviſſe, cum quo vixi ſaepius. Scribat quod volet, pro te, vel contra te, contra Mimos vel Momos; bellum ei erit cum impavido, & quem non ferient ruinae, futurum. Ita ſentio, ita credo. *Wacherus* ante paucos dies nuptias celebravit ſecundas: petiit ſibi non nihil indulgeri, & mox ad officium ſe reverſurum ait. Tum etiam mittet, quas ego ad te, notas cruciferas. Gaudentes legimus, quae de Militia tua ſcribis. precamur felices ſucceſſus tam fauſtis coeptis. Parodiam ante aliquot ſeptimanas miſimus ad noſtrum *Ortelium*, quam vidiſſe, & in eo amorem erga te noſtrum (autor ego tamen non ſum: ſed quis ſit ex libello meo, [2] quem nunc edo, & cujus tibi exemplar mittam, cognoſces) agnoviſſe te ſpero. Liceat nobis ita ſentire, qui recte nos ſentire putamus, rumpantur ut ilia Weſtphalis. *Acidalius* migravit ex hac urbe, & vivit cum *Wachero*, apud Epiſcopum noſtrum. Salutem iis omnibus tuo nomine nunciavi plurimam: Nunc ipſe etiam te jubeo valere, mi praeſtantiſſime Lipſi, & majorem in modum abs te contendo, ut mihi veniam dare velis, ſi forte ſtylus meus imitetur fortunam ſcribentis. Non poſſum me alium in hoc dolore meo gerere, quam me ſtatus, & affectus meus fingit. Bene & feliciter vale, & me ama, tui certe amantiſſimum & ſtudioſiſſimum dum vivam. Datum XIV. Febr. 1595. Vratislaviae.

1 Id eſt *Henrico Stephano.*
2 Melch. Adamus in vita *Monavii* nihil edidiſſe eum ſcribit, praeter Ethica Ariſtotelis, Victorini Strigelii notis illuſtrata, & tres libros carminum in Symbolum ſuum IPSE FACIET.

EPISTOLA CCCCV.

FRANCISCUS HILDESHEIM

Illuſtriſſimi Electoris Brandenburgenſis Medicus

J. Lipſio.

Leidam.

ERuditionis tuae ſplendor, *Juſte Lipſi*, me non modo in cultum admirationemque rapuit nominis Tui: Verum etiam in ſcribendo audacem, & peta-

1 Reſpondet Lipſius II. Miſc. 72.

petacem in rogando reddidit. Quapropter neque ego hanc ſcribendi audaciam magnopere apud te deprecari debeo: neque Tu noſtram iſtam ſalutationem argute voles reprehendere. Non enim eo es natus genio atque ingenio, ut hoc noſtrum ſcribendi officium, certe amabile, barbaro faſtidio contempſiſſe videri queas. Ac ut maxime infeliciter cadat haec ſcriptionis alea: de temporum tamen iſtorum felicitate, ſaltem gloriari apud Te, illius autorem, liceat mihi, quibus una Belgica regio duo produxit Antiquae Eruditionis lumina, *Lipſium* ac *Douzam*, quorum ſcriptis politiſſimis omnem veterem eluimus barbariem, ut jam Tacitum ac Varronem, addo Plautum, Romanis amplius non invideamus. Itaque cum ferme decennium peregrinationibus transmiſiſſem, quo tempore cum multis Anglis, Italis, Gallis, Belgis vixi familiariſſime, unius me iſtius poenitet, unicum ob bella Belgium (quod mihi fuiſſet futurum inſtar omnium, ex ſententia magni illius *Busbequii*) & in eo unicum illum *Lipſium*, Literatorum hoc ſeculo Herculem, videre mihi non licuiſſe. Teſtes harum querelarum hae ſint literae, meaeque in te voluntatis, eliciendi amoris tui primitiae. Quid in autoribus repurgandis praeſtiteris, ſi haec aetas parum curat, poſtera aliquando loquetur. Utinam autem experiantur operam ac opem tuam Medici noſtri, qui & ipſi tot pene vulnera, quot verba habent. Primum enim divina Hippocratis brevitas in multis interpretationibus aut confuſe & perplexe diducta, aut a variis ingeniis alio detorta eſt. Galeni autem laxitas Aſiatica, quotnam Commentariis foede eſt depravata? ut jam de varietate lectionis tot libri ſcripti Galenum ipſum mole ſua ferme ſuperent. De Arabibus quid? niſi illud:

Ignotum nobis Arabes veniſtis in orbem.

Unus ex Latinis reſtabat Celſus. Qui licet tempore & ſermonis puritate eſſet proximus: tamen virginitatis jacturam tulit a foedis ſtupratoribus, ut jam nimis vera ſit querela Plinii: Alienis pedibus ambulamus, alienis oculis agnoſcimus, aliena memoria ſalutamus, aliena vivimus opera. In hujus Pandectis, quaeſo, iſta vide, meque tuo juva judicio. lib. XXIX. cap. 1. *Ne avaritiam quidem arguam, rapacesque nundinas pendentibus fatis, & dolorum indicaturam, ac mortis arram, aut arcana praecepta.* Quid, malum, *Indicatura dolorum? quid arra mortis?* Ego ſalutis indicaturam & vitae arram intelligo. Quaerit aeger ex Medico: Quanti ſalutem indicas? Quanti me curas? Is enim mos Veteribus, ut non rogarent Medicos, ſed conducerent. Dimidio igitur mercedis, quae convenit, ſoluto, reliquum non niſi homine reſtituto debebatur. Quare *dolorum Indicaturam* praeter expectationem dixit Plinius. Nam de ſanitate inter aegrum & Medicum convenit, non de doloribus. Sic *mortis arram* dixit pro arra vitae. Precii enim dimidium quod initio ſolvebatur, nonne arra erat vitae? An περὶ παραδοξίαν Plinius haec dixit? quod *arcanum praeceptum* habebant inter ſe Agyrtae illi carnifices Medici: Dolores potius leniendos quam tollendos, ut aegri ſuſpenſa, non certa ſalus eſſet. Nam Medicus, qui morbum protrahit, ut quaeſtum faciat, non ſanitatem, ſed morbum indicat. An idem ſentiendum de *Mortis arra*? Medico enim de mercede paciſcen-

ſcenti dabatur arra. Cum autem ille pecuniae ſtudio morbum protraheret, non tolleret, ita ut in diſcrimen vitae aeger adduceretur, ea certe non ſalutis erat arra, ſed mortis. Haec forte iſta Circulatorum arcana praecepta erant Plinio. Te, *Lipſi*, reſpicio, & ad tribunal tuum provoco. Si quid ad me curatum voles, mitte *Meliſſo* noſtro, & Vale. Idib. Martiis Anno S. Octuageſimo nono. Ex Colonia Urſina ad Saevum urbe Septemvirali Brandeburgica.

EPISTOLA CCCCVI.

FRANCISCUS HILDESHEIMIUS

Juſto Lipſio.

Leidam.

LIteras Tuas probe ad me curavit *Meliſſus* noſter, cui pro tanto officio gratiam continenter habeo. Sed audi, Vir Clariſſime, has ipſas literas viderunt apud me multi magni Viri, ac tantam tuam humanitatem tacite ſunt admirati, qua primas mihi amicitiae fores aperuiſti. Inter hos legit eas Princeps *Chriſtianus Anhaltinus*, mihique de nova Amici prudentiſſimi acceſſione eſt gratulatus, cui ego Politica Tua donaveram cum hac Epigraphe:

Vidit tuas, argute Lipſi, *litteras,*
Ex Battavis miſſas mihi,
Ab Aſcania ille nobilis princeps domo,
Flos purus ille Principum,
Regumque ocellus; Literatorum Deus.
Et Chriſtianus *nomine*
Ac re: merum Germaniae miraculum,
Mellite Lipſi, *nunquid hîc*
Supercilium ſalit tibi? ecquid garrula
Reſonat tibi auris? audi: ἔπος.
Aut ille, quem Tu quaeris in Politicis;
Aut nullus eſt Princeps *Tibi.*

Sed ecce. Miſeram eaſdem legendas *Samueli Reinharto*, homini literatiſſimo, Marchionum noſtrorum Juniorum praeceptori, meo amiciſſimo; Is eas remiſit capſulae incluſas argenteae, cui ſic illuſi.

Reinarte, *quid Semideo factum eſt meo?*
Quid? Lipſium tantilla condit capſula?
Hoc quid rei eſt? Papae! levem Deunculum
Paſſum recondi pixidicula in levi?
Non pol tuliſſet ille, ni genio Tuo
Simul probaſſet catus immiſcerier:
Tua quod litura juncta LipsI literis
Docebat. Euge, quanta copulatio?
Jam carcere in tam blandulo haerens Lipſius,

Canit triumphum, ſeque devovet Tibi,
Amice Franciſci, atque amice Lipſii.

Vides, quantos nobis labores impoſueris unica illa Epiſtola Tua, certe Herculeos. Euge, Lipſi, fac ut literis Tuis denuo fruamur. Si miſeris MELISSO noſtro, is recta ad me curabit. Sed ubi ubi illa Tua DE INSTITUTIONE PRINCIPIS commenta? Ecquando exolves promiſſa? Exſpectat una mecum Princeps ille *Anhaltinus* operam Tuam; amabo fac ne fruſtra. Cura ut deleatur nomen tuum, NE QUID DEBEAS. Monodiam meam, quam mitto, tui facio Judicii. Vale, Vir Clariſſime, Domine & amice cariſſime. Coloniae Urſinae XI. Kal. Octob. A. LXXXX.

EPISTOLA CCCCVII.

[1] PETRUS PANTINUS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

IGnotus ignotum compello, mi Lipſi, non ex officio fortaſſis, certe ex amore. Nam quum puer eruditiſſima tua ſcripta ſemper ſuſpexerim, ita cum aetate judiciique auctu, idem hic mihi ſenſus adauctus, nihil ut iis ſuavius; nihil proinde uno te carius mihi eſſe ducam. Teſtis mihi *Schottus*, teſtis *Egmundus*, teſtes ceteri, qui hîc Philolipſii. Et quid mirum, Belgam Belgicae ocellum in oculis ferre, quum Hiſpani ipſi meros jam paſſim Lipſii amores ſpirent? *Covarruvias*, *Griatius*, *Brocenſis*, *Ruiſius*; omnes jure muſico illi veſtro albo adnumerandi. Gaude igitur, mi Lipſi, vivus videnſque ingenii tui famaeque bono; hocque [2] Halieutici Ovidiani (niſi Itali imponunt; quamquam non imponunt, opinor) Neapoli non ita diu ex ſitu erutum, in meae erga te primum obſervantiae teſtimonium lubens accipe, & cum altero illo excuſo, velut Abſyrti membra, cum Phoebo muſiſque volentibus ἐυςόχως compone. Vale, Mantuae Carpetanorum A. d. XI. Kal. Auguſti 1589.

1 *Petrus Pantinus Tiletanus* Flander, de quo vide Valer. Andr. Bibl. Belgic. p. 753. Marchant. Fland. lib. I. pag. 82. & Sander. de Scriptor. Flandr. lib. III. p. 135. hic cum diu in Hiſpania vixiſſet, cum Alberto Auſtriaco rediit in Belgium. vid. Lipſ. Cent. ad Ital. Epiſt. 36. Praecipuum, quo eruditos demeruit, opus, ſunt *Mich. Apoſtolii Paroemiae* Graecae, quas exemplo *Ant. Schotti* incitatus, latine vertit & notis illuſtravit, & poſt ejus mortem *Schottus* auxit, & *Daniel Heinſius* A. 1619. edidit. Has paroemias vero, editis duplo auctiores, exſtitiſſe in Bibliotheca Archiepiſcopi Toloſani *Caroli de Montchal*, refert Labbaeus in Biblioth. nova MSS. libror. pag. 205. Ipſius vero *Apoſtolii* manu deſcriptas exſtare in Bibliotheca Regia teſtatur idem pag. 135. & 287.

2 Intelligit illud ſpurium ab *Hieronymo Columna* ad Ennium prolatum. Vid. *Heinſii* notas ad Halieutic. princ.

[1] EPISTOLA CCCCVIII.

PETRUS PANTINUS

Juſto Lipſio V. Doctiſſ. S. D.

Lovanium.

PRaeter ceteras, quae mihi plurimae, legitimaeque in patriam, totos XVI. annos, temporum injuria, non viſam redeundi ſunt cauſae, hanc pene dixeram primam; certe inter primas habeo, te talem virum; cujuſque politiſſimum ingenium, ex ſcriptis, ſemper ſum admiratus, videndi, &, ſi patiaris, amplectendi. Atque utinam ſpiſſus hic, ſpurcuſque belli turbo, qui tantae calamitati Belgicam noſtram hactenus involvit, ab eo, qui ξυννεφεῖ τὰς νεφέλας, &, ubi omnipotenti ipſius bonitati viſum eſt, ἀπαιθριάζει, disjiciatur aliquando. καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου intueri nobis tandem liceat. Sed hoc optare poſſumus; ſperare nondum. adeo illic Lamachorum adhuc plena eſſe omnia intelligo. qui quoniam, ut Comici abutar, θερίζουσί τε καὶ σπείρουσι, καὶ τρυγῶσι συκάζουσί τε, violento hoc Deo omnia ſurſum deorſum miſcente, placidam illam divam, καὶ πασῶν θεῶν μεγίστην, perpetuo in puteo illo ſuo demerſam cupiant. quae res ſaepe me alioquin ad amantiſſimos mei πτερυγίζοντα hîc neceſſario adhuc reprimit, detinetque otio praeſertim ampliſſimo, re & dignitate aliqua, bonorum adhaec virorum gratia non contemnenda utentem. Magni interim muneris loco habuero ſi quid forte inciderit, in quo operam meam tibi uſui poſſe eſſe exiſtimes, eadem utaris. Contendam atque enitar omni ſtudio ac fide, ne me amicitia tua indignum experiare. In quam rem ſi neceſſe eſt, ſponſores pro me *Schottum* noſtrum & *Covarruviam* dabo. a quorum [2] utroque haſce literas habe. a *Covarruvia* inſuper loca aliquot graeca in Seneca reſtituta. Sed cum cautione, quam ex altera ipſius ad me epiſtola cognoſcas licet. Si quid reſcribere libuerit, ut te facturum omnino non dubito, faſciculus ad ornatiſſ. V. *Joannem Moretum*, & per ipſum ad nos recte mitti poterit. Venerabilem virum D. *Ariam Montanum* ante hebdomadas aliquot febris quartana corripuit, & quamvis malum infra periculum videatur, non poſſumus tamen non & metuere, cui bene cupimus. hac praeſertim aetate, corpuſculoque & laboribus & victus tenuitate exhauſto. Tu vale, doctiſſ. Lipſi, & ni moleſtum eſt proximis adſcribe, num libros, quorum autores, principiaque ſubjungam, illic aut alibi graece aut latine editos ſcias: Προκοπίου περὶ τῆς οἰκονομικῆς ἱστορίας βιβλ. orditur hoc pacto, δεῖ μὴ μόνον τῆς (τοῖς potius) ἐκ φύσεως ἀγαθοῖς, ἀλλὰ καὶ οἰκείοις εὑρήματι κατακοσμεῖσθαι ἄνθρωπον. ἔνεστι γὰρ λόγῳ αὐτῷ χρήματι (f. χρῆμα τὶ) θεῖον καὶ ἀξιάγαστον. Secundus eſt *Georgii* cujuſdam chronicon ab orbe condito uſque ad Conſtantinum magnum. hunc fal-

1 Reſpondet Lipſius Centur. I. ad Belg. Epiſt. 12.
2 Solius *Covarruviae* repperi, quas huic Epiſtolae ſubjungere viſum fuit. de Graecis Senecae vide ſupr. Epiſt. XCII. & Gronov. ad Heinſ. CLXXVI.

falſo quidam [3] *Glycam* exiſtimant. cum ex *Curapalate* contrarium conſtet. Conjunctus eſt cum eodem *Theophanius* quidam, qui a Conſtantino hanc ſcriptionem uſque ad Nicephorum. τῶν ἀπὸ γενικῶν deduxit principium hoc: βραχυσύλλαβον ἐγχαράττω σοὶ, καὶ τοῦτο τὸ γράμμα, τέκνον μοὶ φίλτατον. Orationes ſeu homiliae D. *Joannis Damaſceni* duae, una eſt de Sabbatho Sancto cum hoc principio, τὶς λαλήσει τὰς δυναστείας τοῦ κυρίου; ſed altera εἰς τὸ γενέθλιον τῆς θεοτόκου incipit ita: δεῦτε πάντα τὰ ἔθνη πᾶν γένος ἀνθρώπων καὶ γλῶσσα καὶ ἡλικία καὶ ἅπαν ἀξίωμα μετ' εὐφροσύνης τὸ τῆς παγκοσμίου εὐφροσύνης γενέθλιον ἑορτάσομεν. *Cyrillus Alexandrinus* κατὰ μὴ βουλομένων ὁμολογεῖν θεότοκον τὴν ἁγίαν παρθένον. principium, ἴσασιν ἰατρῶν παῖδες προφυλακτικὰ τῶν παθῶν βοηθήματα. τῇ τέχνῃ προανατέλλοντες τὴν μέλλουσαν βλάβην. καὶ τῇ τῶν διαφόρων φαρμάκων συνθέσει τὴν τῶν παθῶν νικῶντες ἀγελότητα.

Sed ego jam prolixior; immo impudentior ſum; qui ſeria tua ſtudia in ipſo amicitia noſtrae aditu tantum moror. Ignoſce, vir praeſtantiſſime, culpamque omnem conceptae mihi de tua humanitate opinioni aſſigna & iterum vale. Madrito prid. idus Septemb. CIↃ. IↃ. LXXXXII.

3 Certe ſub *Glycae* nomine edidit Labbaeus A. 1660. & initium operis, ut hîc exhibetur, idem erat in Codice Fontiſebraldenſi.

ANTONIUS COVARRUVIAS

P. Pantino ſuo S.

GLycam repertum vehementer gaudeo. occurrebat poſſe eſſe apud *Higueram*, ſed fefellit indiculus, quem ejus manu habeo, nec aderat Glycas: eum tibi redditum gratum acceptumque eſt, & id ego volebam. Uteris arbitratu tuo quandiu voles, itemque ceteris libris, quos a me habes: Hiſtoriam Arabicam, Hiſpanam factam, videbo libentiſſime, ſed vereor, ne non intellexeris quas ego Arabicas interpretationes a te quaeſierim binis literis, cum tu mihi nihil ad eas. eae ſunt, quas apud *Garſam* eſſe ajebas, reliquiae S. *Caecilii*, eas valde, ſi fieri poteſt, deſidero, ſcio autem quam a quibuſdam haec arte contenteque habeantur, ſed ſi potes: non aliter. non eſt res tanti. Graeca Senecae mitti *Lipſio* valde volo. Edi meo nomine, minime, idque & precario, & ſi fas eſt, pro imperio, prohibeo vetoque. ſed amabo, vide prius, ne ſint edita, ne ſimus ridiculo. in editione Romana ſunt nonnulla: audio eſſe aliam, vide quaeſo pro amicitia, haec prius. & ſi mittenda *Lipſio* decreveris, admone, judicet & pro arbitrio ſuo iis abutatur. Reliqua alias, nunc haec propere. Vale. Toleti, A. D. XIIII. Kal. Septembr.

EPI-

EPISTOLA CCCCIX.

PETRUS PANTINUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

FActum bonum! ternae tuae, *Covarruviae*, *Schotto*, mihi inſcriptae, omnes perlatae, rara hoc tempore felicitate. Ab illis poſtea; a me nunc reſponſum accipe. Patriae caſum, ſeu occaſum jam potius, quis non doleat, niſi cui nihil dolet? Sed parendum in omnibus, mi Lipſi, ſeu aſſentiendum potius, ſummo illi rerum arbitro; pro certoque tenendum, nihil niſi bonum, a ſummo illo bono, nobis immitti. Quod ad me attinet, εἰ καὶ ὀυδὲν γλύκιον τῆς πατρίδος ὀυδὲ τοκήων, conſtitui fortiter adhuc, dum illae conſileſcant turbae, atque irae leniant, in voluntario hoc exſulio obdurare. Quae enim illic talis mihi vita, homini pacis amantiſſimo, ubi nihil quotidie audias, videas, experiaris, praeterquam bella, horrida bella? At ſplendidior, lautiorque deinceps in patria vivendi conditio invitat: quid refert, dum non quietior? nunquam animus honorum valde appetens fuit; multo minus opum. Spinas utraſque appellari ſcio. pungi metuo. Cum ocio liberali quod ſatis eſt adſit; ſuperflua nihil moror; fugio potius. Ad tuas redeo. Scholia, ac notae, in pleroſque Hiſtoricos Latinos, magnam hîc expectationem (ut tua omnia) concitarunt. mihi ſalivam in primis movêre tres illi de Cruce Libelli. adſcribe, amabo, num abs te cuſi, an de graeco verſi. Scis enim multa in hac lingua ejuſmodi exſtare. Nos jam olim *Alexandrum* quendam Monachum, de ejus inventione, Latinum fecimus, & *Joſephum* Epiſcopum Theſſalonicenſem, de laude ejuſdem. Si uſui fore arbitraris, utrumque mittam. *Fabri* in Senecam nullus vidi: nec mirum, itineribus Gallicis, terra marique, jam pridem clauſis. Principi noſtro officium tuum gratum futurum ne dubita. amat enim literas earumque cultores. eiſdem ipſe non leviter infectus, praeeunte *Loaiſa*. Epiſtolam tuam pluribus legi: placuit quibuſdam. quid? non omnibus inquis? quî poſſit, mi Lipſi, quum non niſi pauci intelligant? Aliae his labris quaerendae lactucae. De valetudine magni *Montani* adhuc bene nunciant. Tu quoque vale, & me, quod facturum promittis & ſpero, ama. Ego ſerio te colam & obſervabo. Madrito II. Kal. Febr. CIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA CCCCX.

PETRUS PANTINUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

JUſte Lipſi doctiſſ. has tibi inſcriptas, & apertas a *Schotto* noſtro, aperto pectore ad me miſſas, eodem a me habe. V. C. *Covarruvias* nihil dum re-

reſpondit: niſi quod ſuo nomine tibi ſalutem adſcribi juſſit. Scripta tua omnia quotidie hîc pluris fieri video, gaudeoque: Critica praeſertim, idque non a quibuſvis de vulgo viris, ſed a clariſſimis quibuſque Aulae hujus optimatibus, Comite *Portalegrenſi*, *Garſia Toletano*, *Loaiſa*, aliis. Politica & Conſtantia non niſi paucis adhuc notae; epiſtolae minus: quae cetera probantur, quibus viſae lectaeque, niſi quod [1] nigra quaedam in iis nomina offendant, quae inducta cuperem. Nam multum deformitatis turpes haſce maculas pulcro huic corpori adferre exiſtimo. Tolle igitur, mi Lipſi, ſi me audis, & famae conſule, ac παῤῥησίᾳ huic meae, a mero in te meo amore profectae, ignoſce ac vale. Mantuae Carpetanorum A. D. IX. Kal. Majas CIƆ IƆ XCIII.

1 Nimirum eorum, qui ſacra Romana & eorum antiſtitem non colunt.

EPISTOLA CCCCXI.

J. LIPSIUS

Petro Pantino S. P. D.

Bruxellam.

GRatum mihi vel in litteris videre, atque frui te, gratius eſſet ipſum & ſermonem ingerere ſpirantem atque amplexum. Cum ita vicini ſumus, non equidem deſpero id fore, atque etiam brevi fore, vel in danda occaſione, vel rapienda. Carmen tuum in nobilem victoriam, & re, quam ſpecie majorem, Hulſtanam vidi, & ut vidi legi, ut legi laudavi. Paucis & fidis verbis accipe, meo animo probum, & cum mollitie quadam (quod Virgilio tribuunt) grave eſt. De Principe noſtro quod injicis, & quod navis noſtra iſtic haereat, profecto, mi Pantine, non id eſt, & me ſemel noris, hac in re nec mutabilem, nec fallacem. Magna iſta munera aut ambitioſa, opes, titulos, nec quaerimus, nec ſi offerantur, magnus apud me uſus ſit aut fructus. Modeſtia votorum mihi congenita eſt, & unius quietis ſtudium, quod non foveri per haec talia ſcio, ſed moveri, aut etiam tolli. Sapientia haec eſt? non magna, ut mihi videtur. Liberi nulli ſunt, mihi quod vivo vivitur, ſit quod honeſte modeſteque eo faciat & ſatis eſt, te, Croeſe, te, Craſſe, contemno. Hoc unum eſt, ſed & haec noſtra philologia in magno habenda iis locis nec ſpes, aut opinio mihi fuit. quis finis igitur? bonis maliſque oſtendere, & velut de tribunali edicere, quis in regem meum, & qua fide eſſem. feci, mihi ſatisfeci. navis iſta in portu eſt, nec ad vadum haeret, ut cenſes, nec ſcopulus eam fregit. Iſta de me breviter. De *Schotto* & ego jam ex litteris ejus didici, in viam ſe dediſſe, aut dare. ſalus & felicitas eum ducat. Sed de Seneca manuſcripto ejus apud me, quis dixit? Enimvero error eſt, & fatale, credo, huic libro, ut intelligo, jactari. Ego praeter notas *Schotti* nihil habui, nec habendi cauſſa aut cupiditas fuit. Nihil in eam partem meditamur. etſi habeo tamen pleraque haud improba, poſt omnium animadverſiones, quae aut noſtra induſtria, aut manuductione libri, qui apud

Bo-

Bonav. Vulcanium eſt, extricavimus, cum *Schotto* ipſo, aut cum publico communicanda. At nunc ſubire hunc conferendi laborem nec voluntas eſt, nec otium. & hanc lampada alius habeto. Vale, mi Pantine, ſerio meus. IX. Kal. Octob. CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA CCCCXII.

PETRUS PANTINUS

V.C. *Juſto Lipſio* S. P.

Lovanium.

CEnturiam accepi, gratum munus; eoque gratius quod inter magna illa nomina, etiam meum. verbo dicam, divinxiſti me tibi totum. Nam judicium meum quod requiras, cauſſa non eſt, praejudicata jam pridem tua omnia, & quidem candido doctiſſimorum quocunque calculo, ut exactiſſima, elegantiſſima, *καὶ πασῶν χαρίτων γέμοντα.* quare tu multas ejuſmodi Centurias, ſeu potius Chiliadas nobis cude, magnum famae tuae amplificandae perpetuandaeque augmentum addituras. Habes hîc a me *Capitonis Fontei*, ejus puto, qui ſub Tiberio proconſul Aſiam curaverat, quique poſtea ſub Nerone in Germania, ut qui res turbaret, a Legatis Legionum caeſus, numiſma argenteum, rarum ut vides, antidori loco. ſed quid hoc ad tam ſolidum tuum in me beneficium? accipe tamen, & donantis animum, potius; quam rem aeſtima.

— *ξεινιῶν γὰρ θυμὸς ἄριστος,*

ut in proverbio eſt. De pace inter duos illos, quam confectam hactenus exiſtimaveramus, neſcio quid heri in Aula ſecus ſpargi coeptum. ſed falſo opinor, velim certe. Tu vale V. Cl. Bruxellae V. Kal. Martias ∞. IↃCI.

Reſponſio ad III. Cent. Miſc. 64.

EPISTOLA CCCCXIII.

J. LIPSIUS

Petro Pantino V. R. S. D.

Bruxellam.

REſpondi equidem nuper, ſed male miſſas intelligo, & tamen, ut opinor, reddendas, etſi tarde. Praeterea quod ſcribam, nihil eſt: niſi miſiſſe me Antverpiam Apologeticum aliquod, in [1] Italum illum, qui laceſſivit. An videris, neſcio: ſed mihi *ἄνευ πάθους* ſcribenti crede, libellum & hominem nulli rei eſſe; tamen reſpondi, vel Taciti cauſſa, quae agebatur, vel quia & *viſa arma cupidinem ſui movere*, ait ipſe Tacitus, & ante eum Homerus

— *ἕλκει δὲ τὸν ἄνδρα σίδηρος.*

Equidem adeo ſine bile, ut cum libentia & diffuſione reſcripſerim: & affirmo:

1 Lampugnanum. vid. Epiſt. CCXLIII.

mo tibi, allevationi a morbo hanc rem fuiſſe. Sunt ſeria quaedam, ſunt joculi: quid praecipio? rem videbis. Utinam ἡ παρȣ̃σα κατάςασις τȣ̃ κοινȣ̃ non adducat nos & contrahat: quae laetum aut firmum nihil pollicetur. Partes adverſas video conſilio, diſciplina, ordine, favore popularium niti: nos illa negligere, hunc ſpernere, mihi & ſerio prudentibus nunquam probandum. O magna potentia in Iberia, ſi temperata a prudentia? nec tamen ingenia aut viri deſunt,

Καὶ νόος ἐν ςήθεσι τετυγμένος ȣ̉δὲν ἀεικής:

ſed favor caeleſtium aut fatum tardat, in tempore tamen (opinor & voveo) exſerenda. At mihi ſemper in te affectus, inſtar Veſtalis cujuſdam ignis, alendus & prodendus. Lovanii, XVI. Kal. Jul. ∞.IↃCII.

EPISTOLA CCCCXIV.

PETRUS PANTINUS

J. Lipſio V. C. S. P. D.

Lovanium.

STOICA tua, vere aureos libellos, ex ante diem Kal. Aprilis ad me miſſos, hoc biduo demum, ex caſtris reverſus, accepi. Deus bone! quae in illis, quam varia Sanctioris iſtius Sectae praecepta! quanto labore, undique eruta! quanto ordine digeſta! quam clare explicata! Divina ingenii tui monumenta omnia; praeſertim duabus hiſce τῆς μεθόδȣ κ̀ σαφηνείας notis: Ceterum in ultimo hoc ſyntagmate tantum te ipſum ſuperaſſe mihi videris, quanto argumentum abs te tractatum diffuſius, obſcuriuſque; multum tibi uterque illi Heroes Hiſpani debent, quibus hic labor inſcriptus; multum Seneca & ipſe Hiſpanus, cui idem luci; plurimum vero omnium ac veluti ἀμέτρῳ μέτρῳ coetus doctorum univerſus, tantum ex illo fructus percepturus. Ago tibi gratias pro tanto munere, ȣ̉ κατὰ τὸ θέλημα, ἀλλὰ κατὰ τὸ δυνατὸν, Deumque ex animo veneror precorque, vitam tibi ac valetudinem diutiſſime ſervet ad quam plurima hujuſmodi deinceps proferenda. De Repub. nihil etiamnum aliud habeo, niſi vetus illud meum, *deſperare.* praeſertim quum Hiſpaniam, unde potiſſimum nobis auxilium fuerat expectandum, ἀκηδέςερον quotidie agere cernam. Nam de Gallo ȣ̉κ ἀδεὲς τὸ πρῆγμα. Verſat ſe in omnes partes, quo colorem aliquem aperte nobis bellum movendi inveniat, niſi fallunt qui illinc veniunt. Certe Morinorum urbis reſtauratio, quam toto animi impetu agitare dicitur, nihil boni promittit. ut interim taceam Atrebati neſcio quid conſpirationis detectum. Quid interim Batavus? occaſioni inſtat, inertia noſtra in ſuum commodum utitur; copias, & quidem maximas parat; brevi fortaſſis in Brabantiae aut Flandriae viſceribus futurus. quid enim obſtabit? quum nec militem nos, nec pecuniam, nec conſilium omnino ullum habere videamur? Sed ſtringo, Tu vale, vir Cl. Buxellae die Iduum Aprilis ∞IↃCIV.

EPI-

EPISTOLA CCCCXV.

PETRUS PANTINUS

J. Lipſio.

Lovanium.

REctumne noſtrum de pace judicium; aut, quod malim, frivolum, & a mente metu impendentium malorum praepedita profectum, tempus docebit. Equidem cauſam adhuc nullam habeo, cur mutem; multas, cur in eo perſiſtam: ſeu Britannum, ſeu Gallum, ſeu Batavum, ſeu denique nos ipſos intueor, ut Hiſpanos interim omittam. Sed tempus, ut dico, docebit. Interim te in ſcriptiunculis illis tuis eſſe; & ut nuper Hallenſis, ita nunc Sichemenſis quoque Divae miracula poſteritati prodere, & quidem elegantiſſimo illo tuo ſtilo exornata, quis non probet? quis non gaudeat? Tu vero hoc tibi perſuade Vir Cl. οὐ πρέπειν μόνον τῷ Λιψίῳ τοῦτο τὸ ἐπιχείρημα, ἀλλὰ καὶ διαπρέπειν, οὗ εὐπρεπῶς καὶ κοσμίως τὸ πρῶτον σοι τοῦτο πεπονηθὲν σύγγραμμα. Quum Brugis eſſem, & vir quidam magnus, ac tui amans, libellum illum priorem legiſſet, συγχαίρω, φησὶ, τῷ Λιψίῳ τῆς σπουδῆς ταύτης ἁγίας, οὐ πρεπούσης μόνον, ἀλλ' καὶ ἀναγκαίας αὐτῷ, μάλιστα ἢ πρὸς τοὺς ἔξωθεν, ἐν ὑποψίᾳ ποτ' ἐσχηκότας τὸν ἄνδρα μὴ πάνυ καλῆς πρὸς τὰ τοιαῦτα ἐπινοίας. Haec ille. Quae vel una ratio te permovere debeat, ſi mihi credis, ad pulcram hanc telam pertexendam. πολιτικὰ tua his addidi a viro non indocto & tibi noto, opinor, in Hiſpaniis Hiſpane verſa. Optarem, ſi judicas operae pretium fore, ſi excudantur, Moretum ad id faciendum incites. eo enim fine ad me miſſa tam longo itinere. Vale, Vir Cl. meque tui obſervantem amare perge. Bruxellae die XVIII. Kal. Decemb. CIϽ IϽ CIV.

EPISTOLA CCCCXVI.

JOHANNES ARCERIUS THEODORI FILIUS

J. Lipſio.

Leidam.

LIteras tuas accepi, doctiſſime Lipſi, una cum ſummo in hoc vitae genere voto, pro quo habeo gratiam, itemque Politica tua, quae mihi ſane longe gratiſſima fuerunt. Reliqui omnes habent aguntque gratias. Quid de illis judicent rogas? perplacent. Nam alii legunt identidem, & ex conſilio tuo relegunt, nonnulli ediſcunt: nulli non, quantum potui cognoſcere, probant juxta ac approbant utroque pollice. Mihi ſi quid judicii eſt, dico limatum eſſe opus, & pene illo in genere abſolutum. Non addo plura, ne auribus tuis aliquid dare videar. Nec in doctorum hominum ſcriptis ſoleo eſſe Lynceus ἢ κριτικός: hoc ſolum auſim vel στόματι πρὸς στόμα, nonnullis videri τῆς θρησκείας

I Eſt reſponſio ad Lipſii II. Miſc. 83.

σκιάς καὶ λόγȣ περὶ, quaedam nimis tenuia καὶ λεπτομερῆ. praeſertim in tantis & cyclopibus domandis & formandis. Nec illorum hac in parte inſtitutionem ex minorum gentium & prophanorum hominum δεδογμένοις, ſed ex ipſius Dei ore petendam eſſe. Quicquid id eſt, tu vide, vir clariſſ. ne interea manum de tabula: ſed & ex ſtupidiſſimis reprehenſoribus hanc utilitatem capias, ut vel calceolario aliquid jure deſiderante, quod in te ſitum eſt, corrigas, vel generoſe contemnas. Hiſce paucis etiam atque etiam vale, mi D. Lipſi, cum uxore, quae & cum ſuo viro a me meaque plurimum ſalveant. Salutant te humaniſſime D. *Elardus* noſter & *Druſius*. raptim Frankerae XIII. Kalend. Novembres A. ultimi temporis 1589. Mea tuae mittit ξανθόχλωρόν τινα τυρὸν, meae terrae inter caetera proventum lacteum: quem accipiet eodem animo, quo datur.

EPISTOLA CCCCXVII.

WILHELMUS LUDOVICUS

Comes in Naſſou, Catzenelnbogen &c. Praefectus Friſiae &c.

J. Lipſio S. D.

Leidam.

CLariſſime Vir, Politica tua non minorem fructum, quam delectationem nobis attulerunt. Quamobrem pro munere iſtius exemplaris, quod ad nos ante tres menſes miſiſti, multas tibi habemus gratias; Neque tam lenti fuiſſemus in referendis, niſi abſentibus & ignaris nobis tuae Leovardiam fuiſſent allatae; & ſtatim a reditu noſtro obortum gelu vias praecluſiſſet. Mittimus ergo jam tandem munuſculum his incluſum, quod rogamus ut aequi conſulas. Vale. Leovardiae XIV. Januarii A°. 1590. ſtilo vetere.

EPISTOLA CCCCXVIII.

JOANNES CASELIUS

J. Lipſio S.

Leidam.

HAec ſcribebam, Juſte Lipſi, peregre iturus, quod me abſente *Mellaeus* ſe in iter daret. Hic vero, & de quibus voles aliis, & de mea in te benevolentia, plenius te docebit. Utitur enim me familiariter, cumque una ſumus, crebri de te inter nos ſermones honorifici & jucundi. Oſtenderat mihi neſcio unde acceptum, te accitum Lipſiam, & venire conſtituiſſe. Gaudebam, quod ſic te aliquando viderem, & gratulabar juventuti noſtrae. Verum te forte patria tenet, etiam in iſtis fluctibus, quibus otium litterarium à vobis tam diligenter coli, hoc magis miramur, quo hic in otio, quod hactenus ſummum eſt, minus agimus. Ipſe tamen in excitandis ingeniis ad cul-

tum

tum virtutis & doctrinae non parum operae pono: proficio, quantum mores noſtrae gentis ferunt. Plerique enim a pueris ſe applicant ad artes ſive quaeſtuoſiores, ſive πραγματικωτέρας· ὀρθῶς μὲν, εἰ ὥστε πολιτεύεσθαι· ἧττον δὲ, εἰ πράττουσιν, ὥστε κερδαίνειν. Nec in hoc forte tenuiores reprehendam: laudo fortunatiores, ſi qui non abripiuntur ſtudio voluptatum: cujuſmodi habemus paucos admodum. Nec erat, quod hoc te docerem, qui & noſtros mores & aliarum gentium pernoviſti. Πολιτικῶν exemplum a te non vidi: quod velim non periiſſe, quando manu tua correctum fuit. Legi tamen diligenter librum, & novo modo & doctis ſcriptum. Qui enim in his tirones, non videbunt omnia, quae a te divinitus prolata ſunt. Perge nos ad vitam erudire monumentis tuis doctiſſimis: aveo ſcire, quid modo habeas in manibus. Vale. Helmaeſtadio ex Acad. Julia XI. Kal. Sext. 1590.

EPISTOLA CCCCXIX.

PETRUS PALLANDUS

J. Lipſio.

Lovanium.

SAlve, Lipſi, Vir Clariſſime. Quem merito ſalvere jubeant integriores noſtri aevi literarum cultores. Ex *Lampſonii* viri ornatiſſimi literis; quem tuae epiſtolae ſingulari ſtudio praedicant, intellexi rediiſſe te Lovanium longe ante. Eo ut dem has literas inexplebili deſiderio excitor. Legi Conſtantiam tuam; Politica itidem, quibus afficior iteratis lectionibus ita, ut putem ulla Philoſophiae parte me nunquam magis oblectatum. Adhaec tua opera Tacitus luci reſtitutus quam appoſite nos civili moderatione inſtruit, quamque omnia tui judicii ſcripta hominem homini aperiunt, atque ob oculos ponunt; ut vel hinc poſt omnes mirari liceat Lipſii divinum ingenium, & acre judicium. Sed quid tuam lucem ego magis illuſtrare conor obſcurus? veniam ad meae ſcriptionis cauſam. Tacito tuus adjunctus commentarius Romanorum antiqua monumenta varia celebrat. Quapropter cum exiſtimem tibi etiamnum gratum fore, ſi ejus quid ad te deferatur, viſum te conſulere, quid ſentias de lapide a Romanis olim ſepulchro impoſito, & ante annos paucos reperto aratro in noſtrae Juliae *Ziletdorpff* vulgo, pago veteri, (nomen rei antiquae reſpondit) cum inſcriptione, his verbis ac notis. [1] MATRONIS HAMA VEHIS C. JVLIVS I. ET C. JVLIVS IIII. H. M. L. Superius in eodem lapide erant exſculptae formae muliebres duae, latiori capitis tegmine, uti vagum illud hominum mendicantium genus, quod ſe falſo gen-

 tile

V. Gruter XCI. 2. ubi *Gudius* volebat legi HAMANEHIS. (nam vitio operarum editum HAMAHEHIS.) Et NEHAS eſſe numina & nymphas veterum Celtarum & Germanorum, etiam oſtendit doctiſſimus *Jo Georg. Keyſlerus* in Antiq. Celticis, ubi agit de Dea *Nehalennia*; cujus nomen inde derivat §. 34. & ſeq. & §. 37. noſtrum lapidem excutit. praeterea a *Grutero* ultimae literae editae ſunt D. M. L. noſter vero *Pallandus* H. M. L. quod explicat *hoc monumentum locatum*. vid. & inf. Epiſt. CCCCXXV. de ipſo *Pallando* nihil reſciſcere adhuc potui, quis qualiſve fuerit. Hanc epiſtolam etiam ſerius ſcriptam credo, licet A. 1590. videatur exhibere.

tile vocat, noſtro aevo adhuc circumferre ſolebat: Ad pedes paulo anguſtiori figura, quaſi pueri aut pediſequae aliquot, ni fallor, tres fuere. Interim dum varie per noſtrates literatiores eſſet diſceptatum, dicentes unum C. Julium Romae interfectum, quartum ignorari, ob id veritati diſſonum agnoſci non debere. aliorum ſententiis meam adjungi quidam voluerunt. Ego deliberandi ſpacium ſumpturus monui eſſe notum Juliam & Juliacum primarium oppidum vicinum loco, ubi lapis effoſſus eſt, a Julio denominari; caſtra & hiberna fuiſſe ibidem haud dubie, tum ob agrum fertilem circumjacentem, tum etiam editiori loco valde caſtris & aquationi idoneo, ubi Rura flumen Indem excipit: Item medio fere itinere ab Ubiis in Eburonum fines tendentibus. Poſt aliquot ſeptimanas addidi, non videri inſcriptionem velle, Julium hîc ſepultum: ſed Matronis Hama Vehis duabus foeminis ibi in caſtris defunctis H. M. L. *Hoc monumentum locatum* probari ab aliis, tempore, quo C. Julius bellum geſſit, & forte eo abſente, per imperatorem & ducem exercitus, qui ſe *quartum* voluit, iiſdem in caſtris ſaepius hibernantem, e quibus per Ambiorigem, ut hiſtoria tradit, ejecti fuerint. Ab accolis lapidem emit illuſtris & generoſus Comes *Hermannus à Manderſcheidt zu Blanckenheim*, caeteris ſtudioſior antiquitatis. Porro Ducum Juliacenſium arx praecipua & antiquior e regione poſita appellata *Hambech* me in hanc ſententiam inducebat, ut dicerem ſicut Juliacum a Julio, ita arcem cum adjacenti loco ab *Hama* & *Vehis* mutata V. in B. *Hambeh* eſſe dictam. Veteres enim & *v* pro *b*. quod in Inſtitutionibus juris recentiores notarunt, uſurpaſſe, & facili mutatione *Hambech* pro *Hamveh*, ut eſt graecorum *b*, dici. In medium tamen relinquendum *C. Julius IIII.* ut certi nihil ſtatui poterat. Quare, vir Clariſſime, literarum decus, quae tua in ea re ſit ſententia, aperire digneris rogo, tantum tibi tribuens merito, utpote qui ſolus inter omnes non ſolum politiores literas eleganti methodo promoveris expedite; ſed etiam, quod huic aevo maxime neceſſarium, praepoſtere, a pleriſque literis obliteratos hominis affectus, diverſis ingeniis optima moderatione detexeris; quo penitius liceat intueri, quid ad virtutem requiratur: Certe non vanae noſtrae meditationes adulationibus & propriis quaeſitiunculis infectae, perſaepe tam arroganter oſtentatae, ut caecutientes nihilominus audeamus plerique pertinaciter propugnare quod non veritas, non ratio, ſed opinio ſuggerat. mea ſententia tecum eſt, non linguarum ſola ſcientia, ſed affectuum quoque domitatione lucem oriri nobis. Utinam inter literas non tot literati claſſicum canentes. Docuere & ivere viam rectam patres, quos vocas jure conſcriptos. Sed haec tu melius, quam ego effari poſſum, mi Lipſi: Veniam da, te gravioribus forte occupatum interpellanti audacius. Unum reſtat, oro. reſpondeas modo paucis, & gaudebo; ſicut & meis notis & in ſtudiis commilitonibus dignatus ſis aliquando reſcribere. Vale, vir Clariſſime. Id. Auguſti A. 1590.

EPI-

EPISTOLA CCCCXX.

HADRIANUS DAMMAN A BISTERVELD

J. Lipſio.

Leidam.

VAlere te libens ſane audio, Clariſſime Dn. Lipſi, & amiciſſimam ſalutem a Raphelengio noſtro tuam quovis nectare mihi ſuaviorem fuiſſe confirmo. Rebus ecce jam prolatis, per vacationem etiam mearum lectionum adii ad I. *Maetellanum* Regni Cancellarium, virum, mihi crede, prudentem & noſtris litteris ornatiſſimum, quodque in eo unice amo, tui amantiſſimum. Is enim nunc ruſticatur & ſplendidiſſime aedificat in confinibus Angliae. Inter caenam aſſidentibus nobiliſſimis viris, iiſque ſenatoribus Regiis, ſtatim de te, & de tuis Politicis: de Tacito, quem tuum appellabat; is tamen, inquit, non ſemper Tacitus: tacitus autem in omnibus Juſtus Lipſius, non in verbis modo, quod vulgus miratur, & ego quidem laudo, imitari non poſſum, fateor: ſed praecipue in conſiliis, quae a quolibet non exaudiuntur. Plus, inquit, mihi Civilis ſapientiae in uno Lipſio, quam in Politicarum rerum ſcriptoribus univerſis. Et quum ei dicerem, te in ſermonibus quotidianis; in lectionibus publicis aeque aſtrictum, aeque circumſpectum, & nihil effari, in quo non ſingularis aliqua ſententia ac doctrina ineſſet. O, inquit, cur ego illum vium non vidi unum, pro tot aliis in Germania nuper, qui ſibi doctiores videbantur, quam mihi! Et quod Cancellarii de tuo ingenio judicium eſt, quae erga te benivolentia, eadem eſſe Regis certo tibi perſuade. Quaeſo igitur, mi Lipſi, ad eum ſcribito, ego diligenter curabo litteras; & fortaſſis, quod per profectionem iſtam Danicam, ac perpetuas Regis occupationes, ut arbitror, neglectum in te fuit, animo utriuſque refricabitur. Rex celebratis nuptiis ac Danis dimiſſis, cum Regina per pleraſque Regni partes animi gratia proficiſcitur. Ad eum nunc ſe contulit Conſervator Scoticus; qui mihi abs te ſalutem & amicum de me ſermonem, optimamque voluntatem tuam, ſumma cum voluptate mea narravit mihi. Ego tibi viciſſim ſpondeo, me non modo apud omnes de te honorificentiſſime loqui, ut virtus & ſapientia tua merentur; ſed etiam iniquioribus; quis enim virtutis ſuae umbram, Invidiam dico, effugiat? Ita ſaepe reſpondi, ut vel aſſenſerint mihi tandem; vel tacuerint. Hîc rerum novarum nihil, praeter anxiam expectationem, praelii in Francia quis ſit exitus futurus. utinam qualem nos volumus. Tu, mi Lipſi, ex animo a me ſalve, qui, ut tu cuidam ſcribis, aeternum ſum tuus, ita ſim ſalvus. N. V. & pio poëtae J. *Douzae* ſalutem. Cujus ego opera primus, ut opinor, ad Grampigenas uſque propagavi, & nuper in Hiberniam. J. Skenaeum Sereniſſ. Regis noſtri legatum & Conſiliarium V. N. ſi iſtic eſt, ut opinor, complectere obſecro, humaniſſime, hoc eſt, more Lipſiano. qui enim erga te melius ſit affectus in Scotia, non faci-

le aliquem repereris; ubi tamen tui amantiſſimorum ingens numerus. Celerrime in portu Lithenſi IV. Id. Septembr. CIↃ.IↃ.XC.

EPISTOLA CCCCXXI.

J. LIPSIUS

Hadriano Blyenburgio S. D.

Dordracum.

DUplex affectus in tuis litteris, Blyenburgi, dolor, & indignatio: ſed uterque ab amoris uno fonte. doles meam vicem, quia laeſus tibi videor: indignaris in illum, qui improbe & proterviter laeſit. Neutrum culpo, ſi cum judicio uſurpas, & cum modo. Nam ego, mi amice, nec laeſum me revera ab illo arbitror, nec laedendum. An pectus hoc meum penetrent tam levia calumniarum tela? numquam. ſed omnis ille verborum [1] concionumque ſtrepitus, & velut grando citra me, non in me cadet. Fama mea nihilo minus proba apud vere probos: Imo apud mediocriter etiam probos, quia quiſquis ſcripta mea libavit, & illius in primo ſtatim limine agnoſcit vanitatem. Legiſſe opinor in Seneca, *tenue eſt mendacium, pellucet ſi diligenter inſpexeris.* at haec illius talia ſunt, ut pelluceant vel aſpecta: Itaque nihil me aut mea laeſit. Indignatio etiam in illum cur tanta? facit quod ſolet, quo natura eum rapit. fortaſſe & quorumdam ſtimulatio, quorum quaſi manu dirigitur & emittitur caecum hoc in me telum. Non inquiro, & fero plebejam iſtam tempeſtatem, quandiu ſum in iſto mari. nam nec valetudo mea, mi Blyenburgi, longe eſt a portu, & ſi illa tardat, facultas mihi ſemper eundi ad tranquilliora loca. de quo tamen delibero, & nihil impetu a me fiet. valebis & me amabis III. Kal. Novemb. CIↃIↃXC.

1 Ex hac epiſtola colligi poteſt traductum in concione ad populum fuiſſe Lipſium a praecone quodam, de qua injuria, vid. ad Epiſt. XLIV.

EPISTOLA CCCCXXII.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P.

Leidam.

VIr, clariſſime, & amiciſſime. Intelligo te adhuc cogitare de fontibus acidis, a quibus levamen ſperes, & ad nos, ea cauſſa, malim alia, ſed Deo ita viſum. Si id fit, te oro per veterem noſtram amicitiam perque ejus auctorem obteſtor, ne alio hoſpitio uti velis, quam domo mea. Idem a te optat mea uxor, memor benevolentiae, quam ſumus experti, cum iſtic eſſemus: Atque ut rem melius apud te expendas, mitto libellos, qui hîc circumferuntur, de iiſdem aquis & de Balneis noſtris. Scio tractationem non hauſtam e peni-

penitiore Phyſices penetrali. ſed ab uſu tamen eſt, & experientia, quae nec contemnenda. Quamvis circa haec, ſcio, ſaepius hallucinamur. Adjunxi aliquid de meis, ne me penitus deſidere putes. haec ut leges, fortaſſis etiam te ſic afficient, uti parentes ſolent ſua in liberis liniamenta agnoſcere. etſi ea ſane hìc non uſquequaque feliciter expreſſa. Care Lipſi, ego me a curis recolligo ad has meditationes, in quibus guſtus eorum, ad quae anhelamus, ſine quo vita, non vita eſt. Vale, Vir magne, & in amore perſeveremus. Salutem quaeſo dicito a me noſtro *Raphelengio* & Dn. *Douzae*. Salutat te *Rotarius*, qui his diebus tuſſi vehementiſſima laboravit. Aquisgrano XXVI. Januarii XCI.

De *Joann. Viviano* vide *Valer. Andreae* biblioth. Belgic. intimus fuit *Ortelio*, quocum iter per Galliae Belgicae partes fecit, ut oſtendit utriuſque nomine Itinerarium editum A. 1584. Aquasgrani ceſſiſſe deinde rabiei Belgicae declinandae cauſſa ſcribit *Valerius*; ſed ego Religionis cauſſa diſceſſiſſe puto. nam emendatiora ſacra profeſſum puto me colligere ex Epiſtola CCCCXL. ubi *Lipſius* eum deducere conatur in ſuam ſectam. & apertius in Epiſtola ad Delrium, quae infra edetur, ubi vocat *partiarium malorum*. An ab hoc deſcendant, qui in patria noſtra Dordraci nuper floruerunt, viri egregii & Patriae noſtrae ſtudioſiſſimi, *Vivienni*, neſcio, ſed puto. ſed & *Georgium Viviennum*, quem etiam celebrat maxime *Valerius Andreas*, Juriſconſultum ex hac gente fuiſſe exiſtimo, quae oriunda ex Hannonica Valenciana, ſedes Antverpiam tranſtulit.

EPISTOLA CCCCXXIII.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P.

CLariſſ. & amiciſſime Lipſi, Domum reverſus te cogito: neque enim momentanei illi congreſſus deſiderium ſedaverunt, commoverunt magis. Conſilium itaque, de quo coram, tibi ob oculos reponi velim, & ut de aquis aliquid adjungam, quando mihi utendum video hoc philtro, ſcito rumorem eſſe, Ducem Parmenſem intra paucos dies ad eas adfuturum, hoc mihi ſenior ille Medicus, de quo tibi mentionem feci, *Joannes Suberinus*, cujus audio filium, qui & hîc eſt, aliquando apud te egiſſe. Itinera circa haec loca, ob veteres cum Duce Juliacenſi controverſias, adhuc infeſta ſunt nobis civibus, non exteris. De eo cum Coloniae eris videbimus. Dn. *Carondeletius* tuum adventum mihi promittit, ego ad eum nullam ejus mentionem feci. *Rotarius* noſter te ſalutat. Vale, amiciſſime Lipſi. Aquisgrano VIII. Maji XCI.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXIV.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P.

VIr clariſſime. Quas VII. Kal. dediſti, hodie tantum, priores altero die, ex quo ſcriptae, accepi, eas, quarum exemplar miſiſti, nequedum vidi. Ad id primum reſpondeo, quod ſcribis te Spada diſceſſurum: non adſcribis quo: & ecquando huc, quod valde velim. quid me tibi, Care Lipſi, indicem verboſius? gratiſſimum autem de valetudine tua intelligere, quod facta melior, Deus eam porro ſoſpitet. Inſcriptiones quod eaſdem habere aves, mea manu. quid mihi collibeat magis, tibi quam obſequi? faciam, & mittam, aut feram ipſemet, ſi hîc in manum non trado. adjungam etiam quas a Dn. Comite *Hermanno a Manderſcheit* habeo, quae multae, & inſignes. De eo quod ad Auguſtanas mones, Velſeri nomine & meo gratias ago. In 3. & 15. plane idipſum eſſe puto. In 4. juvas, & erit amplius cogitandum. In lapide bene expreſſe eſt (ſi recte recordor) BICOS. De IN TRANSCIPTIS divinabam num eſſet *Intranſcriptis*, quaſi non tranſcriptis, ad Coloniam nempe. Locus pluribus nominibus in lapide eodem non eſt, fuerunt fortaſſis in adjuncto. Bonnenſes Inſcriptiones neſciebam antea, fui tamen in illis locis ſaepius, nec oſcitans ſemper. Videre velim, ſed cautionem repeto, Nolle per me ut tibi quidquam importune accidat. Haeſito ad notas in Arcu Conſtantini SIC XX. SIC XXX. Velim etiam ſi quid obſervaſti de ſtigmatibus in Nummis antiquis impreſſis, ut in Auguſti aereo. TIB IMP. In Claudio TI AV. in altero ejuſdem NCAPR. ſed nil feſtino. Ego haec ad valorem feciſſe puto, ut uſui publico fortaſſe reſtituerentur, cum in re monetaria aliquid innovatum erat. Vale, amiciſſime Lipſi. *Rotarius* te ſalutat, qui ſi ſcribat, ut dixit, his adjunctae erunt. Aquisgrano V. Julii XCI.

EPISTOLA CCCCXXV.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P.

Leodicum.

CLariſſime & amiciſſime Lipſi. Remitto Inſcriptiones, pro earum communicatione gratias agens. & en una, quas promiſi: animus erat citius mittere, tum reſcribere, obſervantiae ut ſatisfacerem, quam tibi debeo. ſed per occupationes non potui. Ad *Velſerum* conjecturas meas ad oram notavi, hîc detraxi: ne tibi praejudicium faciam. Blanckenheimicas ipſemet ad lapides non exſcripſi. quod velim, & fiet, Deo dante. Reperies inter eas cumplures, quas habebas: ipſi nempe lapides poſtmodum eo tranſlati, & dono miſſi Dn.

Dn. Comiti. Reperies & in iiſdem, quod lucem faciat Tacito tuo, ubi de Velleda narrat, & in libro de Germanorum moribus idem tangit, hic vero vota ſoluta leges [1] MATRONIS HAMAVEHIS & ASER CINEHABVS, quo & referri poſſe puto fragmentum illud inter Auguſtanas Inſcriptiones, in quo mihi veſtigia agnoſcere videor mulieris cippo innixae, quae inter milites concionatur, atque adjunctum muliebre itidem ſimulacrum: quanquam in hoc Divarum noſtrarum haud abſimili, ſubdubito, ad quam antiquitatem pertineat. Signum illud in VIII. tuarum Inſcriptionum ego puto veterum illud eſſe, nobis merito ridiculum, SIT TIBI TERRA LEVIS. In eo tantum ſubhaereo, quod vix, aut nunquam hoc (ſi recte obſervavi) in iis, quae in Italia aut Germania. In Hiſpanicis fere ubique. quid tu? ſcire aveo. In Numiſmatum delineationibus, de quibus ſcribis, exiſtimo nihil eſſe admodum rari, cum non dicas. Scripſeram de ſtigmatibus, quae nummis impreſſa, ſi quid in adnotato haberes, de quo cum tibi opportunum erit. *Thomas Petitius* (ſic ejus cognomen formavit Scaliger) ſalutem a te mihi retulit, ſciebam tibi gratum futurum alloquium ejus, qui tam illi viro familiaris. Dn. *Lampſonius* libros ad me miſit, quos intra plures menſes non perlegam, cum attentione dico. Scribitur Baſilaea *Cujacium* diem obiiſſe Biturigibus. ſub mortem in ſuſpicionem venerat, quaſi Regi faveret. Vale, amiciſſime & doctiſſime Lipſi. Aquisgrano VIII. Auguſti XCI.

1 Vid. ſupr. ad Epiſt. CCCCXIX. & Gruter. CXI.

EPISTOLA CCCCXXVI.

J. LIPSIUS

Joanni Viviano.

Aquasgrani.

JAm in eo eram ut ſcriberem, & tantum non calamum in manum ſumpſeram, cum tuae ſuperveniunt, etſi haud magni argumenti. Urges iterum de adventu, atque etiam tuo nomine vir nobilis Gallus. Fiet omnino, ut ſpero, mi Viviane, ſed per tempus & εὐκαίρως: parum viae adhuc liberae, addo quod uxorem exſpecto, & familiam; ut conſtituum, ubi decretum mihi hybernari. Interea licebit per litteras ſermocinari, ſed de litteris; gravia aut publica ne tange: Promiſſa tua de inſcriptionibus exſpecto, mea exſolvo; atque habes, ecce, Bonnenſes, uti a Decano *Jac. Campio*, accepi ipſius ſcriptas manu. Vir bonus & doctus eſt, & harum quoque antiquitatum diligens. In earum octava de nota aut ſigno implexo quod eſt ſubſcriptum, quid cenſes? quî explicas? ego ex tempore divinaſſe mihi videbar apud *Campium*. Videto, ſi tu comprobes. habeo ab eodem nummorum aliquot εἰκονίσμους, quos miſit recenter, effectos ſelectoſque ex uberi copia, quos habet Cancellarius Principis Electoris Moguntini, *Philippus Wolffius a Roſenbach*. his quoque aucti ſumus. Voveo, ut plures in Germania excitentur, & ad haec talia aſſurgant. & tibi, ut valeas, mi Viviane. Leodii XI. Sextil. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA CCCCXXVII.

JOANNES VIVIANUS

Juſto Lipſio S. P.

Leodicum.

VIr Clariſſ. & amice. video me ſignum illud in lapide Bonnenſi recte explicaſſe, ſic aſſevero, quando ex tuo ſenſu: at obſervaſſe male, quod me obſervaſſe putabam. correctionem adprobo. Quid ſit [1] *Colonia patricia*, nuſquam legi. Adnotaram ex Plinio, *Colonia equeſtris* in Gallia, nominis tamen rationem ignorans: ſed Itinerarium provinciarum ſubdubitare facit, annon proprium? habet *Equeſtribus*. Occurret aliquando nobis, quod iſta expediat. Quae optas praeſens ut videam, & ego vehementiſſime, & quando te nulla urbis noſtrae videndae capit cupiditas (quod velim) mihi omnino ad te excurrendum erit. de quo videbo, ubi mei Francofurto redierint: per eorum abſentiam non poſſum. Interea gratiſſimum accidet, ſi tribus verbis ſignificabis, quodnam argumentum tibi tractandum deſumſeris. Indica & quaeſo, & ſi lubet, quinam ille mos, de quo in Inſcriptione apud Smetium pag. LXXXIV. [2] HVIC CVM ET POPVLVS IN SPECTACVLIS ADSIDVE BIGAS STATVI POSTVLASSET &c. & quando in hanc mentionem: Habeo in Severi nummo argenteo ſpeciem illam Navis Amphitheatralis, quam deſcripſiſti, e qua ferae emittebantur. Si non vidiſti, depictum mittam, aut nummum ipſum. Inſcriptionem habet LAETITIA TEMPORVM. *Rotarius* te peramanter reſalutat, tuam ſententiam exquirit de [3] Epiſtola Chronologica, quam ad te ſcriptam in Nundinarum catalogo reperit. Dn. *Lampſonium* quaeſo a me ſaluta officioſe. Vale amiciſſime Lipſi. Aquisgrano IV. eid. Sept. MDXCI.

1 Mentio ejus in Lapide apud Gruter. CCCXXIII. 12.
2 Gruter CCCCLXXXIV. 6.
3 Intelligit *Chriſtmanni*, de qua actum Epiſt. CLVII. & alibi.

EPISTOLA CCCCXXVIII.

J. LIPSIUS

Joanni Viviano.

Aquasgrani.

CIto, ſed cum poena. Cauſſa, quia exſpectavi indies, donec abiret noſter *Petitius*, atque ipſe eſſet bajulus literarum. Qui fortaſſe ne nunc quidem abiit, tamen literas ei dare viſum eſt, vel in anteceſſum. In poſtremis tuis quaerebas, qui mos ille in lapide eſſet, HVIC IN THEATRO BIGAS STATVI POSTVLARVNT. Ego ita accipio, non quaſi ſtatuendae in Theatro illae bigae (morem hunc ego & vetuſtas, opinor, mecum ignorat,) ſed quaſi *in theatro* capiendum, ut bigae honoris cauſſa ei decernerentur, ſed alibi collocan-

candae. mos autem in theatris flagitandi, ſi quid populus conſenſu vellet, non ignotus eſt e Dione, Cicerone, Sidonio. habeo & ego multa in iis, quae congero in FACEM HISTORICAM, ad quae opus mihi alieni judicii & ingenii face. utinam (ex animo dico) tu propior eſſes, aut mihi opportunum eſſe iſtic? ſed neutrum nunc poteſt; contenti ſimus hoc Catone. Salve, mi Viviane, & tecum meus *Rotarius*. Leodii III. Id. Octob. CIƆIƆXCI.

EPISTOLA CCCCXXIX.

J. LIPSIUS

Joanni Viviano S. D.

Aquasgrani.

ET tardius & rarius ſcribo, quam velim; non quia occupationes vetant, ſed valetudo: & haec adhuc inſtabilis & imbecilla. Jamdiu ſperat hinc poſſe ſubduci in ſuum portum, fiet cum gubernatori noſtro viſum. De *Bigis* quod addam non habeo, & ad Spartiani quidem locum, de quo requirit veſtras, vir ſupra vulgus doctus, nihil de Donationibus praeter nota legi. ſed fortaſſe jam nunc ſcribam ad ipſum. Quod vidiſſe me cenſes Apologeticam Weſtfali, tu vero erras. Ego nuſquam, niſi in Francofurtenſi indice cubantem. nec eſt tanti, nec cupio. Quid per illa tincta felle & rudi ſtilo? mihi affatim per hunc morbum atrae bilis eſt, nec opus hauriam ex aliorum ſcriptis. eo minus, quia certum non reſpondere. Nec tamen moveri valde me iis exiſtimes, qui ſcio unam eſſe legem, male audire bene faciendo. At enim in Weſtfalos aliquid dixi. Non in ipſos, ſed mores parum elegantes. & quis noſtrum eſſet qui cum ſtoreis? Eae ipſe bonae. quid refert? at ille quaſi pro aris, pro haris & foriis iſtis pugnat. haec enim ex tua epiſtola colligo, nec ultra. Scribat ipſe an alii, nos quieſcimus, & verborum haec tela vitamus ſolo, ut ille ait, inani ictu. Quaero a te de JOVE SYRIO ecquid legiſti. item de JUNONE SISPITA (ita ſcribi ajunt) in nummis Antonini. Tamen Occo SOSPITAM illic edidit. ſed tu fortaſſis habes, inſpice, & eam depinge. Quid etiam illuc illud implexi aut incerti, quod Livius lib. VI. 29. ſcribit. *Signum Jovis Imperatoris Praeneſte devectum, & in capitolium poſitum a Quintio Cincinnato.* M. Cicero IIII. in Verr. 58. *ex Macedonia captum & in capitolio eodem poſitum a Flaminino.* neſcio quid [1] ſuſpicor de lapſu Ciceronis & ejus cauſſa. nam P. Victor quoque a Livio eſt, & id Praeneſtenſe in Capitolium amovit ſuo aevo. Legatos Caeſaris in Ubiis eſſe audimus pro pace. utinam aliquid fiat, & bellis his pauſa ſit, quae religio male velat. *Rotarium* ſaluto. Vale, amiciſſime Viviane. Poſtr. Id. Nov. 1591.

1 Vide notas Celeberrimi *Graevii*, qui *Lipſii* ſententiam ibi refert, nec an probet addit. vitio autem Operarum locus Victoris ex VI. Regione Capitolii adducitur, cum ſit in VIII. Fori Romani.

EPISTOLA CCCCXXX.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P.

Leodicum.

DE iſto tuo affectu non eram dubius, mi Lipſi, juvit tamen ex mei *Antonii* litteris intelligere, quam te promptum offenderit. Cave (obteſtor) ne cum quid a me voles, minus volentem putes. Nullas praeterea ab eo accepi, ſucceſſum tamen mihi promitto, quid non, tam amica, tam inſtructa commendatione? tum quod aliunde de hac eadem re ad me ſcribitur. Ita (quod bono Deo acceptum fero) per hos tumultus, non ubique deſunt, quibus mei cura. Ego ſi hinc ſub aeſtatem, & tu fortaſſe Leodio, & an det Deus una ut ſimus? Velim, Velim. Ex tuis, ubi de *Jove Imperatore*, male legeram *Flaminius:* mihi impoſuit meum exemplar, quod tamen Roberti Stephani. hoc familiae nomen. *Flamininus*, *Quinctiae*, ut dicis, cognomen, & qui de Rege Philippo ex Macedonia triumphavit T. *Quinctius Flamininus.* tua ſane conjectura non levis. Ortelius noſter in poſtremis ſuis tres mortes nuntiat Virorum tibi amicorum (quid te celem? ſcis haud quidquam minus novum) *Metkerkii*, qui Londini diem clauſit, hunc novi olim Antverpiae, ſed non familiaris. *Busbekii*, dum e Gallia Belgium repetit, in itinere a praedonibus, (ligarios vocat) ita acceptus, ut vitam finierit, ibidem ſepultus, loco nomen Caillii prope Rhotomagum. Tertius *Barnabas Briſſonius* a turba Pariſienſi domi ſtrangulatus, tractus & patibulo ſuffixus. & una duo alii Senatores, cauſſam non addunt. *Briſſonium* illi ipſi ſuum Praeſidem fecerant. Quae haec tragoedia? Hieroſolimitanae haud abſimilis, de qua apud Joſephum, qua ſe expiant. *Rotarius* jam dudum ſcripturit, impediit morbus, & argumentum quaerit. Salve iterum a me & uxore, cum *Lampſonio* noſtro. Aquisgrano IX. Decemb. XCI.

EPISTOLA CCCCXXXI.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

MEus *Antonius* reverſus incolumis tuas attulit, & retulit, te valere, quod mihi longe gratiſſimum. En libellum, quem petis, videbis quare *Herculeos* vocaverim, & tibi gladio magis opus eſſe, quam ſtilo, praeſertim ſi illac iter habeas: Mea ſi res eſſet, non reſcriberem, ipſe ſe ſatis prodit, & videtur non malevolo animo peccare: ſed ruſticitate, aut potius Weſtphalitate. Vel ſi faciendum putas; omnino nolim peculiari tractatione. Res & Antagoniſta non tanti, ut juſto duello decernas. Ac potius hîc tibi ſim auctor novam

vam Epiſtolarum Centuriam emittere, & earum aliqua leniter perſtringere tantum, video nihil avidius ab omnibus legi, verſari, teri. excipio ſingularem illum de Conſtantia. Adjeci Inſcriptionem ab Illuſtri Comite *Hermanno* ad me miſſam. Lapidem ipſum hiſce diebus dono accepit. Reſalutamus te, *Rotarius*, ego, & mea, quae jam pluſculos dies puerpera, & bene habet, Deo opt. max. gratia. Aquisgrano xxx. Dec. xci.

Reſpondet Lipſius Centur. 1. ad Belg. 3.

EPISTOLA CCCCXXXII.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P.

Leodicum.

CLariſſime & amiciſſime Lipſi, video tibi placere conſilium meum, quod non muto. ſi culpa, quod publicata, quae ad familiares, & inter eoſdem perire debuiſſe putent, videant illi (ſi aliquid vident) quanto rei litterariae bono factum ſit. Vivent Epiſtolae, legentur, amabuntur, cum qui nunc obloquuntur, nulli erunt. Lapidem, quem depictum miſi, ſcripſit Dn. Comes allatum cum altero, cujus & inſcriptionem habes, factam Magnentii aevo, e Coemiterio Monaſterii in Hoven: locus mihi ignotus, Eyfaliae eſſe puto. Quod ad meam conjecturam per te acceſſit, inſigniter ad rem facit. De transferenda ſede, ſcis quam moleſtum tantae familiae, delibero tamen, ubi certum erit, mox ſignificabo. Interea ubi ubi ſim, tuus ſum. Correctio in Tacitum valde germana ejus phraſi, de Agrippina, verba clara ſunt apud eundem, & clara nominis ratio, Coloniae nempe. Tuis adjectas curavi quo inſcripſiſti. quam ad Dn. *Ranzovium*, Bremam miſi Affini meo, qui uxoris meae ſororem habet, puto ab eodem litteras etiam accipere, familiarem eſſe ſcio. Vale, amiciſſime Lipſi a me & mea. Aquisgrano xix. Januarii xcii.

Saluta quaeſo Dn. *Lampſonium*, ejus ad Dn. Decanum *Brunum* hac hora mitto. xx. ejuſdem.

[1]EPISTOLA CCCCXXXIII.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P.

Leodicum.

MI Lipſi, te ut participem faciam mei luctus, verſiculos mitto, in quibus ſi quid ſtridulum, in calente moerore fuſos ignoſce. Puer erat quinquennis, in quo optimae indolis igniculi jam apparebant. Nunc hoc tantum, verſiculos vide. Salve iterum, amiciſſime Lipſi. Aquisgrano xxviii. Januarii xcii.

1 Reſpondet Lipſius 1. Centur. Belgi 5.

O alme Deus, o numinis
Potentia haud effabili,
Non ſatior umquam, te prece,
Gemituque grates plurimo
Fundens anhelans, te alloqui.
Nam ſeu benignam dexteram,
Quam ſentio ſaepiſſime,
[1] *Expandis* [1] *Extendis: hac ſive in ſinum*
Velut reducta, corripis.
Quod ſaepiusque ſentio:
Agnoſco providentia
Condîtum amorem, utrumque mî
Immenſum, & haud effabile.
Sic mî benigne hunc floſculum
Dederaſque prolis; ſed frui
Languente tantum ut floſculo,
Mî providusque hoc gaudii
Moerore multo temperans,
Alia volens ſpectarier
[2] *quo* *Aeterna, vera,* [2] *quae prior*
[3] *avolas* *Animula dulcis* [3] *poſſides,*
[4] *& tenes* *Animula pars noſtri* [4] *tenes.*

inter exſcribendum haec mihi ſe ingerunt; non reſcribo, (ignoſce) ambigo utrum melius. Vale.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P.

Leodicum.

EX quo una fuimus, Clare Lipſi, recoquo quae inter nos tractata, ſed libri abſunt, quibus meditationem meam fulciam. differo itaque ſignificare quid extundam, dum certius poſſim. De rebus meis nihil adhuc conſtitui, Deus, quo uno nitor, conſilium dabit. Hîc mihi dono datum ſigillum fere ſemicubitale, muliebre, antiquum, ex ebore. In capite corona, tota florea, faſcia lata obligata, capite ipſo capacior, atque adeo faſciae parte dependente tergo adfixa ſuſtinetur, non vidi ante quid ejuſmodi. ad latus delphin in caput erectus, cauda ſurrecta. quae me Veneris ut eſſe divinarem inducebant, ſi non geſtus revocaret, qui verecundior. Dextra manu decenter papillam ſiniſtram tegit. Laeva veſtem alte adducit, cetera nuda. ſed fortaſſis in eo antiquitas ad unam rerum procreationem reſpiciens, nihil laſcivi apparere voluit, qualem illam Lucretius in principio ſui operis invocat. gratiſſimum erit, ſi me

me hîc juvas. Videbis aliquando Deo dante, vel ipſum, vel depictum. Scribitur ad nos Rothomago ad VII. hujus, rumores ibi magnos eſſe de pace, quod velit Deus opt. max. & te, mi Lipſi, incolumem ſervet. In Epiſcopatus Argentinenſis turbis initia metuo majoris belli, nam potentes, & impotenti jam odio ſauciae, utrimque partes. Vale iterum. Colonia Agrippinenſium. IX. Kal. Julias XCII.

EPISTOLA CCCCXXXV.

J. LIPSIUS

Joh. Viviano.

Aquasgrani.

NOn erravit mihi animus cum ex animo habuit te ſuum. ſemel ita ſenſi, nec peribit hoc decretum, etiam cum ego peribo. Tu nunc quoque verbis amicis, ſed fidis, hoc declaras, & ipſum quaſi pectus retectum in iis tuum cerno. Quid addam? horter te? de me ſpondeam? utrumque ſic peccaverim, utrique fecimus, facimus, faciemus: Ita Deus nobis faveat, & mihi valetudo, quae non aequa. habeo tamen quae ante abitum, aut publice cum omnibus, aut privatim cum amicis velim participare, (de literis loquor) & fortaſſe interſit aliquid ſtudiorum, quae amamus. Quod tempus, quod ſumtus permittant, faciam: interea illi, qui me fecit, permittam, qui te, tuam, tuos, ſervet. Lovanii prid. Id. Jan. CIϽIϽXCIII.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

VIr Clariſſime & amice. Adjuncta ab *Utenhovio*, quam urgebat mitterem, apud me fuit pluſculos dies. Expectabam tuum adventum ad Aquas Spadanas, quo te venturum dicebat Dn. *Carondeletius* Cancellarius, qui hîc fuit, & apud me, atque in ejus famulatu quidam a *Lampſonio* noſtro, idem mihi affirmabat. hinc & mihi occaſionem pollicebar, ut aliquo erga te officio, animo meo ſatisfacerem. Video non futurum hoc anno. Ex quo poſtremam tuam accepi pridie Id. Januarii datam, tacita fruitus ſum amicitiae noſtrae dulcedine, ea me ſuſtinui: nunc me a ſcribendo diutius non contineo. Scire aveo, & de tua valetudine, & de iis, quae, ſeu publice, ſeu privatim participanda ſcribebas: Audio ex *Ortelio* commentarium de Cruce confectum. Scire opto, ſed tuo commodo, quid oppidum [1] *corona capi*, apud Curtium aliquoties? Locus Plinii lib. XXXI. cap. III. ubi de aquarum naturis agit, me torſit: *Quin exhau-*

[1] Expoſuit Lipſius Lib. II. Poliorcet. Dial. 4.

hauſtam Vaſis ne manus pendeant (hîc aliquid deeſſe videbatur) *depoſitisque in humum tepeſcere affirmant.* Recentior editio habet: *exhauſtam vaſis, quae manu pendeant, depoſitis in humum &c Cluſius* noſter Lugduni expectabatur. ſic ſcripſerat *Raphelengius:* ſcalarum lapſu male afflictus, aliquot jam menſes pedem domo non extulit, quod ex animo doleo. virum noſti, ipſam pietatem & ſinceritatem. *Rotarius* valet, & te ſalutat peramanter. Deum precor, te, mi Lipſi, incolumem ſervet, te ſalutat & mea uxor. familia bene habet, Dei gratia. XVI. Septemb. XCIII.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

J. LIPSIUS

Joh. Viviano S. D.

Aquasgrani.

EX animo ſalutem hanc dico, Viviane, & ſaepe illo ipſo opto, etſi manu non ſcribo. Scis languores, ſcis occupatiunculas noſtras, & mihi fere, quod Europae noſtrae fit, lento morbo ad finem imus. De me parum eſt, homuncione, cujuſmodi millia aliquot fuerunt, & erunt, de parte pulcherrima orbis doleo, quae non niſi in ſe vires nunc habet. Hoſtis ille aſſultat, & inſultat, victorias continuat: nos velut oblivionis flumine poti, patriam, gloriam, religionem, omnia negligimus, & ſeponimus e mente. Quod rabidi ſolent & a cane admorſi, in membra tantum noſtra ſaevimus, & hîc Viri ſumus. Piget, pudet, non proſequor. In privatis hoc eſt, Militiam excudimus, Facem paramus. Vellem equidem & philoſopha interponere, quae ſerio me capiunt, cum cauſſa abſtinemus. Cum Thraſeae eſſe non poſſumus, Agricolae, imo Vatiae ſimus, & inertia pro ſapientia eſto. Vale, & me cum mutuo ſemper affectu ama. uxorem ſaluto & *Rotarium*. Lovan. XVII. Kal. Decem. A. 1594.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

J. LIPSIUS

Joh. Viviano S. D.

Aquasgrani.

LItteras a te, una cum munere, accepi, mi Viviane. quo munere? vinario, quod valetudini huic & animo recreando maxime facit. Animo maxime, vel ob tuum hunc animum, jam olim in me ſic affectum: cui teſtimonium dare debeo, non alium fidelius huic meo illigari, & maneat ſic perpetuum, & illa pars, quae tempore non finietur, amet in omne tempus. Uno & ſerio verbo, delector hac tua mei diligentia, & item cura. finiimus de Militia ad Polybium dudum, ſed tardius liber excuditur, & grandiuſculus etiam eſt, non ideo mihi laudandus. Quaedam tamen inerunt, quae non diſplicent,

&

& quae ſagaciter primi fortaſſe indagavimus: quaedam etiam, in quibus frigus, aut lentor, & veſtigia hujuſce morbi. Magne & idem benigne Deus, cur aut alius non ſum, aut non ſum? niſi quod impium eſt (& revoco) legem me dare tuae legi, quae ſancta in aeternum. De viro illo [1] magno, quod nuper ſcribebas, & vita Patris atque ejus, tecum ſentio, magni animi & ſpiritus ſcriptum eſt, nec tamen omnibus probandum. Quid eſt? ſola modeſtia omnibus placita, fiducia haec ſui (etſi à conſcientia ſaepe eſt) offendit multos. Lapidem veterem libens vidi, interpretationem tuam probavi. Res Europae in turba manent, in tranquillum evocor ab Italis, & nunc recenter a Venetis & Bononienſibus. Si migrandum (nec nego deliberare me;) hi potius habebunt, ob mite hominum ingenium & loci. Ama me, Viviane, germanum in morem tuum. Lovanii XII. Kal. April. ∞.IↃ.XCV.

1 Credo *Scaligerum* intelligi, & ejus de gente Scaligera libellum.

EPISTOLA CCCCXXXIX.

J. LIPSIUS

Joanni Viviano.

Aquasgrani.

SPadam veneram, ſed veneram tantum, & ſum pulſus. Audiſti de adventu praedatoriae manus, quam aegre equidem effugi; in tergo mihi haeſerunt, ſed ſepes aliquot cum tranſiliiſſem, me ſervavi. ſum vero Leodici, & hinc ad te mitto munus, quod Spada tentabam. ſunt libri de Militia, in quibus bona aliqua eſſe mihi perſuaſum eſt, nec abnuo etiam quaedam ſequiora, & correctione juvanda. ſi & tua monita interveniunt, (ex animo loquor & rogo) gratum erit, & facies pro vero amico. non omnia nobis dicta ſunt, & animus illic tantum univerſam militiam in facie & forma ſua proponere, eamque veterem: alia alibi ſervamus explicanda. ſi tamen aut favor huic generi, aut pretium erit apud eos, qui creſcere & erigi ad talia poſſunt. Attici judicate, non Megarenſes. Leodici Nonis Juliis CIↃIↃXCV.

EPISTOLA CCCCXL.

J. LIPSIUS

Joanni Viviano.

IN Militia mea te eſſe gaudeo, ſed hactenus, ſi aliquid adnotas & obſervas, mihi dico obſerves, & ut me vel doctiorem reddas vel cautiorem. O ſi praeſens ipſe ſis, vel tui aliquis compar? Juvaret conferre, diſſerere, judicii copiam facere & capere, quae nunc mihi deſunt omnia (excipio ſolum *Delrium*, & illum nunc aliorum ſtudiorum) & uno me nitor. Accedit hic

 lan-

languor, qui non imbecilliorem ſolum, ſed & timidiorem facit, & ingenium hoc eſt ejus morbi, diffidere, ſuſpicari. Amicus verus, ſincerus, prudens (has notas tibi tribuo) diſſiparit haec vel minuerit. Et ut abſens etiam in parte facias, rogo. ſunt quae nunc ipſe obſervo limanda, vel etiam addenda, tu ſi ſuggeris, aequae vel iniquae reprehenſionis anſam dabunt, & copiam vel emendandi, vel firmandi magis & illuſtrandi. Juro tibi, mi Viviane, vel ſupervacua admonitio grata erit, imo utilis, & videbo, ſi non alia, ſaltem aliter quaedam ſcribenda. quorſum haec tam diffuſe, apud alios non ſoleo, ſed neſcio quo interiore affectu & fido tibi, & veritatem & libertatem apud te quaero. Quod dixi antea repeto, utinam praeſens eſſes; Quia autem non es, cape judicium meum, ſed tu unus. Res Europae ibunt & fluent, quo aeſtus Auſtriacorum trahit, & qui opponent ſe, auferet eos fatorum unda. verbis meis fidem dies faciet, atque ego interioribus iſtis oculis video & lego providentiae decretum. ſed homo ſum, fallor fortaſſe. non in eo, quod bona omnia tibi volo, & a te ſpero. *Thomae Petitio* breviter reſpondi: quem audio Lutetiae eſſe in conſilio (neſcio an certum ſit) Regis. Qui mihi hoc dixere, iidem, quod religione etiam junxerit ſe Regi: O utinam diſſidia haec in ea non ſint! utinam antiqui omnes ſimus, ſenſu, moribus, vita. ſcis in omni ſcriptione mea tale nihil fuiſſe. ſed nunc calor circa pectus erat (ille ab honeſto amore & igne) & ſcribere juſſit; quae vellem perſuaſiſſe. mi Viviane, cum tua & tuis diu ſalve, & idem *Rotario* noſtro opto. Deſinebam. ſed heus, nihil ſcripſi autem de caſu meo Spadano. Scito praedones veniſſe, me pene abduxiſſe in loca, unde conſilio diſceſſi. Ita dum ſanitatem adfecto, in turbas & metus incidi, & quod reliquum ejus erat, propemodum amiſi. non quin animo conſtiterim: id vere dicent, qui interfuerunt, ſed curſus & fatigatio me exercuit, & ad illud ſtadium non fui Athleta. bona fide, quae haec in ſociam gentem fides? aut quod praemium condignum violandi? talia iſta firma non ſunt, nec honeſta apud honeſtos. Vale. Lovanii poſtr. Kal. Sext. CIƆ. IƆ XCV.

EPISTOLA CCCCXLI.

JOANNES VIVIANUS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

VIr clariſſime. Adnitor ad tuam eundem amorem reſpondere, qui in ea ſpirat. In Militia progredior, & ni remorae ab occupationibus domeſticis facerent, eſſem jam ultra Principia. Tu vero iteras, ut adnotem, ut obſervem. faciebam, ſed nunc etiam pluſculum mentem intendens. Fructum hunc percipio, quod magis etiam placent, & Lipſiana agnoſco omnia. Parco diffundere me, donec rem totam animo complectar. Quod tu porro optas, mi Lipſi, ego item, te propinquiore frui. non adjungo patriae conſpectum. nam in Conſtantia inane nomen facis. ego ſubſcribo, ut tanto ardentius eam amplectamur,

quae

quae vere patria eſt, in qua, etiam hîc dum ſumus, cum iis, qui haereditatem jam aliquatenus adierunt, una familia ſumus, immo membra unius Capitis, quod & aeternum erit. Mihi bonus Deus ſua bona (gratias ago) cumulate largitus, de externis loquor, ſed & per ejus gratiam, intelligo non eo data, ut in eis ſubſiſtam; & potius ut futurorum inde guſtum capiens, ad illa me erigam. Nos aequales ſumus, ego & fortaſſis valentior, at quam exiguum illud, quod intra metam reſtat? vix proprie Aeternitatis punctum dicatur. Quantum ad poſteritatis curam, caput puto, noſtros inſtituiſſe, exemplo praeiviſſe, ab uno Deo pendere. quod praeterea poſſimus perexiguum eſt. Hîc domum fundare, & ſplendorem ſectari, nugae. Aeſtus, de quo ſcribis, invaleſcat, ponat, ut reliqua ejus generis. nobis receptui erit ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ, ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, φρουρήσει τὰς καρδίας ἡμῶν, καὶ τὰ νοήματα ἡμῶν, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, cujus ſumus. repeto, Chriſti ſumus. *Petitius* Advocatum agit in Curia Pariſienſi, Regi non ignotus, & ejus, quod tibi relatum, nihil prae ſe ferunt ipſius litterae. Juſta tua de infidelitate in gentem ſociam quaerimonia. O ubi nunc fides! ubi militaris illa tua diſciplina! Recte aſſeris nunc nullam eſſe. & me tecum ad caeleſtem Providentiam converto, quae te, care Lipſi, incolumem ſervet precor. Mea familia bene habet. Reſalutant te peramanter *Rotarius* noſter & mea uxor. Ex Muſaeo noſtro VII. Septemb. XCV.

Noſtri Strigonium expugnaverunt, Comes *Mansfeldius* paucos dies ante Comorrae diem clauſit.

EPISTOLA CCCCXLII.

JACOBUS CARONDELETUS

J. Lipſio.

Leidam.

VIdi, eruditiſſime Domine Lipſi, libellum tuum de unica religione adverſus Dialogiſtam, a te per *Lampſonium* mihi donatum, legeram eum antea, ſed inde jam emendatum magis. ſcriptum, mole quidem exignum, ſed argumento permagnum. Ago tibi magnas eo nomine gratias, & inſuper quod per literas tuas, quas ad *Lampſonium* ſcribis, aliquando me inter alios frequenter ſalutas.[1] Memini ſtuduiſſe una nos ante annos triginta in gymnaſio Atenſi, & novimus tunc nos inter nos, ſed ea familiaritas, quod alius alio poſtea migraverit, interrupta fuit, niſi quod Lovanii abhinc annis viginti, dum apud *El-ber-*

1 *Jacobus Carondeletus* Toparcha Marqueſii & Eſtivautii, Canonicus Cathedralis Eccleſiae Lovanienſis, & Epiſcopi Cancellarius, ex nobiliſſima gente originem trahens: ex qua etiam *Joannes Carondeletus* fuit Archiepiſcopus Panormitanus, quem celebrat *Rocchus Pirrus* in notitia Eccleſiae Panormitanae not. I. lib. I. pag. 133. tom. II. Theſauri Siciliae, ſub Carolo V. & qui fuit amiciſſimus Eraſmo, qui in epiſtolis ſaepe ejus, & fratris ejus *Ferici* meminit honorificentiſſime. vid. Epiſt. 673. ubi gentem illam laudat. reliqua quaere in indice Epiſtolarum Eraſmi. eo puto reſpici in hac Epiſtola. noſter egregie ſtudiis humanioribus imbutus fuit, & fautor doctorum. A. 1595. cum Batavi occupaſſent Hoyum oppidum, Epiſcopus Leodicenſis, qui ſe medium quidem, ſed Hiſpanis proniorem geſſerat, eum legatum miſit Hagam: vid. *Borrii* Hiſt. lib. XXXI. pag. 6.

bertum Leoninum juri operam darem, ſimul aliquando fuimus. Retinui tamen ſemper, doctiſſime Lipſi, tui memoriam, famae merito & eruditionis tuae, quam in ſcriptis tuis eruditis omnibus palam facis. Afficior vehementer iis, & nihil proficiſcitur abs te, quin ſtatim ad me perveniat. Fuit mihi, dum Romae agerem, familiaritas cum *M. Antonio Mureto*, *Fulvio Urſino*, & *Paulo Manutio*: plurimi tua ſcripta faciebant, & ex iis talem, qualem te jam videmus, praenunciabant futurum, imo Galliae noſtra Belgicae invidebant. Habeo multa ad humaniores literas pertinentia, quae tibi communicarem, ſi locorum, in quibus verſamur, diſtantia permitteret. Audio a D. *Lampſonio*, te prae manibus habere aliquid in Vellejum, authorem praeceptis vitae civilis refertum. Utinam ipſe, & Tacitus integri extarent. Quod meditatus es, rogo ne ſupprimas: Scio *Aldum* & *Schegkium* eundem Vellejum notis ſuis illuſtraſſe, non poſſunt tamen te a ſcribendo deterrere. Multorum nomen ſcriptis tuis clarum fuit effectum, id ut de me facias non ambitioſe peto, ſed ut poſteritati conſtet doctis & tui ſimilibus viris amicum fuiſſe me. Magni ſemper fecit eruditos familia noſtra, quod ex *Eraſmi*, *Aeneae Picolominei*, poſtea *Pii II.* Pontif. Maximi, *Vivis* & aliorum ejus ſeculi doctorum ſcriptis conſtat. Ego pro magna laude ducam, ſi teſteris te mihi veteri convictu in gymnaſio Atenſi notum aliquando fuiſſe, & amicum etiamnum eſſe. Doctiſſimus ille vir, & jam ad magnos honores evectus, *Laevinus Torrentius*, confrater & amicus Reverendiſſimus, uſus meo Horatio manuſcripto ad Commentarios, quos parabat, ſe in iis memoriam mei celebraturum addixerat. ſed vereor, ut edat eos, deterritus fortaſſe Commentariolo illo *Douzae* tui: eum enim aliquando in familiari mecum colloquio valde probabat, aut neſcio qua alia cauſa de propoſito dejectus. Hoc tibi perſuade, Clariſſ. D. Lipſi, tui memoriam me cum admiratione colere, & amicum eſſe, neque officio aliquo in quacumque re mihi ſubjecta tuo commodo & obſequio defuturum unquam. Haec ſcripſi non plane notus, ignoſces tamen & valebis a me, eruditiſſime Vir. Leodio XI. Februarii CIↃ.IↃ.LXXXXI.

EPISTOLA CCCCXLIII.

JACOBUS CARONDELETUS

J. Lipſio.

Lovanium.

CLariſſime Domine, heri accepi tuas, quas ad poſteriores meas hîc nuper datas reſcripſiſti; gratum fuit officium in reſpondendo tuum, & quod me a te amari; & porro amaturum ſcribis. Hoſpes, apud quem ago, eſt *Nicolaus vander Zanden*, in Cancellaria Brabantiae Advocatus, & Agens Principis noſtri in hac Aula. Libellos petitos cum deſiderio expecto. *Lampſonius* noſter, de cujus caletudine aliquid ſcire deſideras, plane melancholicus effectus. hominum conſortia & ſocietatem vitat, non eſt mihi ab uno anno viſus. *Villerius*

rius noſter hîc eſt, miſſus a ſuo Capitulo ad hanc curiam in publico negocio. Utinam Leodii ſim, quando te ad Spadanas aquas proficiſci continget. Puto manſionem ibi ſine periculo, ſed non viam ad illam. Nihil hîc novi, niſi quod obſidionem alicujus oppidi moliri videantur ad avertendum hoſtem ab obſidione Sangertrubergana. Nuncii noſtri ordinarii ex Caeſaris Aula referunt natum maſculum *Sigiſmundo* Poloniae regi ex Auſtriaca, quam aeſtate ſuperiori duxerat, id quod aegre eſt Regni Cancellario, qui affinitatem iſtam impedire voluit. Turca apparatum magnum facit. Caeſaris legatum tanquam captivum habet, nec domo egredi patitur. Putant tamen multi, inducias veteres revocandas retentis oppidis & caſtellis, quae nuper occupavit. conjecturam faciunt ex eo, quod Caeſari nullae paratae copiae. Videri Turcam potius obſidere velle Signium, Illyrici oppidum liberum ad littus maris Hadriatici ſitum, non procul ab Hiſtria. quod Uſcocchi agreſtes montani, Signienſium ſubditi, Boſnenſes mercatores ſpoliarint, & itinera latrociniis infeſtaverint, cujus incuriae ſatisfactionem dare neglexerint, hic praetextus belli, ſed revera, ut pateat ſibi aditus Venetias uſque. Monuit Venetos, ne huic bello ſe immiſceant, niſi pacem abrumpi velint: ſe expugnato Signio illud ipſis donaturum promittit. Vix eſt tamen, ut Veneti ab auxilio Signienſibus dando abſtineant. Signio enim occupato, nihil eſt, quod Turcam impediat in conſpectum Venetiarum progredi. Haec ſunt, quae ſignificanda habeo. Tu interea Clariſſ. D. Lipſi bene vale. Bruxella ſexta Maji 1593.

EPISTOLA CCCCXLIV.

JACOBUS CARONDELETUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

CLariſſime Domine Lipſi, remitto libellum, quem nuper, quando Lovanii eram, mihi commodato dediſti, non ſatis a me intellectum, quod ſcriptum tuum contra Dialogiſtam, & Politica tua ad manum non eſſent. Legam majore cum ocio & accuratius, ubi Leodium venero, quo infra biduum me conferam. Cum *Aſſonuillano* dicerem, me Lovanii dies aliquot fuiſſe, & poſt longum temporis intervallum ſtudiorum meorum olim ſedes reviſiſſe, rogavit quid iſthic apud vos fieret, dixi omnia bene, eundemque nomine Doctoris *Bievene* (fueram ab eo rogatus ut id praeſtarem) ſalutavi, & petii, ut in adipiſcenda Praepoſitura Lovanienſi, ſecundum ſpem datam, eidem ſuffragator eſſe vellet. Attonitus reſpondit ſe ſimilitudine nominis deceptum *Balliolanum* pro *Bievene* commendaſſe, cui rem ita actam narrabis. Ex hac occaſione ſermonem de te injeci, cum quereret unde tu mihi notus. ex veteri in ſtudiis familiaritate notitiam ortam dixi. Addidi vidiſſe, & legiſſe me literas Patricii cujuſdam Veneti, quibus maximo honorario ad Patavinam Academiam evocaris, & certo ſcire, non Senatum Venetum ſolummodo hoc agere, ſed jam-

pridem cum Leodii eſſes, te propter amicitiam, quae inter nos eſt, familiariter etiam mihi communicaſſe, alteras a Pontifice, & tertias ab Hetruriae Duce, quibus accerſeris, ad docendas humaniores literas Romae & Piſis. Reſpondit te Belgam, & Regis ſubditum eſſe: Patriam non debere relinquere, ut te ad exteras nationes conferas. In deliberationem veniſſe de honorario tibi decernendo, quo te in Belgio retineant. Idem mihi retulit *Vanderburchius* Praeſes, qui epiſtolas tuas, fratri ſuo inſcriptas, memorabat. Amare & magni facere literas & literatos, quando de iis injicitur ſermo, Aulici iſti prae ſe ferunt, ſaltem ſimulant; ſecus ne per ſomnium quidem de illis cogitant; Credo ſi abires, te tanquam fugitivum mancipium retrahere vellent, etiam nullo honorario tibi conſtituto, quia ad exteros tranſportares quod Regi, & Patriae te debere putant, ad inſtar ejus, quod domum revocare nituntur ſubditos illos regios; qui annis ab hinc quadraginta, incenſa & everſa a Gallis Bovinia Dyonantum ditionis Leodienſis oppidum migrarunt, quia artem aerariam ad exteros detuliſſe dicuntur. Licere Principi ſubditos ſuos egreſſos revocare, & migrare volentes retinere, ne ea, quae ſolo Patrio debent, cum exteris communicent. Haec eſt una de noſtris cum Rege controverſia, de qua obiter in praeſentia tua cum *Suerio* & *Caverſonio* egi. Cupiunt fortaſſe te in Belgio eſſe & manere, ſed de commodis tuis non eſt ipſis cura. Parum hîc profeci, omnia ſibi tribui volunt, & triumphare etiam in cauſa injuſta. Confirmatur hîc rumor de Archiduce *Erneſto*; imo certo eum in Belgium venturum propediem, quidam inter primos mihi dixit; & Colonellus *Curtius*, a fratre ſuo *Curtio* Procancellario Praga literas accepit, rem ita ſe habere; ſpes eſt magna de liberanda Sangertrudeberga ab obſidione hoſtili, munitiones duae a noſtris expugnatae, cum non parva hoſtium caede. *Hollacus* alterum crus amiſit. Comes alius, cujus non adſcribitur nomen, graviter vulneratus. Iſta hîc dicuntur, faxit Deus ut ſint vera. Ego me tibi, Clariſſ. Domine, commendo, & Deum Opt. Max. oro ut te incolumem diu conſervet. Bruxella XIX. Junii 1593.

Conveni hodie D. *Nicolaum Oudartum* communem amicum, qui nova mea, confirmavit. Literas a te heri accepiſſe, dicebat.

EPISTOLA CCCCXLV.

J. LIPSIUS

Jacobo Carondeleto.

A Diſceſſu tuo, nec occaſio nec materies fuit ſcribendi. Atque illa quidem nunc eſt per hunc amicum, iſta ne nunc quidem: niſi quid de republica non nunciem, ſed renovem, triſte & acerbum. Ad Montem Gertrudis nihil geſtum, non dicam fortiter, aut prudenter (neſcio) ſed nihil feliciter, & hoc res clamat. Quos tu cenſes ſpiritus jam illi habent? nec jactura

ctura tanti eſt, ſed illud maximi, quod per hos ſucceſſus ſpernunt conſilia omnia pacis. Tamen longum iis iter ad plenam ſecuritatem, & magna reliqua belli nubes. Rex noſter, meo quidem ſenſu, lentis ſed firmis conſiliis utitur, & dum Galliam frangit, non munit ſua ſolum, ſed occulte ſurgit & creſcit. Credo etiam te audiſſe de felici in Turcas pugna, de qua vidi magnifice ſcripta. Cecidiſſe ad viginti millia, duces multos caeſos, ipſum ſupremum ducem, id eſt Baſſam, captum. Haec ſi vera, faciunt profecto ad ſummam rei, & ſcis unam aut praecipuam remoram eſſe poſſe ſucceſſibus Auſtriacis ab illa gente. Haec de publicis: in privatis ſumus qui fuimus. Pangimus de militia Romana ad Polybium, vellemus & Epiſtolas edere, ſed tardamus in hoc aevo. Si unquam livori aut morſui expoſita ingenia, nunc ſunt, & haec fere praemia, quae exſpectamus. Non frangimur iſtis, fateor, ſed valde excitari aut attolli non dicam. Audio à neſcio quo Germano iterum parari maledicum aliquem librum. Dic ſodes, legiſti vel audiſti cujuſquam epiſtolas ſic rigide unquam examinatas? Si factum Ciceronis fuiſſet, non apex earum ad nos veniſſet. Quot ibi in Pompejum, Craſſum, imo in Caeſarem utrumque dicteria vel convicia? quae nemo ſic legit; ut judicia, ſed ut ſermones ſubitos & incautos etiam apud amicum. Nam tunc quoque cum edimus, legi volumus (& debent) ut uni ſcriptas. Pauci advertunt, & multi etiam calumniantibus applaudunt, quid quod ex iis ipſis, qui nos amant? Ita nati ſumus, ſi non ipſi male loqui, loquentes audire, & peccare alterutro iſto inſtrumento. Contemne, inquies. feci, & facio. atque etiam amplius tibi dicam, non malos ſolum de me ſermones, ſed bonos.

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλω.

Vale & me tuum ama. Lovanii, XI. Kal. Sept. ꝏ.Iↄ.XCIII.

EPISTOLA CCCCXLVI.

JACOBUS CARONDELETUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

CLariſſime D. Lipſi. Salutavit me, tuo nomine noſter *Oranus*; hinc monitus fui, ut has ad te darem. Video meas non fuiſſe tibi redditas, ex eo, quod de vitreis feneſtris in domo, quam exaedificas, idem *Oranus* mihi retulit: ſcripſeram enim ante menſes duos, & inſigne, quo familia noſtra utitur, ad feneſtram etiam obtuleram. *Turinus*, ſcolaſticus noſter, Ratiſpona reverſus oſtendit mihi libellum *Henr. Stefani* de bello Turcis inferendo, in quo ad calcem Epiſtola erat de te ſcripta. Abjeci ſtatim eum: diſplicuit enim primo conſpectu, & ſtylus ad guſtum meum non faciebat. Quo animo hanc de ſtylo tuo epiſtolam ſcripſerit ignoro; Scolaſticus retulit mihi, ſe cum illo de hac epiſtola Ratiſponae jurgatum fuiſſe: habebat enim Libellum hunc ex authoris dono. *Ortelius* ſcribit ad me Antverpia, ſe Additamentum quintum ad

Thea-

Theatrum orbis terrarum publicaturum propediem, & quia inſcriptionem veterem ad eum miſi, in qua VIROMANDVI per I. in prima contra antiquam ſcripturam ſcribitur, vocem hanc in ſuo geographico Theſauro, teſte me citato corrigere intendit. Audio eum iſthic apud vos eſſe, ideoque eum meis verbis ſalutabis. Delector ita ſcriptis tuis, ut ea vix de manibus deponere poſſim; imo ita ab iis rapior, ut etiam neceſſaria quaedam officia negligam. Velim tandem reliquae tuae epiſtolae, quas ſupprimis, lucem videant. Brevitate ipſa mihi placent & ſtylus negocioſis & occupatis convenit. Aliorum ad artem, tuae ad verum factae & ſcriptae videntur. Magnos & in Reip. adminiſtratione occupatos ita mutuo ſemper ſcripſiſſe credo; Ita Symmachus, ita Cicero ad Atticum ſcribebat. & extant literae *Petri de Umeis*, quondam Frederici ſecundi Cancellarii, eadem forma ſcriptae. Velim ad me tranſmittas indicem omnium lucubrationum tuarum, ut ex ea videam, quid mihi deſit de tuis ſcriptis. Nuper in Catalogo Francfurtano, Tacitus erat editus Lugduni Batav. per Rafelengum, ſcribas quaeſo, an ſint illae poſtremae curae, de quibus alias dixiſti. Gratum eſt & me gaudio affecit, quod *Oranus* retulit de Militia tua, & quod poſtea totus futurus ſis in Face Hiſtorica. Raro ad te ſcribo, neque occupationes in excuſationem adducam, quamvis eae aliquae ſint, non tamen tantae, ut non de te ſaepius cogitem. ſed quia non ſoleo in ſcribendo extrinſecus materiam quaerere, niſi ea ſe offerat. Dum has ſcribo, Ordinarius tabellarius noſter Colonienſis has ad me Praga a veredario defert. & quia nonnihil laetiora ſunt iis, quae hactenus, volui ad te mittere. Videtur iſthic in Hungaria res ſpectare ad pugnae aliquod diſcrimen. Praeter haec, quae habes in his duabus incluſis, Friſinga ad nos etiam ſcribitur. *Diffenbacchius* eſt Baro *Moravus*, inter praecipuos belli duces, & qui hyeme ſuperiori Turcis multa oppida ademit: Turcas in magno numero Strigonium euntes fugaſſe abreptis 30. tormentis bellicis, quae eo convehebant, & praeſidio data erant. Si vacat, reſpondebis, & me tui ſemper memorem amicum eſſe recordaberis. Vale Clar. D. Leodio 17. Novembris 1594.

EPISTOLA CCCCXLVII.

J. LIPSIUS

Jacobo Carondeleto.

Leodicum.

REverende & Nobiliſſime Domine, quod ſerio, quod acriter me ames, cur Epiſtolae tuae credam? accredidi jam pridem rebus & benigniſſimis in me factis, cum illic fui. Quid ipſi tuo vultui? e quo, ita me Deus amet; perſpexi & notavi amorem. Ergo ejus ego ſum certus; tu, quaeſo, & animi hujus, qui propter amorem defert tibi cultum. ſi vita mihi producitur, erit ubi in publico etiam oſtendam: & faceret opuſculum, quod (epiſtolarum novarum) indicas, ſi auſit tam turbido aevo ſpectare lucem. nondum deſierunt

runt quidam rimari, & in nos machinari, & ſi (ut verum fatear) benigniora judicia & animi praeponderant, & contra eos leves aut malignos facile me ſtabiliunt, & ut ſic dicam ſaburrant, fluit leniter, & ſine magno motu noſtra haec ingenii cimba, remos manusque movet, & vela ad famae auram pandit. Fruor vivus aliqua claritudine, nec hoſtes aut aemuli mei negabunt. At ille, ecce, [1] Senecio obnubilare nos cogitat, & ab hoc certamine, mihi crede, non aufert coronam. Certamine? imo nullum erit, lis aut pugna inter duos eſt, non dabo me parem. Miſer & anguſti animi, qui ad haec commovetur, & ſe praeparat in omnes illos, ſolo amictu excludendos. Stili noſtri acie aut ſcuto nihil eſt opus. Ille de eloquentia judicet? peream, ſi vidit in ſomnio ejus umbram. & nemo, praeter ipſum, id neſcit. ſcribillat aſſidue, Muſa & Gratia non volentibus, & niſi taedium aut riſum, lectori quid praebet? Apage à me illud ſcriptionum frigus, ἄργα ῥήματα, quae Graeci vocant, & quibus lumbos defractos dicas. Hi tales non ferunt ſpiritum noſtrum aut δεινότητα, qui velut Auſter gelu illud omne diſſipat, aut ſolvit. Satis de iſtis, de ſcriptiunculis meis quaeris & Indicem cupis. ſuntne tanti? non omnes medius fidius, & quaſdam nec velim a te viſas. tamen cupienti animo pareatur, & cape, ut memoria quidem ſub manum, & calamum iſtum dabit. Coepi ſcribere & edere anno aetatis meae decimo nono, cum in Italiam ivi, & primum opus fuit *Variarum* libri. O opus mihi vile poſtea, & poenitendum! ſed culpa cum magnis viris communi, qui talia in adoleſcentia queſti ſibi excidiſſe. ſucceſſerunt *Antiquarum* libri, cum in Ubiis eſſem, annos jam natus 26. ſub id tempus & eodem loci *Tacitum* cum notis vulgavi, praefatione ad Caeſ. Maximilianum, mihi nec nunc retractanda. *Epiſtolicae* deinde *Quaeſtiones*, quas in hac urbe, quam inſiſto, conſcripſi. Tumultus deinde & civiles turbae (ſed oblivíſcor de *legibus* XII. *tabularum* dicere, quas Lovanii docui, & ad unum illum finem collegi, & edidi) tumultus, dico, mox patrii patria me ejecerunt, & ad Oceanum amandarunt, Leida ab anno CIↃIↃLXXVIII. me habuit totos annos tredecim, urbs etiam nunc & homines (pietatis rem excipio) animo meo grati. Ibi haecce ſcripſi in flore jam & acumine ingenii, atque aetatis ſuper trigeſimum annum. primo *Electorum* deinde *Menippaeam Satyram*, & poene inſimul *Saturnalium* libros, e quibus plumas ad ſe fruſtra & temere [2] Toloſas ille trahit, tum Commentarium librum *ad Tacitum*. Statim *Conſtantiam* noſtram. Poſt hanc *Epiſtolarum Centuriam*, nec longe poſt alteram. item de *Amphitheatro*. Inter iſta *Electorum* ſecundum, & ſtatim de *pronuntiatione Linguae Latinae*; *Politica* in itinere concepi, & diſpoſui, cum in Germaniam affectarem, & inde ad veſtros fontes, fruſtra, quum valetudo impediit, tum & milites, qui vias infeſtabant: Redii in meos Batavos, & conſcripſi tunc concepta. Lentum id opus fuit (praeter meum morem) & biennium fere tenuit, ſed in perpetua adverſa valetudine, & cum aegre per continuas velut nubes radius hic ingenii emicaret. Ante Politica dictavi *Epiſtolicam inſtitutionem*, & vere dictavi, concepique

1 *H. Stephanus.* 2 *Petrus Faber* in Agoniſticis ſuis.

tantum auditorum meorum cauſa. Placuit ad editionem Typographo, non repugnavi. ſub illa Animadverſiones in *Senecam Tragicum*, nec longe notas ad *Vellejum* dedi. denique adverſus *Dialogiſtam*, qui proterviter & contumelioſe provocarat. manibus ejus quies eſto; dum vixit, turbavit aſſidue & turbatus fuit. Caetera noſti, ſed & ex dictis pleraque: cur ergo dixi? ſtilus fluebat, & affari te videbar. Vale. Vale. Somnus me vocat, & ſollennis ejus hora. Lovan. x. Kal. Decembres A. 1594.

EPISTOLA CCCCXLVIII.

J. LIPSIUS

Jacobo Carondoleto.

Leodicum.

DIſco e litteris tuis *Billiaeum* veſtrum & noſtrum Bruxellae eſſe, de quo tamen alias nihil audivi. Addit [1] *Torquatum* fore me; age, fiat cum bono Deo, & ſit teſtimonium labores, & ſtudia noſtra Principibus viris non diſplicere. ſum nunc totus in libro atque opere grandiore, cui titulum facio, *Monita & Exempla Politica.* & erit quaſi flos & excerptio per locos ſuos certos, ſalubrium monitionum aut hiſtoriarum, ex vetere, medio, & noſtro aevo. videbis cum perfecero, ſi Deus perficere dabit. ſtrenue quidem pergo. Equidem hoc quaſi *Herculeum opus*, ut ſic dicam, inter mea fore confido, & quod aevum vitamque ferre poſſit. Tum mihi eſt animus ſeligere & ſecernere Epiſtolas ad editionem. Qui vitae viriumque auctor eſt, illam & has det, ut ejus gloriae & publico uſui iſta patrem. De Turcicis laeta audimus, & vaſtum illum metuendumque exercitum dilapſum eſſe, & in Thraciam ſuam inglorium rediiſſe. Victoria eſt, cladem ab eo non accepiſſe. Galli autem fines noſtros hîc infeſtant. ſed rei magnae aut ſibi utilis nihil patrant. Angli minantur, & noſter ille in gloria Anglis. videbimus de exitu, quem ego jamdiu ominor, quis ſit futurus. Parat aliquid Rex in Europa. Deus & fata parant, aut meus Apollo fallit. Vale. & me tuum ama. Lovanii xi. Kal. Nov. CIↃIↃXCVI.

1 Torque aureo donatum iri ab *Erneſto*, Archiepiſcopo Colonienſi, & Epiſcopo Leodicenſi, ob dedicata Poliorcetica.

EPISTOLA CCCCXLIX.

J. LIPSIUS

Laevino Torrentio Antiſtiti S. D.

Antverpiam.

SIlentium meum excuſem, quo tamdiu ſum uſus? debebam, & non debebam: illud, ſi me aſpicerem: hoc, ſi te & prudentiam tuam. Tempora,

ra, quae fuere, & loca, in quibus egimus, non ignoras: quae utraque non apta ad liberam & amicam ſcriptionem. Itaque ſilere malui, contentus animo te poſſidere & alloqui, quod revera ſaepe feci, & inter primos amicos colui & amavi. Nunc peregi (tibi magne Deus gratia) quod jamdiu ago; & amolitus me ſum e locis, in quibus non ego, non vos me eſſe volebatis. Sed fluctu, ut ſcis, illo communi temporum velut ejecti fuimus; nec tam elegimus locum, quam apprehendimus primum, qui eſt oblatus. Atqui revera in animo & ſenſu de Religione boni purique ſemper fuimus, & magis palam erimus deinceps. Hoc quia tibi gratum fore auditu cenſui (affectum enim veterem tuum in me novi:) conſortem participemque inter primos facere conſilii mei volui, quod eſt, emanere. Semel ad bonos cum veni, bonis firmiter adhaerebo. Te, Reverendiſſime Antiſtes, & in Chriſto pater & domine, oro, uti, qui eſſe ſoles, in me ſis, habeasque Juſtum Lipſium aeternum tibi addictum. In Spadanis Aquis. Kal. Juniis. ∞.IↃ.XCI.

EPISTOLA CCCCL.

LAEVINUS TORRENTIUS

Epiſcopus Antverpienſis

J. Lipſio.

JAm pridem effecit hoc apud me ingenii tui magnitudo, ac morum probitas, ut de tua, mi Lipſi, in religione conſtantia, nunquam dubitaverim; quid enim vel ad ingenium abſurdius, quam virum, tali judicio praeditum, ac quod majus eſt, tam pie, atque ſollicite in literis ac Dei metu, qui omnis ſapientiae principium eſt, educatum, in re, quae ſola paene vetuſtate, atque majorum auctoritate nititur, novitatem aliquam admittere? vel ad mores iniquius, ac deteſtabilius eſt, quam illis adhaerere, qui principum legitima imperia, veteremque rempublicam ac magiſtratum pro nihilo ducunt, atque contemnunt? non erat igitur, quod tuum apud me ſilentium excuſares, quidni, cum nec ipſe longo jam tempore quicquam ad te ſcripſerim: & alioqui non is ego ſim, qui ad amuſſim amicorum omnium officia exigam, quique neſciam, quid locis, quid temporibus, quid denique his, atque his hominibus tribuendum. *Non ignara mali*, inquit Dido illa apud Virgilium, *miſeris ſuccurrere diſco.* Omnes certe, qui non ſua ſponte, atque arbitrio vivunt, permulta ferre atque pati neceſſe eſt, quae nolint: nec Catonem, qui Chriſtiani ſumus, quod vitam abrumpere maluerit, magno cum reip. damno, ne regnantem videret Caeſarem, magis laudabimus, quam M. Tullium, qui amore patriae hoc praeſtitit, ut ſuperſtes eſſet; quo, qui regnum ceperat contra leges, paulo modeſtius atque civilius imperaret; uti & olim Solonis tempore Piſiſtratus. Ejecti naufragio in terras alienas, quorum ſervantur hoſpitio, eorum quoque moribus ſe componunt, donec ad ſuos redeundi ſeſe occaſio offe-

offerat. non mea igitur, ſed aliorum ſaepe cauſa dolui, te tam diu abeſſe; & neſcio quas interim ſuſpiciones naſci, cur vel Catholici te ſubductum ſibi metuerent, vel adjunctum adverſarii laetarentur. Sed bene eſt, quod, quantum res tuae ſinunt, parti acceſſiſſe te oſtendis meliori; unde quantam ſenſerim voluptatem, opportunius intelliges, ſi unquam, quod opto, Antverpiam ad me veneris, hoſpitem reperturus, qui, ut Herculem olim atque Aeneam Evander, tanto te minor, excipiat: quin etiam, ſi manere hîc voles, multi te, una mecum, amplectentur, & quidem ſplendide, ſi hoc in animum inducas tuum; ſed aliud metuo, durante bello; ſi tamen conſilium mihi aperueris tuum, ſcribam hac de re latius. Vale, & cura valetudinem, quo diutius & vivas, & rem literariam juves. Antverpiae prid. Idus Junii An. M.D.XCI. Reverendum patrem *Oranum* ſaluta peramanter; & ſi qui occurrent alii, qui me norunt, & amant Muſas.

EPISTOLA CCCCLI.

J. LIPSIUS

Laevino Torrentio.

Antverpiam.

QUa lingua aut calamo gratias agam benignitati, quam in me promis? o vere pium paternumque pectus, & quod magno Eccleſiae bono optem iis, qui Eccleſiae praeſunt. me quidem tibi devincis, & firmas valde in conſilio, quod cepi; etſi alii vellicant & ſugillant. Sed unius tui auctoritas, cui a me non opponetur? probas factum meum, atque illo aſpectu excuſas & velas praeterita, ſi quid ſecius a nobis admiſſum. Nam aliquid nos aberraſſe, & extra certum limitem iviſſe, ſcio ego, & apud te libens fateor, qui tam libenter ignoſcis. Sed Deus ille, qui benigne me reduxit, viam vitae deinde, ut ſpero, firmam certamque oſtendet, in qua non ego, non alii per me errent. idque maxime per vos duces, quos ſequar, & quorum ſalutaribus monitis obſequi mihi eſt certum. De genere autem vitae certae, aut loco, quem eligam, nondum decrevi, niſi hoc, quietem & otium me ſpectare, ſejunctum a publicis curis, nec *immerſum*, ut cum familiari tuo Poëta loquar, *civilibus undis*. Natura & valetudo mea ita deſiderant. Literarum hac tractatione tamen, ſcriptis ſive voce, ſi quid conferre in commune poſſumus, non negamus. Ad eam rem ſunt loca in Brabantia, quae mihi placeant, ſed praematurum videtur, & fortaſſe melius menſes aliquot in his mediis liberiſque locis nos agere, invidiae & voculis avertendis. Uxorem exſpecto, quam in Batavia adhuc reliqui. Evocavi tamen & una res meas, quas utinam audiam apud vos eſſe ſalvas. Nam haec emanſio mea Batavis (qui certe me amarunt) non ad guſtum. Quid refert? Deo & bonis placeam, quod unicum meum votum eſt. Aquis Spadanis x. Kal. Jul. CIƆIƆXCI.

EPI-

EPISTOLA CCCCLII.

LAEVINUS TORRENTIUS

Juſto Lipſio S. D.

Leodicum.

BInas abs te accepi literas, ſed poſterius illas, quas prius x. Kal. Julii, cum adhuc ad aquas Spadanas eſſes, ad me dederas, quibus quod reſpondeam, aliud non occurrit, niſi probare me vehementer conſilium tuum, quod in hac rerum perturbatione otium, ſed literatum, ac quietem cogites, ut ſimul & valetudini tuae conſulas, & nihilominus ſcribendo aliquid ac meditando, quoad poteris, nos juves atque delectes, cui rei ſedem aptiſſimam Leodium elegiſti, illinc inſpecturus, quo res vergant; ſperanda interim meliora: nec eſt, quod ſis ſollicitus, multos habes amicos, quibus etſi careres, polliceri tamen auderem nullam ſub Rege civitatem tibi, cum voles, non apertam fore; De hac vero noſtra nolim te dubitare: non ſolum te accipiemus magno cum gaudio, ſed ornabimus quoque, & alioqui commoda habitatio eſt, ut noſti, qui illam non ſemel laudaveris. Quod vero poſtquam ab aquis jam Leodium veneras v. Idus Julii denuo ſcripſeris, tuique me conſilii feceris certiorem, bene eſt, mi Lipſi; & iterum reip. literariae gratulor, mihi quoque, quod occaſionem objeceris, qua te aliqua ex parte juvem. Deſiderare enim te ais exemplar vetus C. Julii Caeſaris, quod ſervo non ſane contemnendum. Mittam igitur cum primum potero, & fortaſſis uxori tuae, cum ad nos venerit, tradam. Sarcina non magna eſt, & quoniam alios quoque hiſtoricos cogitas, habeo & Saluſtium perantiquum, & Antonini Itinerarium, & pleraque alia, nec quicquam eſt meum, quod non uſu tuum quoque fieri velim. Ipſe enim cum per aetatem, tum per occupationes longe maximas graviſſimaſque, his deliciis frui amplius non poſſum, & ut poſſim, minore certe cum aliorum, quam tu fructu. Utere ergo meis, poſtquam jam tua ſunt. De uxoris autem adventu necdum intellexi, me latere non poterit, ita dedi operam, ut Nordammum cum venerit ilico fiam certior, quin paratum apud me erit hoſpitium, ſi volet, nec ullum tutius ſecretiuſque. Vale XIII. Kal. Septemb. An. M.D.XCI. Antverpia.

EPISTOLA CCCCLIII.

J. LIPSIUS

Laevino Torrentio S. D.

Antverpiam.

JUre mihi memoria tui, non dicam cara eſt, ſed ſancta, & quis magis meruit? Alii alio tempore & partibus in me benefici; Tu, ut fontes adſidue fluunt, congeris in me beneficia, & quaſi deſtillas ſine intermiſſione:

Moris cauſſa nihil dicimus: ſed quia ipſa res eſt. Per epiſtolas gratulatus es amiciſſime, conſuluiſti fideliſſime, detuliſti omnia humaniſſime. detuliſti? imo exhibuiſti, qua mihi, qua uxori, quae nuper apud vos fuit, & nunc felici & inoffenſo pede ad me venit. ſupremo numini gratia eſto, qui in omnibus calamitatibus haec in me contulit votiva. Atque Caeſarem etiam probum & veterem ad me mittis. Quod beneficium ita mihi imputo, ut tamen publicum ſpectare velim, facturus brevi (deſiderio meo Deus faveat) ut non meus, ſed omnino ſit tuus ille Caeſar: Vadatum me praeter alia habes hoc munere. Quid teſtimonio, quod ante paucos dies benigne nimis & honeſte in Aula de me dediſti? ita enim ab amicis intellexi, & quod in gratiam cum Rege meo revertar, tibi quoque debebo magnam partem. ſed deſinenda mihi haec commemoratio eſt, aperta a me fronte prolata, ſed tibi fortaſſe minus grata, qui affectum meum, ſcio, potius exigis, quam verba. Atque ego corde (nam de opera quid ſperem? etſi opto plane & adnitar) ſed corde, inquam, gratum magis me praeſtitero, quam lingua. Offers Salluſtium atque alios, neque reſpuo benignitatem, ſed ea lege, ut omnes bona fide pleni integrique ad te redeant poſt uſum. Quid enim aliud, quam oculis volumus delibare? Ego tantum hoc fine conſilium meum te non celabo. Quod eſt in hoc otio *Facem Hiſtoricam* primum ſcribere (in eam ritus omnes ſacros, profanos, militares, togatos, publicos, privatos congero) ac deinde ordine & per ſectiones ſive tomos, dare quantum eſt Hiſtoricorum Latinorum. o ſi judicii conſiliique tui copia interdum mihi ſit! optare me ſcio, fortaſſe non fruſtra, ſi paullum modo deſaeviunt iſti, qui Belgicam noſtram exagitant, ardentes nunc fluctus. Dolemus res florentiſſimae quondam patriae ſic labi, nec virium aut prudentiae (hanc quoque addo) inopia, ſed fatali quodam, neſcio quid proprie dicam. Ille nos adſpiciat

Qui terram inertem, qui mare temperat,
Divoſque mortaleſque turmas
Imperio regit unus aequo.

ut Poëtae verbis utar, quem a *Livineio* tuo, id eſt a te exſpectamus. Nam de Suetonio vota noſtra jam in parte: ita certo in iis ad *Lampſonium* noſtrum jam promittis. Ego hîc nuper oratiunculam recitavi in laudem Beatiſſimae Virginis, feliciter ſatis, ſi ex fructu. Feci lubens, vel ea de cauſſa, ut oſtenderem nihil in actionibus noſtris, niſi purum eſſe & ſimplex, & de religione meum ſenſum vel pro tribunali proferrem. Bavariae Dux & Epiſcopus Herbipolitanus explorari per literas meum animum juſſerat; ecquid mihi placeret venire ea in loca. non nunc quidem: & in patriae finibus ſaltem & extremo velut limbo haerebo, ſi non licet in ejus ſinu. Deus, ſpero, haec quoque conſilia diriget, & te, Reverendiſſime in Chriſto Pater, & Illuſtris Domine, in bonum Eccleſiae ac reipb. diu ſervabit. Leodici III. Kal. Octob. (poſtridie quam uxor venerat) CIↃIↃXCI.

EPI-

EPISTOLA CCCCLIV.

LAEVINUS TORRENTIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

QUod uxorem tuam ex Batavia reducem, & hac iter facientem ſine literis ad te venire permiſerim, ignoſces, ſuaviſſime Lipſi, non mea ſponte, ſed adverſa valetudine factum eſt, quae ne nunc quidem ſatis integra eſt, ſed non tam aetatis atque naturae, aut aëris etiam vitio, quam temporum iſtorum fatali quodam, ut ſuſpicor, malo, unde ut animus aegritudinem trahit, ſic corpus quoque afficitur, animi ſedes. Dabit Deus meliora, & ut nos ad illum converſi fuerimus, ſic ipſe quoque convertetur ad nos, & ſalvi erimus. non aliunde, quam ex malis moribus ac ſcelerum magnitudine affligimur, quod ipſa poenae, quam patimur, ratio manifeſtum facit. Vincunt enim, quos vinci par erat, nulla alia re ſuperiores, quam noſtra, ut verum fatear, negligentia dicam, an ſocordia atque ignavia, qui militem habemus non militem, pro cane lupum, & ſi quid lupo deterius eſt. Externum enim a domeſtico, hoſtem ab amico non diſcernit, hinc fundi noſtri calamitas; danda tamen opera, ut, Deum nobis reddamus propitium, a quo ſolo omne bonum. Tuae interim quieti ac tranquillitati: nec poſſum te Leodienſibus hoſpitem invidere, quos non minus, quam Antverpienſes nunc meos amo. Atque adeo niſi huic glebae aſtrictus eſſem, poſtquam tu huc venire non potes, ego iſtuc fortaſſis excurrerem, vellem certe: nihil enim mihi jucundius, quam cum viris literatis de literis agere. Male ſit ambitioſis iſtis hominibus, qui perpetuum bellum quam pacem malunt. Tu interim Caeſarem, quem miſi epiſtolae, ſpero, loco habueris, ſi quid amplius a me petes, cum praeclaram iſtam, quam hiſtoriae praefers, Facem videam, nihil recuſabitur. quin imo cum Bruxella rediero, eo enim nunc propero, omnia excutiam ſcrinia, & quicquid conducere tuo inſtituto videbitur, ultro mittam. Quod vero de praeſtita tibi in Aula opera audiveras; non eſt quod te mihi devinctum putes, omnibus facerem, quod tibi feci: teſtimonium enim dedi pro veritate, quod cum voles intelliges, & nunc iterum illic te praedicabo. De Suetonio atque Horatio, & ſacris Poëmatibus noſtris, paulo uberius ad *Lampſonium:* turpe putabat Craſſus coram Scaevola ineptire, hoc de te dictum puta, & vale, vel literariae reip. cauſa, & diu & feliciter. habes viros quoſdam praeclaros, cum quibus, quod ſcriptioni non impartias, tempus falles, quos omnes mihi amiciſſimos tibi commendo, in primis, qui hoc a me poſcere videntur, *Carondeletum* & *Oranum* V.V. Cl. Antverpiae Nonis Octobris. An. M. D. XCI.

EPI-

EPISTOLA CCCCLV.

LAEVINUS TORRENTIUS,

Tuus uti frater,

J. Lipſio S. P.

Leodicum.

SCribo, nec ſcribo, mi Lipſi, binis enim tuis literis reſponſum debeo, & cum reſpondeam, videri tamen nolo reſpondere. in quo ſi culpa eſt, *Lampſonius* illam ignoſcat, qui poſteriores tuas binis paene, poſtquam ſcriptae fuere, menſibus una cum tuis in [1] *Paulum* meum notulis tranſmiſit, verum ut ille in me peccare nequit, ſic & a te facile abſolvetur. monui tamen ne iterum peccet, neve *Paulum* meum diutius retineat. nam edito, quod brevi futurum ſpero, Suetonio, ſequetur ille cum reliquis ſacrorum poëmatum noſtrorum libellis. eamque ob rem nunc etiam *Petrum*, qui ordine prior eſt, ad te mitto. vidit illum *Lampſonius*, ſupereſt, ut a te quoque recenſeatur, cujus acumini & judicio plurimum tribuo. nec multum moror, ſi qui forte naevi apparuerint: ſatis erit totum illud non diſplicuiſſe. utinam illo quoque honore Torrentium tuum afficias, ut reliqua quoque mea vel levi pede percurras, neque tuis auribus indigna cenſeas, & amori ignoſcas, ſi nimio plus hos, veluti liberos meos, diligere videar: nam ultimam poëſi appoſui manum, nunquam amplius hac ex parte moleſtus ero. Ad te quod attinet, utere me, quaeſo, & conſilio meo, nec iſtinc move ſine literis meis. *Saevit*, ut vi-

1 Inter Poëmata Torrentii Sacra libri II. ſunt rerum a *Paulo* geſtarum. ſed de *Petro* nullum carmen reperi in editione Plantiniana 1594. melius certe conſuluiſſet famae Epiſcopus noſter, ſi *Petri* laudes ceciniſſet, quam *Baltaſaris Gerardi*, *Fortiſſimi*, ut vocat, *Tyrannicidae*, qui *Guieljelmum Arauſionem* Delfis interfecit: quem Principem in ode illa pag. 309. omnibus opprobriis & diris obruit & devovet. Coelumque, ut Jeſuitae jam vivo promiſerant, non tantum Parricidae ſpondet, ſed ipſe tantum facinus a ſe perpetrari potuiſſe, vovere videtur, cum de ſupplicio, ejus quoque gloriam illi invidens & ſibi id expetens. ita canat,

O Expetendum fortibus & bonis,
O Glorioſum ſupplicii genus! &c.

& tali ingenio cum fuerit *Torrentius*, credemus tamen, credo, Hiſtorico noſtrati *Brantio*, qui lib. xv. Hiſtor. Reform. p. 800. eum fuiſſe miti ingenio, & improbaſſe omnem in religione vim, ſuaeque dioeceſi ſubjectos clementer tractaſſe narrat. quae debet *Thuano*, licet in ejus editionibus ea verba deeſſe notet auctor Thuani reſtituti. ſed nihil adfert *Thuanus*; quo dicta probet, & puto eruditionem ſingularem hoc ipſi elogium peperiſſe. Certe ego, qui Jeſuitis obnoxium vixiſſe, iis Lovanii Collegium condidiſſe, & teſtamento Bibliothecam reliquiſſe, ſcio, hunc Epiſcopum, Lojolitarum mancipium, omnia ex eorum conſiliis egiſſe, & ignem & ferrum, quo Haereſis & rebellio exſtirparetur, ſpiraſſe credo: nec moderati animi fuiſſe judicare poſſum, qui tam deteſtandam caedem probat, & ſceleratum auctorem laudat; ſed ſuſpicionem praebet, hoc facinus a Jeſuitis excogitatum, & exequendi partes parricidae impoſitas, forte conſcio, certe laudatore Torrentio, fuiſſe. jactent, per me licet, *Brantium* omnes hiſtorici, ab omnibus partium ſtudiis alieni, officio functum. non ego credulus illis. porro Torrentio *debere Antverpiam, ut bonam, quam ſaeva haereſeos malitia aliquando oppugnarat, famam retineret, & verae religionis cultu, qui quondam civium animis exciderat, pleniſſime frueretur*, jactat *Balthaſar Moretus* in dedicatione ejus Horatii, quae, ſi Haereticos clementer tractaſſet, non auſus fuiſſet Senatui Antverpienſi praedicare,

vides, *toto Mars impius orbe.* quod ſi fortunae tuae aliud ferant, aperta ſemper erit Antverpia, quam ſuſpirare te video, in eaque domus mea una cum bibliotheca ſatis ampla, nec amici deerunt alii, qui te juvent. Vale, & me ama. Antverpiae IIII. Kal. Febr. An. M. D. XCII.

EPISTOLA CCCCLVI.

LAEVINUS TORRENTIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

CUm Bruxellae publicis retentus negotiis totum paene menſem Junium conſumpſiſſem, reverſus Antverpiam, mi Lipſi, peropportune accepi literas tuas; quod enim de transferendo domicilio conſilium mihi proponebas tuum, de hoc ipſo ſponte tecum per epiſtolam agere decreveram, & quidem tuo ex voto, nempe Lovanium ut migrares ad veterem, ut ais, noſtram ac muſarum ſedem. nam Bruxellae in Senatu ordinum Brabantiae occaſione libelli ſupplicis, porrecti per amicos quoſdam & fautores tuos, honeſtiſſima tui nominis facta mentione, cum primo loco ſententiam dicerem, praefatus ea, quae debui, & quae meus in te ſuggeſſit amor, auctor fui reliquis, ut communi omnium ſuffragio Lovanium invitareris, conditione & honorario, ut nunc res ſunt noſtrae, non illiberali, & quod tu homo frugi ex natura victitans, nec cupiditati ad copiam, ſed rationi ad honeſtam paupertatem obſequens, auro omni Etruſco, (ſcis quid velim) facile antepones: neque eorum ſequeris exemplum, qui olim in civitate [1] Piſana Juris civilis ſcientiam profeſſi, ſummam ſtipendii publici, quo merebant, ſuis inſcribi ſepulchris voluere, majore alieni, quam proprii nominis gloria: nam quod tu per virtutem facis, tuum eſt; facti vero pretium ſive merces aliunde procedit, neque in tua ſitum eſt poteſtate. Vives ergo Lovanii, & tuo vives arbitrio, quoad Deus volet, leveſque vulgi & aemulorum voces contemnes, bonus cum bonis; nec eſt quod belli vices atque fortunam in oppido parum munito metuas, pro muro erunt aſſiduae tot ſacrarum virginum ac piiſſimorum ſacerdotum ad Deum preces, & ut prudentiae quoque humanae aliquid tribuamus, vicina in omnem caſum Bruxella, vicina erit Antverpia, ubi mihi nunc ſedes, ſed quam Lovanio mutare velim, ſi, quo teneor, vinculo me expediri contingat; non eo ſecius tamen illuc excurrere per occaſionem primo quoque tempore propoſui, meditans aliquid, quod ad rei litterariae incrementa ſit profuturum. Deo, ut inquit vates ille Regius, placere bonum eſt, hic finis, haec meta, hic ter-

1 Innui puto *Philippum Decium* Juris Conſultum, in cujus epitaphio, quod Piſis ſibi poni voluit, jactat, ſe MD. aureorum in auro ſtipendium pro lectura conſecutum fuiſſe. vide *Panzirol.* de Claris Leg. Interpr. lib. II. cap. 135. & *Fichardi* vitas Juris Conſultorum in *Decio* pag. 418. Edit. noviſſimae Lipſienſis. in *Aim. Cravettae* quoque ſepulchro legitur, eum apud Taurinos profeſſum jura M. CC COR. aureorum, & amplius ſtipendium habuiſſe Bononiae & Patavii: vid. *Panzirol.* lib. II. cap. 180.

minus eſt, quo tendimus, diverticula omnia praetereunda, quo citius perveniamus. Hunc itaque praeclaris tuis lucubrationibus ſeceſſum delige, civibus advenies gratiſſimus, quod Conſul, & qui cum eo Bruxellam illinc ad comitia venerant, prolixe nobis declararunt, ac benigne omnem in te ornando operam atque ſtudium ſunt polliciti. Ipſum autem Senatus conſultum accipies, ubi qui populorum nomine interfuere primatium eccleſiaſtici ordinis, ac conformem nobilium conſenſum ad ſuos retulerint, qui contradicere nec volent, nec poterunt. Tanti eſt, mi Lipſi, a Batavis diſceſſiſſe, ac ſe melioribus adjunxiſſe, quibus tandem & illi, ſpero, accedent. *Raro diuturna numquam impunita malorum conſpiratio eſt.* Quod autem magis gaudeas, particulam epiſtolae familiaris cujuſdam mei Romae ſcriptae adjiciam.

Illuſtriſſimus Franciſcus Phynanus *vir in omni genere doctiſſimus, Auditor Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis* Matthei, *cujus humeris omne onus totius congregationis Tridentini Concilii penitus incumbit, is non ſolum deſiderat in notitiam ac familiaritatem* Juſti Lipſii *inſinuari, verum etiam cupit, ſi qua fieri poſſit, & illi perſuadeatur, ut Romam commorandi cauſa ſe conferre velit, eique Regale honorarium perſona ac ſtatu ſuo dignum, &* Mureti *quondam doctiſſimi viri locum in urbe promittit: ego autem, ut ejus ſummo in nos favori reſpondeam, D. T. apud* Lipſium *hac de re acturam promiſi eo audentius, quod tuo ſuaſu atque Conſilio Lugdunum Batavorum ipſum reliquiſſe, ac partes noſtras amplexum eſſe, & Lovanium habitationis locum,* (*ut intelligo*) *elegiſſe ſciam. Placebit itaque deſiderio ac petitioni hujus viri doctiſſimi, cujus inſigni hîc opera hactenus uſi ſumus, ſatisfacere, ac de Lipſii mente per literas cum gratiarum actione certiorem eum facere*; haec ille, cujus etiam ex urbe reditum brevi exſpecto. Scripta autem epiſtola eſt Romae die vigeſima quarta Maji, & Bruxellae mihi tradita, paulo antequam illinc diſcederem. Tu urge propoſitum, & Virgilianum illud ſuccini patere, *laudato ingentia rura, exiguum colito.* Vale, & me, ut ſoles, ama. Antverpiae Nonis Julii Anno 1592.

Nicolaum Lampſonium meis verbis moneri iterum velim, ut poëmata illa mea, quae frater retinet, quovis modo ad me mittat. expectantur a typographo, ut edantur. nec aliud eſt, quo commode uti poſſim, exemplum.

EPISTOLA CCCCLVII.

LAEVINUS TORRENTIUS

Juſto Lipſio.

Leodicum.

UXoris tuae huc adventus multo fuiſſet gratior, ſi recte ad me divertiſſet, nec enim illa tantum, quae dimidia tui pars eſt, ſed & quiſquis abs te venerit, excipietur humaniſſime. At ubi tu, mi Lipſi, acceſſeris, feſtum illum ducemus diem, & cave ne praeter hanc caſam; multa invenies, quae te capiant atque delectent. ut Caeſarem remittas non eſt cur properes, uti po-

poteris, quam diu voles. Lubentius videbo, quos de cruce libros nobis pollicceris; tanto futuros gratiores, quanto magis inexpectati venient; neſciebam hanc te curam agitaſſe. Laudo tamen & probo. Suetonium noſtrum ad te mittendum *Moretus* ſuſcepit, ſequetur, Diis volentibus, non ita multo poſt altera noſtrorum carminum editio *Lampſonii* magis, quam noſtra dilata culpa aliqua, quam lubens tamen ignoſco. neque enim de imperio aut de rep. agitur, pro qua aſſiduo ſollicitus, ringor interdum, impatientius ferens nihil ſupereſſe temporis, quod literis impartiar, ſed in his tu pro multis es, ut parum referat, quid nos lucubremus. Quod profiteri decreveris, recte factum; tanto enim perfectior beneficii omnis ratio eſt, quanto illud gratuitum magis. nolo tamen de honorario dubites, nam quae hactenus facta eſt mora, extra culpam eſt. &, ſi velis, me ſponſorem accipe. Vale, & literas juvare perge. Antverpia VI. Idus Octobris. An. M. D. XCII.

EPISTOLA CCCCLVIII.

LAEVINUS TORRENTIUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

COmplures accepi epiſtolas tuas, mi Lipſi, ad quas reſponſum adhuc debeo, ſed fiducia tui erga me amoris & benevolentiae fecit me negligentiorem. Atque adeo ne nunc quidem verbo me excuſare velim; noſti negotiorum, quibus opprimor, magnitudinem, ipſe accuſandus, ſi ſcribendi inter haec omnia laborem a me exigas, praeſertim cum in agendo amici operam egregie nuper adimpleverim, Bruxellae cum eſſem, atque equidem nihil unquam feci lubentius: quod enim tuis accreſcit commodis atque dignitati, id ad omnem (ut ita dicam) rempublicam literariam, in qua tu principatum tenes, pertinere arbitror. Pergam igitur ſemper benefacere. nec puto te ab ordinibus noſtris (ad honeſtiſſimum illud decretum, cui ſcribendo adfui, quod attinet) amplius deſiderare, & ſi quid ſit, factum dabo. Sed cur, inquies, quod nunc ſcribis, non ſcripſiſti prius? dicam, nova acceſſit occaſio, qua ceſſante certe non ſcriberem. Amicus meus ſummus *Caſpar Revelaſcus* vir primarius, ordinis Senatorii & quaeſtoris functus officio, inſigni vir pietate ac prudentia filium habet Lovanii *Hieronymum* nomine, qui in ſpem virtutis paternae ſumma cura iſtic in literis alitur, quo effectum eſt, ut pater me ſaepius tuas laudes depraedicantem ultro interpellaverit rogaveritque, ut adoleſcentem hunc quam officioſiſſime commendarem, quo officio nihil opus erat, cum ſponte tua id ipſum affectes; patieris tamen teſtimonium hac in cauſa me dicere: ſi quod pater petit filio concedas, te de tota hac civitate, quam amas & ornatam cupis, optime meriturum, beneficia autem eo praeſtantiora, quo pluribus proſunt. Sunt & alii duo adoleſcentes, qui in literis, ut audio, liberaliter educati, ad majores diſciplinas ſeſe comparant, a patruo ſuo *Ingelberto*

berto Boonen, Decano Trajectenſi ad Moſam, mihi ſingulariter commendati, ut mea apud te gratia frui poſſint, hoc veteri amico denegare nolui: hos igitur ubi ad te venerint, ut qui ipſi quoque juvandae reip. nati ſunt, benigno favore proſequere. Et quoniam praeter ſolitum nunc ſum liberior, venit in mentem quod ad *Ortelium* noſtrum ſcripſeras de Senecae in epiſtolis loco, ubi Maecenatis molliſſimos citans verſiculos, acutae crucis ſupplicium commemorat, de quo video, quid ſentias, argute quidem atque ingenioſe (quod tibi peculiare eſt,) nequeo tamen aſſentiri; rationes cum *Ortelio*, tum *Livinejo* meo ſignificavi: eo tamen non contentus deſcribere curavi particulam, quam vides, ex noſtris in Horatium commentario. Oda v. Lib. III. Barbarorum certe impalationem (quam vocant) nolim Romanis Graeciſque notam fuiſſe, nec facile crediderim Maecenati tale quid in mentem veniſſe, ſed ipſius potius Reguli ſive arcam, ſive armarium, atrox quidem & cruci comparandum, unde tamen liberatus ſuperſtes eſſe poſſit, quod acuto per alvum infixo ſtipiti contigit, credo, nemini. verſus autem Maecenatis vulgo mendoſi in codice meo manu ſcripto, ex *Mureti* ferme ſententia reſtituendi ſunt. Vale, Amicorum cariſſime, & pro humanitate tua haec boni conſule. Antverpia. 10. Kal. Febr. An. M.D.XCIII.

EPISTOLA CCCCLIX.

J. LIPSIUS

Laevino Torrentio.

Antverpiam.

REverendiſſime in Chriſto pater & Illuſtriſſime Domine. Literulas ad te meas cum *Moretus* tuliſſet, ſub idem tempus tuas accipio. In quibus quod raritatem ſcriptionis excuſas, profecto non opus. nimis ſcio, qua mole, & quam aſſidua curarum premaris, & quam ſeria tua & publica ſibi vindicent omne tempus. Id mihi abunde ſatis, ſi in mente & affectu haeremus, quod re mihi probas: nam in decreto ordinum quidquid honeſti eſt, ſcio cui debeam, & quis non ſolum adfuerit ſcribendo, ſed manum admoverit & ſtylum. Atque ipſum ſane ex voto: nec de ſolutione uſque adhuc queror, etſi lentam video, & Quaeſtoris commodo dandam. ſed ſi tergiverſatio aut mora longior, ad te ibimus, ut beneficium tuum abſolvas. *Caſparis Revelaſci* filium quod mihi commendas, is vero jam ante erat, hoc ſolum nomine, quod velle te intellexiſſem, &, ut rem dicam, adoleſcens ipſe meretur, pronus in ſtudia, & ingenio ad ea apto. Ventitat ad me una cum praefecto ſtudiorum, & ſi quid ambigat, petit. Patri licet meo nomine dicas, patere me ipſi, & directurum in bona via, qua licebit. Quod ad Maecenatis locum, vidi ſententiam tuam veriſſimam ea parte, qua crucis nomen late patuiſſe cenſes, & abiſſe in omnem interitum triſtiorem. Ita eſt, & in libellis meis docui. Tamen in verſibus illis, quod reſtringere volui ad Σκόλοψιν, ſive *Sudifixionem* (ut ita vertam) cauſſas habui, quia Graecis Latiniſque ſupplicium id notum; imo & uſitatum.

ſed

ſed ſaepe in verbo σκολοπίζειν, quod pro vulgata crucifixione capimus, deliteſcit. utinam haec & talia coram liceret: juveneſcerem & ad tractandas illas artes irem, quarum amantes hîc pauci, periti pene dixerim nulli. Intelligo ſerio periti, & quorum judicio ac directione poſſumus uti. Cetera in hoc loco bona, & pro meo ingenio quieta & modeſta. Pietas etiam viget, quam in oculis nobis fuiſſe, cum huc mentem fleximus, non ignoras. *Lampſonium* noſtrum etiam nunc languere audio, & eſſe in triſtiore & lucifuga, ut ita dicam, morbo. filius ejus hîc eſt, in quo nondum agnoſco ingenium paternum. Vale. Reverendiſſime in Chriſto pater & Illuſtris domine. Lovanii III. Idus Febr. CIƆIƆXCIII.

EPISTOLA CCCCLX.

LAEVINUS TORRENTIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

UTinam is eſſem, mi Lipſi, qui praeſtando aliquid magnum, pro republica juſtam communis omnium gaudii (quod inquis) cauſam adferre poſſim, imo vel tui tantum proprii; delatam a Rege maximo maximam [1] dignitatem lubentius promptiuſque acciperem; & bene merendo conarer efficere, ut neque regem conſilii, neque populum qualiſcumque ſtudii atque operae noſtrae poeniteret. Sed vides tempora, vides anguſtias undique maximas; vides & aetatem meam extremae proximam, nec jam amplius idoneam ad agendum. Satis ſit itaque tanto principi aliquid in me placuiſſe: munus autem, quod proponitur, pro munere non agnoſco, noſti illud, *non eſt aptus equis Ithacae locus.* quod ne fruſtra a me dici putes, popoſci inducias, & apud Regem quanta potui modeſtia jam per literas me excuſavi, non facile ſtationem hanc, cui nunc aſſuevi, deſerturus: eſt hîc quoque quod agam, nec a deſidia metuendum, dormire non patiuntur publicae quietis hoſtes, nec rem parvam mihi praeſtitiſſe videbor, ſi huic incendio occurrerim. Odi, inquit ille, nimium diligentem. non eſt itaque, quod gratuleris, ſed magis, quod doleas, eum eſſe miſerrimae provinciae noſtrae Belgicae ſtatum, in quo non mea, ſed nec praeſtantiſſimi cujuſpiam viri virtus atque praeſtantia magnum operae pretium facere poſſit. Volvemus interim noſtrum quoque cum Diogene dolium, donec nubes iſtas aſſiduas, ut ais, aliqua ſequatur ſerenitas, quod an hoc aevo ſperandum ſit neſcio: quicquid tamen evenerit, quo major erit juvandi homines facultas, eo me ſenties tui amantiorem. ubi Rex reſcripſerit, conſilii mei fies cer-

1 Intelligere videtur Archiepiſcopatum Mechlinienſem, cui deſtinatus erat. ut vero hunc deprecatur honorem, ita & invitum ſuſcepiſſe Epiſcopatum Antverpienſem, dicit *Valer. Andreas* in praefatione ad *P. Nannii* comment. in Horatii art. Poëtic. *Morerius* ad ipſum Archiepiſcopatum translatum dicit; perperam: qui & mortem ejus confert in 26. April. 1595. cum *Thuanus* in IV. Kal. Majas. id eſt ID 28. niſi ſit operarum errore IV. poſitum pro VI. ut *Valer. Andreas*, & ex epitaphio ejus *Sweertius.*

certior. Vale, & *Carrionem* cum reliquis amicis ſalvere jube. Antverpiae IV. Idus Aprilis M. D. XCIII.

EPISTOLA CCCCLXI.

LAEVINUS TORRENTIUS

J. Lipſio S.

Lovanium.

PAulo antequam diſcedens Antverpia Bruxellam adveni, literas has adjunctas Roma ab illuſtriſſimo Card. *Borromaeo* accepi, rogatus, ut te ipſius amicitiae (quod vehementer exoptat) adjungerem. Id autem feci perlubenter; nam cum primum licuit, differre nolui, quin ſcriberem ac tanti viri epiſtolam paucis tibi verbis commendarem: digniſſimus eſt enim omnium favore ac benevolentia, qui doctos omnes & amat & fovet. Illius frater, qui & ipſe Cardinalis, atque Mediolanenſis olim Archiepiſcopus, vitae ſanctitate atque inſigni pietate aequales ſuos omnes longe ſuperavit. Cum itaque tibi honeſtiſſimum ſit principibus viris tantopere placuiſſe, fac obſecro, ut & ipſe intelligat, ſe per me aſſecutum fuiſſe, quod voluit, & reſcribe quam poteris amantiſſime. Libellos praeterea tuos de Cruce pro munuſculo recepi, gratiſſimos ſane, quos tamen necdum perlegi, ubi perlegero, ſcribam iterum quid ſentiam, nec quicquam dubito, quin ut alia tua omnia, ſic & hoc opuſculum ſummopere mihi ſit placiturum. Utinam plus detur otii, ut iſtiuſmodi animi deliciis & ſaepius & diutius frui poſſim. verum hoc optandum magis, quam ſperandum video; qui hac etiam tam gravi aetate tot tantiſque exercear laboribus, tanto equidem gravioribus, quod inponantur invito, non ferendi, niſi aliquando affulgeret reip. utilitas, quae tamen hoc tempore non poteſt non admodum eſſe exigua ob diſcrimen manifeſtum, in quo verſamur; ſed ſub hoc Praeſide ſperanda ſunt meliora. Quod ſupereſt, ſperabam me Lovanium poſſe excurrere, atque ibi gymnaſium, quod meditor, abſolvere. verum eo necdum loco rem eſſe intelligo, ut operae pretium ſit proficiſci; expectabo interim quid reſponſurus ſit pater *Oranus* ad ea, quae per collegam hìc quendam ejus ſignificari curavi, haeſurus adhuc diebus aliquot. Vale, & cura valetudinem. Bruxella pridie Idus Martiis Ann. M D XCIII.

EPISTOLA CCCCLXII.

LAEVINUS TORRENTIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

PRidie quam Antverpia diſcederes, receperam, ut noſti, praeclaram illam Academiae veſtrae epiſtolam, ſed minime Lipſianam. niſi tu, cui legendam miſeram, aliter ſentis. hactenus certe non reſpondi, quod in arcula mea

mea pigmentaria nihil ſuppeteret, quo illam exaequarem ſcriptionem, itaque omittam, non verbis pugnaturus ſed factis. Decretum enim eſt urgere propoſitum, ut re ipſa cognoſcant omnes, me non facile deterreri in re bona: quod a Domino *Franciſco Flerolino* intelliges latius. quamquam enim qui adverſantur omnem movent lapidem, quo me impediant, quod eorum, quos interpellarunt, ſermonibus apertiſſime intellexi; nihil tamen efficient apud hos proceres, praeſertim, qui publica commoda ſemper praeferent privatis: unde conficitur unicum illum, quo nituntur, arietem, peritura ſcilicet quatuor eorum paedagogia, ſi quintum, quod ego molior, ad finem perducatur, invalidum eſſe. Atque hoc quintum (ut ipſi vocant) niſi per ſe melius atque utilius eſſet, tota illa quatuor non deſtrueret. cur igitur rejicitur? Docent patres (inquiunt) gratis, ergo ad eos omnes confluent. Imo relinquentur potius, niſi non gratis tantum, ſed & melius doceant. nam tantilla praeceptorum, qui praeſtantes ſint, merces diſcipulos non arcebit. At quinam obſecro erunt iſti omnes? an etiam pueri perfectioris philoſophiae incapaces? an burſarii quoque, quod ipſi habent in ſua poteſtate, an convictores atque alii? Nemo ſane horum hominum; non eſt igitur cur metuant defuturos auditores, ſi probe docentis munere fungantur, quin aemulatio ipſa, ubi plures concurrunt ad laudem atque gloriam, excitabit ingenia, nec torpere permittet, ut in aliarum nationum, maxime Italorum, Gymnaſiis cernitur. Verum hoc miſſum faciamus. Concurrunt ad communia ſtudia plerique nobiles, quorum pauci admodum, aut poene nulli, paedagogiis ſe tradunt, concurrunt plurimi, qui recta, ſine Philoſophiae ſtudiis, Juris Civilis profeſſores adeunt. Sunt alii, qui in humanioribus literis & elegantiore doctrina perpetuo commorantur, an hi omnes in tam celebri ſcientiarum quodam veluti mercatu non invenient philoſophos, quos accedant, niſi una cum pueris in ſordibus iſtis ac poedore verſentur? quid de his dicam, qui magiſtrorum titulos jam adepti ſunt, quive ſacrae Theologiae dant operam, nec ſatis in Philoſophia ſe verſatos eſſe agnoſcunt, an hi quoque a Patrum ſanctae ſocietatis ſchola arcebuntur? vides, mi Lipſi, quam male reip. Literariae, unde publica alitur ſalus, conſulant qui inſtitutum noſtrum remorantur. Sed reſipiſcent, ſpero, experientia facti prudentiores, quemadmodum & plerique omnes, qui initio quocunque venturi erant Jeſuitae, actum clamabant de monachis, mendicantibus praecipue, & eccleſiarum parochialium miniſtris, cum uſu compertum ſit Jeſuitarum adventu atque opera hos ſimul omnes efflorescere. Idem, mihi crede, paedagogiis continget, praeſertim ſi cum Philoſophiae, ut eam nunc docent, rudimentis optimos quoſque auctores miſceant, ubi nunc, ſi verum fateri volumus, non dicam Philoſophi, ſed nec Rhetores, nec Grammatici fere ſint, qui artium liberalium magiſtri vocantur. quod cum ita eſſe tu unus optime noris, ſupereſt ut tua cum auctoritate, tum gratia, qui aliter ſentiunt, ab errore ſe revocari patiantur, praeſertim nobiſcum facientibus tot praeſtantiſſimis viris, ipſo etiam magiſtratu. Sed nec de ſupremo Regis conſilio dubitandum eſt. Taceo Middelburgenſem epiſcopum. Taceo *Stapletonum*,

num, qui vel ſoli pro multis habendi ſunt. Jure igitur in ſententia perſiſto. Poſtquam nuperrime hinc abiveras, commendatam abs te vidi epiſtolam & verſus non imperiti juvenis *Ludovici Medertii*, meum implorantis in paupertate auxilium: ſed noſti tempora, nihil magnum nunc poſſum: erit tamen illorum in numero, quos proximo quoque tempore pro viribus promoveri decrevi, praeſertim ſi eccleſiae ſervitio ſeſe tradere voluerit. Vale, amicorum ornatiſſime. Antverpia quarto Cal. Julii An. MDXCIIII.

Quas turbas excitaverint Jeſuitae in Academia Lovanienſi, in quam irrepere, & ſubducere aliis Profeſſoribus, ut ſemper & ubique ſolent, auditores conabantur, conſtat ex *Valerii Andreae* Faſtis Academicis pag. 372. & ſeq. ubi & de collegio hoc, a *Torrentio*, in gratiam Jeſuitarum inſtituto agit, & epiſtolam illam nomine Academiae ad *Torrentium*, cujus meminit hîc, exhibet pag. 379. ubi graviter jura & privilegia Academiae ſuae violari Profeſſores oſtendunt. immo poſtea coacti fuere ad Papam decurrere, qui certis legibus hanc Jeſuitarum audaciam circumſcripſit, quare illi, cum Lovanio arcerentur, Leodici Scholam Academicam aperuerunt, ſed ad Academiae Lovanienſis preces *Albertus Auſtriacus* interdixit Jeſuitis Duacenſibus Scholas Philoſophicas habere, niſi Leodicenſes clauderentur: quare coacti Jeſuitae ab Epiſcopo Leodicenſi Profeſſionem Philoſophicam non quidem deſeruerunt, ſed Epiſcopo tradiderunt, qui Laicos Profeſſores inſtituit; poſtea vero inter Leodicenſem, & Ordines Brabantiae conditionibus haec res compoſita. nec ceſſarunt in hunc uſque diem, quo rerum fere ibi potiuntur, vexare Academiam Jeſuitae, ſed quae hîc tractari non poſſunt uberius.

EPISTOLA CCCCLXIII.

LAEVINUS TORRENTIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

JAm diſceſſerant hinc ordines Brabantiae, cum noviſſimas accepi literas tuas, quibus me rogabas, ut tuam illis cauſam commendarem; quod equidem pro meo in te ſtudio, qua debebam, diligentia praeſtitiſſem, niſi jam praeteriſſet occaſio, cui iterum oblatae, ut futurum puto brevi, non deero. Vides tempora, quorum tamen iniquitas obeſſe non poterit, quo minus ſimus liberales. Parum eſt, quod in tanti viri uſum impenditur. Tu perge majora apud exteras nationes contemnere, dum amicis hîc tuis ſolatio, & cariſſimae patriae tuae ſis ornamento, nec eſt quod verear: agant Veneti, agant Mediolanenſes, atque iterum (ſi volent) Florentini. Laudabo illos, ut debeo, ſed te multo magis, qui honeſtam domi paupertatem, illorum divitiis praetuleris. obdura igitur, & urge propoſitum, ut re ipſa oſtendis te facturum, cum aedificas, hoc enim pro te fidejubet, & Lovanii manſurum ſpondet. Non itaque feneſtram tantum unam, quod a me petis, memoriae cauſa donaturus ſum, ſed & plures ubi voles, totos etiam parietes triclinii exornaturus, cui rei, mandato *Moreri*, quem conveni, ſumptum iſtic a bibliopolis petes, ego hîc reddam, quibus autem verbis meam in te mentem depingam neſcio, tu cogita: nihil inſcripſeris, quin longe etiam majora pro te velim.

Ea-

Ad hanc reſpondet Lipſius Centur. III. ad Belgas Ep. 17.

Eadem *Prunii* noſtri mens, cujus quod voles & ipſe experimentum dabit. quod praeterea de noſtro Lovanii gymnaſio tam prolixe ac benigne ſcribis, id mihi pergratum fuit. quin etiam crevit tuis dictis meus ad bene de Academia iſta merendum animus. Atque adeo incitatus a Reverendo patre *Oliverio Manartio* ampliora meditor, ut ab ipſo intelliges latius, nec me praeſens deterrebit calamitas, ac periculum, in quo verſamur, capta his diebus, ut intellexiſſe te arbitror, Groninga, ſed divino fretus auxilio majore procedam gradu; donec pervicero, aut conantem mors praeverterit. Vale ſuaviſſime Lipſi, & me, ut ſoles, ama. Antverpiae III. Cal. Auguſti An. MDXCIIII.

His ſcriptis literis allata eſt Illuſtriſſimi Card. *Frederici Borromaei* ad te epiſtola, valde ſerio mihi commendata, ut & tradi illam, & reſponſum dari procurem. Venit praeterea in mentem, cum nuperrime hîc eſſes una cum *Bernartio*, quaeſiviſſe me inter veteres ſchedas, nec inveniſſe Papinii Achilleidem manuſcriptam, quam nunc fortuito repertam mitto, poſtquam nunc editio inchoata eſt. Et quoniam ante biduum noſtra etiam prodierunt poëmata, omittere nolui, quin tria exemplaria ad te mitterem, tibi unum, *Bernartio* alterum, tertium cui ipſe voles. Iterum Vale.

EPISTOLA CCCCLXIV.

LAEVINUS TORRENTIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

AN igitur is ego ſum, mi Lipſi, cujus tu literatorum choragus cum aliis literatis omnibus vel morbum doleas, vel ſanitatem gratuleris? agnoſco affectum erga me tuum, judicium vero non probo, ſatis eſt in media claſſe me ſubſiſtere, & te ſublimem ex humili ſuſpicere atque admirari. utcumque res ſe habeat, Antverpiâ, nec dum confirmata valetudine pluribus evocatus tam Sereniſſimi Archiducis Erneſti; quam aliorum virorum principum literis Bruxellam veni; ubi de ſumma rerum ſatis quidem proſpere, meo judicio, hactenus agimus, ſed ſupereſt tantum, ut quae recte conſulta fuerint, mature fiant, nec diutius differantur, nec vero tui, quamquam mediis in negotiis, obliti unquam fuimus: egi cum multis, impenſe favent omnes; ac te in oculis gerunt, conſtitutum igitur inter nos, ut poſtquam tuus de militia prodierit labor, ego una cum Praeſide, cum *Aſſonuilio*, ac *Richardotto* volumen Archiduci offeramus, teſtes, non male puto idonei, tuae tum eruditionis, tum probitatis; neque hoc contenti officio alibi quoque te commendabimus, daturi operam, ut vel aureus fias; ornaberis certe pro meritis tuis, quo magis abs te poſtulo, ut ſpartam, quam jam nactus es, ornes, atque exteras conditiones omnes rejicias, patriam vero pro tua in illam caritate nunquam deſeras. hoc enim ut pietati, ſic & honeſtati convenit maxime. Adderem aliquid de noſtro Lovanii inſtituto, ſed non dubito, quin ex patribus, qui nunc iſtic ſunt, rem

rem omnem intellexeris. Vale, & amare me perge. Bruxellae vigeſima Januarii 1595.

[1]EPISTOLA CCCCLXV.

NATHAN CHYTRAEUS

J. Lipſio S. P.

Leidam.

JUcunde admodum & ſuaviter, V. Cl. his diebus converſatus ſum, cum amico meo veteri & ſingulari [2] *Martino Lydio*, homine, ne quid aliud dicam, vere pio & docto. Cum autem in colloquiis variis, tui quoque, ut fit, nominis ſubinde mentio incidiſſet perhonorifica; eamque mihi cumprimis gratam & jucundam accidere *Lydius* animadvertiſſet: hortari me ſine intermiſſione coepit, ut hac occaſione, & ſe internuncio, breve ad te epiſtolion exararem, quod ille tibi non ingratum fore confidenter affirmabat. Quid multæ? perpulit me vir optimus & amiciſſimus, cui cum ego petenti nihil negandum ſtatuiſſem; huic quoque petitioni ipſius omnino ſatisfaciendum eſſe cenſui. Dictavi igitur, cum tempus breve eſſet, filio meo hoc, quidquid eſt litterarum, quo ego fores notitiae & amicitiae tuae toties hactenus expetitae aperiendas mihi cenſui. Si feci quod placeat; mihi gratulor, meque compotem votorum meorum factum unice gaudeo, ipſique adeo *Lydio* & tibi, maximas gratias & habeo & ago. Sin minus; *Lydium* potius quam me accuſabis, qui mihi ſcriptionis hujus auctor tam audax eſſe non ſit veritus. Sed ut omnia mihi pollicear meliora, facit non ſolum inſignis tua humanitas; verum doctrina & ſapientia quoque tua ad miraculum uſque excellens, & cum rara quapiam & amabili eloquentia conjuncta. quam ego niſi maximi facerem, nomine me elegantis litteraturae ſtudioſi prorſus indignum cenſerem: cujus tamen me profiteor cupidiſſimum. Vale eruditorum noſtri ſeculi decus & ornamentum. Roſtochio XII. Cal. Septemb. Anno 1589.

1 Reſpondet Lipſ. II. Miſc. 89. vel editionis primae 93.
2 Vid. Epiſt. XLV.

[1]EPISTOLA CCCCLXVI.

NATHAN CHYTRAEUS

J. Lipſio S.

Leidam.

PAene citius epiſtolam ad me tuam typis Plantinianis impreſſam, quam manu tua exaratam, vidi. Quae morae illi obſtiterint neſcio. Sed eſt quod mihi de ea tandem accepta non mediocriter gratuler, cum quanto ea in periculo

1 Reſponſio ad Lipſii II. Cent. Miſc. 89.

culo fuerit, ex hoc quoque colligam, quod ei adjunctus faſciculus Lydianus plane perierit. Eo igitur gratior mihi haec quaſi e naufragio tabula. Reſponſum quod tam diu diſtulerim, quaeſo, ignoſce. Citius non potui. Terrent veſtigia aliarum, vel interceptarum, vel amiſſarum. Silere ergo aliquandiu ſatius eſſe putavi, quam, quod non lecturus eſſes, cum jactura temporis ſcribere. Tibi vero ingentes, quod amantem me non ſolum redamandum, verum etiam litteris brevibus illis quidem, ſed admodum ponderoſis, inviſendum cenſueris. Quas ſane cum & in idiographo & in Centuria epiſtolarum tuarum ſecunda legerem; in mentem mihi venit vulgatum illud *χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ:* & etiamſi, a coeleſti philoſophia edoctus, omnem hujus mundi gloriam pro glarea habendam ſciam: tamen non potui non ſuaviter aliquo modo affici, quod me quoque principibus miſtum aſpectare Pelaſgis Tum potui. Quamquam curtae meae ſupellectilis non ignarus, nequaquam hoc mihi arrogem, aut eo nomine me efferam, conſcientia optimae voluntatis contentus, etiamſi votorum meorum non ſemper fiam compos. Cum *Franciſco* veſtro *Raphelengio* ago de editione Argumentorum & Poriſmatum meorum in epiſtolas M. Tullii ad Atticum, non Criticis, ſed adoleſcentibus, quibuſcum ratione officii vivendum mihi eſt, ſcriptorum. Cum enim in verbis earum epiſtolarum, germanaque eorum lectione explicanda ſatis ſtrenue laboraverint *Corradus*, *Manutius*, *Malaſpina*, *Boſius*, alii; ego has partes mihi potiſſimum ſumendas cenſui, ut non tam de verbis, quam de ipſis rebus & ſententiis auditores monendi occaſionem haberem. Unde haec poriſmata nata ſunt, partim Politica & Ethica, partim etiam philologa, oeconomica, rhetorica & hiſtorica. omnia tamen craſſo & captui puerorum fere accommodato filo. Totum opus cenſurae tuae lubens ſubjicerem, niſi hoc modo obſtare me ſcirem publicis rei litterariae utilitatibus. Si quid tamen demendum, addendum mutandumve cenſueris, id liberrimum tibi eſto. Quod ſi etiam Typographus te in conſilium adhibuerit; peto ut amicitiae noſtrae pluſculum, quam falci tuae criticae indulgeas. Ipſi enim operi hoc tetraſtichon cogito praefigere,

Non criticis hos, ſed pueris impendo labores,
Filioliſque lubens diſcipulisque meis.
Quîs ego ſi Siculi confecero more Epicharmi
Utile quid, voti victor abibo mei.

Salve & vale, & certo de me tibi perſuade, vix quenquam me habere magis φίλον ἐμῷ θυμῷ καὶ τίμιον, quam te. Deus opt. max. pacem tandem optatam & firmam regionibus iſtis reddat, ut litteris quoque noſtris iter tutius eſſe poſſit & frequentius. Hoſtes autem pacis, & imprimis τοὺς πολέμου συμφορᾶς ἐπιπομπεύοντας, potentia ſua compeſcat. Roſtochii An. 91. Idib. Martiis. natali meo XLVIII. quo ante annum te tuas quoque ad me video perſcripſiſſe. Ita caſu tempora quoque ſcriptionum noſtrarum congruunt. Vale iterum V. CL.

EPISTOLA CCCCLXVII.

JOANNES GUILIELMUS STUCKIUS

Juſto Lipſio S. D.

Leidam.

VEhementer laetor, Vir Clariſſ. & amice obſervande, proximas meas literas tibi & redditas, & gratas fuiſſe & acceptas, ſicut ex reſponſo tuo erudito, amico, benevolo & humano facile intellexi. Itaque ad priſtinum meum in te amorem & obſervantiam magnus, mihi crede, cumulus acceſſit, qua de cauſa non modo tibi reſcribere, ſed hos quoque adoleſcentes tibi meliori de nota commendare minime dubitavi. Horum unus eſt [1] *Heinzelius*, patritius Auguſtanus, cujus pater p. m. in auguſta illa civitate conſulatum maxima cum laude geſſit, & pater patriae, literarumque optimus ac fideliſſimus extitit. Alter, *Caſpar Vaſerus* nomine, eſt civis & diſcipulus meus, vitae morumque probitate, & linguarum diſciplinarumque ſtudio atque ſcientia praeſtans, qui ei tanquam peregrinationis hujus, ac morum ſtudiorumque moderator eſt adjunctus. Ambos igitur fidei humanitatique tuae unice commendo, qui doctrinae, nominis gloriaeque tuae fama clara & illuſtri potiſſimum impulſi de propinquorum & mecoenatum ſuorum voluntate & conſilio ſe iſtuc contulerunt. fac igitur quaeſo pro humanitate tua ita te erga illos geras, ut illos longae, difficilis, periculoſaeque hujuſce ſuae peregrinationis, propter te potiſſimum ſuſceptae, non poeniteat, & intelligant hanc meam commendationem non leve apud te pondus habuiſſe. Pluribus non utar, ne humanitati tuae diffidere videar. Quod ad rerum noſtrarum ſtatum attinet, is Dei beneficio, quietus adhuc eſt & pacatus: Genevenſes ſocii & foederati noſtri Gallorum, Helvetiorum, atque etiam Italorum quorundam auxiliis, ſed praecipue Dei exercituum ope & praeſidio proſpere foeliciterque bellum adverſus ducem Sabaudiae gerunt. Initio novi hujus anni aliquot pagis, oppidulis & arcibus, nec non magna praeda atque ſpoliis potiti ſunt, cum magno hoſtium dedecore atque damno. Ex altera parte dux Dedignerius, heroicae vir virtutis atque fortitudinis, capta Gratianopoli Chambrium uſque (quod eſt unum ex primariis ditionis Sabaudicae oppidis) excurrit, & arce munitiſſima, Eſchelles vocatur, quae duarum inde diſtat horarum intervallo, illud jam obſidere & oppugnare fertur. omnino Dux ibi crabrones i. Gallos & Helvetios irritavit, qui nunc aculeis, id eſt, lanceis, haſtis, tormentis, armiſque ſuis in illum invehunt, & injurias ſibi illatas ulciſci conantur. De rege Gall. non regiis & egregiis virtutibus ornato, & de foelici proſperoque rerum aeque adverſus conjuratos & rebelles ſucceſſu non opus eſt, ut ad te ſcribam, cum illa vobis notiora forſan ſint, quam nobis. Mitto hic tibi Gratulationem hanc meam chariſſ. meae patriae nomine compoſitam, quam tibi viro humaniſſimo, meique

1 Hic eſt ille Heinzelius, a Bonaventura Vulcanio, Caſſandro & aliis ejus aevi viris, ut Maecenas literatorum celebratus. ut ex Epiſtolis B. Vulcanii, quas publico debemus, conſtabit.

que peramanti ſpero non ingratam futuram. Vale. Deus te reipub. literariae ſalvum diu incolumemque conſervet, quo diutius ei inſervire atque prodeſſe poſſis. Tig. 17. Martii Anno 91.

EPISTOLA CCCCLXVIII.

JOANNES STUCKIUS

J. Lipſio S. D.

Leidam.

QUoniam, Vir clariſſime, literatiſſimis illis tuis [1] literis, quas in lucem edidiſti, convivialium mearum lucubratiuncularum non amicam ſolum & benivolam, ſed etiam honorificam mentionem feciſti, non potui non animi mei χαρὰν ſimul & ἐυχαριστίαν verbis literiſque meis teſtificari. Equidem me terque quaterque foelicem aeſtimo, qui te tanto viro, tamque laudato laborum illorum meorum non approbatore ſolum, ſed etiam laudatore atque praecone utor, quem etiam uberrimum pulcherrimumque illorum fructum judico. *Mercurialis* quoque, quem vere reipub. literariae, literarumque quaſi Mercurium appellare poſſumus, cum pro ſuggeſtu publice, tum humaniſſimis ſuis ad me miſſis literis, atque dono literario eundem fere, quem tu animum & voluntatem erga me declaravit. Nec tamen haec (optime enim mihi tenuitatis meae ſum conſcius, meoque me novi metiri modulo) tam acerrimo acutiſſimoque veſtro inditio, quam ſingulari veſtrae modeſtiae humanitatique tribuo. Imitamini enim humanos, modeſtos atque frugales convivas, qui tenues leveſque epulas non aequi ſolum bonique conſulunt, ſed etiam laudant & praedicant. Plurimum itaque vobis me debere profiteor, utinam re ipſa, quas animo meo habeo, vobis referre poſſem gratias, quo nihil mihi eſſet gratius, nihil mihi prius eſt & antiquius. Fui antea ſemper laudum veſtrarum admirator atque praeco, ero nunc multo magis maximis veſtris meritis, tametſi ut ſol lucerna, ita laudes veſtrae atque virtutes clarae per ſe & illuſtres praeconio meo non indigent. teſtabor tamen animum meum gratum acceptique beneficii memorem. Lucubrationes veſtrae luculentae atque eruditae, ut hoc quoque libere & ingenue fatear, ad lucubrationes illas meas conviviales magno mihi fuerunt uſui & adjumento, & quidem majori fuiſſent, ſi illas omnes habere potuiſſem, quarum nonnullis etiam nunc careo. Proxime legendo tuum de Theatris libellum, forte fortuna incidi in quaeſtionem illam, apertone, an operto capite Romani olim cibum ceperint, quae utinam antea mihi licuiſſet legere. Tui de Conſtantia operis ſane ſubtiliſſimi lectione non poſſum ſatiari, quae mihi proxime in explicatione loci communis de voluntate, providentia & praedeſtinatione divina non parum profuit. Multis itaque nominibus, Vir clariſſ. me tibi devinctum obſtrictumque eſſe confiteor, qui praeclaris & eximiis illis praeclari & eximii tui ingenii monimentis mihi, ut & toti reipub. Chriſtianae, es cum

1 Centur. 1. Miſc. Epiſt. 65. laudavit & ſupra Lipſius Epiſt. LXXXVI.

utilitati, tum decori atque laudi, tum denique praeſidio & quaſi clypeo, adverſus quorumvis malevolorum & invidorum calumnias & detrectationes. Equidem bis jam antea D. *Martinum Lydium*, veterem & conſtantem meum amicum, rogaveram ut maximas meo nomine tibi gratias ageret, plurimumque ſalutis diceret; ſed dubito, in tanto praeſertim locorum interinde tantisque periculis, an literae meae illi fuerint redditae. Nunc igitur certum fidumque nactus hominem, probatae pietatis doctrinaeque juvenem, *Mathiſium* Antverpianum, per illum has ad te dare volui literas, ceu teſtes ſingularis meae erga te ἐυχαριςίας, benivolentiae & obſervantiae, quas, ut ſpero, id quod etiam vehementer te rogo & oro, eodem, quo lucubratiunculas meas, animo, aequo nimirum benivoloque accipies. Novi, de quo ad te ſcribam, non habeo, niſi de nova ilia & inſigni Regis Gall. & re & nomine Chriſtianiſſimi victoria, quae multorum literis, nuntiis atque ſermonibus celebratur. Regis illius cum regiae plane egregiaeque virtutes (quas utinam omnes orbis Chriſtiani principes ſedulo imitarentur) tum ſingularis foelicitas atque fortuna admirationi eſt omnibus, quae tamen ſupremo illi & unico omnium honorum auctori & actori, omnium malorum rectori & ultori optimo meritiſſimoque jure accepta referri debent. Genevenſes quoque vicini ſocii & foederati noſtri jam per annum fere exiguis ſane copiis, divina nimirum fulti ope & auxilio, potentiſſimorum ſuorum hoſtium impetus & inſultus fortiter foeliciterque non ſuſtinuerunt ſolum, ſed etiam fregerunt ac repreſſerunt, cum incredibili hoſtium damno atque dedecore, maxima ſua laude, gloria atque utilitate. Sed, ut ſcribendi, & utiliſſimas tuas occupationes interpellandi finem faciam, rogo te, vir clariſſ. ut in tuo in me amore perſeveres, & de conſtanti viciſſim mea erga te obſervantia nequaquam dubites. Vale. Deus pro ſua miſericordia diuturna adhuc tibi valetudinis vitaeque uſuram impertiat, quo diutius Reipublicae Chriſtianae atque literariae uſui ornamentoque eſſe poſſis. Tiguri 6. April anno 1591.

EPISTOLA CCCCLXIX.

LAMBERTUS VANDER BURCH

J. Lipſio S. P.

Leidam.

SAlutavit me jam jam verbis, vir clariſſime, tuis [1] *Adamus Leenputtius*, quod pergratum mihi, ſed ingratum hoc quod diſceſſum te propediem meditari diceret. Dolui, ſane, vehementer hanc tibi profectionem nobis inſalutatis conſtitutam, praeſertim cum [2] poſtremis tuis ſpem mihi non levem praebere viſus es, nos, iter hoc antequam ſuſciperes, inviſendi. Scribo itaque has

1 Vid. ad Epiſt. cccxvi.

2 Reſpicit Epiſtolam Centur. III. ad Belg. I. quam neſcio quare repetierit Pontan. pag. 221. cum nihil variet. ſed ex his patet Lipſium Conſilii ſui participem feciſſe hunc amicum, per *Leemputtium*, qui comes ipſi fuit, cum deſereret Batavos,

has nunc, te ut orem, & quidem vehementer, ut ſi ullo modo res tuae patiantur, hac iter facere & ad me dies pauculos divertere velis; Neſcis, quanto me tibi beneficio obſtrinxeris, id abs te ſi impetraro, ſaltem hoc, (ſi per negotia illud tibi tua omnino non liceat,) ut in reditu ſaltem id te facturum (ſi permittat deus) promittas: Neque enim obfirmatum tibi credo non redire, quid enim commeruit, quaeſo, Juventus (cui uni potiſſimus tuus hic diſceſſus gravis moleſtusque accidet) ut unius atque alterius hominis frontis perfrictioris impudentiam luat? Jam abunde ſatis, & quidem cum ſempiterna nominis tui laude poſtremo illo tuo libello (qui probis cordatiſque omnibus mirifice, mihi crede, placuit) honori tuo conſultum eſt, neque eſt, quod addi amplius ad ea queat. Iterum itaque moneo, ut hominum genus hoc prorſus contemnas, & ſurdas inpoſterum ad eorum voces ſcriptaque aures praebeas, allatrare quidem illi poſſunt, ſed mordere minime. Major ſiquidem auguſtiorque nominis tui fama eſt, quam ut apud probos (malis enim quis ſatisfecit unquam?) hujuſmodi famoſis libellis in calumniam diſquiſitionemque venire queat. Vale, vir clariſſime, & me tibi tuo merito addictiſſimum ama. Ultrajecto, raptim, Calendis Martiis ſtilo veſtro M.D.XCI.

EPISTOLA CCCCLXX.

J. LIPSIUS

Lamberto vander Burchio, Decano, S. D.

Ultrajectum.

POſtremae tuae epiſtolae nihildum reſpondi. quid mirum? duos amplius menſes interea aſſidue per itinera aut hoſpitia jactatus, & nuſquam in firma quiete. At in animo meo ſaepe tu & tuus amor, quem velut penicillo perſpicuum in poſtrema illa expreſſiſti. Mihi crede, non affectum ſolum tuum cognovi, ſed vide pene dolentis & ingemiſcentis tui vultum. Suſpicabaris nimirum, quod res eſt, abire me non tam cito rediturum. Cauſſae nobis juſtae, mi amice, & apud te probae: alias audies, aut potius — ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις. Nos menſes aliquot otio & valetudini noſtrae dabimus: quae niſi firmior, quid niſi perpetuo quieſcamus? Sin autem melior, quid acturi ſimus, & quo animum applicaturi, per me ſcies. Vocamur in Italiam, Germaniam, variae: non audimus. Patriam amemus magis, cui eſſe volumus, ſiquid ſumus. Nunc tamen, ut dixi, otiamur. quod ut tuto hîc poſſim, nonnulla cura eſt, ita omnia pervadunt praemiatores, an praedones, veſtri. Tu cum fratre ſalvebis, & uterque me amabitis, ut ſoletis. Aquis Spadanis. prid. Non. Jun. ∞.IↃ.XCI.

[1] EPISTOLA CCCCLXXI.

LAMBERTUS VANDER BURCH

J. Lipſio S. P.

Leodicum.

QUid agis, vir clariſſime Lipſi? Itane noſtri obliviſceris? Scripſi ad te bis & ſcripſiſſem ſoepius, ſi ad eas, priores ſaltem, quas ad uxorem tuam a me miſſas, recte perlatas arbitror, reſponſum abs te fuiſſet. Non committas, quaeſo, ut corporum haec inter nos divulſio coeptae bonis avibus amicitiae curſum interrumpat, utque quemadmodum locorum inter nos nunc, ita & animorum literarumque ſit intervallum. Amo te, mi Lipſi, amo, inquam, & quidem tuo merito, neque vulgari illo amore, ſed quo Pirithoum Theſeus, quo Oreſten Pylades. Si non credis, periculum fac, impera. majora faxo ut opinione tua conſtantiſſimae erga te fidei amoriſque in me indicia invenias, intelligaſque unam mihi obſequii gloriam propriam. Nos hîc omnes tui perbelle (deo laus) valemus, niſi quod abſentiam tuam moleſte admodum ferimus, & quidem eo gravius, quod nonnunquam cum hominibus nonnullis lucta nobis aliqua interveniat, qui tuum hunc a nobis abitum cum improbare jure non poſſint, culpare tamen non deſinunt, at modeſtius longe, quam nuper [2] *Weſtphalus* ille, qui parandae gloriae tecum congrediendi avidus, cum materiam non reperiret, ex muſca, cum multorum cachinno, elephantem produxit, ut nimirum montibus parturientibus ridiculus naſceretur mus. Sed tu, ſi ſapis, ejus nugas contemnes, neque magis ad eas commoveberis, quam ad veſpae alicujus morſum generoſus ſolet equus. Aveo ſummopere cognoſcere ex te, quid nunc praeclarum hoc nactus otium rerum agas, quae circumvolites agilis thyma, quidque a te exſpectare debeamus. Opus te magnum & grave moliri audio, quod propediem publicum facturus ſis, evocato iſthuc *Raphelengii* filio, qui typis illud mandet. Faxit deus opt. max. ut foetum hunc videre nobis liceat. Ego in coepto a me opere pergo, ſed lente, faciunt hoc negotia domeſtica capitulariaque, quae licet ſubinde non magni admodum ſint momenti, hoc praeſertim rerum ſtatu, quo ordini noſtro reipublicae adminiſtratione hîc interdictum non ignoras. Hujuſmodi tamen ſunt, ut me diſtrahant plerumque, neque rebus meis vacare, uti velim, permittant. Spero tamen brevi me, ſi patiatur deus, neque tu conſilium meum improbes, Caſtellae regum hiſtoriam ſtirpemque, operis, quod condo, primitias, in lucem emiſſurum. Novarum rerum hîc nihil nunc, pacis enim, quae proximis hiſce diebus affulgere viſa eſt, ſpes omnis, cum ſummo bonorum luctu, evanuit. Praefracta enim nimis quorundam, qui plurimum ad eam rem operae ſua authoritate conferre poſſent, ſunt ingenia, ita credo res noſtras numine diſpenſante divino, cui nondum ſtatutum videtur puniendi nos, qui nullis hactenus pla-

gis

1 Ad hanc reſponſio eſt apud Gabbemam Centur. II. Epiſt. 19.
2 *Joh. Domannus.*

gis emendamur, proh dolor! finem facere. Non deſperemus tamen, mi Lipſi, ſed fuſis ad deum precibus lachrimiſque (quae ſolae ad hunc diſcordiarum reſtinguendum ignem conferre plurimum queant) poenae continuationem ſupplices deprecemur. Intelleximus here, vere ne an falſo, non affirmaverim, Hippocomiae regis Navarreni praefectum *Bremam* iter inſtituentem, in Greuningae oppidi confinio, cum diutius, quam rebus ejus conveniret, haereret, a milite regio interceptum Greuningamque cum omni ſuo comitatu & auri argentique ſumma non contemnenda abductum. Vale, vir clariſſime amiciſſimeque, & me ama, uxorem tuam & ornatiſſ. virum D. Lampſonium hoſpitem, ni fallor, iſthic tuum, incognitum mihi licet, plurimum a me ſaluta. Frater meus *Canterius*que valent optime, & te ſalvere jubent. Ultrajecto VIII. Kal. April. MDXCII. Qui has tibi tradit, mihi collega eſt, vir optimus doctiſſimuſque.

EPISTOLA CCCCLXXII.

LAMBERTUS VANDER BURGH

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

GRaviter me, vir clariſſime Lipſi, allatus ad nos diebus hiſce de cariſſimi mei [1] fratris, quem annis totis viginti duobus non videram, obitu nuntius (quo graviorem acerbioremque a multis retro annis me haud memini accepiſſe) afflixit. nunquamque in tanti viri amiſſione non nos ſolum, qui ſanguine eum attingimus, ſed boni omnes (id mihi dicere apud te liceat) fecimus jacturam: Sed ſummo illi rerum humanarum diſpenſatori moderatorique (qui temere nihil, ſed pro eorum quos tollit, quoſque tollendos quoque tandem, hîc relinquit, facit ſalute commodoque) ita quoniam viſum fuit, in ejus nos voluntate acquieſcere, aequoque eum caſum animo ferre, par eſt: quod mihi factu facilius reddet dies, praeſertim cum procuratis diligenter iis omnibus, quae ad animae faciunt ſalutem (quorum prima praecipuaque cura eſſe debet) cum bonorum virorum omnium ſummo luctu elogioque eum deceſſiſſe intelligam. Gratias tibi ago immortales, pro miſſo ad me munere illo tam praeclaro (Militiam tuam intelligo) quo certe opere nihil hactenus vidi elegantius elaboratiuſque, ſive materiam ipſam, ſive methodum ordinemque ſpectemus: Profecto te ipſum mihi ſuperare videris, dico quod ſentio, neque calamo mens diſcrepat. Perge, quaeſo, juvare hoc modo rem literariam, & quam hiſtoriae nobis per partes polliceris facem, eam aliarum ad hanc partium acceſſione illuſtriorem ſplendidioremque facere, & rem tenebricoſam implicatamque hactenus enodare explicareque, dum aetas ſupereſt, vireſque ſuppetunt propera. Ad opuſculum meum quod attinet, tribues amicitiae noſtrae, quod his te nugis interpellare auſus fuerim, & de me viciſſim ita ſta-

1 Vid. Epiſt. ſeq.

tues, ut de eo, cui gratiſſimum erit non operam ſolum ſuam, ſed ſeipſum totum Tibi tuiſque impendere. Sciebam eſſe in eo, quae temporibus hiſce publicari haud conveniret, conſtitueram itaque ab edendo tantisper abſtinere, donec candidiores nobis affulgerent ſoles, aut, ſi editionem urgerent amici, ea omnia reſecare. Sed heus tu de ſtilo, qui mihi languere alicubi, jacere prorſus etiam in parte videtur, judicium tuum exſpectaram, quaeſo, quoniam hîc vehementer haereo, niſi tu me expedias, candide libereque de eo quid ſentias, quidque in eo (niſi in univerſum damnandum exiſtimes) deſideres mihi perſcribe. ea mihi re nihil gratius facere poteris. Vale, Vir clariſſime, mihique cariſſime, & a fratre meo Graphiano ſalve, Ultrajecto decimo Kal. Aug. MDXCV.

EPISTOLA CCCCLXXIII.

J. LIPSIUS

Lamberto vander [1] *Burchio Decano.*

SCripto haud facile expreſſerim, quam animum mihi percuſſerit mors tui Fratris, atque ea ſic repentina. Fueram apud eum ante dies aliquot, ſuaviuſcule in coena fueramus. validum reliqui & vegetum; nuntiatur, cum Spadae jam eſſem, obiiſſe. Tetigit mihi interiorem animum, nec privata ſolum mea cauſſa (amicus ſerio erat) ſed publica, quam video non in tempore feciſſe jacturam. Magnus & praepotens noſter Rex, quid, niſi virorum talium eget? ſed feramus neceſſe eſt, quod lacrimis non mutamus. Si dolor aut luctus homines immortales faceret, certatim omnes uſurpemus, & idem ab aliis ſperemus. Non eſt, non erit. Calcanda via eſt, nec vicarium operi huic demus. Ille in bona fama (quod difficile in tali fortuna) obiit cum integritatis & candoris laude, quae duo rara nimis elogia in hodiernis aulis. Ego hoc utroque nomine (rem tibi dico) amabam vivum, ſicut prudentiae & peritiae cauſſa aeſtimabam. Sed ſatis ſuper re triſti, & fortiorem te cenſeo, quam ut ſo-

1 Burchiorum Familia nobiliſſima, multis honoribus Ultrajecti & in Flandria floruit. *Adrianum* in Caſtellania Fuernenſi natum ſcribit *Marchantius* lib. 1. Flandriae p. 61. Senatus Ultrajectini praeſes a Carolo V. creatus, deinde Flandriae Praeſes, & Conſilii ſtatus Senator & in equeſtrem ordinem relatus, poſtea Philippum II. ſecutus in Angliam Londini obiit; ut narrat ejus filius Lambertus in dedicatione Hiſtoriae Sabaudiorum Ducum. hic tres reliquit filios, *Joannem* Machlinienſis Senatus & conſilii privati praeſidem, cujus hic mortem dolet Lipſius, iſque reliquit filium *Henricum Franciſcum*, de quo Sanderus lib. 1. de Claris Gandavenſibus pag. 56. Lipſius Cent. 1. ad Belg. 20. *Franciſcum* vocat, ubi de morte patris conſolatur. Hic primum Epiſcopus Gandavenſis, deinde ad Archiepiſcopatum Cameracenſem evectus fuit. Alter *Adriani* filius fuit *Lambertus*, hic Decanus ad Mariam Virginem Ultrajecti, qui A. 1582. motus fuit ordine, licet Lipſius ſemper Decanum adhuc vocet. vid. 11. Centur. Miſc. 6. & obiit A. 1617. vid. Valer. Andr. Biblioth. Tertius fuit *Adrianus* Curiae Ultrajectinae Graphiarius, qui etiam abdicare ſe munere coactus deinde cum fratre & aliis per Leiceſtrianae factionis ſatellites urbe cedere coactus, ſed redux vivere Ultrajecti deſiit A. 1606. vid. Valer. Andr. Biblioth. multae Burchiorum Epiſtolae leguntur inter editas a Gabbema.

ſolatii noſtri ſis egens. De Militia mea, gaudeo accepiſſe te, & probaſſe. neſcio an hoc omnes alii, imo non omnes, quia non haec talia pro omnium ſenſu. De [2] Hiſtoria tua gentilicia Sabaudorum, judicium nuper tuli, & in eo maneo. de Stilo ſcito non diſplicere, nec inconvenientem eſſe in illo argumento. mihi crede, nunc ſeneſcenti & ſeverioribus ſenſibus praedito. In his talibus, ubi res agitur, ſatis abunde eſt ſtilum non eſſe ſqualidum aut barbarum, & tuus ad elegantiam propius accedit. Pone curam, ea parte non diſplicebis. ab Aquis Spadanis redii, fatigatus a veſtris militibus, an praedonibus, qui in terram ſociam & amicam hoſtiliter invaſerunt. quod ego evaſerim, beneficii divini eſt. absque eo, profecto praeter opinionem vos vidiſſem. Gaude & gratare me eſſe ſalvum, eſſe liberum. nec ſic rejici in carcerem & compedes velim, quas rupi: Vale, Vir Clariſſime, & Fratri tuo ſalutem a me dicito. Lovan. prid. Non. Sext. CIƆIƆXCV.

2 Quae edita demum eſt ex officina Plantiniana CIƆIƆIC. ergo hujus Epiſtolae tempore nondum prodierat, ſed miſſa videtur *Lipſio*, ut eam recognoſceret. *Janus Douza* hoc epigrammate, quod neſcio quare omiſerit Burchius, decoravit.

Cedite, Scriptores noſtrates, cedite Galli,
Burchius Allobrogum primus in Hiſtoria.
Scaligeri, & magni meritus praeconia LipſI.
Et quiſquam huic ſeſe poſtulet eſſe parem.

v. Epiſt. a Gabbema Edit. Cent. II. 44. Judicium *Lipſii*, cujus hîc mentio, forte epiſtola illa, quae a *Burchio* Hiſtoriae Sabaudicae eſt praefixa, continet.

EPISTOLA CCCCLXXIV.

J. LIPSIUS

Joanni vander Burchio.

Mechliniam.

AMpliſſime & Nobiliſſime Praeſes, agere gratias mihi debere videor, imo vero debeo pro iſta inclinatione in me & affectu, quem paſſim oſtendis. Ita enim amici ad me referunt, nec ſermone ſolum, ſed litteris conſignant. Profecto gaudere me fateor in tanti viri judicio; quod ſive merui, gratum eſt, ſive non merui, incitat ut ſim, quem eſſe me cenſes. Plebejos plauſus aut voces nec ſapientes quidem aſpernantur: Quid Veſtri ſimilium, quos ſuper communem ſortem virtus & prudentia evexit? Proximi Regibus eſtis, & quanquam illi omnium domini, tamen non ſine arbitrio, & conſilio veſtro, quos dirigitis, &, ne velut Phaëthon ſolari illa ſemita excedant, providetis. At tu, Ampliſſime, non favorem ſolum in me, ſed beneficium etiam profers, & ut melius lautiusque mihi ſit, curaturum polliceris. fateor equidem ſincere & aperto pectore, non me avidum rei aut pecuniae eſſe: Quorſum? cui nec liberi adſunt, & cupiditas abeſt: ſed tamen ſi quid ad exiguum hunc ſtipendii modum adjiciatur, non libenter ſolum me, ſed pene neceſſario amplexurum. Tempora quae ſint, omnes ſcimus, anguſta, arcta, & quibus mediocres etiam cenſus, ut annonae incendia ſunt, vix ſunt pro cenſu. Ego autem ſexcentos

publice accipio, & eos ipſos, nec ad diem, nec fideliter ſatis ſolutos, aut (fas ſit dicere) ſolvendos. Itaque ſi Sereniſſimus noſter aliquid te adnitente adjicit, nec in ingratum profecto id fecerit, nec fortaſſe indignum. Stipendii mei modus apud Batavos quin auctior fuerit, nemo neſcit, qui me novit: quin duplum triplumque alibi etiam oblatum, non habeo negare: nam jactare hoc non eſt meum: & plus mihi honoris ac ſolidi gaudii, modicum aliquid a Rege meo accipere (maximo ac ſapientiſſimo Regum) quam immenſum aliquid ab externis. Depono hoc apud Amplitudinem tuam, quam diu mihi copia & facultas hîc ſubſiſtendi, ac tolerandi, non mutabo amore in Patriam & in Regem: cum non erit, neceſſitas me transferet, non voluntas. Nam faveo ex animo & affectu inclytae familiae Auſtriae, ad ſummum faſtigium genitae, & cujus magnitudinem praevideo, ac praeſagio ſuper imperia antiqua. Longius eo, & mihi propoſitum tantum gratias ſcribere, atque agere pro inſigni in me affectu: quas in pectore iſto habeo etiam magis, quam promo. Ampliſſime & Nobiliſſime Praeſes, ille omnium rerum praeſes te regi, & patriae noſtrae ſervet, grande columen & tutelam rerum. Lovan. poſtrid. Idus Octob. A°. 1594.

EPISTOLA CCCCLXXV.

J. LIPSIUS

Joanni vander Burchio.

Mechliniam.

AMpliſſime & Nobiliſſ. Praeſes. Animus hic me adigit, ut vel ante beneficium gratias tibi agam, pro beneficii ſeria & iterata delatione. Et an non ea ipſa beneficium eſt, etiam ſine alio ſucceſſu? equidem ſic interpretor, cum talem virum, caput & principem Regii Senatus, ſollicitum eſſe & ſatagere de commodis meis video, & ubique honeſtum teſtimonium de me ferre. Ego vero iſtud ſuper omne beneficium habeo, & Judicium illud tuum ſic amplector, ut vel eo nomine adſtrictum me Amplitudini tuae cenſeam vinculo, quod gratitudine nulla exſolvam. & quid a me etiam poteſt, praeter hunc animum? Qui ſolus item eſt, quem in me amas. Habes & habebis hunc largiter & fideliter aeternum: ego Amplitudinem tuam rogo, uti tuum mihi ſerves, & ſi occaſio ſit, qua verecunde & ſine magna molitione & moleſtia aliquid a Sereniſſimo noſtro impetremus, eam ut uſurpes. Quin lautius & honeſtius paullo habitus ſim, quin apud exteros poſſim haberi, non equidem nego: ſed tanti eſt relligioni & Regi palam ac fideliter adhaerere, idque in Patria, ut facile ex animo deleam, res omnes praeteritas & ſpes futuras, ſi modo vivere & ſuſtentare me ac familiam mediocri auctoramento poſſim. Quod nunc quidem ab Ordinibus tenue eſt, nec niſi ſexcentorum florenorum: & hactenus exterorum liberalitas, aut mea parcimonia me ſuſtentat, &, quod deeſt, explet. haec ut ſignificarem ſemel Amplitudini tuae benevolentiae illa ſigni-

ſignificatio apud *Breugelium* alioſque amicos elicuit, tum etiam Conditio mea praeſens expreſſit, in qua ſtare diu, & perſeverare non poſſum, ſine fulcro aliquo Regiae liberalitatis. Ampliſſime & Nobiliſſime Praeſes, ille rerum omnium praeſes te nobis ſervet columen, & tutelam. Lovan. IX. Kal. Novembres A°. 1594.

EPISTOLA CCCCLXXVI.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Confluentiam.

PAx Chriſti, mi frater. ἔςαι μὲν εὖ. facinus certe praeclarum, dignum viro, ſapiente, Chriſtiano patraſti. laetari me dicam? parum id ad affectum meum. triumphare? nondum perfecta victoria. plane me epiſtola illa tua (mi Lipſi) quam, Moguntiaci. XIIII. April. ſcriptam, heri Kal. Maj. recepi, beavit. dextera domini fecit virtutem. nec aliter potuiſſes tot tam valida vincula diſrumpere. fugienda nunc nobis ἀχαριςία, erga hoſpitatorem Deum, tam benignum, tam miſericordem; quod induxerit in animum, eduxerit mortis fovea, perduxerit ſoſpitem. equidem, ut meo, ſic tuo illi nomine, nunc gratias habeo, & habebo, inſtabo, quod petis, precibus & ſacrificiis, ſuum ut beneficium tueatur. Juva me, ut impetrem, vita, moribus, & virtute tua: praeſertim illa, quae opus perfectum habet ſola, perſeverantia. dimidium facti, ſic coepiſſe: ſed irritum dimidium, niſi telam pertexas. reſpiciet, ut coepit paternus ille oculus. tu tantum ne retro. non diffido: ſed quod amo, vel ſecura metuo. Eduxit te Deus infauſta illa Gomorrha (aptiſſimum nomen, ſi ad originationem attendas) quam vereor ne, quo tardior, hoc gravior ultio peſſundet. perveniſti in Segor: ſed audi Angelum praecipientem; *Salva animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione.* Reſpexit poſt ſe uxor Loth, & *converſa eſt in ſtatuam ſalis.* Ita fit quando carnem audimus, & rationi non auſcultamus. animus ad montem ſalutis tendit: caro retrorſum reſpicit, & quae jucunda & voluptuoſa requirit. Mutatur illa in ſtatuam ſalis; ſibi infructuoſa, aliis utilis exemplo: ut ſicut ſal ciborum, ſic correptio iſtius fidelium animabus ſit ſapientiae condimentum. quare & Chriſtus ipſe; *Qui fuerit* (ait) *in tecto, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa, & qui in agro, ſimiliter non redeat retro. Memores eſtote uxoris Loth.* haec veritas. haec obſecro aurem tuam crebro perſonent. Multae te manent inſidiae, multi labores & moleſtiae. Inſidiabitur ſerpens calcaneo: caput contere, obſta principiis. ſepi aures ſpinis, ad Sirenum voculas. cave a ſubſeſſis fictorum amicorum; qui ex amicitia & familiaritate tua, nil niſi vanam gloriolam aucupantur. futuri (non dubito) qui reducere conabuntur. obfirma animum. turpe in deteriora mutare ſententiam. nec tutus reditus, unde tam intutus exitus. Non ignarus malorum; aſpera multa & laborioſa animo praecipe, & tecum perage priuſquam feriant. excident facilius, ſi incident meditata.

rata. quanquam quid aſperum aut acerbum videatur ſapienti, quod animae vitam adferat; quae ſola vitalis? Natus in corde & anima tibi Jesus: fuge Herodem, parvulo inſidiatur. fuge in Aegyptum; non peccati, hanc effugiſti ſane tenebricoſam; ſed ad tempus, ut tibi lateas, ut te recolligas ſedulo, ut nihil calide moliaris, donec tua tecum omnia. Inſtat, ne dubita, certamen acre. ringentur, frement, conabuntur omnia, non Juniani modo illi cum ſua Jezabele; ſed & antiqui Hoſpites; qui ſe deſpectos querentur; & qua ſunt modeſtia & fide, perfidiam objicient, & levitatem. Ita tamen de illis meritus es, ut tuis iniqui eſſe nequeant; niſi cognatum ſibi elementum imitentur; quo nil fallacius, procelloſius, crudelius. Tu tamen in Eccleſiae arca tutus, contemne procellas & diluvia. raucum illud murmur, & fluctus, ad ſaxum fidei atque conſtantiae, allidentur & elidentur. ſine Minotaurum nequicquam vanis cornua ventis jactare, πολλὰ μάτην κεράεσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα. mi Theſeu, retine Ariadnae filum. Meditaris meliora, & utiliora Eccleſiae atque reipublicae; non deërit tibi Cleon aliquis: ſed nec tu tibi, ſi te novi: quam praeclare Atticus ille bonorum & juſtitiae adverſarios contemnit? πρὸς ταῦτα καὶ παλαμάσθω, καὶ πᾶν ἐπ᾽ ἐμοῖ τεκταινέσθω. τὸ γὰρ εὖ μετ᾽ ἐμοῦ, καὶ τὸ δίκαιον ξύμμαχον ἔσται. Doles, quod ſero, quod quaſi coactus. cur? ſera nunquam ad bonos mores via. nihil ſerum, ſi ſerium. maturum prorſus, ſi duras; ſi quo olim lentior, hoc nunc propoſiti tenacior. Auguſtinum reſpice? quamdiu reluctatus? vide Apoſtolum. ictus & proſtratus prius. ſed uterque (Deus bone) qualis poſt athleta? quas hoſtium ſtrages uterque dedit? quid illos a via deflectere, quid a Chriſti caritate potuit ſeparare? Et tibi Deus magna dedit, ingenii, judicii, eloquentiae & eruditionis dona: dedit tamen, iis ut utare, ad gloriam ſuam, ad ſponſae ejus Eccleſiae ornatum, ad reip. defenſionem, ad multorum ſalutem, & maxime tuam ipſius; non ad auram popularem, aut fallacem ambitionem. poſuit nunc in hiſce locis, imo genuit & peperit de novo in novam lucem & vitam gratiae. Recepi itaque te, quem amiſeram; revixit mihi, qui perierat amicus. ſolidum ne ſit gaudium facis, cum addis, ut ignoſcam praeterita. quae illa? mihi quidem ignara. qua tu me in re vel offendiſti, vel offendere potuiſti? ſuſpicor, quid ſuſpicere? nunquam ego amicitiae repudium dedi: nec fribuſculum mihi ullum memini obrepſiſſe in animum. diſplicuere nonnulla fateor in editis: voluiſſem praetermiſſa. ſed aliud eſt amicum, aliud amici quaedam reprehendere. alicubi tu me acerbius? non me, ſed mea. Vis dicam? nugae iſtae, nugae merae. non placent, qui propter haec litteraria diſſidia, minus amici ſemel amicis. fui amicus, ſum, ero. Vellem itaque ſatisfactione illa abſtinuiſſes. ſed, quia jubes, ſive quid fuit, ſive non fuit, omne illud ἀμνηστέω. tu quoque, ſi quid alii tibi de me, ne crede: aut ſi credulus aliquando, nunc totum id ex ima cera dele. curemus, ut qui diſſidium forte quaerebant, intelligant amicitiae officia per temporis injuriam intermiſſa; ſed amorem veterem & verum, atque hujus nutricem, de nobis mutuam opinionem, altiores radices egiſſe, quam ut leviculis ſuſurronum flabris revellatur. Si vis, & vacat, ſpondeo & ſtipulor deinceps commercia epiſto-

piſtolica, ſed amica & libera, non gnathonia vel ambitioſa; de ſtudiis, litteris, officiis amicitiae, jocis ſeriis, provocatum te crede garrulitate & prolixitate mea. Quicquid interea, & ſi quid potero tua cauſa; impera, ut amico & fratri. depone tua tuto & crede, invenies ἄπιστον. Ex amicis tuis nonnulli bona me ſpe implent, adventus tui: optatiſſimus ille mihi; habeo enim quaedam nec levia, nec praeter rem tuam, quae malo coram. P. Joannes Oranus te ſalutat; valetudinis cauſa nunc Aquisgranum proficiſcitur; inde ad aquas Spadanas: ſi & eo tu, injurius; niſi huc etiam ad nos. Sed jam modum excedit epiſtola; facit amor, qui modum non novit. Salve mi Lipſi, ſalve mi frater, ſalvum adveniſſe gaudeo, gratulor. ſed quando ſalvum dabitur videre & amplecti, quem lugens depoſitum & conclamatum luxeram? id ſi accidet, voveo σωτήρια. Iterum ſalve. Leodii 11. Maj. ∞.IↃ.XCI.

Hujus epiſtolae duplex exemplar manu *Delrii* ſcriptum inveni, & verbis etiam quibuſdam diſcrepans, ſed ſententia plane eadem. perdita forte vel errante aliquamdiu hac epiſtola, iteraſſe ſcriptionem ex ſeq. 478. colligere licet. Eſt vero reſponſio ad *Lipſii* Moguntiaci ſcriptam XIV. Apr. quae edita eſt Offenbachii n. LXIII. Hanc vero etiam typis fuiſſe deſcriptam ſuſpicio mihi nata ex notis in autographo conſpicuis, quas operae ſolent Chartis, ſub praelo ſudantibus, apponere, quibus paginarum ſpatia & modos definiunt: neque tamen editam reperire potui; quare hîc potius, quam nuſquam volui deprehendi laetitiae & triumphi, quem de Lipſio ad ſe traducto, egerunt, quibus jam ſe olim mancipaverat, Jeſuitae, documenta certiſſima.

EPISTOLA CCCCLXXVII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Spadam.

ERgo me quotidie novis gaudiis beatum. reſcripſi paullo prius ad eas, quas ad me Moguntiaco, & miſi Coloniam; doleo quod nondum receperis. erant prolixae, ut decebat, teſtes locupletes amoris intermiſſi, & renovatae gratiae. non deſpero venturas ad manum tuam: & ſi fallar, ſarcietur coram id, quicquid fuit fracturae. aliae mihi poſtea a Spadanis aquis. reſpondi nudius tertius, & tuas ad tuam curavit per mercatorem fidum R^dus^. P. Rector; qui, quod ambigat an poterit reſpondere, juſſit, ut officioſe & peramanter ſuis ego te verbis ſalutarem, & amicitiae officia omnia deferrem: quod facio & ejus nomine ſpondeo. Et ecce tertias, quas. IIIII. Non. MaI dediſti Confluent. geminas; ingeminas laetitiae cauſas. facis quod decet amicitiam tam veterem & probam: cauſas illas ſuſpicionum tibi quidem non difficile erit eluere. Societatis ad eam rem opera non importuna. de me, quid dicam? quod de te ipſo, id tibi pollicere. petis orationes; commemorarem jam dierum aliquot ſacrificia facta, hoc nomine; ſi crederem ambigere. hoc tantum, tui ne in Liturgia quidem, mihi obrepet oblivio. & inter primos, quorum illic memini. Interea fruere *P. Orano*, quem & amare te & conſilio juvare, ut poteſt, velle ſcio. ſaluta etiam meis verbis. Cenſeo tibi latendum, donec

tua

tua omnia ex Amphitrytae latibulis. Utinam non infidum illud tibi, Neptuninum genus; cui ad marinos nunc Britannica mores ſe fides adjunxit. ſed quid ego ſuadeo illic ut lateas tantisper? eripio mihi deſideratiſſimum tui conſpectum & alloquium. eripio, ſed conſulo tibi, imo mihi: qui me totum ſalvum judico, ſi tu ſalvus. quare, quaeſo, quam poteris, parce ad multos. intutae viae omnes. intercipi poſſunt. amor verus cuncta timet, etiam non timenda. ſi neceſſitas non urget; non conſultum, vel ad amicos, in Brabantiam ſcribere, ipſa ſaepe laetitia & amor, non cor modo, ſed & linguam laxant, & effreni membro habenas permittunt. Obtundis, dices. eſto, dum proſim. Vale, mi Lipſi, & ignoſce lituras. ſoleo non aliter, quam raptim & incurioſe ſcribere. Leodii 9. Kal. Jun. 1591.

Reſpondet Lipſius 11. Cent. ad Belg. 2.

EPISTOLA CCCCLXXVIII.

J. LIPSIUS

Martino Antonio Delrio.

Leodicum.

R. P. Moguntiaci cum eſſem, ſubito ad te ſcripſi, & conſortem feci gaudii quod mihi obvenit. Quidni enim pro amore tuo in me & pietate gaudeas, quod fregerim illos laqueos, & ſerio ac fortiter me dederim ad bonas partes? Mi pater, ſatis, imo nimis diu, vacillavimus, nutavimus, & cauſſam non injuſtam ſuſpicionum praebuimus viris bonis. Atqui emendabimus, nec ſolum labes in meo animo, ſed etiam in alieno eluam, Deo tamen adjuvante. Qui quoniam benigne me reſpexit, rogo te preces tuas cum meis adde, ut deinceps me firmet ac dirigat, & ſuggerat atque inſtillet ea quae faciunt ad ſalutem. Patres quoque, uti ſpero, ſanctae Societatis tuae juvabunt. Certe Moguntiaci & Coloniae valde repperi eos in me pronos. Nam, ne neſcias, pluſculos dies in utroque loco egi, & cum magna voluptate recognovi quoſdam e priſcis & ſcholaſticis amicis. O cur unus tu non adfuiſti? cur collum & pectus tuum non licuit mihi amplecti? Sed animo feci & facio, jamque in eo eram ut re facerem, niſi revocaſſent & tenuiſſent me paullum intuta haec viarum. Nam Colonia recta Leodium veſtrum cogitabam, & Spadanos item fontes; ſed viſum fuit amicis differre. Diſcrimina a praedonibus nimis manifeſta. Ita retro abii & Confluentiam me contuli, illic quoque humaniſſime a patribus acceptus. Cogito hinc Treviros, atque illinc ad vos, ſi perviae ullae viae. Latito tamen hîc, & paucis innoteſco, ob cauſſas tibi non ignotas. Uxorem & mea evocavi, & tantisper conſilium meum de emanſione celo. Quid in reliquum facturus ſim, una tecum & cum Patribus videbo, quos deinceps arbitros & directores facio etiam externae hujus vitae. Monete, jubete; dicta, ſcripta, facta mea, obſequi volo vobis. *P. Oranus* eſtne apud vos? ita audio, etſi ego Antverpiae eſſe cenſebam: Obſecro, commenda

da me viro. Plura ac conſilium ab eo, quamdiu hîc erit, mutuabor. O cur non etiam a te? ſed brevi fiet, ſi Deus me in paucos modo dies ſervat. Ille idem te R. P. cujus precibus & Societatis iterum me commendo. In Spadanis Aquis, VII. Kal. Jun. ∞.IↃ.XCI.

Sed heus litteras tuas priores & grandes ego adhuc nullus. Si quid iis inſuit ſerium, quod ad me, iteradum.

EPISTOLA CCCCLXXIX.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Spadam.

PAx Chriſti &c. Unde ad *Lampſonium* iſla, me latet: niſi quod difficile ſagacem & ſollicitum tui tamdiu te in propinquo latere. & inde fortaſſis aliquis ad aliquem huc ſcripſit; qui deinde hîc rettulit. nos certe extra culpam. fruſtra deinceps ſuaſerim latibula, vel tenebrioniam. ſuſtuliſti litteris hiſce poſtremis, & abſterſiſti timorem omnem animo meo. quid timeam, ſic animato? merito tu iſthaec omnia pſeudounionibus comparaſti. decipiunt falſo & mendaci nitore: ſed quos niſi falſos & mendaces? nunquam illos, quibus divinae lucis vel ſcintillula in oculis mentis. tibi hic dies illuxit. perge ut oculatus accipiter alas ad Auſtrum expandere, & plumeſces coeleſti penna. attolles te ſuper haec terrena; quae jam ſpernere & calcare coepiſti. ſed haec melius coram; quod fac, ſit ut citò. torquet me & diſtrahit diuturnum deſiderium. In illis meis (quantum intelligo) deperditis, vel alicubi adhuc in via haerentibus; nonnulla ſeria, ſed minus, tam forti, & deliberata conſtantia, neceſſaria. collegi tamen ex capitibus, quae in ſegeſtriis repperi lituris obducta, non iiſdem opinor verbis, ſed mente qua tunc ſcripſeram: ea nunc mitto cum hiſce, ut videas me diligenter tuis & ſincere reſcripſiſſe. ſera quidem gratulatio & monitio; ſed amici, & petita ab amico. Deus te nobis brevi ſiſtat incolumem. Salutat R. P. Rector. ſaluta meis verbis *P. Oranum.* Leodii. V. Kal. Jun. CIↃ.IↃ.XCI.

Reſponſio ad Lipſii II. Cent. ad Belg. 2.

EPISTOLA CCCCLXXX.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. P. Utrum tu epiſtolas ad me, an theſauros mittis? revera tales ſunt, uberes ſalutarium imo & caeleſtium praeceptorum. Mihi crede, mi frater, Spiritus ab alto eſt, qui talia tibi dictat. vel prior & vetus tua epiſtola qualis

 eſt?

eſt? cui malo factis me reſponſare & aptare, quam verbis. Tamen non poſſum, non debeo, quin ad capita quaedam paucis. Hortaris me ad Conſtantiam. Spero & confido in eo, qui principium dedit, daturum & finem. Deduxit me velut manu ſua in hoc ſtadium agonotheta, ille juvabit, favebit, & deducet ad ſalutarem metam. Terrores mihi propoſiti & fraudes, ſcio. Illos non timeo, has ſperno: firmet mihi modo mentem eam, quam nunc habeo, ille Deus. Attoniti aut mente capti ferrum, rupes, ignes, omnia contemnunt: quidni nos poſſimus, pio quodam fervore & quaſi furore inſtincti? Albionios, de quibus injicis, οὐκ ὀῤῥωδῶ, ἀλλὰ δυσωποῦμαι. Batavi aliquid nocere poſſunt, fortaſſe: ſed quid mihi? rebus meis dumtaxat. quas tam libens in manibus eorum reliquero, quam Joſephus ille fugiens pallium in manu meretricis. Animam modo mihi caſtam puramque ſervem ab omni vitiorum, imo & vitioſorum (quantum poteſt) contage. Denique quid hîc deliberem aut circumſpectem?

—— —— mortalia quaerunt
Conſilium, certus juſſa capeſſe Dei:

inclamat mihi vates vere entheus in hac parte. Imbres & amnes in mare aſſidue fluunt, ipſum nihil mutant: conveniant, confluantque in nos omnia adverſa, firmi in CHRISTO manebimus, ſed illo firmante. Heu quam exigua ſunt, quae relinquimus aut ſpernimus? nec ſolum ipſa mox peritura, ſed illud in quo ipſa. Hoc grande univerſum, pro cujus particula litigamus aut bellamus,

Una dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina mundi.

At nos ſi Deo adhaerebimus, in illo & per illum vivemus; tunc quoque cum omnia peribunt aut immutabuntur immoti, aut non niſi in melius mutandi. Pars ſubſequens epiſtolae tuae aliquid habet de meis ſcriptis. Quae utinam omnia nunc edenda! pluſculum in iis alibi & prudentiae eſſet, & pietatis. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, & emendemus quantum licet futura. Imo illa ipſa quoque praeterita: quae reprehendere mihi certum eſt, & ex Patrum, tuo inter primos conſilio, refingere atque emendare. Amas me? da hanc operam, adnota, elige, & tolle e corpore illo, quantum poteſt, omnes naevos. Ego idem & velut de novo gignar. Per me & ſine ullo monitore facturus hoc eram, quia ad culpas aut errores illos jam oculi mihi aperti. Ut ii, qui in vino aut menſa ſunt, vim noxamque potus non ſentiunt, niſi in lecto & poſt diſceſſum: ſic nos quid peccarimus in illo coetu, quid locis temporibuſque indultum ſit, ſerio ſentimus divulſi. Sed haec & plura coram. Quid enim diu in his locis ſim, quae fortaſſis nec ſatis tuta? Heſterno quidem die rumuſculi hîc de Praedonum tranſvectione. Dic ſodes, Tongris, an in Sancto-Trudone ſatis commode futurus tibi videor, hos paucos aliquos menſes? vicinior patriae eſſem, & res domeſticas magis expedite expedirem. obſecro inquire: tum illud quoque, an tuta in talem aliquem locum via. Plura non ſcribam, niſi hoc. alloquere & excita me ſaepe tuis epiſtolis: quia revera ut plan-

plantae incrementum capiunt ab opportuno imbre, ſic ego aſſurgo & velut creſco in rebus divinis per illas. Currentes athletas vocibus & monitis excitare ac juvare fas eſt; nefas manibus & factis: idem in coeleſti iſto curſu. & tu hoc face. Kalendis ipſis Juniis ∞.IↃ.XCI.

R. P. Rectorem ſaluto, & precibus omnium veſtrum me commendo. Mitto epiſtolam, quam ipſe daturus eram: ſed quid ſi reſponderi tua aut mittentis interſit? igitur praemitto.

EPISTOLA CCCCLXXXI.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

V. R. Meas priores, & uberes ſatis, crede jam acceperis. Interea ego litteras a meis, & mea. Illi reditum urgere, iſta conqueri de parum liquido noſtro mandato, & per ſcriptionem non iterato. Fallitur. nam ſcripſi diſerte bis, jam tunc Francofurti cum eſſem: ſed alteras video periiſſe, alteras una cum latore captas detineri in Holſatia, malo noſtro (ſi fas ita loqui) fato. Coram audies hiſtoriolam. Ita nihil mearum rerum adhuc in tuto. Eas tamen quas hinc curavi, accepit, & jam obſequetur. Mora puſilla interponenda eſt, & pauculos dies ſuſtinenda tenebrionis haec perſona. Alioqui Libellus mihi jam ſcriptus ſuper petenda Miſſione, & *P. Orano* oſtendi. Rogo te, mi amice, has ad *Moretum*, quantum poteſt, mitte ταχέως καὶ ἀσφαλῶς. Vale, & mihi preces tuas largire. Aquis Spadanis III. Non. Jun.

EPISTOLA CCCCLXXXII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Spadam.

VIr Cl. Rumuſculis illis non moveri, ſtolidi ſit; non prudentis: adeo nihil audaciae, & licentiae iſtorum impervium; quod modo muris & milite non firmum. Spadani fontes illis intacti, ſed quoad videbitur. docent Malbodium, Bonna, Stochemum, qua fraude, qua vi direpta; non pagi, ſed oppidula. Quare placet conſilium de mutatione. ſed ubi? commodius coram, collatis rationibus. Nunc quidem pronior in Trudonopolim. munitior; propinquior Brabantiae noſtrae; tabellarii, qui Bruxellas, Lovanium, Antverpiam, illac. ſed hîc videbimus. itinera hinc ad ea loca, nec omnino periculoſa, nec prorſus tuta. in diem & horas iſta mutantur. rapienda occaſio; quae ſe hîc, quam Spadae facilius offeret. Ad alterum caput de ſcriptis: placet, quod de curis ſecundis polliceris. perplacet, quod de prioribus. hoc qui-

dem telum manufugit; ſed poteſt retrahi. exemplum ingens, maximus ille Auguſtinus; cujus divinae illae Retractationes, pluſculum laudis jam ſeni pepêrere. Et Fabio (ut noſti) Hippocrates, Princeps Medicorum, videtur honeſtiſſime feciſſe, quod quoſdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt. Et M. Tullius non dubitavit aliquos ſuos libros jam editos, aliis poſtea ſcriptis ipſe damnare. Operam, quam petis, dabo, ſi nanciſcar exemplaria; non tamen Criticam, fugio hoc nomen, & me novi; ſed amicam, & fidam. invenies alios & doctiores, & prudentiores; amantiorem tui & minus fucatum, non ita. Verbum non addam; niſi quod te exſpecto. III. Non. Jun. CIↃ.IↃ.XCI. Saluta *P. Oranum*. quid ſi cum illo? has illas Moguntinas accepi. nihil mora commiſſum. Sed ecce, antequam has obſignarem: mihi variae ad te a P. Rectore; quas tabellarius Trevirenſis attulit. feſtinae nonnullae, neſcio unde. ſed objecta diuturna mora. ſi poſſum, ſtatim mittam. P. Rector jam accinctus itineri, cogitat Limburgum: forte in reditu vos viſet: ego te hic videre mallem.

EPISTOLA CCCCLXXXIII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. P. Ergo P. Rector ad te ſine meis litteris? nefas eſt. ſcribo igitur. quid? me ſcripſiſſe ante biduum, & ſcripturum porro aſſidue, ſi hîc haeſero. Nunc ſane defeſſus & exhauſtus eram ſcriptione varia & moleſta ad Batavos, pro impetranda miſſione. Nam nos, mi Pater, nec temere nec calide iſtud coepimus, ſed firmo deliberatoque conſilio, & illo omnis boni conſilii Duce, Deo. In eo fidimus & ſperamus de ſucceſſu, de conſtantia, de praemio, quod paratum iis, qui ſerio ipſum quaerunt. Animo toto nunc facimus, non ignari quid moleſtiarum extrinſecus accedet: quas depellemus facilius velut ſcuto tecti veſtrarum precationum: quas largiter largire. Aquis Spadanis prid. Non. Jun. CIↃDXCI.

EPISTOLA CCCCLXXXIV.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio

Leodicum.

R. P. Bibi ſuaviter tuum nectar. Non ros tam gratus matutinae herbae, quam mihi tui ſermones: breves quidem, ſed penetrabiles, & efficaces. Hortaris, ut perſeverem. Spero, & ſi omnia circa me ruant, nixus columna illa Fidei ſtabo. Externa in conſilio meo non ſpectavi (res ipſa clamat, & clamabit:) animum quietum tranquillumque habere volui, & placatum

tum Deum, quem ſcio non ſtare illac. Minuta iſta non nos moveant: ſumma rerum non quatietur, & vincet ille, qui omnium potens. Vis deponam apud te vetus & arcanum meum vaticinium? Rex ille ab Heſpero aut ejus proles, aſſeret ſibi victum orbem. Sed quid haec ad me, aut breve meum aevum? Novi meam ὀλιγηπελίαν, & fontes iſti haud valde etiam me firmant: & ſi firmant, vivam illi ſoli, cui niſi vivimus, aeternum moriemur. Batavi noſtri valde nunc ferocient, & parum εὐκαίρως petimus miſſionem. Ridebunt & ſubſannabunt: ſed ego illos. Mihi jampridem diſplicet illud, *Aura non conſilio ferri, famaeque magnae malle, quam bonae eſſe.* O bonus ego ſim, & apud bonos talis audiam, ſecurus quid de me ſentiant Protei omne pecus? Certe quod avaritia aut ambitio conſilii noſtri cauſſae non fuerint, re docebo. Mi frater, amo quietem, & ad illam anhelo, imo etiam ad ſolitudinem: niſi ſiquis eam tu interpelles, aut *Oranus*, aut talis. Et tamen mundana quoque ſi aſpicio: age, Batavos offendi & apud illos jaceo. quid jam?

—— παρ' ἔμοι γε καὶ ἄλλοι.
Οἵ κέ με τιμήσουσι,

ait rex ille Graecorum; & pulcherrimum, quod addit,

—— μάλιστα δὲ μητιέτα Ζεύς.

Ita, ita. Jupiter ille, & ſupremus noſter pater nos amet, & honore afficiat: quem timemus, quem ambimus? Candidatus caeli ſim & ſupremae illius curiae, valete & ſordeſcite humani omnes honores & aulae.

Τά δ' ἐστ' ὀνείρων νερτέρων φαντάσματα.

Atque ego amplius ſcio (certe auguror & confido) ruitura haec omnia, quae nunc fulgent & conſtare videntur: nec felicitas illorum diuturna,

Τῶν ὕβρις τε βίητε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.

ut pepones, cucumeres, & id genus herbarum cito & late creſcunt, cito deficiunt: tales impii, & quibus radices non in Juſtitiae ſolo defixae. Tu quod de Otio mihi ſuades & laudas, quam volenti? Natura ſemper illuc duxit: nunc maxime, ſive κατάστασιν τὴν παροῦσαν video, ſive privatim res meas. Omnino latendum eſt, ſaltem in breve aliquod tempus, Famae cauſſa, Valetudinis, Salutis. Illa ita ſuadet, ut voces calumniaſque vitem; altera, ut eam emendem; tertia, ut in ſeceſſu me recolligam, & aſſeram Deo. Tuas rationes etiam capio, & prudenter ac πολιτικῶς diſſeris, ſed nunc eas in acceptum non fero. Splendorem hunc ſaeculi non quaero, & mihi ſtat ſine alio aſpectu fortiter καὶ ἐῤῥωμένως ἀντιλαβεῖν τῆς εὐσεβείας. Etſi illud veriſſime jam olim dictum,

Numquam ulla humilitas ingenium infirmat bonum.

ut ait Tragicus, cujus fragmenta una cum aliis velim a te videre. Salve mi Pater, tenebrae impediunt atque etiam novus hoſpes qui Lovanio advenit. Poſtrid. Non. Jun. uti opinor. CIↃ. IↃ. XCI. Flagito a te preces, omnino tuus.

EPISTOLA CCCCLXXXV.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Spadam.

PAx Chriſti! Priores illas uberes recepi, reſpondi, & miſi III. Non. involucra quaedam epiſtolarum: credo te accepiſſe. Non miror illos reditum urgere. putant conſultum: homines ſunt. quid mirum, ſi fallantur? praeſentia conſiderant, futura minus; quia remotiora. contra tamen, qui ſapiunt; & qui cum Sapiente noviſſima attendunt. haec noſtra ſit Cynoſura in hoc alto, & denſis tenebris. Suſtine puſillam moram. ab hoc momento pendet aeternitas. o quam bene vives, ſi ſic bene perges latere! quanta tibi in his tenebris lux affulgebit! videntur initio juſtorum ſemitae tenebricoſae; ſed fulgent poſtea ut Sol. lux perpetua illis praelucet. In his ergo tenebris tuis, ſpera lucem: non aeternam tantum illam: ſed & hanc (quam, in Deum relatam, non tam concupiſcere, quam ſe ultro, ſi fugias, offerentem, licet recipere) hujus mundi. Ut qui ſaltum cogitant, retrocedunt ad impetum; ſic qui latet, ad majorem & clariorem lucem ſe parat. Quid ſi Pater ille Optimus & Sapientiſſimus, hanc ingenii tui facem, ad tempus vult ſub modio occultari, ut illam poſtea ſuper candelabrum, exſpectatam, & deſiderio gratiorem, reponat? Perge tantum, & illud in corde; infige, inſculpe, Non muto factum. cetera, ut volet Deus volo: nec aliter pax & vera tranquillitas. *P. Oranum* ſaluta; cui te jam diu invideo: tibi vero ſuccenſeo, propter illud tuis inſertum, *Ne quid nimium vos onerem.* Amicum me credis, & tale quid? abſtine te in poſterum; ne te parum amice, cenſeam. Leodii VII. Id. Jun. 1591.

EPISTOLA CCCCLXXXVI.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Spadam.

R. P. Rector tuas mihi reddidit, amoris indices; quod nefas putaris, nihil ſcribere. eadem mihi nunc cauſa reſcribendi; ſimul, ut interrogem, num illae recte deſtinatae; quas, neſcio an Antverpia, Non. Jun. ad te miſi. Moleſtias, quas ais, te ſcuto precationum facilius depulſurum; ſpero, ut praeviſas, minus graves futuras. ſed quales quales illae; irritae in pectus armatum lorica fidei, caſſae in caſſidem ſpei; quam tibi Aegidem video aſſumtam. video in litteris, & animo exſulto. Mi Lipſi, haec ſpes non confundit; huic innitere. ad hanc anchoram cymbam deliga. tuta, tuta ſtatio. Libellum audio tranſmiſſum a te ad Batavos; cras Antverpiam mittendum.

Num

Num ad R^mum *Levinum* jam ſcripſiſti? tui ille amans, & poteſt, ut citior in patriam reditus. ſi nondum, ſuadeo primo quoque tempore: ſaltem, ubi tua in portu: de reliquo, feſtina ad nos. tam tutus iſthic, quam Spadae, & utraque ditio Leodienſis, neutra in parte belli. P. *Orano* officioſam ex me ſalutem. Ipſa Vigilia Sanctiſſimae Trinitatis; quae tibi & mihi propitia; Amen. Leodii VIII. Jun. 1591.

EPISTOLA CCCCLXXXVII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

Juſto Lipſio.

Spadam.

SErio exſulto, cum tuas lego. non quia elegantes, ſed quia piae: quia id unum, quod ſolum, & eſt, & quia eſt, ſolum verum & bonum, ſolum expetendum, ſpirant. Ais te ſuaviter nectar bibere. credo, cum coeleſtia cogitas & meditaris. nam litterae meae, prae tuis nautea. Benedictus ille, a quo omne donum deſurſum; qui ut aquam quondam in vinum commutavit; benignus nunc larga manu, pergit vinum novum in utres novos animi tui, tergeminas illas, voluntatem, intellectum, & memoriam, infundere. Macte, mi frater; hac virtute. non aliud iter ad beatas illas manſiones; quas quaerimus, quo tendimus. tu quidem, ut video, alacriter, & ferventer: lentior ego & tepidior, quod pudet fateri. mutuo nos juvemus, precibus ad Deum, conſilio & cohortatione ad invicem. Ille, ros bonae terrae cordis tui, quem rorarunt coeli deſuper; ille animo tuo imber ſerotinus; quo irrigante oſſa arida & emortua germinant, & ſurgunt interfecti. nam quotidie Iſaiae illud vaticinium cernimus impleri. Tuum quidem, agnovi jampridem in parte quadam tuorum ſcriptorum latens; & adverti. Sed fiat voluntas Dei. meretur Parentis pietas, religio, & conſtantia magnam remunerationem: forte tamen illi Deus alibi meliorem repoſuit, neque ejus hîc praeguſtationem daturus. In filio jam cuncta quae in hac aetate expetenda; & utinam non praecoqua, & quibus nos peccata noſtra frui vetent. Litteras, & quae capit teneritudo illa, vel nimium amat, virtutes miratur, fugit quae fugienda; ad ea, quae tot provinciarum decent heredem, non tam ducitur, quam praecurrit. elucet amor quidam in Belgium eximius. O Deus! tuere nobis & conſerva hoc beneficium tuum. Tu ſi quando te promiſſione illa tua liberabis, *de inſtitutione Principis*, alium tibi ne propone. debes illi, multis nominibus. Nec ego hoc ad te ea mente; ut inde laudem tibi vel lucrum. probe iſta ſpernis, indigna nobis (ſi me tibi in hoc ſtudio pateris conjungi) quibus melior aurae divinae ſpiritus illapſus. ſed quia ſic te ſolitudinem decet amplecti, ut interea, quae in publicum utilia non negligas. ſic tibi proſis, ut, quod ſine tuo malo potes, & cum aliorum magno bono cures. Non tibi Deus haec tam magna ingenii & eloquentiae dona largitus eſt; ut ſubtrahas, & deſinas prodeſſe. Humilitatem

ſua-

ſuadeo, ſed in mente, in oculis tuis, in verbis & actionibus tuis: ſcriptio, cujus in Dei gloriam labor, ut in ſcopum dirigitur; numquam oberit humilitati. Quot ſancti viri mihi nunc ad manum; ſi id probandum tibi? Miſeram & miſerandam Eccleſiam; niſi hoc illis judicium fuiſſet. Nobis illi & profuere, & a Deo coronam jam recepere. ſit itaque haec tua ſolitudo (mi Lipſi) hujuſmodi, ut jure queas dicere, in hoc te ocio maxime negotioſum; nec unquam te minus fuiſſe ſolum, quam cum Spadae maxime ſolus. Pars temporis & potior, divinarum rerum meditationi, & curae animi; alia, curae valetudinis; negotiis, tertia; quod ſupererit philoſophiae & ſapientiae illius civilis, quam ex parte ornare coepiſti; & moribus ſaeculi noſtri (qui certe non boni) efformandis, impendatur. hoc ſuadeo, hoc peto pro jure amicitiae noſtrae. hoc poſtulat reſpub. religio, Eccleſia. quid his precatoribus queas vel debeas negare? Ita ſi vixeris; te ſoli Deo vivere, prudentes omnes & tui amantes judicabunt. quod vitae reliquum, ſic optime pones. ſic evades metuendum illud, de talento terra obruto. Ama hanc quietem, ad hanc anhela; vel potius, ut nactus, conſerva. In eo; quod addis, de miſſione parum ἀκαίρως petita; aliter ſentio. Non potuiſſe opportunius. florent ad aſpectum res Batavae; jacent noſtrae. non hîc inclinatio ad meliorem fortunam, non timor aut deſperatio adegit. praecluſa calumniae haec janua. ſapiant ita, qui tenebras dicunt lucem, & qui, quae tu duo nunc glorioſe calcas, ambitionem & avaritiam, ſectantur. O quam bene minuta haec ſano deſpicis lumine; quae illi retorto ſuſpiciunt! judicant magna, tu puſilla cenſes. quare? qui illi, in tenebris, & ex aequali loco: tu, in Solis fulgore, & ex alto. illorum ideo montes aurei & gryphes Hyperboreae, culices tibi, & atomi minores Democritaeis. ferociant, ut lubet. *ſequitur ſuperbos ultor a tergo Deus.* verſat rotam hanc hominum: &, qui jam ad ſummum, qua noſtrorum ignavia, qua conniventia & perfidia, venere; citius quam aſcendêre decident. Vide impium ſuperexaltatum ſupra cedros Dei; tranſi, redi, non erit. negata ſemper magnis ſceleribus & pertinaci contumaciae diuturnitas felicitatis. Adonidis horti ſunt. ἐφήμερον imperium illorum, quia ſine fide & religione; quibus omne imperium unicis vinculis religatur. tolle iſta, etiam firmiſſima ῥαδίως μαραίνονται. Ridebunt & ſubſannabunt? cur nos id pluris, quam hirritum canis ligatae, vel caſſae nucis crepitum? quin optanda & paciſcenda pro coelo nobis deriſio a malis, a miſerandis. ſubſannent nos, dum emendentur & tandem reſipiſcant. oremus Deum calide, ut vaeſaniam hanc miſerorum atque amentium ſanare dignetur; ne & in illorum interitu tandem rideamus. *Amputa* (ait Rex Deo dilectiſſimus) *opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum: quia judicia tua jucunda. Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum: quia ſperavi in ſermonibus tuis.* haec ſpes dulcorare potens eſt omnem calumniarum & opprobriorum amarorem. hac ibant gaudentes Apoſtoli a ſubſelliis tyrannorum, quia digni erant habiti pati contumeliam pro Chriſto. jucunda illis adeo memoria judiciorum Dei. Multum in his mellis, ſed iis quibus fel mundi & ſaeculi hujus a labris & palato procul. Aeſtiment illi conſilium tuum,

in-

inſaniam, & finem ſine honore: tua modo ſors inter ſanctos, & inter filios Dei computeris. lege mihi (quaeſo) totum illud Sap. 5. efficaciſſimum, ut ab efficacitatis fonte. Tempus erit cum ſtantem te videbunt, in magna CONSTANTIA, ſi pergas hanc brevem tueri, adverſus iſtos ſubſannatores; qui bonos nunc habent in deriſum, & in ſimilitudinem improperii; tunc autem, timore horribili turbabuntur, & intelligent, ſero ah nimium ſero, ſe a via veritatis aberraſſe, & juſtitiae lumen, aut intelligentiae ſolem ſibi, quia videre noluerunt, non praeluxiſſe. Non veniat nobis unquam hic furor, aut amentia. Stulti ſimus ſtultis, dum verae ſapientiae placeamus. apud quam, ut Tragica illa commutem ſed vere; Iſthaec vera humilitas ingenium firmat bonum. fragmenta illa, cum ceteris partibus Syntagmatis, Antverpiae ſunt, apud *Joannem Delrium* cognatum meum; cui nuper ſcripſi, ut ſi (quod pro certo habeo) nondum coepta excudi, non patiatur, donec ego juſſero. animus enim mihi, ſi patiantur noſtri, totum opus vel prorſus ſupprimere, vel premere donec mutem multa, & tollam. cauſas habeo plures: maximam atque praecipuam, quod typographi, qualem cupiebam, exacti & diligentis nulla ſpes, mortuo *Plantino*; qui editionem in ſe receperat. nec mihi ſane graviora haec ſtudia, & penſum diurnum praelectionis, permittunt ex animi ſententia illa refingere. O, ſi tantum; quando vel Antverpiam, vel alio te conferes; quo poſſim tranſmittere; mea cauſa ſuſcipias oneris, ut legas, corrigas, mutes, tollas! non ſtylus modo, ſed & ſcalpellum mihi in voto. Verum de his poſtea. nunc amicum illum, ſi notus mihi, aut ego illi, ſalutari cupio. Vale. Leodio. a. d. III. Id. Jun. CIƆ.IƆ.XCI.

EPISTOLA CCCCLXXXVIII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. & amate in Chriſto P. Heri ab uxore mea litterae, quae ſignificabant libellos meos pleroſque jam eſſe in tuto: id eſt Antverpiae. Nondum omnes, aut omnia. nam κειμήλια & quidquid domeſtici inſtrumenti, adhuc illic: ſed quid diffidam? Deus diriget. —— ἐπεὶ οὔτι ἄνευ θεοῦ ἥδε γε βουλή Velim ſcire, an Faſciculus noſter, in quo illa, quae ad Miſſionem, tuto ſit miſſus. Si non, iterabo. Quod mones in illa magna & ſalutari tua epiſtola (ita res eſt, nec palpor) uti ſcribam ad *Torrentium* noſtrum, feci: ſed non tam diſerte & ἐμφανῶς in eam ſententiam, quam praeſcribis. Dicam tibi vitium meum, mi Pater. Humilis eſſe in divinis rebus, atque adeo ſupplex, poſſum & debeo: in externis iſtis, neſcio quid adhuc ſpecto dignitatem. Ita nihil attigi de reditu aut reſtitutione, & exſpecto occaſionem ex litteris ipſius. Faciam tamen hîc & alibi libens, quod tu Patreſque cenſebitis. Semel dixi, praeſtabo (Deo adjuvante) in omnem vitam: vos gubernatores eſte huic navi, pare-

rebit & ſubſequetur. Daventriam amiſſam nos hîc audimus, nec adhuc credimus: amittendam valde timebamus. Non omnia ſcribo, quae ſentio, reſervo me in ſermonem. Huic quidem negligentiae, ſi mantellum aliquod eſt, mirabor. Tamen Rex habet oculos in Gallia, fateor, atque illuc opes confert & vires. Haec minuta & fugitiva à juſto domino, aſſeret & vindicabit, ut jam ante provincias totas amiſſas. De valetudine mea quid nunciabo? aenigma. valeo, non valeo; ſaneſco, non ſaneſco; & ad ſummam neſcio quid adſeram de ambiguis iſtis Aquis. Biduo quidem iſto proximo languidiuſculi fuimus, nunc iterum reſurgimus, & ſtabimus quamdiu Deo viſum: id eſt quamdiu uſus. Nam haec quoque dirigi in ſalutem noſtram, ſive ut caſtiget, ſive ut ſubducat & eripiat, an ego dubitem? Parum de corpore eſt, quod omnino pereat neceſſum eſt, niſi hîc perit. Morte moriatur, ut animus ille vivat, & vivat aeternum. Brevis vox, ſed penſitanda:

Temporis aeterni quoniam, non unius horae
Ambigitur ſtatus, in quo ſit mortalibus omnis
Aetas, quae reſtat poſt mortem cumque, manenda.

Illic perpetua gaudia, ſi hîc angimur paullum & dolemus: illic corpori quoque ἀνάστασις & triumphus, ſi hîc jacet, & ſuccumbit. Ergo jure Plato cenſuit: οὐ τὸ ζῆν περὶ πλείστου ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν· & nos Chriſtiani haereamus? Abi valetudo, abi vita; dummodo tibi mens vivat & valeat ô Aeterne, qui illam creaſti, ſervaſti, iterumque ſervabis cum hoc ipſo corpore in aeternum. Fiat, Fiat, & tu R. in Chriſto P. idem mecum ora. Aquis Spadanis XVI. Kal. Jul. CIↃDXCI.

EPISTOLA CCCCLXXXIX.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Spadam.

PAx Chriſti &c. Ecce mihi jamjam tuae traditae, & exſpectat ac poſcit tabellarius reſponſum. Vix legendi tempus conceſſum. Tuus ille faſciculus miſſus, qua licuit, ſecuritate. nondum tamen reſcivimus, an redditus fuerit. ſpero. Ad R. *Levinum*, probo ſcriptionis modum: nec improbo animoſitatem in his externis. cur improbem? me damnem, cui id & à natura inſitum, & perpetuo ſtudio ac pervicacia roboratum; non temere ſe, niſi propter Deum, aut bonum publicum, cuiquam ſubmittere. faciant id viles animae, quibus praecioſa; quae melioribus merito optimo vilent. de Daventria, nimis quam verum, aeque ac de Zutphania. potui id ſperare, & (ut Dido illa) ſpero dolores majores: niſi qui poteſt avertat, ſummus ille & ſolus ἀλεξίκακος. nam Agamemnon ille dormit, vel potius majoribus curis ſollicitatur. Viderit iſta Deus, ut videt omnia. nos inſtitutum urgeamus: nec nos inde avelli patiamur. *Quam Suave mari magno jactantibus aequora ventis*

Æ

E terra alterius longe ſpectare laborem! Non niſi, ut recte ille, alias minus rectus, quia, quibus ipſe malis careas, ſit ſuave videre. *Oranus* Trajectum heri Moſa deſcendit; paucos intra dies rediturus. Interea cura valetudinem. nec nimis illa amanda; nec negligenda. domum ſuam labi paratam, quis non fulciat, & inſtauret? peritura haec moles, ſed donec illam architectus non ſubruit, nobis ſarta tecta curanda. P. Rector ſalutat te officioſe. Leodii XII. Kal. Jul. CIƆ.IƆ.XCI.

EPISTOLA CCCCXC.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. in Chriſto P. Idem mihi. cogor reſpondere epiſtola tua jam nunc accepta. Ita homunciones iſti itinera ſua diſpartiunt; ut hîc ſtatio non ſit: capiunt aquam, dant litteras & petunt. Sed in re ipſa quoque nihil eſt quod ſcribam, niſi languere me prorſus & ἀσθενεῖν, ſed a cauſſa bona. Διάῤῥοια biduum me tenuit, quam ſalutariter genuerunt iſtae aquae, ſi fidem habeo iis, qui earum hîc periti. Videbimus, & ſcribemus. De tuis ad Senecam, utinam! utinam inquam videndi mihi copia ſit, atque etiam (quoniam ita vis) recenſendi! Faxo tua & publica cauſſa libens. De his talibus coram. Publica revera labuntur, & Friſiae reliquae non injuria timemus. Rex magnus mihi quidem extra culpam eſt, non minores iſti Atridae, qui. Sed taceo. Deus, ut ait, videbit, & cum minime opinamur, non ſolum convertet haec, ſed illos evertet qui ſtare firmiter nunc videntur.

—— doceat tunc exitus, alte
Fatorum ſecreta tegi, ——

ait tuus poëta. P. *Oranum* ante diſceſſum videre valde vellem, colloqui & conſulere ſuper rebus meis: ſi non, vos mihi (P. Rector inquam, & tu) ejus vicem. *Torrentius* Epiſcopus ad me ſcripſit nimis quam benigne. Tota epiſtola ſpirat amorem, mihi gratum a tali viro, & magis quia tam largiter non exſpectatum. Tu quoque R. in Chriſto P. fac quod facis; & conſtanter ama ſemper tuum. Aquis Spadanis XI. Kal. Jul. CIƆDXCI.

EPISTOLA CCCCXCI.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. in Chriſto P. & in eodem amiciſſime. Faſciculus mihi redditus qui Antverpia venit, in eo ab uxore nihil, tantum litterae a *Moreto* & *Oudarto.* Illius inanes, hujus (credo te noſſe virum. Canonicus eſt Mechlinienſis,

olim

olim a conſiliis Archiepiſcopo Mechlinienſi, vir probus, doctus; quantum alius inter Belgas) ſed hujus, inquam, gratulationem de adventu meo continebant, & hoc praeterea uti ſcriberem ad *Richardotum* breviter, mei valde amantem. Nam quod potentem in aula, hoc ſciebam. Feci, ſed ita ut petere nihil videar, aut me offerre. Nec revera facio. quid enim, mi Pater, petam? Ita me Deus amet, optio mihi ſit, ut hoc ſtatu rerum neſciam quid optem. Indico tamen in fine epiſtolae, nec tuto nos venire in patriam, nec frui bonis poſſe, ſine Diplomate veniali: quod unum nunc quidem mihi in mentem eſt quod petam. Reſpondi etiam *Torrentio:* atque utinam haec talia ante miſſionem communicare tecum poſſem! veriſſimum illud vetus eſt, *Lamias oculos domi non habere*: & caecutimus fere in noſtris. Sed exemplaria (nam ſervavi) coram oſtendam. Quando? hodie vellem, &, mihi crede, ardeo: ſed ſpes retinet ſuper valetudine, quae utinam ne fallax! ubi illa paullum modo melior, advolo non accurro. Ruminavi quae ſcribebas nuper de lucubratiuncula ad magni Regis prolem. Audi. Ego ab omni ſcriptione, ſi unquam, nunc abhorreo, & abit a me illa ambitio cum annis. Honeſta, inquis: fateor. adde etiam utilis. fortaſſe. Sed quanto illud honeſtius & certe utilius, mentem aciemque omnem ingenii habere ad illa divina? Utrumque poteſt, inquies. Scio: ſed in veterano aliquo, & qui in Pietate jam corroboravit: nobis pugnae & aſſultus undique, & adhuc imbecillitas, quae non patitur oculos aut manus alio converti. Capiam vulnus, ſi facio. Neque ego ſum anxie λεπτομέριμνος, & qui mihi faciam curas: ſed nonne homo ſum? & nonne undique inſidiae & diſcrimina, niſi advigilem? uxor, familia, res externae: omitto voces, litteras, calumnias, & univerſam hanc aciem mundanam. Sed ſpes una Deus: in illo confidam, in illo vincam. ubi tamen paullo firmior ſtetero, qua a valetudine, qua ab animo, profecto reponam aliquid quod teſtetur me gentem & illum amaſſe. Nam de gente quoque verum eſt, & ſciunt, qui in Batavia ipſa docentem me audiverunt. Ubi occaſio aut rima, non abierunt illi ſine ſua laude. Publica ire mihi non videntur pede recto. Heu, quam male res geritur, ubi is non adeſt, cujus intereſt recte geri! atque hîc fons noſtrae cladis. Sed cladis breviculae, confide. Nam quod tu ominari mage triſtiora videris, non credo. Deus quatiet, non abjiciet; adfliget, non perdet hunc ſtatum. Mihi in animo ita augurium eſt: & per res laetas peribunt ii, qui iis laetantur. Confuſionem ejus adminiſtrationis novi, occulta diſſidia & aemulationes: addo avaritiam, rapinas, & omnia quae evertere etiam firmiſſimas res ſolent & debent. Ego tibi adfirmo: ſine hoſte illi cadent, & vincentur cum nemo impugnabit. Deus tantum, occulti ſi quid mali in nobis eſt (neſcio, & timeo) producat & revelet, & meritiſſima poena, aut certe ignominia afficiat. Satin' diu garrivi? Libentior ſolito fui, etſi de valetudine noſtra firmiore nihil adhuc firmem. Speramus, &, ut patrem Salutis oretis pro nobis, oramus. Tu inquam, P. Rector, & P. *Oranus*, ſi is nondum abivit: quem utrumque ſalute amiciſſima dono. Aquis Spadanis. IX. Kal. Jul. ∞. IϽ. XCI.

Li-

Libellos aliquot meos jam pridem geſtio ad te mittere, ſed ſine veſte ſunt & incompacti. Id verecundantur. Tegi jubebo, cum Leodium venero, & tunc habebis. Spero me adfuturum vobis, extra omnem dilationem, ſeptimana poſt iſtam, idque incipiente.

EPISTOLA CCCCXCII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Spadam.

PAx Chriſti &c. Hoc illa valetudinis ambiguitas moliebatur; ut ſcilicet in διάῤῥοιαν; quam ſane ſpero ſalutarem, eo quod aquae illae ſolitae ſint ita naturam juvare; ut noxios humores corpori moleſtos per ſe expellat, purgetque: & ſaepius fluor iſte (ut medici notant) bonam valetudinem promittit, ſi febris abſit, & intra ſeptimum diem conquieſcat. purgatur enim corpus, & quod intus noxium futurum, utiliter effunditur. non accedat modo τηνεσμὸς vel δυσεντερία: facile recedet ille languor & ἀσθένημα, robore novo accedente. ſuccedunt iſta ſibi mutuo, in hoc vitae brevis & fluxae curriculo; & utinam non interius in illa noſtri parte optima: ſurgimus, cadimus, donec eo perveniamus, ubi aeternum vel jacebimus, vel ſtabimus. hoc, ſi ſteterit animus in eo, qui ſolus vi ſua ſtat, ſolus fragilium Stator ſtabilitorque ſtabit animus, ſi corpus & carnea iſta moles probe macerata jacebit. ut pondera horologiorum; uno depreſſo, alterum tollitur; ſic homo iſte interior, atque exterior plerumque. valet iſte athletice, languet ille & ſeneſcit: viget & vivit ſpiritus, caro infirmatur & dolet. Norat hoc vas illud electionis, electa nobis & ſelecta haec ſuggerens; ἡ γὰρ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται. ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι ἐν ταῖς ἀσθενείαις μου, ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ χριστοῦ. nec gloriabatur ille ſolum infirmitatibus, ſed & laetabatur. διὸ εὐδοκῶ ἐν ἀσθενείαις; & ſe tunc fortiorem rebatur. ὅταν γὰρ ἀσθενῶ, τότε δυνατός εἰμι. ſcilicet, quia εἰ καὶ ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος διαφθείρεται, ἀλλ' ὁ ἔσω ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ. corrumpatur hoc ſpolium, in terram, unde aſſumtum eſt, rediturum; dummodo coeleſte illud in coelum aſſurgat & evolet. Quotusquiſque noſtrum non illud in ſe experitur, quod a Pſalmiſta dictum; *Multiplicatae ſunt infirmitates eorum & poſtea acceleraverunt*, ad medicum ſcilicet animarum. currimus tunc, imo volamus; at ſani & vegeti, medici nec recordamur. Miſeri ter & amplius; qui jacente corpore, animum quoque reſupinant & ſolo affigunt, non coelo. de quibus veriſſimum illud Micheae, *quia infirmata eſt in bonum, quae habitat in amaritudinibus.* Nos potius (nam & me Deus valetudinis, perpetuis nonnullis morbis infirmatae, parum validae eſſe voluit) utamur occaſione; corporis imbecillitatem, in animae ſanitatem convertere conemur, mi Lipſi; & laeti videamus domeſticum hunc hoſtem frangi paulatim & reſolvi; fiant talia corpora noſtra, ut nihil mors mutatura videa-

deatur; dum minimum relinquamus in animo, quod Deo mutandum videatur. De publicis rebus, ſane πολιτικῶς, quae addis, & ad ſenſum meum. ſed Friſiae minus timendum; ſi (quod pro vero habetur) *Verdugus* prope Steenwychiam hoſtes, captis ſeptem vel novem ſignis militaribus, parum commode accepit: & reliqui a Parmenſi; qui, non, ut opinabantur, Moſam, ſed Rhenum inopinus trajecit; decepti, ad praeſidia retro abierunt. Ex Heſperia exſpectantur auxilia nova, & dicuntur in via cum Paſtranae Duce. Gener Magni Pietate & Juſtitia Regis, nunc creditur Mediolani. dicet tempus, ut aſſolet, certiora. Illud vatis, quem certe magnifacio, quod additum a te, aptum huic rei. nam non paucos haec tempora Gildones & Ruffinos (minus noxii forent, ſi Eutropii corpore, non mente) ſed & Stilicones, tulere. Sed, Honori, quando mittes Conſtantios? ſed ego auguror, an opto? *Judiciorum Dei abyſſus multa.* hoc ſcio. Rediit ad nos *P. Oranus*, & cogitat iterum illas aquas; tu velim, nos aliquando: maxime quod narrantur eo jam confluere, & confluxiſſe nonnulli Atridae minutuli, & ex ſemonibus, ſed parum ad ſtomachum tuum futuri, minus etiam in rem; cui quod tam amice *Torrentius*, gratulor, nec dubitabam. arbitror occaſionem praefuiſſe de reditu & reſtitutione occipiendi. auctor ſum, ſi videtur, ne id negligas; ac ne adventum quidem ad nos, quos jam cruciat tam larga exſpectatio; me maxime. Leodii. IIX. Kal. Jul. CIↃ. IↃ. XCI.

EPISTOLA CCCCXCIII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. Et deſideratiſſime in Chriſto P. Audivit Deus mea vota, & te videbo. Ita ſpero, & ſtatui ſub finem hujus ſeptimanae: imo, ut diſtinctius dicam (niſi vis ab alto intervenit) die Sabbathi te videbo. Felicem diem, & ſollenni memoria mihi ſignandum! Ergo ego plane convalui? non ita eſt, video tamen aquas, ſed modice uſurpatas, mihi ſalutares. Alibi licebit, & in vicinia iſta maneo. Quid enim de patria cogitem, in qua omnia incerta aut turbida? Ego nec S. Trudonem, ut nunc res eunt, ſatis tutam ſtatiunculam mihi putem, & praeoptem Huyum. Multa ſuadent. commoda per flumen ſubvectio, vicinus vobis locus, munitus, Namurcum & opida regia finitima, ſi quid majoris procellae. Sed coram deſpiciemus, audiemur & audiemus. Quid aliud ſcribam? jam enim apud te videor. quid? tamen hoc etiam, ſi unquam, nunc preces. Deus in extremo iſto limite me ſervet, & quaſi in decurſo ſpacio longae viae. Vale R. & deſideratiſſime P. Aquis Spadanis. VII. Kal. Jul. ∞. IↃ. XCI. P. Rectori ſalutem dici cupio: & (ſed eſtne illic?) P. Orano.

EPISTOLA CCCCXCIV.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Spadam.

PAx Chriſti &c. Reddet has *P. Oranus*, quem ſine meis fas non erat te convenire. & debitor ego reſponſionis ad heſternas, uberes & plenas, & eo gratiores. reponam ad ſingula breviter, quia brevi coram de his tecum. nam fido fidem ſervabis. Inanes illius fuiſſe, non miror; mirarer, ſi aliter. cur? audies, cum te videbo. *Oudardum* non novi; amo, quia te amat, & bene conſuluit, ut ad illum, qui nunc quidem pollet poteſtque in aula, ut qui plurimum. prudenter tamen, quod ita modice & ſobrie ad eum ſcripſeris. Multorum ingenia ſunt hujusmodi, palatina praeſertim. ſi nimis ſuſpicias, faſtidiunt: ſi urbane & civiliter, amant, non contemnunt. omnino hujuſmodi, ut ſi quid vere praeſtent, non verbotenus, acceptari, non affectari cupiant. Diploma ille veniale minimo negotio poterit procurare, ſi volet: quid velle putandum, ex litteris forte perſpici poterit. Et hîc & alias placet agentem cum Aulicis Epicharmi meminiſſe, *Non temere credere.* Libelli exemplar, quod ſervaris laetor, ſimul conſiderabimus, ſi quid iterum. nam ſuſpicor, quod ſemper, conaturos illos per Evam Adamo perſuadere ut retro bitet. Advigilet ille oportet, & ſe virum meminerit, amorem conjugi, non credulitatem aut ſervitium debere; cum illa aciem hanc mundanam totam, Conſtantiae & Sapientiae conſiliis, quibus tibi pectus Deus inſtruxit, & armavit, diſpellendam. facies, non dubito. Homo quidem natus es; ſed tibi additus a communi patre Cuſtos adſiduus, qui tela illa a tuo corpore & anima, a dextris & ſiniſtris, arceat & repellat. adſtat & adeſt ipſe verus Averruncator Deus. conſiſtant adverſum te caſtra. ne formida. adfligi potes, mergi non potes, aut vinci; niſi velis. tyronem te dicis: ſed auxiliares tui, quos dixi, nonne Veterani? rorariae turmae adverſariorum, ad hos Triarios; quid niſi pulvis ante faciem venti? quid niſi ſtipulae, ad flammas? Nec ego, quae ad te alias, de ſpe illa Europae & ſororum, hac mente, ut ſtatim; ſed ut tum, quando paullo futurus confirmatior a valetudine; & liberior, ab his ſollicitudinibus, quae non poſſunt non eſſe moleſtiores ſoli. Hac propera, ut partem in me transferam; quam impones, quam voles. violas amicitiam, ſi mihi parcis; cui parcis, cum tibi. De gente non aeque facile erit perſuadere illis; qui, de Poenis, Barbaris &c. tam crebro in editis invenere; ſed & illud eluendum; ſi tempori, ſi loco, ſi quibuſcum tunc agebatur, datum oſtendetur. Ego illa nunquam ex animi ſententia dicta mihi perſuaſi: qui nulla te privata ab iis injuria affectum fere ſciebam. De publicis, plane idem ſentio. Nec ominor; niſi temporaria. hîc illae eaedem peſtes, quae illic in publica re. ſed illic deeſt, quod ſalvum nobis, Fidei rectae, & Cauſae Juſtae fundamentum; quod non ſubruetur. Occultum illud hulcus, non diffido erumpet: & ſuos illa vo-

mica

mica perdet auctores; altoreſque alunt monſtrum, alunt peſtem; ſed caput in ſuum: nec mala hujuſcemodi ullo aevo, non ſuis auctoribus noxae. Adfui hodie in prandio *Petro Orano*, ſi quid video, docto homini & tui amico, crebra tui memoria: nec paſſus abire, quin haec ad te me reciperem ſcripturum. domi ejus tibi paratum cubiculum, ſine ambitione, ſine fuco, liberum, quietum, ſolitarium. non te illi oneri futurum, non impenſae, non inquieti: ſed prorſus arbitratu tuo. Non eſſe cur metuas a crebris invitatoribus, aut temporis, ut ait ille, furibus. Leodii pauciſſimos qui futuri interpellatores, bidui id triduive negotium. largos lingua multos, re & ſumptu parcos non itaque aemulationem pertimeſcendam inter invitatores. haec ille. quid ego? Sibyllae iſta folia, & ſi apud aliquem, nullibi te rectius neque commodius ad quietem litterariam; nec apud hominem apertiorem, &, quod mihi laudabiliſſimum, unius faciei. Narrabit *P. Oranus*, quid hac in re, frater mihi. Libellos, vel nudos; avide, avide exſpecto. nam intelligo a te recentiores centurias; nempe Dialogiſtam; in Vellejum; de Epiſtola, & neſcio quae praeterea; quae ego adhuc nullus. ſed haec praeſens praeſenti: cetera commodius P. Oranus. Salve frater &, quod facis me ama. Leodii. a. d. 4. Kal. Jul. CIↃ.IↃ.XCI.

Accepiſſe opinor te alias, quae negligentia latorum in via, vel domi potius delituere.

EPISTOLA CCCCXCV.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

R. in Chriſto P. Legi avide poſt diſceſſum tuum Animadverſa in meos libros. Amare te me dicam? ſcis hoc. & tamen ſi quid addi poſſit, beneficio hoc meruiſti. vere meus Pater es, vis me undique purum & laudatum. Tantum autem abeſt ut recalcitrem aut excuſem, ut pleraque omnia emendaturus ſim, aut certe explicaturus, quae ſine damno operis immutari in Textu non poſſunt. Coram, ſi Deus volet, ſingula. Sed hoc breviter volui ante diſceſſum meum ad Principis hortos; nec ſcio tamen an diſcedam, ut eſt hic imber. Adjungo alterum de Teſtimonio. Rogare me officioſe P. Rectorem uti conficiat, & breve ac ſimplex aliquid ſcribat. Non mea cauſſa (vita, non teſtimoniis niti apud bonos volo) ſed aliorum, & pro re praeſenti. Nam de Reconciliatione confici ante uxoris adventum omnino debet, quae appellet in Brabantiam ipſam. [1] Litterae *P. Orani* magno mihi uſui ſpero erunt, ſed apud unum cui ſcribuntur. Hoc teſtimonium (ſi opus erit) ſerviet pluribus. Sed hîc in ipſa urbe, quid ſi quidam me calumnientur & refugiant, quaſi αἱρετικόν? Grave id mihi auditu: & ſcis quam pio fervore & impetu ſtatim me dederim in has partes. Si prudentia humana & ambagibus uti libuiſſet (nec ego earum ignarus) ſubſtitiſſem in libera aliqua urbe; donec confecta & fortaſſis obla-

oblata fuiſſent ea, quae nunc ab Aula peto. Sed mihi in re pietatis recta & ſimplex via placuit, & ſpero etiam Deo, cui hoc & quidquid tale externum eſt libens permitto. Salve, mi Pater. hora III. matutina.

1 Cum has literas repererim in Schedis, hîc ſubjicere viſum eſt.

JOANNES ORANUS. N.N.

CLariſſime & Prudentiſſime Domine. Pax Chriſti. Quam patriae utiliter ii reſtituuntur, qui praeter litteras, Civitatum ornamenta, majora etiam quaedam poſſideant, novit mecum Cl. D. T. quos inter cum D. *Juſtum Lipſium*, quem paene a puero novi, ſemper habuerim, habeant & ii, qui de repub. judicant prudenter, has ego ad Cl. D. T. dedi, non ſupplices: ſcio enim quantum doctrinae eique faveas, ſed veluti indices voluntatis eorum, qui Regi, a quo animo numquam defecit, qui reipubl. cujus ſemper fuit ſtudioſiſſimus, reſtitutum vellent. Egit ille quidem apud Batavos, Regi rebelles, plures annos, ita tamen ut inter medios hoſtes hoſtile nihil, nec quicquam Catholicae religioni adverſum, niſi crimen ſit Lugdunum Batavorum literis & variis ingeni monumentis, quae tamen etiam in reliqua Belgii, imo diſſitas etiam quaſque nationes promanarunt ornaſſe. Quod ſi culpa ſit, neque enim ab omni errore abſolverim, diutius apud eos ſe continuiſſe, qui Deo, qui Regi arma inferunt, recte peccatum omne delevit; nota apud Patres Societatis Jeſu Moguntiae, Confluentiae, Coloniae, cujus ego rei ſum teſtis, poenitentia, & facta Deo conciliatio; quam ſi Regi debitam auctore te conſequatur, erit quod mecum gaudeat, tuque apud exteros quoſque de reddito Belgii ornamento optime audies. Vale, Clariſſime Domine. Spadae. Nonis Julii MDXCI.

EPISTOLA CCCCXCVI.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

R. in Chriſto P.[1] En litteras duplices, alteras ad P. *Coſterium*, ad P. *Leonardum* alteras: illas ab affectu, has ab occaſione, quia ad me ſcripſit. Quid reſpondeam videbis (apertas hoc fine mitto) & ſiquid diſplicet, mutabo. Sin autem, tu obſignabis & mittes. R. P. Salve à vere Tuo J. Lipſio.

Ecce, mi Pater, libellum, bonum & judicii recti, ut mihi viſus eſt cum legerem. De N. non eſt tanti: ſed profecto credo vos confudiſſe, qui diverſi ſunt, ut ex *Suſio* facile diſcas. Accepi litteras à *Richardoto*, verbis humanas & quales ab aula. Videbis, & me una a meridie.

R. P. Litteras e Batavis accepi, atque hunc libellum. Illas, cras videbis, nunc iſtum, quia video aliquid inſeri, quod ad Senecam tuum facit. Placet ingenium adoleſcentis, vix ambitioſa ſcriptio, & tota in Gallis aliquot attollendis aut conciliandis. Vides ad quem parietem ſe iſti inclinent; ſed fortaſſe caducum.

R. in Chriſto P. Decretum mihi erat poſt prandium excurrere viſendi tui. vereor ut hic ventus & aura impediant. Nec tamen eſt magnopere quod dicam, niſi illud unum, litteras me Antverpia habere datas XXIIII. hujus menſis, nec uxorem tunc etiam appuliſſe. Profecto non ſine aliquo metu ſum, ne quid in Bata-

1 Hae non epiſtolae, ſed ſchedulae, ſive codicilli ſunt, quos Leodici agens Lipſius quotidie mittebat ad Delrium, eadem in urbe commoranti.

via remorae aut turbarum. Sed Deus avertet, quem clementer (ſi ſalutare eſt) rogo. Adfinis meus in via, quem in horas exſpecto: & fortaſſis ab eo certiora aut laetiora. Oratiuncula noſtra confecta eſt, ſed vere[1] oratiuncula: quando recitanda? Quaeſo fac ſciam, niſi tamen ea res ab arbitrio P. Rectoris pendet (uti arbitror) quem vix puto rediiſſe. Litteras jamnunc Spada accepi a D. de *Humerolles*, nobili Gallo, perhumanas, ſed nihil ultra. Quis ille ſit, ignoro. Ipſas, cum ad te veniam (ſi tanti ſunt) videbis. N. non abire a ſe, & pergere male mihi ſcriptiſque meis loqui, ab amico certo accepi. Doleo, & non doleo: nam me quidem, ut ſpero, non laedet, utinam ne ſe & interiorem mentem! Itaque de epiſtola ad eum mittenda haereo, & niſi tu reris, retracto. Cur enim riſui me exponam? Faciam tamen hîc atque alibi (ſerio dico) quod tibi videbitur: atque in his talibus, pro munere & perſona quam apud me tenes, jube.

R. in Chriſto P. Habes, quod ad *Bencium*. Siquid videbitur, libere addes aut demes. Ita cupio. Praeterea quod nunciem nihil eſt, niſi certo me audiſſe heri, conditiones Pacis tam amplas & benignas oblatum iri a Legatis, ut ſi Rex in vinclis (indecorum dictu) non poſſint petere Batavi uberiores. *Ego tamen vanum* . . . . .

R. in Chriſto P. Bonum nuncium ſive εὐαγγέλιον. uxor appulit. Epiſtolae meae cum ad ipſum currum ſtaret denique redditae. Itaque de Seneca adhuc (doleo) nihil. Curandas tamen litteras *Breugelius* recepit. Cetera coram.

R. in Chriſto P. Mitto quae heri dixeram, ſed compendio ſcripta. ut apud te nihil celem, parum ſpero: utique cum non ampliora audio eſſe mandata, aut magis libera. Deus potius nobis victoriam det, etſi poſt labores. Velim deſcribi (R. T. hoc mihi tribuet) aut potius in aliam linguam tranſcribi. Nam quid opus Latina mitti? ſtilus meus non ignotus, & N. frater, qui illic, neſcio quam aptus ad ſilendum. Non metuo quos reliqui, ſed ſine fructu cur offendam? Abunde id a me factum, & fiet deinceps, quoties Eccleſiae aut publica cauſa poſtulabunt. Prudentiam tamen in his talibus adhiberi mos & ratio volunt. Ego cenſeam ſatis eſſe; ſi ex ſermone meo, tum ex iſtis capitibus, D. Conſiliarius *Billaeus* praecipua excerpat, & vulgari lingua cum iis, quorum intereſt, communicet. R. Tua hoc cum . . . .

R. P. Laetemur. ego quidem, etſi in re non maxima, ſed nunc conſiliis meis opportuna. Arx Weſterloä certo capta. Accepi litteras cum a te diſceſſi, itemque iſtas a Senatu Lovanienſi, quas vides. R. P. *Orano* ſalutem dices, & iſta communicabis.

R. in Chriſto P. Juſſi exſcribi epiſtolam, quam *Mercuriali* miſeram ſuper invitatione Romana. Viſum eſt pro bono fore, ſi iterum mitterem: ſed quomodo? ego aegre aut nullo modo transſcribo; meus iſte, ſic ut vides. Confugio ad quos ſoleo, & per te *Petri Buſlini* operam imploro, ut manus ejus mihi auxilietur. Mittam deſcriptum exemplar cras, ſi Deus volet, Antverpiam,

1 Erat de Nativitate B. Mariae. & poſtea dixit.

piam, & per Moretum porro curabo. Animus mihi non quieſcat, niſi de ſubjecto devotoque animo meo (vero verbo utar) Capiti noſtro conſtet. Si poteſt; velim hodie tranſcribi. ego ad vos ſub horam quartam aut quintam. Pater mihi cariſſime, ſalve.

Mi Pater & Frater, nunquam omiſiſſem te videre & ſalutare hodie, imo etiam heri poſt feliciter dictam tuam orationem (quam utinam omnes aeque atque ego ceperint!) ſed morbus impediit, qui jam ante prandium me tentabat. Catharrum merum eſſe cenſebam, ſed ſub veſperam & in ipſa Oratione tua junxit ſe febris. Noctu egregius ὑδροποτόης fui. nam ardere mihi in Aetna aliqua videbar. Poſt prandium melius paullo fuit, & quid Deus in me volet, cras videbo. Salve R. P. & memor in precibus mei eſto. Scripſi ſub veſperam hora ſexta.

Signata & clauſa omnia mea, vix charta ſuppeditat ad ſcribendum. Laetior a vobis abii & bonae ſpei plenus. Deus me juvabit, & apud illum veſtrae preces. Remitto tua in Senecam, paullisper una mecum etiam premenda, & mecum ſpero emergent. Vale, mi Pater, noſtri memor, ego aeternum tui, & tuus.

R. in Chriſto P. Sedulo ſane curata illa noſtra ad P. *Thovardum*, atque etiam reſponſum habeo. Illud R. P. Rectori & tibi renuncio, novum fortaſſe vobis, certe votivum bonis, obiiſſe certo *Caſimirum:* itemque Cancellarium Poloniae, alterum in Germania, alterum inter Sarmatas malum pacis quietisque inſtrumentum. Salve R. P. & me precibus juva, Tuum.

R. P. Tandem ad nos *Baronius*, & recta ad Bibliothecam Veſtram: Velim & opto eodem fato noſter Seneca: atque, ut mens mihi dictat, brevi. Salvere P. Rectorem cupio, & me precibus veſtris commendo.

R. P. Binas iſtas ad te mitto, alteras a comite meo, alteras a Moreto. De iſtius perplexo reſponſo quid videtur? ſed nec verbum ullum de meis. Quod ad tua, conſentit, ſed cum dilatione. Coram videbimus: quod cras, Deo volente, fiet. Interea velim haec remitti lecta, per iſtum Carolum, qui in iſtis aedibus apud Dullardum canonicum habitat. Salve a tuo. J. Lipſio.

R. in Chriſto P. Legi quae optimo animo ad me ſcripſiſti & ſolicito de utraque noſtra ſalute, animi dico & corporis. Sed de illa (quod ad illicia Aquenſium aut minas attinet) jubeo te eſſe (cum Dei auxilio) ſecurum. Non fugimus ſolum illas partes, mihi crede, ſed odimus, &, quamdiu tales, odiemus. De corpuſculo iſto & ego aliquid metuo. Sed jam decretum eſt, & currum juſſimus conduci, & hoſpiti renunciavimus . . . . .

EPISTOLA CCCCXCVII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio S.

Spadam.

NOn ſinit acris hujus aurae rigor me domo pedem efferre. quare cogor per litteras, quae ſe nunc offerunt. Heri plane ſub noctem accepi has, niſi fallor, *P. Coſteri*; quibus addidi meas ad *Joannem Delrium*, quas leges, & ad earum mentem *Moreto* tranſmittes cum tuis, ſi videatur. fecit enim cognatus ille meus ſua vel incuria, vel oblivione, ut miſerum illud, cui tam infenſa Lucina, tragicum Syntagma nondum natum, viarum haec nunc pericula ſubire cogatur. R. P. Rector te ſalutat, & a Lovanienſi Rectore ſcriptum ad ſe indicat XI. hujus in haec verba; *Salutem ex me plurimam* P. Delrio, *cui ſignificatum peto, me cum Domino Cancellario* Cuckio *de D. Lipſio fuſius egiſſe, quem paratus eſt cuſtodire ut pupillam oculi ſui, & ſub umbra ſuae auctoritatis protegere, quotieſcumque antiquas Lovanii ſedes reviſere dignabitur, qui nobis quoque erit omnibus gratiſſimus. qua de re alias latius.* Haec *P. Franciſcus Florentinus.* unde intelliges nos quo ad iſtud jam cura vacuos eſſe poſſe. Salve, mi frater, & cura valetudinem. hoc mane XVI. Kal. Octob. MDXCI.

EPISTOLA CCCCXCVIII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S.

DOleo heri te ad nos fruſtra. fui apud *Oranum* noſtrum; ſed comes alterius, quare non licuit arbitratu meo domum redire. Utrumque legi [1] epigramma Phaleucum. invideat ille parens hendecaſyllaborum. ſuavius illud alterum, ſi quid video, & magis ad vulgi palatum; plus tamen in longiori, quod retineat lectorem non levem. placent in eo cuncta, citra laudem meam. non agnoſco, quod ais, de utriuſque linguae laude. mihi conſcius ſum (coram eo, qui cuncta videt, & intelligit, loquor) in Latinis me parum, minus in Graecis, nihil admodum in Hebraeis. quod de erudito ais opere; verius laborioſum dixiſſes. labori non peperci, deeſt eruditio: ſed vel falſa a te laus delectat. vino non vendibili hedera opus. perge ornare opus; quod, ſi non praeoccupatum ab alio, tibi ſolidum: perge, & ſic ſtatue, ſi difficilem hunc partum manu obſtetricaris, tibi ejus invidiam ſuſtinendam. Mihiglorioſum fuerit tuo judicio probari. inexſpectanti, nec ſperare auſo oblatum beneficium gratius fuit. remitto utrumque epigramma; in neutro quicquam quod non pla-

[1] Eſt in Senecam Tragicum *Delrii*, in cujus editione legitur, & in Poëmatibus a Pontano editis p. 290.

placeat: nec ego idoneus, qui Phidiae opus dijudicem. Vale, mi Lipſi, & ama Tuum Delrium.

EPISTOLA CCCCXCIX.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. P. Salutem tibi mitto, & nuncio de mea. Incolumes heri appulimus, cubiculum eodem die conduximus, idque opera & auxilio virginis de qua dixi, quae praeter modeſtiam & probitatem (virgineas laudes) prudentiam habet & ad res externas efficaciam ſupra ſexum. Uſui mihi fuit, & erit. *P. Tillerio* hoc beneficium imputo, per quem ad domum illam veni. Spada adhuc infrequens, nobilis unus Gallus eſt, ſed Catholicus. Exſpectatur alius D. de Chapelle cum viginti comitibus, ipſe quoque Catholicus, & palam in partibus Foederatorum. Aquenſes duos hîc vidi, quorum alterum novi. Tua monita ſarta tecta habebo, ita Deus me reſpiciat & ſanitas, cui nunc ſacrifico, neſcio an litabo. Diuturnus hîc non ero, praeſertim ſi quid diſcriminis: & animus jam nunc eſt Lovanii. Aperio me tibi, quod ego calide ago. R. P. Rectori cum officii ſincera delatione ſalutem. Tu quoque, Pater, Salve, & qua potes (ſcis quid velim) juva. Aquis VI. Kal. Jun. ∞. IↃ. XCII.

Orano meo, ſi occaſio eſt, Salutem: etſi ſcripto eam ipſe brevi offeram. Jam feci.

[1]EPISTOLA D.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio.*

Spadam.

PAx Chriſti. ſimul a te binas accepi. jucunda in iis omnia, niſi quod de cognati nece. propitius ſit animae, qui ea gratia hominem induit, ut nobis propitius eſſet. variae viae mortis, nec ulla tam ſubita, quin poenitendi ſpacium concedat homini ſanae & liberae mentis. ſcis latroni uno verbulo id datum, quod ut non daretur tot annis promeritis. *quacumque* (ait per prophetam) *hora peccator ingemuerit, non recordabor peccatorum anteactae vitae.* cur non ſperemus, & huic in brevi illo ſpacio ſatis conceſſum temporis ad ingemiſcendum? quod ſupereſt, qui ſuperſtites ita vivamus, ut quocumque nos momento perpetuus ille Dictator ab hac ſtatione diſcedere jubebit, pleni bona fidentia diſcedamus. illi inhaereamus toti, a quo nihil nos, ſi volumus, poterit abſtrahere. Bene tu de Ordinum decreto. ſi interea conſit, operae praetium morae: ſin minus, inutilis exſpectatio. *Leſſii* reſponſum cum accepero, ſcies:

[1] Ad hanc reſpondet Lipſius 1. ad Belg. 8.

ſcies: & tum ad *Cuyckium*; tum quoque videbimus num quid ad *Carrionem?* tibi ab illo nihil periculi; quia ſumma ſecuritas bonae conſcientiae. & infracta vis ac robur morte utriuſque cognati. Chriſtianum tamen reconciliationis initium facere, & ſuadeo; dum, quod poteſt, cum dignitate, & ita ut ſi velit litteras, ſine noſtro dedecore, queat oſtendere. nam oſtenſurum vix eſt ut dubitem. noſti ingenium. De legatione illa tantumdem novimus. ajunt ex animi ſententia reſponſum. ſed quomodo, ſi certi nihil? promittunt amicitiam Batavi, ſi Colonienſium Urbes reſtituantur. tantum illis ocii a rebus ſuis, aliena ut curent. tanta ſuperbia, ut vicinis omnibus & dynaſtis fex illa nautica & exſulum leges velit praeſcribere. peſſunda (ô!) qui potes, & vis; quam odiſti ſuperbiam: nos autem in tibi placita humilitate conſerva, vel potius, quia nondum adepti, nobis illam tribue. Precare id, Lipſi, pro me, ego pro te. Vale. Leodici VII. Id. Jun. CIƆIƆXCII.

EPISTOLA DI.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

VIx ad te ſcripſeram, duo hoſpites pariter advenerunt, *Dullardus* & *Vivianus*. Priori dandae primae partes fuerunt, atque apud eum caena. Alter me mane convenit, & paullo poſt diſceſſit in Ubios, domicilii diſpiciendi cauſſa. Nam dies, qui ampliatus illi erat, abiit. Modeſte mecum locutus eſt, & nulla de re ſeria. Doleo in animo alium eſſe illum virum, & partiarium malorum. Sed alius mihi major dolor, niſi ratio temperet, quem audi. Litterae mihi per *Dullardum* de morte, imo caede cognati mei unici per ſororem. Is in militiam ſe dederat, me ſane reluctante, ſed juventutem incitatam quis refraenet? In militiam, inquam, & meruit equo in turma Bruxellenſi. Ivit ad villam quam juxta Wauriam communem cum ſorore habebat: ibi militariter ei jurgium cum Praetore loci, & miſer ex inſidiis gladio eſt transfixus. Haec triſtis hiſtoria ad me ſcripta: quid cenſes? Jaceam, ita multa ſimul ingruunt, niſi manum porrigat & allevet ille ab alto. Quem eumdem precor larga miſericordia defuncto ſubveniat, cui tam contracta fuit hora poenitendi. Sed ecce alterum heredem meum mortuum, cui laboremus? Haec & hujuſmodi magis magiſque a mundanis me abſtrahunt, Deo devinciunt; cui utinam in externa internaque quiete & modeſtia vivam, quod reliquum eſt aevi. E Brabantia amici nunciant, ne uſquam me commoveam, donec, quod ſcis, ab Ordinibus confectum. Videbo, ſed ſi illi morantur, non ego ideo morus; nec haerebo diutius aut jactabor inter ancipitia & turbas. Iterum dico, quo fine illa ipſa quae agitant Ordines? Contento ſatis eſt: ſi is non ſim, nec haec me explebunt. Sed heus, de legatis aut eorum actione, quid? rem factam habemus, an verba? fac me ut ſciam, quod ſcire magni intereſſe ſcis noſtra. Alii quoque hujus rei curioſi qui hîc ſunt Bibuli,

buli, & idemtidem me percontantur. Aut tu ſcribe, aut Orano aurem velle, qui poſtremae noſtrae epiſtolae indormit. Vidi ſane de ſcripto reſponſum, ſed per illud nihilo ſum ſcitior: ita ambigua omnia & implexa. Illud ſollemne in clauſula, fac pro me quod facere te ſcribis, atque ita vale. Aquis III. Id. Jun. ∞. IϽ. XCII.

EPISTOLA DII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

MUtavi ſententiam, nondum venio. O te varium! inquies. utinam haec aura talis! ſed illa mala & iniqua nobis eſſe perſeverat: ego mutavi ob cauſſas. Primum, quia de periculo nihil ultra audimus: atque etiam accrevit Bibulorum numerus, adventu maxime Italorum, quorum copia apud nos, atque unus etiam e Farneſia gente. Cauſſa altera. quo me conferam? Taedet diſcurrere per alienas domos, & ſatis quod annum jam ſic jactor. Hîc exſpectavero potius, donec firmiter mutem. Etiam ſpes integrandae valetudinis (quando aegros ea deſerit?) nos tenet: atque utinam in bona hac vita boni & firmi, utiles Eccleſiae ac reip. eſſe poſſimus, quod doleat inimicis? Nam mihi crede Pater, quamdiu tales, id eſt nauſeabundi, moeſti, plumbei, non ſumus bonae ulli curae. Deus, ſi viſum, eriget: aut, quod eum rogo, ad ſe trahet. O quam ſatur ego humanarum rerum! A Moreto nuper epiſtolam, in qua de tuis etiam, atque ea non ultra ſe differre. Mitti poſtulat: & prima vacantia ſe editurum. Juvenem quem mihi commendas vidi, pro opibus juvi, & porro faciam cum hîc ero. Aliud non erat: niſi rogare me ſermonem tuum vicarium, & vere ſermonem, hoc eſt etiam de repub. fabellas. Cum in mundo ſum, ne expers ſim rebus quae in mundo: ſed ſic, ut pectus hoc non tangant. Vale R. P. cum R. P. Rectore, & domo tota. Aquis Idibus Juniis ∞. IϽ. XCII.

In epiſtolis ultimis (vide intentionem) Idus ſcripſiſſe me obſervavi pro Nonis.

EPISTOLA DIII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. P. Binas miſi, reſponſum non habui: ecce & tertiam, quae vetat reſpondere. Quid ita? per te divines, quia triſtis haec & continenter turbida aura ſub tecta veſtra me compellit, manſione iſtîc & inſuavi & infructuoſa. Ergo niſi aut illa ſtatim & fideliter mutat, aut tu diſſuades (ſed non

fa-

facies, ſcio) ego ad vos ante finientem hanc ſeptimanam. Salutem quibus debeo dices, R. P. Rectori, atque omnibus veſtris, qui & mei. Memini vocis quam abiens a P. Rectore excepi. Aquis, quae mihi utiles aut ſalubres potius, ſi aura vellet, Poſtrid. Id. Jun. ∞.IↃ.XCII.

Quas vides, quo vides, velim cures.

EPISTOLA DIV.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. P. Reverſus a vobis haec luſi. Nam ſolet iſta eſſe mea aberratio ſive luſus a caena atque prandio, epiſtolam plurimum ſcribere, interdum carmen. Hoc ab affectu eſt: & mentior, niſi ſine fuco ſe prodit.

Ad Martinum Ant. Delrium cum Grudios cogitaret.

Delri, qui mihi carus ante caros,
Quem ſancti vice diligo parentis,
Quem ducem mihi, poſt Deum, ſalutis
Et vitae melioris, ore clamo,
Corde ſentio: cuique liberati
Civis do merito & lubens coronam:
Nunc te deſero? nunc tuis carebo
Et piis monitis, & eruditis
Una colloquiis? carebo certe.
Nam me Patria *vindicat, ſuumque*
Erronem vocat ad vetuſta caſtra,
Illuc qua Grudios pererrat agros
Flavus Dilia, quam domum Camenae
Aſſerunt ſibi laurigerque Apollo.
Heu, quam differor! hinc parens & illinc
Me trahit, retinetque. quem ſequemur?
Vincis alter amore, dignitate
Vincis altera: ſed ſecabo litem.
Delri *pectus habe iſtud atque mentem,*
Corpus Patria *habe iſtud atque ſedem.*

EPI-

EPISTOLA DV.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Spadam.

NEqueo dicere, quam mihi gratum fuerit carmen tuum. futurum animi tui, & amicitiae noſtrae perpetuum mihi teſtimonium. dividet nos locus, ſed ea tantum parte, quae quia corrumpi, & dividi poteſt; melior illa, ut individua, nunquam ſeparabitur. mihi quod illam ſpondes, & devincis; praefers patriae. ſed tu peritus foenerator foenoris probi, nihil cum tibi decedat, me trahis una tecum, ſalva ſorte uſuram. Amicitiae hoc intertrimentum ſine detrimento: maxime ſi, ut noſtra, fide & probitate colligata. Erravi; non ſine detrimento, ſed cum incremento debebam dicere. trahit enim, qui utrumque prius traxerat, Deum. qui artiori devincit nodo, & pluſquam Herculeo. Novit ille me mei promiſſi & fuiſſe & fore memorem. nunquam ſacris operabor, quin *J. Lipſii* in *Memento* memor. Amamus, ait ille, beneficia noſtra. ſervari optamus quod ſemel ſervavimus. Per me (ais) te Deus. eſto, quia vis, ut inſtrumento. ſed numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſcindit in ea? abſit. o Deus! tu ſerva, quod ſervaſti. tuere, quem eduxiſti. tuum beneficium perire ne ſinas. non peribit. tutae tutelae commendavi, & commendabo; tu me viciſſim. hanc operam mutuam cambiemus. Epiſtolis memoriam & amicitiam ſaepe redintegremus: ſic non abſentes, ſed praeſentes erimus. Mitto ad te epiſtolam ad *Leſſium*, teſtimonia duo. quae ſi placebunt, poteris uti. de poſteriore moneo, quoad exterius forum uſui non eſſe; niſi ut ſciant te bona uti conſcientia, ſine peccato. neceſſe erit, cum Lovanium veneris, Dominum Vicarium adeas, & poſtules viſitent bibliothecam, numquid in ea quod corrigendum. habent enim quendam Indicem, olim a *Plantino* excuſum, ad quem libros nonnullos recenſent. facile puto permittent, ut ad eum tu tuos. Illud iterum ſtipulor ut librum illum *Wittakeri* ad me; atque utinam adfuiſſet ille alius *Danaei*. neſcio quid etiam de quibuſdam illius *Nicolai* (novi erroris) aliquando dixeris; gratum & hoc foret legere, & ſi opus contra arietarier. Mitto praeterea epiſtolam, quam olim ad me P. *Leo*, cujus in teſtimonio mentionem feci. poteris adſervare. Vale, & priuſquem te ad iter, ad nos: ut viatico ſpirituali munitus abſcedas.

EPISTOLA DVI.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

R. in Chriſto P. Sum ubi Deus, & vos, & affectus meus eſſe me voluerunt. Quo fructu? exiguum adhuc dixerim, & nondum conſedi: & (li-

(libera voce) nihil adhuc magnopere me delectat, praeter amorem veſtrum. Tui ſunt plane mei. Laborant: jam denique didici hanc meram & ſolam Sapientiam eſſe, ſapere contra vulgus. Vale R. P. & nos ama, ſemper tuos. Lovanii.

Libri tui ante dies decem tuto (ut confido) miſſi per ipſum cognatum Moreti *Pet. Graſſium*, qui hîc fuit. At ob itinera clauſa & tumultum nauticum, nihil audimus. Imo jam nunc priuſquam obſignarem accepi bene redditos eſſe. Deo ſit gratia.

EPISTOLA DVII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S.

Lovanium.

DEſino ſuſpicari & angi. tuas accepi hoc ipſo die. Salvum gaudeo advenisse. de moleſtiis illis, non miror. noſti ingenia ſaeculi hujus, ſoli etiam illius & oppidi, ſemper dicacis. dicacis; ſed leviter & inconſtanter. puncturas illas muſcarum, crede, ſi elephantino tergore exceperis, ſola ſeverioris frontis contractione elides cum pungentibus. Non aemulanti obſtrepunt aemuli. an id novum? an moleſte ferendum? Vix orbe nato deterius meliori coepit inſidiari, & quod coepit non deſinet, donec orbis ipſe deſinet, vel in meliorem mutabitur. certa ſunt divinae amicitiae pignora; contemni, egere, affligi. qui haec aſpernatur aut averſatur, amicitia Numinis ſummi indignus eſt. Non poteſt quis a mundi aſſeclis amari aut magnifieri; quem Deus amat, aut aeſtimat ſe dignum. ſi me (ait ille) mundus amaret, Chriſti ſervus non eſſem. Tibi, non dicam moeror nullus propter hujuſmodi aemulatiunculas, aut improborum oppreſſiunculas animo concipiendus; ſed magnopere quoque laetandum, & ſancto gaudio exſiliendum; quod per ſua veſtigia, per arduum crucis iter, te Campiductor noſter ducat. tolle hanc crucem humeris, ſequere non ſegniter praeëuntem, curre ad bravium gloriae, quae ſoli perſeverantiae reſervatur. Illa ipſa Urbis veſtrae ſolitudo, animi quieti, ſtudiis, pietati amica. habes quod ſuperba Principum tecta, quod ambitioſae curiae, quod frequentia emporia, nec dare queant, nec auſint ſperare; ocium. hoc tibi te reddat, te Deo reddat. reliqua illi permitte. Vide aves caeli, nec ſerunt nec metunt: vide lilia agri, nec nent nec texunt; quid his ad veſtitum, quid illis ad victum defuit? non minor noſtri cura, illi cuncta creanti, cuncta conſervanti. differt aliquando, non deſerit. & quae laus Conſtantiae, quod decus Patientiae; ſi nihil durum ſe objicit, quod frangamus; nihil difficile, quod ſuperemus? duris gaudet Patientia, cos conſtantiae quicquid moleſtum eſt. De lectione, quod addis; in loco tu melius, & cum PP. *Flerontino* ac *Leſſio*: experiere ſemper, ut nunc, amicos fidos. Ego ſim auctor, ut nec temere recipias; nec calide rejicias. Status enim iſte rerum, non poteſt eſſe diuturnus;

nus; vel ruet, vel emerget: & hoc potius: neſcio quid Eteſiarum videtur ab Heſperia meliore adventare. iſtud incertum? nil certius, quam deeſſe nihil illis poſſe; qui ſuam in Deo fiduciam reponunt. ille te (mi Lipſi) cum familia tua diu ſervet incolumem. Leodici IX. Kal. Septemb. cIↃ IↃ XCII.

Salutant te PP. *Oranus*, *Crombecius*, & *Ruetius*. *Tillerius* adhuc agit animam, ſed interdum ſpem aliquam praebet vitae. Salutat etiam *Buzelinus*.

EPISTOLA DVIII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S.

Lovanium.

PAx Chriſti. Ita eſt. non oblivionis fuit ſilentium meum: ſed quod nihil in prioribus tuis, quod reſponſionem exigeret. meis enim duntaxat reſpondebant. poſteriores recepi cum eſſem in S. Severini; ubi feriatus ſum plus octo diebus. quid putas? a libris abſens, viſus mihi totidem menſes exſulare. Redii itaque laetus, non lentus, heri ſero. Nunc reſcribam ultimis tuis, datis XVII. Kal. Octob., acceptis ante triduum. multa in iis mihi jucunda. fiducia amoris mei: non fallam, aeternus ille, quia ſedes ejus in animo; a quo quia non avelletur, interitus inſcius futurus. Auget laetitiam, quod de libro tertio de cruce addis. perſto in antiqua ſententia, dandum illum moribus, & Perſeverantiae ac Fortitudini, in adverſis tolerandis. alii duo delectent & doceant: tertius iſte, ut actus ultimus, perficiat ac confirmet mentes puſillanimium. laudem illi eruditionis tibi; hic Pietatis adferet. hanc illi praefers ſcio; quia ſcio ſapere te, & ad aeternam illam vitam, ad veram, non mendacem Gloriam adſpirare. Inſiſte hanc viam, mi Lipſi, ut inſiſtis; perge ſemper, memor illius melliflui D. Bernardi, quo judice non progredi, regredi eſt. De me quod ſubdis. mecum ſentis, non mage tibi id in votis, quam mihi. erit cum Deo videbitur. Spei illius tuae cauſam, quamvis laurum non manderim, videor mihi divinare. ſed haut ſcio, an ſatis firma illa ſpes. hîc provincias cum collega meo diviſi. mihi alternis annis ſcriptura obtigit explicanda. ſi vitam Deus mihi; proximo anno incipium illi profeſſioni dabo. Dubito adhuc an ordiar a pſalmis, an a Pentateucho, an aliunde. magna enim hîc nobis Commentariorum inopia. ſpem tibi fecere ſuſpicor alii, ex ordine Romano Studiorum capta occaſione. lentum hoc negocium & ambiguum: & haut ſcio an quod volunt, vel velle ſuſpicor, ſint impetraturi. Mora non in me, ſed in aliis. Verum quid ego pergo hariolari? facile intelliges num ego te ceperim. ſi cepi, illud ſcito, me, quod aliquando tibi dixi, non injucundum mihi fore; ne nunc quidem aliter ſentire. Libros meos *Moreto* redditos gaudeo, & tibi gracias ago; & juſſu tuo curam illam ponens, quod reliquum eſt totum tibi permitto. in tua enim diligentia cardo vertitur. nam *Moretus* ſat ſcio morabitur, atque utinam non, ut prius, tandem iterum detra-

ctet. Ultimum erat de rumoribus & calumniis improborum. vincis, ſi contemnis: nec id difficile; Christum Salvatorem noſtrum adſpicienti. Potuere, ſola ratione duce, multi. Maximus ille, Fabiae decus gentis, hac laude verius hoc nomen, quam Poenis devictis, accepit; cujus gloria viri etiam apud poſteritatem magis magiſque viget; quod cunctando reipub. rem reſtituerit, ſalutem rumoribus anteponendo. Quanto ſalus animae pretioſior illa civili ſalute, tanto id nobis commendatius eſſe oportet. Sapiendum cum paucis, prudenter cenſes; vulgus vulgus non ſit, ſi ſapiant. nam ſtultorum maximum eſſe numerum etiam divinae litterae teſtantur. aliud nunc praeterea nihil: niſi quod velim, cum ad amicos huc ſcribis; hoc unum tibi prae oculis, ea quae ſcribis multis communicari, & quae de loco illo perſcribis, ab iis ad poenitentiam conſilii trahi; ſed & exaggerari admodum, nec enim dubito ab illis addi nonnulla ſcriptis tuis, & ad ſuam detorqueri ſententiam. Sat puto te capere, & quia ſapis evitaturum, ne quam illi queant occaſionem multa dicendi, ne dicam fingendi arripere. Vale, mi Lipſi. 6. Non. Octob. 1592.

EPISTOLA DIX.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio S. D.

Leodicum.

Tandem pluvia ſermonis tui nos irrigavit, valde ſitientes. Multa ſunt quae nos urunt, ſed Deum & Fidem teſtor, recreor cum aſpicio tuas, quid cum lego? Apud Ordines tractum negotium noſtrum, & nec nunc Diploma: etſi confectum eſſe ii mihi adfirmant, quibus debeo credere. Valeat aliquid ad nomen vel auctoritatem noſtram, ſed mihi crede de nummis & ſolutione lentum negotium. Ferimus & feremus fortiter, magis (tibi ſcribimus) ſi ſoli. Solatium quod Deus homini dedit, neſcio quomodo aliquando in vexatiunculam vertit. ſed culpa fortaſſe noſtra, imo ſerio noſtra, qui aſſurgere neſcimus & aſpernari. Ex quo de magna ſpe mea ad te ſcripſi (capis me, & ego te) nihil ultra inaudivi. Deus perfice, ſi id utrique ex uſu. Quod ad illos de Cruce, abſoluti ſunt & amanuenſem exſpectant: atque utinam prius judicii tui lima admorſi! valde hoc vellem: hîc cum quo communicem? Tamen tertius ille nihil de interna etiam Cruce habet, & admolior ſeorſim duos de iſta. an perficiam, pendet ab ingenii (ut vere dicam) vento. Si ille proſper flat dies pauculos, abſolvimus: ſi fuligo aut bilis noſtra obnubilat, differtur. Ambigo an Pont. Max. inſcribam, non quia ipſo opus dignum, ſed quia argumentum. Sacra & myſtica res eſt, atque inſtrumentum noſtrae Salutis. Mitto quae ad *Monavium* de Weſtphalo. Aliud opus prae manu, ut reſpuam & amoliar oratiunculam (tecum hoc ſit) quae Jenae recuſa funebris in mortem *Joh. Gulielmi*. Bona fide non dedi, imo nemo mortalis apud me vidit: ſi excepta, potes ſcire qua fide. Omitto quod ab aemulis, imo hoſtibus

ſtibus edita. Tamen id quoque hîc percrebuit, & non ubique tu ad manum, qui defendas aut excuſes. Pater tamen Rector & meus *Leſſius* ſtrenui, & fidi, & amici, & quibus juxta Deum nitor. Etiam D. *Cuyckius* perbenignus. Cogitamus ordiri brevi lectiones noſtras, Deus aſpiret. De ſcriptione cautiore quod mones, bene factum. reprime in his talibus calidum ſaepe & apertum. Atque illi, ut dicis, plus hauriunt e ſcriptis meis, quam ego infudi. Temperandum igitur, imo, cum licet, ſilendum. Poenitentiam mihi eſſe fateor; ſed non hujus conſilii, illam, quae eſt in admiſſis, opto perpetuam eſſe, & te, mi pater, valere. Lovanii poſtrid. Non. Octob. ∞. IↃ. XCII.

Convictor apud me ex Hollandia eſt, ille de quo tecum. inſignis juvenis, pius, ſatis etiam eruditus, qui CCC mihi ſolvit. Modeſtia illo non modeſtior. Saluto RRR. PPP. Rectorem, *Oranum* (ſi modo iſtîc) *Miniſtrum*, *Couſinum*, *Buſelinum*, atque alios. P. *Ruetium* audio abiiſſe. De Tuis indies certum exſpecto a *Moreto* de die impreſſionis, imo ipſum fortaſſis una cum filio exſpecto. Uxor ivit illuc; tum aliquid firmi. Exemplar non ſervavi, gratum ſi remiſeris. Italus nobilis apud me fuit his diebus recens Romae, narrat *Bencium* aegrotare (mihi dolet) & iviſſe ad Puteolanas Thermas. idem *Philip. Winghium* noſtratem, amoeno ingenio juvenem, animam agentem ſe reliquiſſe. Multa mecum de conditione Piſana, valde locum & auctorem celebrat.

EPISTOLA DX.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

TUae epiſtolae exemplar, cum reſponſione, remitto. de confecto negotio profeſſionis gratulor. non quia de ſolutione prompta plus ſperem, quam ſperas: ſed quia ex re id futurum, ad quorumdam petulantiam nonnihil reprimendam; de qua & inaudivi hîc, & graviter indolui. noveram ingenium, ſed tam prave erupturum non crediidiſſem. bene tamen, quod pus illud & virus eruperit: medicinam hiſce malis tunc ajunt faciliorem. Tu vero hoc melior, quia ſine culpa; & innocentiae modeſtiam ac patientiam adjunxiſti. Euge, mi Lipſi, Macte victoria tui. perge vincere. id erit, ſi & obliviſcare, & contemnas. ſaepe victoriam corrumpimus, ruminatione eorum, quae, cum pateremur, fortiter ferebamus. inſidiae ſunt ſubſeſſoris, antiqui Anguis; qui quos morſu nequit, caudae voluminibus conatur. Ille te probris ore alieno laceſſebat: tu ſilentio, & ingerentem & ſuggerentem calcaſti. ut quibus lubido in Solem ſpuere, ſaliva recidens faciem deturpat: ita linguae iſtae intemperantes & infrunitae ſuis Dominis ignominiam, quam aliis cogitabant, accerſunt. Quam verum illud? Nemo laeditur niſi a ſe ipſo. ſi illatam vel potius intentatam injuriam ulciſcimur, recipimus jugulo ferrum: ſi condonamus, repellimus in viſcera inferentis. ita ſeipſum ille, vel nos ipſimet ſauciamus.

mus. Alterum quod de ſocia addis, capio probe. ſed quia malum neceſſarium, ut ille ajebat: reſtat, ut lenius fiat patientia. cuncta dulcorat haec virtus. Solatium certe illud ut plurimum plus fellis quam mellis propinat: ſed adde mellis puſillo patientiae multum; cedet omnis amaror. Solatium illud a Deo datum; ſed ab Apoſtolo explicatur, non merum; nec ſine aqua vexatiuncularum cuiquam obtingere: 1 Cor. 7. θλίψιν δὲ τῇ σαρκὶ ἕξουσιν οἱ τοιοῦτοι. de curis id & moleſtiis D. Augustinus & alii ſtatus illius, capiunt. ſolare te communi malo: nec tibi pejus, quam ceteris; imo inter ceteros forte minimae omnium illae, ut vocas. Haec dico, ut ſentio; & te ſentire velim, qui falli me, non hic puto. quid foret, ſi pompoſam, garrulam, catillatricem, & quae ſunt aevi hujus mala cetera; nactus? adſurge itaque, & bilem tuam hac in parte ſic tempera, ut ne noceat valetudini; & adſueſce iſta ridere magis & deſpicere, quam aeſtimare, aut velle tollere. De liberis, libris dico aucta domo; quam tibi gaudeo? omnino ſim auctor Eccleſiae illi ſummo Antiſtiti dices. non dubito id & illi gratum, & tibi honeſtiſſimum futurum. cui rectius queas Salutis noſtrae trophaeum, quam qui curandae ſummus Curio? cui de clave illa, quae caelum patefecit; quam qui caeleſtis regni claviger Patulcius? ſi fas nomen profanum ſacro iſti vertici indere. Male ſit illis fuliginibus, ſi tantum nobis boni differant. Tu illas, ô aethrae purioris Rector, diſcute, qui vales poteſque. ſed &, tu Lipſi, ſi me amas, ſi publicae ſtudes utilitati, vel potius quia & haec tibi curae, & me a te amari ſcio; propera, & tres priores dare, & duos illos alteros addere. ceſſationem aliis in rebus feram: hac in una, quae & nomen tibi partum merito maximo tuebitur; &, ad quod a communi Parente lucem accepimus, proderit plurimum quam plurimis: jam dudum tibi & cunctationi tuae ſubiraſcor. Jenense illud; facile amolieris, ſimili aliquo ſcripto, ac in Weſtphalum illum, Troilum plane: vel potius Praescriptione (ut aliquando memini me conſuluiſſe) generali, ad ea quae per hujuſmodi calumnias, & peſſimi exempli technas vel moliti jam adverſarii pietatis & bonorum, vel in poſterum molituri. Quicquid facies, edeſque; a nullo avidius excipietur, aut ſtudioſius perlegetur. Miror ubi libellus tuus de Weſtphalo haeſerit: nam nullus accepi. Amico illi, cum neceſſe, non deero; vel monitione, vel etiam repreſſione. ſed rumores credo evaneſcent; cum Praelectiones auſpicaberis; ſimul & importuni illi, qui ad Oenomai gentiles te relegant: ubi non unus Myrtilus, non unus Pelops. Deum precor, ut coepta tibi fortunet, & quae pede bono coeperis, felicem & candidum ad calcem perducat. Vale. Prid. Id. Octob. CIƆ. IƆ. XCII.

Reſalutant te, quos ſalutaſti: ego, ſi qui iſthic noti.

EPI-

EPISTOLA DXI.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

ECce jam loquor, ne inclama. Cur tam tarde? inquies. Sunt cauſſae. Morbus *Moreti* filii, quem ſcis mihi fuiſſe a manu. In gravem enim & periculoſum incidit, qui me & familiam non ſollicitos ſolum habuit, ſed occupatos. Pater deinde evocatus acceſſit: dies aliquot haeſit, hodie abiit, & cum illo ſilentium noſtrum. Egi de tuis coram. recepit facturum quod ſcripſit, & *Ariae* huic operi ſuccidaneum futurum tuum. Ad mea de Cruce imagines parantur, ea quoque mora interponitur, nec mihi moleſta: qui neſcio quo modo timide jam prodeo in ſcaenam. Nonne & hîc cauſſae ſunt? Calumniantium manus: valetudo, quae me facit ut ambigam an ſim qui fui? Aeternum autem ſilere melius, quam dedecorare famam jam partam. Scribimus & Obſervationes Hiſtoricas (ſive quo alio titulo erunt) edendas per libros. Etiam, quod ſcis, docemus: & paullo magis ſedulo, ſi excitare poſſimus artes hîc jacentes. Scripſi nuper ad te & Suſium: uterque nihildum ad illas. P. *Oranus* apud nos eſt, una cum Provinciali. Fuere apud me in prandio, ego apud illos, utinam is, cui ſcribo. Vale. Lovanii. IIII. Kal. Febr. ∞. Ↄ. XCIII.

EPISTOLA DXII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

MIhi quidem tuis litteris ſatisfactum, niſi quod nondum an a *Serrario* litteras acceperis? ter quaterve id petii mihi ſignificares, ſimul an *Bentio* & *Sirmondo* reſponſurus. ſi non vacat, excuſabo & cauſabor occupationes. De Syntagmate, agnoſco diligentiam & fidem tuam: de *Moreto* quoque, bona ſpes me coepit. filium ſic afflicta valetudine doleo. credo jam meliuſcule habebit. ſed uter? an ille, qui meus Duaci; an alter junior? Bonum factum, de imaginibus. accedit operi gratia, & melius omnia capientur etiam a minus doctis; quorum cum major ſit numerus, non minorem curam cenſeo ſcriptoribus habendam. Sed tu (parce dicto) quid times oligopiſte? calumniantium manus, patientia & ſancto contemptu difflabitur. Viget mens, & (quod caput) Deo gratior, quam erat. litaſti gloriae, nunc litabis ſaluti. famam quomodo dedecores, ornatam pennis pietatis, tinctam colore verae fidei, ſucco plenam juſtitiae & partium bonarum? expelle animo hunc torporem. gnaviter artes jacentes ſuſcita; quo pauciores qui te juvant, hoc ſolidior laus tua,

ce-

ceteris indecerpta. cur times? ſi queam periculum in me transferre, ſuſciperem omne. quicquid a Lipſio prodibit, obviis ulnis accipietur, a bonis, ut pro merito laudent; a malis, ut invideant & ringantur. *Dan. Suſius*, totus litibus & forenſibus tricis involvitur. haec cauſa cur ipſe nondum, ego jampridem reſponderam, dicerem quo die, ſi quod exemplar ſervaſſem. noſti morem meum. bis non ſcribo, ne temporis jacturam duplicem. RR. PP. *Orano*, *Fleruntino*, *Leſſio* ex me ſalutem: noſtri te reſalutant, quibus ſalus a te adſcripta gratiſſima. Vale. Leodici IIII. Id. Feb. ∞. IↃ. XCIII.

EPISTOLA DXIII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

SAtis tarde & raro, inquies. Ita eſt: quid ſi ad neminem citius aut ſaepius, quam ad te? ignoſces credo, cum hac quoque parte eximium te eſſe apud me videbis. Neque mentior: nam omnes iſtas ſcriptiunculas ad exteros & longinquos paullatim circumcido, & ſine ullis laciniis (quantum poteſt) veſtem hanc animi & cogitationum adduco, & circa me ſtringo. Nonne expedit? non negabis. Sic Deum melius colo, ſic ſtudia, quae fructui ſervire magis quam ambitioni velim. Munus noſtrum docendi ſine intermiſſione obimus, nec poenitet profectus. Juventus avida eſt, conveniunt, & quidam etiam e Batavia, quam amare non deſino, utinam puram & Religioni ac Regi amicam! Erit, cum auctor religionis volet, & coërcebit nunc non exſultantes ſolum, ſed inſultantes. *Romanus*, qui Medicus apud nos, vocatus a Wirceburgenſi eſt ad Profeſſionem: neſcio an in tranſitu vos videbit & ſalutabit. Epiſcopus *Torrentius* Archiepiſcopatum habet delatum a Rege: & accepit, ut audimus. non tamen id firmo. *Serrario* ſalutem miſi per *Romanum*, *Bentio* litteras nunc nuper *Ortelio* curante. In hac communi Europae militia nos quoque militamus, ſed ſtilo. ſcribimus ad Polybium de Militia Romana: Puto vere, nihil utilius ad Hiſtoriae lucem concipi poſſe. Vale, mi Pater, & qui ſum eſto. Lovanii. IX. Kal. April. ∞. IↃ. XCIII. Carmen in Senecam tuum hîc habes: aureum, ſi vel tuo animo, vel auctore eſſet. Sed mea fuligo non aſcendit in ſerenum illum montem: & *Muſae furcillis praecipitem ejiciunt*. Iterum Vale.

EPI-

EPISTOLA DXIV.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio S. D.

Leodicum.

SIlentii mei cauſſam cum tibi probavero (adeo diſplicet) vereor ut vel mihi. Abſit ut reſcindam in te aut aſtringam hanc laciniam: illa vero fluat & ſequatuur affectum. Tamen ſilui. Quid? nonne ipſe venturum me certo putavi, atque etiamnunc ambigue puto? Fontes me trahunt, tu, & amici aliquot, quos ſane amo. Abſterrent pericula, non in via ſolum (cavere poſſum comitatu firmiore aut praeſidio) ſed magis quae illic. Spada ut alios tuto habeat, non Lipſium: in quem linguas jam etiam acuunt & diſtringunt Tribunitii illi concionatores. Manebis Leodici, inquies. Poſſum, & volo. ſed nec cum fructu eodem, quod ad valetudinem; nec cum quiete, quam ſectamur. Nam mi Pater quantumvis ad mores & ad homines me aptem, tamen liberiora illa Hilaria non ſunt pro meo genio, & diffundi atque etiam perfundi modice amo, odi ſollemnes conviviorum ritus. Cauſſa etiam altera quae me tenet, editio libellorum de *Cruce*. Attendere correctioni debebimus, quia non nimis belle aut compoſite ſcriptum (ita ſoleo) noſtrum exemplar. Quid, quod *Politica* etiam & *De Una Religione* correcta damus? Moniti a Romanis ſumus, & a *Bellarmino* veſtro cenſiones accepimus, ad quas illa reformavi. Elaborare de *Militia* denique velim, in qua credo me videre & capere, quae non ante me omnes. Ab *And. Schotto* jam nunc ex Hiſpania litteras, huc iter adfectat, & ajunt impetraturum. Item a *Pantino:* qui opuſcula noſtra legi & probari etiam aulae illius primatibus ait, requiri ut alibi aliquid refingam. Non recuſo, atque etiam te judice. Et cur non tu ad nos? cur potius neſcio quod tirocinium iterum cogitas? Ille qui olim [1] noſter, qui me & quem ego laeſi, nunc ſe mecum junxit neſcio an aheneo jugo, ut ait ille. Feci quod Pietas juſſit, magis quam externa Honeſtas: nec poenitet illam in pleriſque aliis fuiſſe, eſſe, & fore ſcopum. De tuis ad Senecam, colorem paene muto cum cogito. Quoties monuimus? quoties addixit? nunc iterum exſpecto ad ſeriam poſtulationem noſtram, & accipiam fortaſſe, priuſquam haec ſignem. Si erit, includam. Tu me in tuum animum, atque etiam preces. Lovanii poſtrid. Idus Jun. ∞. IↃ.XCIII.

En accepi, & includo. vides rem eſſe, non verba. Ab amicis interea didici a *Domano* Weſtfalo iterum in nos librum ſcribi titulo *Antilipſii:* quid tu dicis? Exerceor. nec ego tamen unquam reſponderim, nec tam ſordide conflicter. Ad Batavos *Scaliger* venit, in quo triumphant.

1 Credo *Carrionem* intelligi, qui hoc tempore erat Profeſſor Regius Decretorum.

EPISTOLA DXV.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. P.

Lovanium.

SI affectum audio, conſuetudinis & eruditi ſermonis deſiderio pene abripior, ut ne pericula quidem periculi quidquam habere videam: ſi rationi auſcultem, perſuadet magna illa & non contemnenda, quae ſcribis. nihil praemiatoribus illis inauſum, nihil ſeditionum flabellis Tribunitiis intactum quod optimatium partium ſit: & tarda ad iram pectora, ubi ſemel excanduerint, ne agnati quidem Neptuni fluctibus refrigeſcant. faciunt quod poſſunt, ferrum nequeunt, linguas diſtringunt; illud ſi detur, non parſuri. Leodicenſes ad omnia connivent, nec ſuis quidem ſecuritatem praeſtant. Non ergo fuerim auctor, ut Spadae ſumas. hoc ſaltem tempore, donec tutiora. An Leodici? legi quae te tria deterrent. fructus minor, moleſtia Hilariûm, & libellorum editio. Medium illud in manu tua, ſi velis, aut ſi frontem obdures. Nos quidem unica Generalis juſſione, hac moleſtia penitus liberati, cunctis reſpondemus; Non licere. ſi tu cunctis, idem: in eamdem certe tranquillitatem te dabis. quod nobis obedientiae, hoc tibi cura ſanitatis tuendae. vides colorem aliquem: ſed qui nec mihi plane ſatisfacit, dum Orani noſtri, compatris tui ſedulitatem & pertinaciam in vocando & cogendo cogito. ſaepius ille ad me, ſed ſemper bellum & quaſi inimicitias denunciat, quia non aſſentimur. Sed vincemus aſſiduitate negandi, vel (niſi fallor) jam vicimus. minus moleſte fert, quod toties ferendum. Vereor, ut poſſis aeque pervicaciter abnuere. Sed plus momenti in editione libellorum, haec una mihi ratio ferme peremptoria, ut in alium annum differatur. vix tua pro dignitate te abſente vulgabuntur, praeſertim ſi autographa. Cenſiones illas a *Bellarmino* te accepiſſe gaudeo, & quae ex meliore Heſperia *Pantinus*. de nigris nominibus tollendis ſcis pridem me monuiſſe, parvae operae res futura. perplacet quod tibi olim placuit, epiſtolas omnes recudi additis aliis opere bipartito, ſeriarum, & familiarium. ita licebit, quas voles omittere. Cum *Suillio* non conflictari te velim; ſed ſi perget, ſinas alium aliquem Weſtphalico more excipere: miſere affectat per te in ora hominum venire. ulciſceris probe, ſi contemnas. quicquid erit ſcripti, quod ille meditatur, ſi dederit & acceperis, quaeſo fac videam. *Cornhartii* manes iratos tibi, legiſti? vidi in Catalogo Nundinarum. ſi habes, & non vis reſpondere: ſerva quaeſo mihi, ut poſſim aliquando legere; & fors, nomine conficto aliquid reponere. Nam operae pretium judico initiis iſtis ſcriptionum occurri, ut vel reſipiſcant & ceſſent ab hac prurigine, vel ſi confricare pergant, magno id cum dolore. Amicum illum noſtrum ſe tibi junxiſſe, ſerio triumpho: diu id mihi in votis, & conatus ante quadriennium Lovanii id aggredi; ſed obſtitit ille, nolens vel ſemel ad nos venire. Deum precor, ut jugo aheneo: conſilium etiam, vel non pe-

petenti, idoneum ſuggero, Epicharmi illud, iis qui mutuo dicta referre ſolent, non credere: & faceti ſcurrae aliud, de Lino. vix aliae ſunt peſtes amicitiarum conjunctioni infeſtiores. prior palam abrumpit; clam poſterior & paulatim, dum mutuum datum, poſtea repetitum, trabales etiam clavos amoris expellit. quod de mutuo, idem de fidejuſſione cenſent, qui in Oeconomicis cati habentur. Veri amici fungeris officio, mi Lipſi; ſi quae noſti, paullatim ab eo, & exemplis, & prudenti monitione reciderís, & ad veram pietatem perduxeris. Quaeris praeterea, cur non ad nos? putabam ex aliis meis id te percepiſſe. repetam ergo, & more meo planiſſime. Scis, & ſcit P. Leonardus, quam ad ſacrae ſcripturae ſtudia propendeam, & in iis optem emori revolvendis. ſpes fuerat facta & tuis, & P. Rectoris litteris. reſpondi tum, in me, finito ſtadii Moralis curriculo, moram non fore. advocatur interea vel ſaltem recipitur ad illud munus alius, me magis idoneus ſed munus detrectans, & quod jam multis menſibus extraxit. quod cum intelligerem petii a Patre Provinciali, & obtinui, quod mihi privatim utilius, nempe recollectionem mei & renovationes ſpiritus in Noviciatu. Vides, nihil penes me vel levitatis, vel averſionis a vobis. ſi petii, non niſi, poſtquam de alio convenit. ſi obtinui; ſcio ab illis, in quorum manu & poteſtate ſum. qui ſi jubeant ad vos ut properem & tyrocinium differam; religioſus ſum, obedientiam colo, non detractabo. publica privatis praeferre non nunc velle incipio. Si ad Noviciatum ſinent abire, laetabor & gaudebo mihi concedi jam nunc, quod poſtea neceſſario ſubeundum, aetate & valetudine minus firma. habes rem totam, quam potes communicare cum Reverendo Patre Rectore, & R. P. *Leonardo*, quos ſimul ſalutabis. De Seneca gaudeo & gratias tibi ago, qui taedium illud ſuperaris. doleo, quod apud Nervios non potero vacare colligendis Indicibus, ut poſſem in Grudiis: ſed per alios id poterit *Moretus* praeſtare. folia nonnulla interea ſi miſerit, ut pollicetur, gratum futurum. non credo coeptam editionem interrupturum; & perfectam confido hanc ſpem illi futuram fructuoſam. non aliud hactenus cauſa fuit differendi, quam timor jacturae: cui timori mederi debebat, quod Tragoediae illae quotannis ferme in Societate noſtra ubique praelegendae, & ſic emptores non defuturi. Reſtat de *Schaligero*; quem ſi noſti, ut Batavos noſti, non arbitror te Sympathiam magnam expectare. equidem, quamvis vates non ſim, nec Carmentae vel Tireſiae filius, ariolor, illic non perennaturum. ſcis praeter eruditionem, complura neceſſaria, ut quis Profeſſorium munus cum laude ſuſtineat & gratia: ſcis, quae magnis precibus & votis & ſumptibus petita, raro tantae ſatisfacere expectationi, & quando ſpem non ſuperant, facile vilere. Hic nihil novi: ad tuae epiſtolae capita omnia reſpondi. Salutat te P. Rector, P. *Miniſter* Trajecti nunc agit, brevi reverſurus: Petrus *Buzelinus*, jam Sacerdos, Audomaropoli claſſi praeeſt Oratoriae. Saluta meis verbis D. *Carrionem*, & ſi qui illic ex notis. Vale. IIII. Kal. Jul. ∞. IↃ. XCIII.

Venit poſtea *Pet. Oranus*, narravit de conditione iterum tibi oblata ex Urbe; de altera quoque Patavina. ſimul mutaſſe te, quod mirabatur, conſilium

de nuncupandis libris de Cruce. inſcribendos non Eccleſiae Vicario Chriſti capiti, ſed Brabantiae Ordinibus. ita narraſſe ſibi Cancellarium e Brabantia reducem. Vera autumo, & non ſine ratione a te conſilii id initum. ut ut eſt, Deum precor fortunet. Addidit ſe binis a te litteris (quas forſan acceperis) petiiſſe, commodatam ſibi mitti apologiam illam Anonymi pro Jo. *Monlucio*, quam illi pollicitus fueris alias: fideliter ſe reſtituturum, & voluit me a te petere. meretur amor ejus in te tuaque omnia, ut non gravate id facias. ſpes aliqua affulſit libelli cujuſdam contra te editi: quem quidam ſe accepiſſe ajebat, ſed neſciebat an *Cornhartii*, an *Domani*. cum videro; pollicitus enim ille copiam legendi; ſcribam prolixe. iterum Vale, eodem loco & die.

EPISTOLA DXVI.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio S. D.

Leodicum.

AEſtatem abire vides, neutri ad alteros venimus. Nam & de te ſpes erat, erat? imo nunc etiam eſt, ut P. Rector mihi dixit. Is juſſit & tibi nunciari, tres quidem deſignatos ad hoc munus, ſed neminem ex iis electum, & id pendere a capite provinciae, quod nunc arbitramur eſſe pro noſtro voto. Nam Oranus eſt, tuus & meus. Sed in hac re Deus inſpiret & faciat, quod erit publice & privatim ex uſu. Ipſi permitto, vota mea tantum interpono. Ille cum quo mihi nova gratia, non eſt novus. Fallor, aut mores quos habuit habet, non nunc quidem mihi probos. Tamen convenimus interdum, loquimur, ſed fere ſuſpenſi, quid ſi & mutuo ſuſpecti? Fidem ego quidem non habeo, & vereor, ut in ſpeciem amicitia noſtra velit uti, an & in me abuti? Cavebo, qua potero, & paullatim etiam (ita viri probi hîc conſulunt) removebo. Satis eſt, feciſſe quod decuit Chriſtianum. Odium jamdiu poſui. amor inter diſſimiles haud facile coit. De libellis in nos editis aut edendis, omnia tenes. Credo alterum te jam vidiſſe, Diodori inquam: alterum viſurum brevi, Domani. Ille faetus poſtumus eſt, & infirmus ac mortualis: quid cum eo lucter? videar mihi cum umbra. Iſte quis futurus neſcio, niſi hoc quod aſper. Scis axem ubi ſcribitur: & quid ſi rigoris aliquid Batavi etiam adflent? opinor, ſed videbimus. Certe petor & tangor, ſed quid niſi a ruſtica aut barbara manu? non lubet reſpondere, nec ratio eſt. Si pro me alius, fortaſſe nec publice quidem malum. Dic ſerio, vis tu ludere? nemo magis decore poſſit hunc ludum. Robur & acrimoniam habes, & uno verbo, dentes. Sed rem videbimus, & ex ea conſilium. Adfuit hîc ante dies P. *Coſterus*, cum meo gaudio & interiore fructu. is nunc Romam. Ab Romanis exſpecto de recenſione Politicorum, & miſimus ad eos noſtra immutata. De tuis quid? folium aut folia habes? ego adhuc nihil. In Cruce etiam me ducit, & jamdiu liber apud ipſum. Vale R. P. Lovanii xv. Kal. Sextil. ∞.IↃ.XCIII.

EPI-

EPISTOLA DXVII.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S.

Lovanium.

SUperioribus diebus ad te ſcripſi uberes, quibus reſponſum exſpecto. poſt „incidi in CONFUTATIONEM lib. tui adverſus DIALOGISTAM ſub extre- „mum mortis fatum per ſuae Patriae libertatis ſtudioſiſſimum *Theodorum Vol-* „*cardum Coornhert* conſcriptum. hic titulus. opus multis in locis vix Latinum, expers ſani ſenſus, & quale prius plebejum, futile; nervos, & oſſa, carnem & ſanguinem, fruſtra quaeſivi: donec in memoriam, Larvae vel Lemuris factum eſſe. carpit minuta quaedam in tuis. duo dumtaxat repperi momenti alicujus. unum de Lactantii loco: alterum, quod Tertulliani loco, quem tu citaras, alterum objicit. quiddam adjungit Auguſtini. praeterea nihil reperias ullius mentis, haec depravatae. ſi quid reponere paras: exemplar eſt penes *Oranum* noſtrum. Equidem auctor non fiam, ut cum tam degeneri hoſte, vel tu, vel quiſquam. *Joannis Bernartii* librum vidi de Hiſtoriae utilitate. vividum ingenium placet; & collectio ex variis. erit non unus (auguror) qui dicet nimis multa de *Johanna* Pontifice ex aliorum ſcriptis collecta; aut, ſi non lecta illi, mirum id videri. ſed de correctione reſcripti Pontificii, c. ult. in Princ. de uſur. quod addita negatione in aliam ſententiam detorſit: quid tu ſentis, mi Lipſi? adſcribis, bonum factum? non ego. mali res exempli, ſi jam legibus & Canonibus manum quivis admoveat non medicam tantum, ſed & prurientem. parum leges tuae Menippeae valuere, quibus hanc peſtem ſcriptoribus aliis avertere conabare. Omnes jam *Cujacii*, omnes *Auguſtini:* nec eſt quiſquam Legulejus, qui non tot annis, tot codicibus, tot tribunalibus recepta refigat; qui non juſtiora ſe Juſtitiae priſcis illis Sacerdotibus edicta promulgaturum confidat. Agnoſco vitium litterarum noſtrarum: nimis inflant. quando fervor aetatis inflammat: fruſtra conemur aquam infundere. nihil praeter maturitatem, queat ſubvenire. Tecum iſta; quem ſcio me capere, &, ſi queas juventutem iſtam, regere. clama, inclama, ne ceſſes: reprime hanc, quantum poteſt, licentiam. proderit, ſi oſtendes tibi diſplicere audaciam caſtigandi ſcriptores; prae ceteris, quae ad Aſtraeae forum pertinent; & quae ad Aſtrorum rectoris Oeconomiam, ſacram ſcripturam dico. proximus illa, poſt Canones, gradus: qui his facile calamum imprimit, tandem & illi obelos minabitur. Non *Bernartii* haec gratia a me ſcribuntur; quem ignotum amo, & ingenium laudo; amorem vero in te, amplector: ſed quod metuam, ne ut in Batavis ex ludo tuo velut equo Trojano non ereditului tantum adoleſcentuli multi, ſed & audaculi ac turgiduli nonnulli nimis prodierunt; dum ſolidius a te & fortius dicta non queunt concoquere; idem Brabantis noſtris accidat. & hic quoque *Gruteros*, *Baudios*, & ſimiles cladem litteraturae ſeriae minantes experiamur. Vides quomodo jam, & juris, &

Theologiae, & Philoſophiae ſcholis illudant, quomodo ſpinoſa illa, ſed neceſſaria delicatuli deprecient. ſed ſatis multa de his. Venio ad noſtra. *Moreto* ſcripſi, cupere me aliqua folia Senecae videre, ut pollicitus ſe miſſurum. Tua de CRUCE apud typographum eſſe audio. ſed cui inſcripſiſti? rumor hîc, quod alteri quam Sancto Patri. Duo ſunt alia, quae viſa ſcribere. Agit Lovanii *Goſuinus Batzonius*, *Goſuini* Conſiliarii Brabantiae filius, adoleſcens probus & honeſtus ut audio. puerulum novi, cum parens & ego Lovanii ſimul degeremus. obſervat te & amat: cauſa haec cur cupiat commendari. petiit a patruo D. Canonico *Batzonio*, quem noſti Conſodalem hîc tuum. is a me. putant commendationem meam apud te praetii alicujus. fac, ne fallantur: quod facies ſcio. precor eum commendatum habeas, aliquando te officii & honoris cauſſa convenientem, benigne accipias, horteris, dirigas. has tibi tradet. Alterum neſcio, an ridebis? miraberis certe. Venit mihi in mentem quorumdam ſuaſione, MARIANAS omnes, quas dixi, concinnare. facio horis ſubſecivis, deſcribo. in unum conjeci libellum (vis titulum?) *Tertrium Floridorum Marianorum libellus.* pleraque de floribus ſunt (ſcire potes qui pleriſque interfuiſti) & ſtilo, qualis floridorum. quorſum? inquies. Cum ad nos R. P. Provincialis, & P. *Coſterus*, & P. *Oranus*, quos exſpectamus menſe proximo, illis oſtendetur: ſi judicabunt. Romam mittetur: ſi R. P. Generalis noſter approbet, paratus ſum parere. Nec mirere me caneſcentem puéraſcere: Brabantinum hoc. citra jocum (Lipſi) es auctor? deteriora non ſunt futura, nec multo meliora, quam cum audiviſti. lucem ferent? negas? certus ſum ſupprimere. judicas poſſe? progrediar in arenam. certe deſidero aliquod mei in Sacratiſſimam DEI matrem cultus & amoris veſtigium manere. Quid, ais? alias ſilentio ignoſcam, non nunc, Ai vel nega. ſed ne fruſtra ſis, ſi probas; & ſimul Romae adſentiunt (quos ſubvereor, quia ſcribendi filum, quod texo, non cunctis ſapit) tum tu epigramma. qui tuas non vis, alienas certe commendes oportet. Nam ut tuas patiare in lucem prodire, horter, & obſecrem; ſi cum ſpe impetrandi. Vale (mi frater) & cave committas, ut doleam ad hoc ultimum te non reſpondere. Ipſo MARIAE Magdalenae die Leodici. XI. Kal. Aug. ∞. IↃ.XCIII.

EPISTOLA DXVIII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio S. D.

Leodicum.

NOs vero te hic habebimus, Io triumphe. hoc primum, & hoc certum. tu vide ut ne alibi diutius commorere, ne privatae quidem ſalutis aut boni cauſſa, & publica hîc eas neglectum. Alterum, mirari me quod meas nondum accepiſti. Dedi Priori Leodicenſi ad *Catenam* (ut vocitant) atque is primo ſe laturum receperat, deinde miſſurum. Imo poſteo conventus adfir-

firmavit miſiſſe. Sed fruſtra verba, jam accepiſti, aut alius intercepit. Bene, ſi non iterum mea in Bataviam. Deus bone, quos illi nunc animos! Sed eidem Deo gratia, quod nunquam conſtantius & aequalius haec omnia tuli. Crede tu arbiter olim mei ſenſus, ne cogitatione quidem niſi tenui delibo. Iteras in tuis illis de libello *Diodori*. Quid? nonne χυδαῖος & vere Diodoracus eſt? Praedixeram, nec eſſe, cui ego aut alius reponat. At quin *Domannus* eminebit. Utinam ſerium agat, & ſemel aliquis ſcribat, cui decore reſpondeam. nam lubet interdum (vide quam langueam) pugnaturire. Sed bona fide, non lubet, cum rationem advoco: quis ego, in quos? non magnus ſed in viles, ſed in eos quos non dicam honor non reſpicit, ſed nec pudor. Denique caput, pacis nobis ingenium: & velim iis, qui tractant pacis has artes. Velim amplius, modeſtiam & verecundiam in adoleſcentibus, qui in bono limite per faſtum & confidentiam excedunt. Ille, de quo judicas, an non ego idem? diu ante te & apud ipſum, ſed, ut mos meus, leniter & ſermone molli, tamen aperto: quid juvat? fraenum per aſpera, per mollia, non damus: currunt praecipites, utinam nec cum infamia doctoris? Atqui ego praeſtiti, privatimque monuiſſe conſcius, & imprimis peſtem hanc damnaſſe affectatorum & in Stilo, ut ſic dicam, Zelotarum. feramus quod non emendamus, ut alia graviora: & iſti ad muſas eant, ſed meliore muſa non favente. In fine epiſtolae obſecras & reſecras me ſuper judicio de Marianis. Iraſcor. tene? innue, volo. atque audi, quae ego tibi — μάλ' ἀτρεκέως ἀγορεύσω. ſi talia qualia audivi, meo periculo ede. Spondeo, reſpondeo, non te facti, non me conſilii poeniturum. O quam multa talia, ſi ſis coram? eris, expecto, & jam amplector. Lovanii pridie Kal. Sextil. ∞.ıɔ.xciii.

EPISTOLA DXIX.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio ſuo Salutem P.

Lovanium.

QUae mihi certe nondum reddita. quam prope (mi frater) vixeram! quam prope a Nereidum abſfui cubilibus, & foedis Phocarum faucibus! quam tenui vita termite, nullo vix inter vitae lethique diſcrimen tramite, dependi! ſed gratulare reduci, gratulare redivivo. Quae feſtum exaltationis ſanctae crucis diem praecedit nox, ea duos myoparones (azabras vocant) Ictio ſolventes portu, a conſpectu ſeptem hoſtilium navium nigrante peplo ſubduxit. altera, quae Cantabra, vehebar; altera ſignifer regius regias literas portabat, quae Gallaeca. haec Ferolium, Laredum illa petebat. Tertia die ſub veſperam ventus adverſus nos coepit affligere, nihilominus ea nocte ad Sorlingas uſque penetravimus. Inhorreſcente mari, ventis ingraveſcentibus, auge-

1 Reſpondet Lipſius 1. Cent. ad Belg. 33. quamquam illa annum ſequentem praeferat. ſed puto perperam.

geſcente procella, victi fluctuum tumore & compulſatione nautae ſpem Cantabriae depoſuere, & tempeſtati cedentes reflexere in litus hoſtile Anglicum; totis id ſex diebus & noctibus legere; ſexies fluctus navem ingreſſi, & caput humeroſque ſalum mihi ſalivit. interea tempeſtas non magis, quam hoſtiles naves, quam vela nobis minabantur, & immanes illorum Leſtrigonum orae, metuenda. vix fuit, credo, de numero militum vel navalium ſociorum, quin ſe voto obſtrinxerit: nec pauci confeſſiones criminum obivere, quidam generales. ſolus ego in Cantabra Sacerdos. jacebam ipſe, & vix me movere prae debilitate poteram, reptandum tamen fuit ſemel ad unum, jam animam in primoribus habentem labris. dedit vires Deus, in tempore adfui; & mox jacui iterum adfixus tabulis in morbo. Novem diebus, non nauſea tantum, ſed & inſomnia in continuis clamoribus & nautarum diſcurſationibus, & inedia quia modicum illud quod ingerebam ſtatim ſtomachus ejiciebat, & doloribus veterum mearum aegritudinum, ſic fui maceratus, ſic viribus defectus; ut cum Caletum redii, P. *Buzelinus* & medicus in ipſorum manibus exhalaturum me ſpiritum putarent. Nono igitur die, qui B. Matthaeo ſacer, Cantabra noſtra multis hoſtium petita tormentis (nam ſeptem naves portum obſidebant) me iterum Caleti expoſuit. Gallaïcam alteram a ſex diebus non videramus, & periiſſe cum Regiis litteris credimus. Paullatim convalui, etſi non plane, nec plene. Judicavit medicus, qui mihi illic adfuit, ob vires corporis affectas, & quae mihi aliae noxae, ſine manifeſto vitae periculo non poſſe iter iterum iſtud me aggredi. Scripſi de re tota ad R. P. Viceprovincialem, meque paratum ſignificavi, depoſita profectionis cogitatione in Belgica remanere; nec iterum in mare novis fluctibus referri. non mihi ſunt integra lintea; non robur, non membra, quae fuere, laboribus & aerumnis paria. multum de me mihi aetas, multum morbi, multum ſtudia abſtulere. fefellit animus plus ſibi de ſe pollicens. Habes ergo me iterum in Belgio, mi Lipſi: ſed non Lovanii. quid enim illic [2] exauctoratus? dempta volenti profeſſio: cetera munia melius alibi obiero. placuere Eburones & me manent. eo intra dies pauculos. ſiquid voles, Leodicum tranſcribe. RR. PP. Rectorem, *Leſſium*, *Deckerium*, *Leidanum*, *Gibbonum*, *Cornelium* &c. ſaluto, has cum illis litteras communicari cupio. Uxori quoque tuae ſalutem. Vale mi Lipſi. Inſulis. 17. Octob. 1597.

Quaeſo, ſi vacat, materteris meis, aut cognato Domino Spange narra, de reditu & cauſis: nam ſcribere mihi nunc minus oportunum.

2 Credo *Delrium* cum reliquis Jeſuitis docuiſſe Lovanii, cum *Torrentius* ibi vellet collegium a ſe conditum a Jeſuitis regi. Vid. ſupr. ad Epiſt. CCCCLXII.

EPI-

EPISTOLA DXX.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio S. D.

Leodicum.

EGo vero conceptis verbis, & numine illo teſte (ignoſce ſi facio in re non magna, ſed mihi ſeria) numine, inquam, teſte, promitto de crebra, vel aſſidua potius ſcriptione, ea lege, ſi tu non deſeris, & pari paſſu hunc diligentiae campum mecum decurris: Ad tuas iſtas quod paullo diutius ſiluiſſe videar; ſcito ante biduum demum redditas eſſe; & ut deinceps facilem & certam viam mittendi muniam, muliercula eſt (*Barbara* ei nomen) quae ſtatis diebus aut ſeptimanis huc venit. cum ea paciſcar de tuis meisque litteris perferendis. *Admiranda mea*, ſive, *de Magnitudine Romana* (ſic inſcripſi) jam coepta excudi, & folia aliquot habeo, utinam a te videnda! ſed non poteſt: hoc tamen poteſt, ut in aliis conſulam, & quae nunc ſunt in manu. Nam illud ecce argumentum alterum geminum traxit, *de magnitudine aliarum gentium*; in qua ſunt *Judaei*, *Aegyptii*, *Perſae*, *Macedones*, alii, & in clauſula *Hiſpani*. Pars ſecunda erit *Admirandorum*. & quoniam titulus ille placuit (familiariter tecum garrio) fortaſſe & tertia accedet, *Admirandorum in virtutibus & vitiis*. Vides fortaſſe quo eam; ut retinerem coeptum de *Monitis* & *Exemplis*, & partiar & diducam. Sed in Judaicis, ubi magnae opes, haereo valde in *Talenti* modo: & conſului, qui ſuper hac re ſcripſerunt, ſed non uſquequaque me transferunt aut ſedant. Quid etiam in Eupolemi loco dices, qui *Talentum* definit eſſe Siclum? & *Budaeus* arripuit, atque ad ſacra tranſtulit, ſed o, paene dixeram, ſtulte! mihi corrigendus locus videbatur, & cauſſas habeo; ſed tu mea cauſſa, quaeſo, lege. Scis eſſe in IX. Praeparat. Euang. Euſebii. quem niſi Graecum habes, nihil habes. Addam de *equis & curribus* Salomonis: res ſane ſtupenda, ſed cum diſcrimine aliquo numerorum in ſacris. Nam Regum libri *mille quadringentos currus* tribuunt, & *duodecim millia equitum*. Paralipomenων, habuiſſe *quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum equitumque duodecim millia*. Et turbat etiam hîc Joſephus. vidi conciliandi conatus quoſdam: ſed velim quid tibi ſenſus ſit, ſcire. Item in Navigatione Salomonis, uno loco dicitur, retuliſſe claſſis CCCCL. talenta auri, altero CCCCXX. loca tibi nota ſunt. De *Marchantio* ſerio commendavi & commendo ad hoc munus, cui aptum plane cenſeo eſſe. Commendo igitur iterum: & videor debere aliquid ob operam in Hiſpania navatam. Illinc ad me *Arias Montanus*, *Joh. Idiaquaeum* valde in me pronum eſſe, & res meas auctum ire velle. Ego malo firmatas: & hoc ſatis ſit, ne ſemper ab iſtis impotenter potentibus pendeam. Quibus vacabat ſalutem dixi: nondum tamen *P. Gibbono*; cras puto, faciam, & monebo. MAGICA tua, pro votis multorum, tarde dabis. Omnino in hoc incumbe, & emitte. & quid ſi ſic inſcribas? malim hoc, quam DE MAGIA: aut, ſi cenſes, MAGICARUM DISQUISITIONUM. a vulgato verbo no-

nolim recedere, nec obſtat, ſi alii eo uſi: res docebit, quod tu aliter: Saluto amicos, in primis ampliſſimum Billegeum & Oranum. P. Leonartus ante biduum ſerio mihi dixit, auctorem ſe tibi fore ejus editionis, & ut hortarer hortatus eſt. Salutem nunc dicit. Vale mi Pater, & commodo tuo ad mea illa reſponde. Lovanii XVII. Kal. Decemb. CIƆIƆXCVII.

Ad autographi Lipſiani marginem haec notaverat ſua manu Delrius. *De Talenti Judaici modo (nihil enim nunc de Graecanico) cum Graecos ſcriptores conſulo, invenio eos divinaſſe potius, quam certi quid habuiſſe compertum. Eupolemi locum conſulere nequivi, quia deeſt nobis exemplar Graecum. nec multum laboro, quia Graecis Ethnicis haec minus comperta. Deus bone quantum intereſt. Epiphanio Siclus drachmas duas Judaicas, hoc eſt, quattuor Atticas appendit (hoc enim ex Joſepho & Hieronymo conſtat) ſed eidem Epiphanio Talentum libras centum viginti quinque, libra duodecim uncias; uncia ſtateres duos; ſiclus ſtateris dimidium. quadraginta ergo octo ſicli libram faciunt, quae talenti pars centeſima vigeſimaquinta. Alii talentorum duo genera, unum commune, quod ſexaginta libras dicunt continere, & ſacrum, quod arbitrantur duplo majus (hic Lipoman. in Exod. c. 25. ex Ruperto Tuitienſi) ſed ea diſtinctio fortaſſis videtur non recipienda: iiſdem fere refellerunt argumentis quibus duplicem Siclum Ribera exploſit. ſed quantum valuit talentum; opinor Cauchium ſecutus circiter ſexcentos aureos noſtros ducatos; hoc eſt tantam auri maſſam, quantam ſexcenti ducati efficiunt. quam Cauchii & Levi Bengerſonii in Regum ſententiam ſecutos invenio Maldonatum in Matth. & Ariam Montanum libro de menſuris ſacris. Hebraeis SEKEL Siclus; GICHAR talentum.* Haec *Delrius.*

EPISTOLA DXXI.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio S. D.

Leodicum.

MEum hunc cum vides, facile opinaris quod & meas literas: ſine quibus nefas ſane eum venire. Etſi Valetudo valde renitebatur, & peſſimam ſane habui hanc noctem. Magis magisque ad fontes veſtros inhio, ſi viam nobis & ſecuritatem pax aliqua facit. Vel ſaltem illa cum Gallo, quae hîc putabatur (an quia ita volumus?) in vado eſſe. ſed & de Britanna multus ſermo, etiam cum Pontifice & Eccleſia (ſed tu riſum ſuſtine) concilianda. Quid ais? nonne haec ADMIRANDA ſuper omnia noſtra? quae quidem noſtra jam mittere putabam, ſed nuntius an *Moretus* fefellit? nam omnia abſoluta, hoc ſcio. Quando autem ad me tuae [1] MARIANAE? ſuave fuiſſet ſacratis his diebus tractare illa ſacra. *Scaliger* de *emendatione temporum* valde auctius miſit. nondum legi, neque omnia judicii mei ſunt, addo non guſtus. Ex iis, quae inſpexi, video a genio ſuo illum non abire, & ubique μεγαλαυχεῖσθαι. Sane magnum ingenium eſt, ſed quae tu & ego requiramus, ſcio. De *Caſauboni* Athenaeo quod quaerebas, ego ipſum habeo, ſed textum & verſionem tantum. Notae nullae prodierunt, his nundinis, opinor, videndae. De [2] *Stuckio* nihil vidi, & homo inter palam haereticos eſt, eorumque doctores. Ita-

1 Intelligit *Florida Mariana*, ſive laudes & virtutes Virginis Deiparae, quas XIII. Panegyricis celebravit *Delrio.* editae ſunt a Plantino A. 1598. in 8. vid. ſupr. Epiſt. DXIV.

2 Niſi aliquem librum, hoc anno a *Stuckio* editum intelligat, hîc palam mendacii & pudendae

Itaque non inquiſivi. Sed incidi ante paucos dies in tertium ſemeſtrium *P. Fabri.* ibi in [3] me & alios incurrit. Deus bone? quam Archilocheio quodam animo & modo? ſed me omitto: Regem noſtrum Philippum ſaevitiae accuſat, & quaſi filium culpae non compertum occiderit. Itane bone ſapias? Tu de tanto Rege ſententiam? quis permiſit? & quam illo loco non decuit? vide, ſi iraſci dicam neſcio, an ridere, vis: ipſe index (nam & hoc bellum eſt) in nomine *Philippi* eam notam tibi dabit. O Faber, Faber! *hae non jam hominis, non ſanus juret Oreſtes.* Cl. *Billeum* Antwerpiam audimus venturum, cum novo ejus urbis Antiſtite. Tu occaſione ſaluta, & felix iter (an non per urbem noſtram?) precare. ſi per illam, videbo, ſpero, & loquar. Lovanii XVII. Kal. April. CIϽ IϽ XCVIII.

dae Diſſimulationis reus tenetur Lipſius: nam jam A. 1583. ad *Danaeum* Epiſt. LXXXVI. *Stuckii Convivalia* ſe vidiſſe ſcribit, & laudat, *ut accurata & cum Juventutis publico bono.* & ipſe II. Cent. 26. ad *Stuckium* epiſtolam plenam laudibus dedit. ſed illa biennio poſt ſcripta. vid. ad Ep. CCCLXVIII.

3 Vid. Cent. I. ad Belg. 10. quae caret nota temporis, & ſaepe alibi de *Fabro* queritur. vid. ad Epiſt. CCXI.

EPISTOLA DXXII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio S. D.

Leodicum.

MUlcebo te ſuavi proloquio. ſum in morbo, & fui jam a diebus quindecim, ex quo redii Bruxella. Fueram illic ADMIRANDA mea Principi oblaturus, & rediens aſperiore aura perſtrictus incidi in febriculam cum catarrho. Hodie remiſſior morbus, ſed valde afflixit & dejecit. Mitto tibi & *Billeo* exemplar, ac vellem coram non judicium tuum, ſed & notas audire. Multa vel ſuggerere potes, vel recidere fortaſſe, aut immutare: atque meliore meo voto, coram hoc feciſſes. Non licuit, fac quod licet, & vides me valde velle: nam expolio iterum, & *Moretus* accingitur alterae editioni. Vides & partem ſecundam deſtinatam, in qua alia imperia, tum & *Auſtriacum*, id eſt Hiſpanicum, erit. An etiamnum ad *Triumphum* me vocas? an potius ad otium, quod meremur poſt ſtipendia tam diuturna? ſane deficere incipio & fatiſcere, & Cymba noſtra ſpectat portum. *Marianas* tuas videram jam ante miſſu *Moreti:* quid quaeris? pleraeque etiam auribus meis inſonabant, quas ſuaviter aedibus illius ſenſûs excepiſſem. Eruditi, certus eſto, probabant: de aliis ſi curas, omitte omnes has curas. Verſum meum tu claudum feciſti. nam ipſi negant, & exemplar meum pedem donat. parce ſcripturienti plura. ſed ob imbecillitatem non ſcribenti, & me ama, ut ſemper, mi pater. Lovanii X. Kal. Maji CIϽIϽXCVIII.

EPISTOLA DXXIII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

Leodicum.

DE illo homine aut negotio, ne ultra verbum: nec apud ipſum quidem. Qui ſic vel animo vel judicio affecti, non a te, aut me ſanabuntur; niſi ego fortaſſis in tempore medebor, ſed rebus, non verbis. Omittamus. Epiſtolas ad me miſſas, gratum & opportunum eſt: nam pleraſque nec habebam, & pleriſque puto me uſurum. Nam ſeligo, & quaedam in calore, nec omnibus ſcripta ut hoc meum eſt, ante ſubduco, aut retracto. Tua *Magica* haud dubie omnibus grata, & ardua & cottidiani periculi aut diſſertationis materia. Perge & prome. ſed quid tu de me? ut veniam? peream niſi velim, ſed quae teneant per te vides: clara & certa pericula, incerta ſpes ſanitatis. Addo libere, & ſumptibus me terreri, nec in rebus ſumus tam laxis. Quid mei iſti familiares & συμβιῶται? Vincula injiciunt, nec dimittunt. Uxor plane recuſat ſola, & ſine mei praeſentis imperio regere hanc turbam. An non ſic appellem? octo ſunt in domo. O Lipſi, quo veniſti?

In ſervitutem cadere de regno grave eſt.

ſed quid tu etiam de te? hoc ſperemus? agi cum illo, quem ſignificabas, atque ipſe ſane vellet, (ita palam prae ſe fert) ſed arbitrium ait eſſe eorum, qui praeſunt. Publica quo eant vides: Quis haec putaſſet? quis [1] abjungi (non etiam deſeri tantum) pulcherrimum hoc Europae membrum? Ego quidem eo redactus ſum, ut omnis mens & lingua haereat in hoc facto. Atque heri aut nudius tertius iterum ex Hiſpania literae adfirmantes. Quid? etiam amplius; ipſum venire hunc noſtrum, veſtem jam mutare: ſileo & ſalvere jubeo, mi Pater. [2] Carmen in magica tua tempeſtive mitto, uteris, non uteris, ut viſum. Lovanii XVII. Kal. Julias CIƆIƆXCVIII.

1 Intelligit matrimonium *Alberti Auſtriaci*, qui Cardinalitia inſignia exuit, & cui *Iſabellam*, & Belgicam pro dote dabat hoc anno *Philippus*.
2 additum erat carmen, quod legitur ante diſquiſitiones Magicas Delrii.

EPISTOLA DXXIV.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S.

Lovanium.

PAx Chriſti. Salvus, Deo dante, perveni Leodium. D. *Billaeum* ex aegritudine periculoſa repperi convaleſcentem, cum eo mihi ſermo de te, mi frater, copioſus ipſo praeoccupante. morae cauſas narrabat omnino neceſſarias: nunc tandem de ſuo, quod a Theſaurario lactatus ſperarat, curatu-

rum

rum cum nepote *Oppemio*, per cedulam opinor, quod Antverpiae vel Bruxellae repraeſentetur. ita ſi *Oppemius* ante me Lovanium redibit, qui paratus ſocios dumtaxat viae praeſtolatur, per illum accipies; ſin, per me, novi *Billaeum*, mavult quam citiſſime. *Pet. Oranum* domi nondum nactus ſum, viſam hodie vel ille me. *Marianas* meas *Panegyres* (acceſſit hic titulus ad priorem, non ſucceſſit) obtinui licentiam dandi in lucem. a te carmen exſpecto, quo probes, & tuum ſecuti judicium alii. ſtrigoſos illos ex Hercinia hircos, & carioſam Lemanicolam ranam nihil metuo. Hexameter placeret, ſi te illo enthuſiaſmus ferat: alioqui ut placebit. ſcripſi ut per primum tabellarium huc ad me mittatur libellus, quem Domino *Billaeo* cum praefatione tradam. is curabit & obſtetricabitur: per quem, neſcio. Nam Thais illa, ſpiſſum & lentum negotium. haec morae dierum nonnullorum hîc cauſſa futura. poſt redibo, ut valedicam: interea Carmen tuum expecto, quod unicum libri frontem armet & ornet. ſi quid forte inſtituto ſerviat, & memoria exciderit; moneo, de ſingulis Deiparae feſtis ſolemnioribus agi, ſtylo florido ut titulus monet, ut Panegyricus character poſtulat: de roſis, lilio, nardo, olea, vite, palma coronam pangimus, & caſtrorum etiam acies ordinatas, & aurorae ſurgentis jubar, & lunae nitorem, & ſolis radiatum lumen celebramus & alia hujuſmodi. ſed quorſum iſta? fors, ut ſilentium in diſceſſu compenſem. aliud non potui, propter feſtinationem eorum, quibus viae ductoribus utebar. Vale, mi frater. Leodii 12. Kal. Jul. CIↃ.IↃ.XCVIIII.

EPISTOLA DXXV.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

VEniam peto delicti, non delicti. leviter ſuſpicatus fui me negligi: fecit amor, qui ſuſpicax. ſuſpicatus tamen, quia cum copioſas per *Billeum* ad te dediſſem, nihil reſponſi acceperam. poſt intellexi cauſam, in morbo te & lecto affixum fuiſſe, bene quod fuiſſe. convaleſcis ergo, & ergaſtulo hoc nondum ſolutus. ignoſce Deus quod gaudeam: nam gaudeo te (Lipſi) alterum me evaſiſſe, quod ego nollem. quanto ſolutius & beatius ageremus hoc exilio abſoluti! ſed tamen, homines ſumus. gratulor. tibi, imo mihi; imo ſtudiis communibus, & publico bono. quid Academia illa noſtra mater annoſa, ſine te? ſcio qualem reliquerim; nec arbitror aquilae juventam redditam. Ex *Velſeri*, ex *Scotti* litteris, intellexi; quae ſcribo, fac ex tuis intelligam. Nondum arbitror, nec hortor, ut gravioribus intendas; centuriam ajunt unam ad utroſque Heſperios. certus ſum tibi cauſam eſſe, nec improbo. doleo tamen, quod ceteros negligas, eos maxime quorum unus ego. Curas ſecundas meditor in Magica; ſi quid habes, juva. credo, ultimum vivo me id prodibit.

1 Reſpondet Lipſius Centur. ad Germanos. 86.

bit. Nam Canticis, leſſum Romani canunt. quia volunt mitti cetera; quod non committam. audio probari; niſi (quod ride, & mecum) ſtilus Lipſianus. utinam eſſet: ſed habes ſimiolum ſane vetulum. Non pudet ſic nugari canos de canis! & ſtili judicium de nobis inſtituitur (non dico, a quibus?) qui certe jam a luſtris aliquot manum ferulae ſubduximus. uno verbo reſpondi, nec cupiviſſe me prodire, nec cenſere prodeant. mihi me & muſis, (ſic Patronam voco) ea me privatim ceciniſſe ſcio, & conatum meum illi non ingratum fore. De publicis quod ſcribam nihil habeo. ſilent omnia, ſed turgent. quid ver iſtud feret incertum. nihil auguror boni: quanquam quid malum? omnia Deo permittimus, qui bonum, & nihil niſi in bonum permiſſurus. Saluta cognatum meum D. *Spagne* ſi rediit; & *P. Leonardum*. vacabit ille jam tibi tam liber & vacuus a ſcholis. [2] *Deckerius* noſter ſtrenue pergit in Saturniis illis, & valet athletice. Salve iterum, & vale mei memor, ut ego tui. Graecii. XIX. Kal. Februar. CIↃ.IↃ.CI.

Significa, ſi quid in me [3] *Julii f.*

2 *Joannes Deckerius* Jeſuita, cujus vitam & opera recenſet *Alegambe* in Bibliotheca Jeſuitarum; & inde in compendium contraxit *Valerius Andreas.* Graecii vivebat, cum *Delrio*: multa in Chronologicis circa natales & mortem Jeſu Chriſti molitus, quae *Saturnia* vocari a *Delrio* puto, quia per Servatorem Saturnia, ſive aurea ſecula redierunt.

3 *Joſeph. Scaliger.*

EPISTOLA DXXVI.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

R. P. Vis me ſcribere, & ſcripſi. Quereris (ſed per amorem) apud Campium de meo ſilentio: tu, an ego debeam? *Veſtales* meas nuper miſi, atque una litteras: ſi accepiſti & ſiles, te accuſem; ſi non, fortunam. O illam publice aut privatim non bonam! non publice hercules, & de Buſco Ducis jam periclitabamur. Vide quo eant: & quo nos ituri ſimus, ſi (quod Deus nolit) obtineant. Princeps jam ipſe ingreſſus urbem erat: ſed obſeſſio non ſoluta, & frigus an remiſſionem noſtrorum noſti. An amico noſtro adventante haec mutabunt? nolo enim te neſcire exſpectari, certis nunciis, Caſtellae Comeſtabilem, genere & prudentia (opinor ego) Hiſpaniae primum. Alii in Angliam porro iturum cenſent, Germaniam alii, ſagaciores manſurum, & noſtrum ad Valentiae regnum iturum. Hem! haec myſtica ſunt, & prodo. Tu tibi habe, ſi voles: etſi vulgo haec jam in ore. Mitto publica. in privatis hoc mecum gaude, quod ad Senecam jam perfecimus, & brevi ibit in lucem. O utinam omnes tecum de ſcriptore illo judicent! gratior & utilior ſit meus labor. Sed abrumpere cogor, ecce hoſpites Bruxella. Salve, ſalve longum mi Pater. Lovanii, XVI. Kal. Novembr. D.IↃCIII.

P. S. Ex intervallo ad te redeo. Magica aucta, vidi, & locum qui in *Thua-*

Thuanum eſt. Cur feciſti? videſne veſtros admitti iterum, & in poſſeſſionem reponi? Ille autem inter gratioſos & potentes eſt, placandus quam provocandus. Scribo libere, & pro meo ingenio. nec meruiſſe tamen nego, neque ſic ſcivi niſi ex tuis ſcriptis. Talia enim fateor me nec legere. Utrunque tamen acria & docta ſunt, & quae animum pungant. Mea *De Veſta* ecquid jam vidiſti? Leve & extemporale eſt, & velut Diludium fabulae longioris. De tuo ad nos reditu, utinam dies ille ſit! Si Comeſtabilis, debes. Noſti enim, & uſui eſſe publice potes. Iterum, mi Pater, vale. Lovanii, die dicta.

EPISTOLA DXXVII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

REverende in Chriſto pater, & ſemper mihi venerande. Accepi litteras, quibus amanter, prudenter, pie me hortaris, ut ſcriptionem ſuſcipiam & exſequar Miraculorum, quae Beatiſſima Virgo in vicinia noſtra, Colle aſpero, aſſidue patrat. Quid ego tibi petenti (meo animo, jubenti) aliud abnuam, mi Pater? nedum ut iſtud, quo religio & ipſe affectus meus me vocant. Corde colo & afficior erga hanc Divam: & utinam poſſim in honorem ejus quae velim! potero autem illa adſpirante, & te Reverende Pater precibus tuis auxiliante. Sed audi, quae me morata ſint aut morantur. Primum, [1] Antiſtes Antverpienſis hoc operis ſuſceperat: & ipſe mihi ſcriptum ſuum oſtendit, & reliquit diſpiciendum. Alieno labori haud libens intercedam, neque pudorem decet, praeſertim talis illius viri. Acceſſit deinde propria mea occupatio, quia nunc Senecam totum edo, itemque Monita & Exempla Politica: in quibus vel corrigendis, vel alibi augendis, ut fit, ſic occupor, ut aegre ad aliam curam me donem. Quid, quod valetudo me abjicit? & hanc aeſtatem ſic infeſtam habui, ut aegre aut vix fuerim corpuſculo ſuſtinendo. Tamen ſepono omnia, te ſuadente & animante nihil obduco: moram tantum brevem poſtulo, qua & coepta illa opera profligem, & vires ac ſpiritus recipiam ab aegrimonia imminutas. Tum vela pandam, & in aequor me dabo: provehes autem & juvabis ô Pater (ſupplex peto) ſacris precibus tuis, & (ſi auſim dicere) tuorum. Deus & Diva R. V. incolumem diu, & pro Bonorum votis, praeſtent. Lovanii, III. Kal. Octobr. D.IↃC.IIII.

1 *Joan. Miraeus*, de quo vide Valer. Andreae Biblioth. & de hoc ſcripto, de Diva Aſpricollenſi vid. Epiſtolam *Lipſii* ad *Miraeum*, editam a Gabbem. Centur. II. 33.

EPI-

EPISTOLA DXXVIII.

J. LIPSIUS

Mart. Ant. Delrio.

V. R. Mirati fuimus in ſilentio tuo, & nuper litterulis expoſtulavi. Nam quaſcumque dediſſe te ſcribis (unas, quae Venetiis, excipio) numquam ad nos delatae, & aut interceptas ſcito, aut periiſſe. Gaudeo te in domina Academia (ut hodie loquimur) agere: & id in otio, quale ſtudiis & ſtilo tuo ſit producendis. fac te quaeſo, & ante ultimum diem, tot lecta & collecta diſpone, & divulga in poſt-futurorum uſum. Sane Typographia veſtra illic, etſi novella, tamen mirifica, & jure a te laudata. Nos a tuo diſceſſu edidimus *Stoicae Philoſophiae* corpus: id eſt tres libros *Manuductionis*, totidem *Phyſiologiae*: & illos *Comiti-Stabuli*, hos *Fontano* dedicavimus: quid autem dicam? apud te aperte, vix verbis gratiam retulerunt. Etſi de *Fontano* alia ratio eſt, & fateor aliquid me debere. Haec Senecae praemittere placuit, velut viae muniendae: & vellem vidiſſes. nam mihi placere inter prima mea; apud te depono. Seneca autem pergit, quantum poteſt: & ego interea ad pias ſcriptiones etiam me dedi, & DIVAM VIRGINEM HALLENSEM edidi; ac ſubjunxi jam edendam, DIVAM SICHEMIENSEM, miraculis & beneficiis apud nos claram. Scio, probabis utrumque, & ab argumento, & ab affectu noſtro, ſi non ingenio, qui ſe prodit. P. Leonardi *De Juſtitia & Jure* hîc Lovanii cuditur a Maſio. P. Vandorinius comes eſt P. Provincialis, & deſiit lectionem. Alia fere, ut reliquiſti: niſi quod P. *Flerontinus* iterum eſt Rector. Sed heus, *Ramirezius* ille egregius: & ſcripſi. eſt etiam (ſileo alios) D. *Franciſcus de Quevedo*, qui litteras iterat ſane argutas & litteratas. Credo *Pincium* illum agere. E tuis ibi redamo P. *Michaëlem Vaſquez*, & corde ſaluto. Hîc Societas diffunditur & floret: ſed in Gallia mirifice. Publica mecum aegrotant, & utinam ne audiar fuiſſe! Tu longum, longum vale, mi Pater: ſed ſic, ut me ames. Lovanii, III. Nonar Febr. ꝏ.IↃC.V.

EPISTOLA DXXIX.

MARTINUS ANTONIUS DELRIUS

V. Cl. *J. Lipſio* S. P.

Lovanium.

ULtima, quam a te vidi, nono, poſtquam data, menſe mihi reddita fuit. nunciabat de libris nonnullis a te datis in lucem, de Manuductione & Phyſiologia, de Monitis, de Utraque Hiſtoria Deiparae; quorum nullum ego adhuc exemplar mutuum obtinere potui. ſpero nanciſcar ſaltem hîc Valliſoleti, a viro nobili *Garçia de Figueroa*, tui amantiſſimo; cum quo mihi nunc

nunc recens, ſed ſpero firma futura amicitia. Ille ſuſcepit curam, ut & meae ad te, & ad me tuae ſecurius & citius commeent. Nam quas utrimque hactenus ſcripſimus apparet intercidiſſe. certe ſilentii reus nec ſum, nec te arbitror. Scribes ergo in poſterum ad Don *Garçiam*, & ad me adjunges. ego per ipſum reſpondebo. Nunc de me. Salmanticae hac aeſtate docui publice. bene quod ad tempus & pro alio de noſtris. ſic enim licuit illo redeunte deſinere: quod feci laetus. nec enim Schola illa pro tuo vel meo genio. Hiſpanice docendum. ſaltim quae Latine dixeris, Romançeanda (ſic ajunt), Graeca litteratim Latine dictanda. pauciſſimis exceptis, a Syntaxi ad Theologiam reliqui convolarunt. auditores pro noſtra ſaliva. Poſt juſſus ſum Valliſoletum venire (nam bella Pannonica ſuſpenderunt reditum Graecenſem, quem Archidux Ferdinandus calide urgebat: cui conatus fui ſatisfacere per litteras, aetatis & valetudinis praetextu, quae non idoneae ad tam moleſtum & prolixum iter) ut veni Valliſoletum menſe Septembri mox incidi in diſenteriam, junctam tertianae duplici. dicam uno verbo, conclamatus revixi: ſed tarde convaleſco. morbus me, pellem & oſſa reliquit non ſine malis reliquiis, hemicrania, inſomnia, & levi impetigine. paulatim malos hoſpites abjicio. & coepi me ad ſtudium recipere. colligo & in mundum redigo gloſſam ad S. Sam. quae Phari pars una. pedetentim progredior, & paſſim cogor ſubſiſtere defectu librorum. ô Lovanium! ô bibliothecam! uno illic anno plus poſſem, quam hîc ſeptem. De publicis nihil ſcribo, quia non placent: de Societate noſtra, quia hîc ab adverſariis premimur & vexamur. Ego liber ab omni munere alio, vaco ſcriptioni: ſed edendi commoditas non alia, quam Lugdunum mittendi. Prodibunt (ſpero) primo loco, *Speculum Marianum* & *Polemicae Marianae*, quas pleraſque audiviſti, & probabas. Mox *Veſtibulum Phari ſacrae Sapientiae*, nempe Commentarii ſuccincti in Geneſim, & extra ordinem alii in Jeremiae Threnos. hi quia bis docui, & niſi fallor quaedam continent novitate gratiora futura. Reliqua pergo deſcribere. nam ego mihi ipſi ſum amanuenſis, quae morae non minima cauſa. Senecam tuum deſidero videre, ſed quo pacto mittas non video, ſine magno ſumptu: niſi ſi per *Moretum* Hiſpalim ad P. *Joannem Pinedam*, nam is ad me curabit. P. *Leonardi* librum hîc ſummopere optamus videre: & utinam pergat ad reliqua D. Thomae. Saluta ex animo non ficto, ſimul & P. Rectorem & reliquos notos. Illud etiam, de *Schaligero*, an fruitur aura aetherea? an dabit Euſebii Chronicon? De *Thuano*, ſcito vela vertiſſe cum vento Regio, & Societati intimum. de *Caſaubono* ſcribebant ſpem aliquam converſionis ad fidem veram. plane in Gallia Celtica & Aquitania florent res noſtrorum. Benedictus Deus, qui poſt tenebras &c. Quid illud, quod obſcure quidam ad me P. *Carolum Scribanium* ſcripſiſſe Amphiteatrum honoris contra quendam? quae libri materia? ſed manum de Tabula. Vale, mi frater, & ama. Valliſoleti in collegio Sancti Ambroſii, prid. Kal. Novembr. 1605.

EPISTOLA DXXX.

JACOBUS CAMPIUS,

Protonotarius Moguntinus, adhuc Decanus Bonnenſis,

J. Lipſio S. P.

Leodicum.

VEllem Vir Cl. non ita properaſſes nuper a nobis decedens, ut lapides & vetera numiſmata quae ſunt penes V. Cl. *Philippum Wolffium* a *Roſenbach*, Pr. Electoris Moguntini Cancellarium, coram inſpicere licuiſſet. Habet is theſaurum numorum ex aere, argento, auro, non contemnendum. Ex iis quaedam, impolita manu tumultuarie delineata, ad te mitto, quae ad Tacitum tuum pertinere judicabam. Sed & lapidem militis legionarii, quem alii antea non recte vulgaverunt. Eoque perperam uſus eſt *Stewichius*, quî cum tibi in Curis Secundis ad Tacitum diſputatio eſt. Addo & Druſi ſignum ex lapide, quem vidiſti. Sequor tuum judicium, non eſſe a tempore Druſi, ſed mediae aetatis. Neque enim habitus, neque vultus reſpondet, qui eſt in nummis. Multam ſalutem tibi nunciat ipſe Cancellarius, doletque quod te praeſentem non viderit. Sed & *Chriſtophorus Faber* J.C. Conſiliarius Caeſaris te ſalutat. Vale. V.Cl. & quantulum hoc eſt boni conſule. Moguntiaci III. Kal. Junias. Anno 1591.

Reſpondet Lipſius III. Miſc. 3.

EPISTOLA DXXXI.

JACOBUS CAMPIUS,

Officialis & Protonotarius S. ſedis Moguntinae,

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

ADoleſcentes Fratres duo, Nobiles & Generoſi *Berzewitzii* Poloni, V. Cl. recta in Galliam cogitabant; ſed Scholae Lovanienſis fama, & inprimis nominis tui celebritate inducti iter flectunt, apud vos hyematuri. Petierunt a me aliquid ſibi literarum ad te dari, quibus in benevolentiam tuam ſe inſinuarent. Feci lubens, quod non tam ego ipſis ſcribendo quam illi mihi literas perferendo, gratum praeſtarent officium. Commendo igitur eos tuae Excellentiae & humanitati vehementer, qui primaria Nobilitate, omnique Virtutum genere excellentes, humaniſſimos ſe erga omnes, hîc biennium commorati, exhibuerunt: Literis etiam humanioribus non mediocriter exculti, tuas porro lectiones, publicas privataſque, ſi fiant, avent frequentare. Quin etiam in convictu tuo, & domeſtica converſatione eſſe cupiunt, ſi locus detur.

In ruderibus Eccleſiæ
Canoniſſarum in Dietkerchem
prope Bonnam.

HERCVLI·
VICTOR CL·
EDISTVS·O
PTIO·VALET
VDINARIVE
AVREL·PHIL
ETVS·BF·LE
EX·STIPIBVS·

De optione l.3. C. de apochis public: Cujac: ad l.7. C. de exact: tributorum. Sed quid ſibi vult OPTIO VALETVDINARIVS? *An quod militibus debilibus et valetudinariis annonam erogabat?*

Coloniæ

N: Grut: DXIX. 7.

ALBANO·VITALI·
EQ·ALAE·INDIANAE·
TVR·BARBI·CIVI
TREVERO·AN·XXX·STIP·XX·
H·EX·T·E·C·

Alæ Indianæ meminit Onuphr. lib. de Imperio Rom: f: mihi 212.

Quid? an hic ſtipendia fecit decimo ætatis anno? an decimo postquam Civis factus? Sed ex l. ult: C: de testam. milit. constat et pupillos militasse et Tribunatum numerorum gessisse interdum ex beneficio Princip.

Moguntiæ

SESE·LENVLAE·F·D·
NSALA·MIL·EX·COH·
THRACVM·ANN·XXXI·
STIP·XII·H·S·E·

Grut: DLXXII. 1.

Cohortis Thracum meminit Onuphrius.

Ibidem

APOLLIN·LIVICI·
CN·CORNELIVS·
AQVILIVS·NIGER·
LEG·LEG·I·M·P·I·
ITEM·PROCONSVL·
PROVINCIAE·GAL·
NARBONENSIS·ITEM·
SODALIS·HADRIANAL·

De flamine et Sodalibus Hadrianalibus Onuphr: in Civitate Rom: fol: mihi 76. et 77.

Moguntiæ apud S. Albanum.

FL·FLAVIANVS·AVENTI
NVS·DEC·ALAE·INDIANAE·
CONIVGI·INCOMPARABILI·F·C·

N: Gruter: DXLI. 7.

In Olm, uno miliari Germ.
ab urbe Mog.

I·O·M·
CETERISQ
DIS·DEABVSQ·
SECVRVS·CAR
ANIVS·MIL·LEG·
XXIII·PF·II·NSV
POS·LL·M·

V: Grut: II. 2. Ubi ſecurius.

Nuſquam legi leg: XXIII. apellari Piam Fidel. Sed XXII. apud Onuphr: et aliæ quædam Legiones hoc nomine inſigniuntur. Sed ne mentio quidem XXIII. apud Dion: et alios quod ſciam.

tur. Quare, ſi mei apud te adhuc aliqua eſt recordatio, qui fere luſtris jam duobus nihil literarum dedi, (in quo culpam agnoſco, non tamen oblivione obſequii, ſed Eccleſiae & fori occupationibus contractam) Fac quaeſo ut Illuſtres hi Juvenes intelligant meam apud te commendationem aliquid habuiſſe ponderis & momenti. Accedit & alia ſcribendi cauſa. Nuper literas recepi, Graetzii datas a Reverendo doctiſſimoque P. *Martino Delrio* Societatis Jeſu Presbytero, qui demiratur tanto tempore nihil a te literarum, nihilque de te aut fama, aut literis nunciatum; Et valde ſollicitus eſt de valetudine vitaque tua. Hoc ut tibi ſcriberem mandavit; tuasque ad eum literas ſi per valetudinem liceat, eliciamus. Erit hoc ei ſolatio, qui tam remote a Belgis ſuis abeſt, ab amicis optimis, antiqua familiaritate & ſtudiorum ratione ſibi conjunctiſſimis; Inter quos te primarium numerat. Aſſiduus adhuc eſt in ſtudiis, licet altero careat oculo ex nimiis lucubrationibus; unde eum alterum Didymum appellant, qui ut olim ille luminibus captus, nihil non didiciſſe ac memoria tenuiſſe perhibetur. Quas mitto antiquas inſcriptiones, eas non ita pridem reperi, hic & Bonnae. Valde optavi opus Antiquitatum a te typis Plantinianis editum; ſed in Nundinis Francofurtenſibus ſaepe quaeſitum habere non potui. Vale Clariſſime Lipſi, & hanc ſcriptionem, ab amico tibi devoto, boni conſule. Datae Moguntiaci ipſis Calend. Octob. Cum coacta vindemia, bona (laus Deo) & copioſa ſatis, muſto torcularia ſpumant. Anno 1603.

EPISTOLA DXXXII.

Nobiles & Ampliſſimi Curatores. Magnifici & Prudentiſſimi Conſules.

Leidam.

ANnos paullo plus tredecim in Academia, inque urbe veſtra jam egi, & pro virili operam poſui formanda optimis artibus moribuſque juventute. Neque vos, ut opinor, operae meae poenitet, ſi initia & faciem Academiae videritis, quam adveniens offendi. ſine vanitate dictum eſto, aliquid contulimus ad corpus illud, quod nunc eſt, exaedificandum. Atque utinam poſterioribus iſtis ſex annis valetudo & vires mihi fuiſſent, quae antea, plus etiam fortaſſe contuliſſemus. ſed cum Deo viſum (quis mortalium illi repugnet?) diutino moleſtoque languore me afficere, feci quod potui, non quod volui. & eo jam ventum, ut ulterius utilem, neque vobis neque juventuti cenſeam me eſſe poſſe. mihi de me credendum eſt,

Ut hedera ſerpens vires arboreas necat,

ſic nos paulatim hic languor, quem tentavi peregrinatione mitigare aut tollere. ſed, ut adhuc eſt, fruſtra. Eo fit, ut ad conſilium hoc poſtremum & neceſſarium deſcendam, petamque a vobis, quod vulneribus, aut ſenio confecti Gladiatores ſolent, miſſionem. De animo noſtro non ambigite, qui fuit, eſt, & erit ſtudioſus ſemper publici boni; ſed corpus hoc aut linguam

compellere ad ea, quae nequeunt, divinae eſt, non noſtrae manus. Peto igitur brevibus (noſtis meum morem) ſed fidis deliberatiſque verbis, uti cum bona pace veniaque veſtra, munere Profeſſorio me abdicem, & miſſionem (quod olim in militia) cauſſariam hanc mihi detis. Debetis certe, ſive tempus reſpicitis, quo fideliter vobis inſervii, rarum in profeſſore peregrino exemplum, ſive magis hoc corpus, quod palam recuſat animo obſequi, & in extremis iſtis ſpatiis deſit, & collabi ſolet. Quod ad vos attinet, teſtor nunc porrecta fronte, & teſtabor apud omnes gentes, benigne comiterque me a vobis acceptum, ut pariter benigne comiterque me & uxorem dimittatis ſupremum beneficium eſt, quod praeſtare poteſtis. Ego illam ad me evocavi, nec a ſententia demovebor. Rogo indulgete, ita Deus Patriam, Scholam, Urbem & Vos, Nobiles & Ampliſſimi Curatores, Magnifici & Prudentiſſimi Conſules, incolumes ſalvoſque praeſtet: quod ex animo eum rogo. In Aquis Spadanis poſtridie Kal. Jun. CIↃ IↃ XCI.

D. D. Veſtris

Addictiſſimus

J. Lipſius.

EPISTOLA DXXXIII.

Vir Clariſſime, Collega amiciſſime, S. P.

Literae tuae poſtridie Kal. Junii ad me ſcriptae & in Senatu Academiae recitatae, non exiguum nobis omnibus moerorem attulerunt, partim tuo nomine, quod neque medicina ulla, neque profectione iſta languorem tuum levari intelligamus, partim & privata noſtra, & publica totius Academiae cauſſa, ex conſilii Tui, quod de abdicando publico apud nos docendi munere ſerio te jam cepiſſe ſcribis, declaratione. quod & acerbum nobis ſit futurum optimi Collegae conſuetudine privari. Academiae vero imprimis damno, ſi tale ei non tantum ornamentum, ſed fulcrum & columen ſubtrahatur. Caeterum quum iſtius conſilii tui hanc potiſſimum rationem adferas, quod vires non ultra ferendo oneri ſint pares: ea eſt eorum, penes quos hac in parte valet auctoritas, aequitas, & ſingularis erga te benevolentia, ut non modo nihil oneris, cui ferendo non ſis, tibi impoſitum velint; imo vero quieti otioque tuo deinceps etiam hîc quam optime conſultum cupiant, quemadmodum ex literis ipſorum plenius intelliges. quibus quidem noſtras etiam adjungendas putavimus, majoremque in modum te rogamus ut ad ipſorum poſtulationem noſtris precibus pondus aliquod acceſſiſſe, reipſa comperiamus. Certe nos tui amiciſſimos, ſi eorum noſtraeque petitioni hac in re non defueris, magis magiſque tibi devinxeris & languenti ac jam propediem fatiſcenti, inopinato hoc emanſionis tuae rumore, Academiae ſuccum animamque reddideris. A nobis vero omne genus officii ac ſtudii citra ullam exceptionem laboris aut temporis exſpecta. Deo interea Opt. Max. cujus in manu noſtra omnium vita ac ſalus eſt

eſt ſita, valetudinem tuam flagrantibus precibus ac votis commendamus. Lugd. Bat. 14. Junii 1591.

Mandato Academico
B. Vulcanius.

Haec reſponſio eſt ad Epiſtolam Lipſii, quae edita a Pontano Decad. 1. ad diverſos. Epiſt. 4.

EPISTOLA DXXXIV.

Nobiliſſimis & Prudentiſſimis Curatoribus, Magnificis & prudentiſſimis Conſulibus,
S. D.
J. Lipſius.

Leidam.

EX litteris veſtris affectum in me vidi, jamdiu mihi illum non ignotum. Gratum habeo, ac Gratum me etiam exhibebo, animo, verbis, rebus, ubicumque occaſio ſe pandet. Sed quod ad petitionem veſtram attinet, ut prorogari mihi tempus patiar meae profeſſionis, vere & aperte reſpondebo (nam amicos cur fallam?) manere in decreto. Cauſſas dixi, & rogo, ut eos approbetis, & honeſta miſſione me ſemel dimittatis, qui nihilominus vinculo iſto animi adhaerebo vobis. Deum Opt. Max. Nobil. Ampl. &c. teſtem facio purae & ſincerae voluntatis; quem eundem rogo vos dirigat in ſalutaribus conſiliis tueatur ac ſervet. Leodici IV. Id. Jul. 1591.

Haec epiſtola eſt reſponſoria ad Curatorum & Conſulum, quam reperire non potui, ſed qua rogaverant, ut mutaret propoſitum Lipſius. Certe nunquam tam commoti fuere Academiae & Urbis praefecti, quam hoc caſu. quod & inde patet, quod in conſeſſu eorum mandatum fuerit, *Douzam* & *Petrum Adriani Werſium* Conſulem ad *Oldenbarneveldium* legare, qui conſilium ejus hac in re peterent. & cum rediiſſent, & omnis ſpes Lipſii recuperandi nondum praeciſa ipſis videretur, decreverunt nondum ipſi miſſionis tabulas dare, ſed cum audiviſſent Uxorem iter ad maritum parare, ab ea quoque vehementer contenderunt, ut virum a propoſito deduceret, ſimulque pro viatico ipſi & viro dederunt viginti quinque ducatos duplices aureos. ſed omnia fuere fruſtra. hujus doni numquam video *Lipſium* meminiſſe.

EPISTOLA DXXXV.

J. LIPSIUS

Cornelio Arſenio.

Hagam.

VIr Clariſſime. Pro amore tuo in me, qui non deficit, non deficiet, celare non debui conſilium, quod cepi. Id tale eſt. video valetudinem jam ab aliquot annis non vacillare, ſed labi. Aërem accuſare debeam, an genus vitae & ſtudia, an quid aliud ignoro: nec de cauſſa nunc diſputo, ſed apparet effectus. Langueo aſſidue, nec idoneus prorſum ſum ad eas res, ad quas volunt idoneum me eſſe multi. Docere, inquam, & in libris eſſe, nec cum bono meo poſſum, ſi valetudinem meam ſpecto, & vix cum honore. Qua parte deficiam, & ut ſic dicam, ilia traham, ego ſcio & ſentio, nec judicem ca-

capiam aliquem alienum. Haec ipſa peregrinatio nihilum me juvit, magis fortaſſe nocuit, nec adhuc auxilii multum a fontibus Spadanis. Quicquid ſit, docere ultra diſplicet, & ſuſtinere publicam illam perſonam. Quies & ſolitudo aute mortem ad me venite. Scripſi igitur ad Curatores & Conſules, quorum intereſt, & petii miſſionem. Rogo te, ut conſilium noſtrum approbes: ſin minus, ne refragere, quia hoc mihi firmiter decretum, nec ulla auctoritas aut ſuada immutabunt. Etiam in his aliiſque locis utiles reipubl. & Patriae eſſe poſſumus; quam ſcio ſerio me amare, & amaturum. De judiciis vocibusque aliorum eſt tanti: cauſſam non dabo, cur jure bono me improbet quiſquam bonus. Habes ecce, ſummam conſilii noſtri, quod ut communicare cum Ampliſſimo Viro D. *Barneveldio*, eidemque ſalutem a me & omne officium deferre velis, te rogo. Etiam hoc, ut ſi quid uxor mea opera auxilioque tuo in diſceſſu egeat, adjutare eam velis. quia huc ad me jam illam evocavi. Valetudo noſtra domeſticum illud auxilium deſiderat. Quod reliquum eſt, verba non dabo. ſum & ero, ſemper tuus. Saluto uxorem tuam, atque etiam filium, quem in optimis ſtudiis cupio perſeverare. Aquis Spadanis poſtr. Kal. Jun. CIƆ IƆ XCI.

EPISTOLA DXXXVI.

J. LIPSIUS

Cornelio Aerſſenio Graphiario.

Hagam.

PAtieris hoc me ſcribere; peccas largiter in epiſtola tua, quod exiſtimes immutatum me, aut frigus aliquod interveniſſe noſtro amori. Nam quae cauſſa, aut quo tuo merito? quin contra, ſi non ante, nunc certe amare te cogerer, ob verum purumque affectum, quem in me & meos oſtendis. nam uxori quam utilis & auxiliaris in omnibus fueris, quam comiter etiam domi tuae habueris, non ipſa me celavit. Atque ſcribere neglexi ad te, cum ad alios. Semel, opinor, id commiſſum, nec amplius, idque ea cauſſa (fuge aliud ſuſpicari) quia reſponſum a te exſpectabam ad priores meas. Ego, mi amice, bono judicio amare te coepi, & in eo perſeverabo, quamdiu apud me illud. Quod autem te non gnarum habui conſilii mei, quid miraris? neminem etiam alium, & profecto ita faciendum fuit, aut hoc, quod inſtitueram, non perficiendum. Scio affectus veſtros, quos hîc ſubſequi mihi non decretum, & ideo malui abſens querelas veſtras excipere, quam molli fronte preces & expoſtulationes coram. Quae feci, conſilio feci, & (nequis nugas aut ineptias cogitet) ſtatutum ita facere ante quatuor annos. [1] Itineris mei Bre-

1 Nuſquam tam aperte indicat *Lipſius*, ſe jam diu de mutanda religione & terra cogitaſſe, quam hîc. quod Hypocritam non modo fuiſſe, ſed deſtinato animo fallere fidem deſtinaſſe oſtendit. A. enim 1586. cum veniam peteret, ut ab Academia abeſſet, aegre ſex menſes impetravit a Curatoribus, nec niſi fide ſancte data, ſe rediturum. ſi ergo perrumpere potuiſſet obices, perfidiae notam ſine dubio ſuſtinuiſſet. Ad hoc vero jam iter accinctus promiſit reditum, ſed ſub exceptione, ſi valetudo permitteret. quo praetextu jactat ſaepe, ſe nullis vinculis teneri, aut Batavis obſtrictum eſſe. vid. mox Epiſt. DXLI. ad Duyckium. ſed in Epiſt. DXCVII. ad Berchemium fatetur ſe a Batavis non niſi per fraudem potuiſſe divelli. decipere ergo conſtituerat.

Bremenſis memoria apud te, credo, viget. Jam tunc quoque huc ibam: Plura epiſtola iſta non capit, & ſpero me tibi tum oportune conſilium hoc omne & explicaturum & approbaturum. De Filio quod me conſulis, quid ſuadeam? Cogitavi ſerio, ſed quocunque oculos circumtuli, turbas video, aut turbarum metum. Germania quantumvis quieta appareat, non diu mihi futura ſic videtur. & eo magis ſic judico, quo propius eam aſpexi. Quid ſi in Italiam ad Venetorum loca eum mittas? Patavium bona ſedes eſt, atque etiam noſtris accommoda, ſi qui tamen eo ingenio & moribus ſint, ut temperare & admoderari poſſint ſibi ipſi. Quod idem in Gallia eſt. Et animus laſcivus aut pueriliter procax facile, ut ſcis, in utraque iſta gente magis corrumpatur, & eat in praeceps. Si commode illic (nec video quid vetet) haerere poſſit, ubi nunc eſt, donec hyems iſta ſe circumegerit, fortaſſis aeſtas proxima in viam melioris conſilii nos ducat. Quod ego ſuppeditare pro virili non deero, atque alia omnia adniti; quae ex uſu aut animo futura tibi eſſe ſciam. Fide, quaeſo, habes & habebis in Lipſio, amicum uſque quaque fidum. Vale, & uxorem tuam a me & mea ſaluta. Leodici Kal. ipſis Octob. CIↃIↃXCI. D. *Barneveldio* ſalutem a me nuncia & benevolentiam conſtantem.

EPISTOLA DXXXVII.

J. LIPSIUS

Cornelio Aerſſenio.

Hagam.

PEctus meum tetigit querela tua, a bona femina ad me delata, & numquid tamen oblitus eſſem? Egone tam veteris & fidi amici? abſit. ſed litteras inter nos commeare, non cenſui ex uſu utriuſque noſtrum. Animo, amo, amabo te & tuos. Mitto librorum munuſculum, qui nunc apud me erant. Accipe quo animo mitto, id eſt optimo: neque probitas mea unquam fallet. Valetudo noſtra extrema eſt, & aetas etiam gravis. Fortaſſe Spadam hac aeſtate cogitem; ſi per veſtros tuto poſſim. dic mihi libere & ſerio, ſi diploma commeatus a vobis impetrem, ſatis ſim tutus? Nam quidam ſuſpiciones mihi etiam hîc fecerunt, idque e ſermonibus (ut ajebant) veſtrorum. Certe videor non ſic meritus de Batavia, & addam, de Europa eſſe, ut vulgare beneficium non poſſim fideliter impetrare. ſed verbo ſignifica, tibi apud me erit fides. Lovanii prid. Nonas Febr. CIↃIↃXCVI.

EPI-

EPISTOLA DXXXVIII.

FRANCISCUS AERSSENIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

CLariſſime & prudentiſſime Domine. Quid litteris tuis ſuavius? certe ſuaviſſimae; ita amoris, ita rationis plenae; illum, ingenue dico, profuſum me agnoſcite; quid enim tibi praeſtiti quam quod debui? tu tamen non provocare benevolentiam verbis ſed aſſerere vis mutuo affectu; jam olim hoc a te factum; nec ignoras, quae apud me beneficia poſueris; & ut accepti expenſique ratio inter nos conſtet, nunquam meliorem operam locavero, quam ubi tibi profuero. Sed, da veniam, parum mihi ad guſtum res & materia tuae epiſtolae; caepi tecum agere ut in [1] Galliam migrares, teque fluctuanti noſtrae patriae, ex voto regis, qua velles lege eriperes; velim peregiſſe; aetas & valetudo, ut ais, te ſiſtunt, vel potius meo judicio impellunt, utraque quietis indigens, quae hîc certior, quam apud iſtos ſpes pacis, ubi longa haec bella pro Imperio, pro libertate vix unquam finem capient: vides ea augeri, & ad Muſaea veſtra accedere; quidſi eveniat ea viciſſitudo, quam Hiſpanus optat magis, quam ſperat, quid aliud, quam Belgarum gemitus? nam ſi quid illis iſtic jam bene aut minus male fit, a Batavis eſt, qui ubi eſſe deſierint, ſimul peribunt. ergo quid dubitas? fuge hunc furorem, atque hîc tranquillitatem Belgii expecta; commotio iſta te non franget, ſola firmabit, quae animum componet in omnem caſum. nec conſuetudo te moveat; tibi ubique patria, & virtuti ſua laus apud hanc humanam & vicinam gentem. qualecunque a rege otium voles, impetrabis; ſat praeſtiteris, ſi te ei addixeris; nam ut magnus eſt belli artibus, ſic etiam pacis laudibus cupit excellere. formabis hanc juventutem vel ſolo tuo nutu; ſi hoc non placebit (*Scaliger* ſic agit apud Batavos) tu tibi legem praeſcribes otii aut negotii; & verecundia cedet aetati; cave credas te oneri futurum, quem Rex ad incrementum non leve gloriae ſuae appellat. Caeterum erras (ignoſce ſi libere) qui robur ſperas a ſapientiae ſtudio vitandis malis, quae non premunt niſi volentem; tuum eſt cavere, quae imminent, ferre, ubi nubes in te nimbum fregit. alioqui cui bono prudentia? Pyrro judicet ſic de fatis, ut ſe offerat, nec efferat; non unquam aliquid auxilii in nobis. atque hoc eo confidentius tecum ago, quia video te nondum conſtituiſſe; age itaque & ſerio delibera, calidum conſilium eſt optimum; ego partes tuas hîc ſuſtinebo, nec quicquam adhuc maximo regi negabo; interea ſi fluctus te premet aut ejiciet, non lege Rhodia de jactu nobiſcum ages, ſi hic excipieris, in Aſylum deduceris, & ad amicos: patriae bono, non tuo in-

1 Vid. v. Centur. Miſcell. Epiſt. 17. & rumores fuiſſe accepiſſe conditionem Lipſium, & ſe jam itineri accinxiſſe ſcribit *Vulcanius* in epiſt. VII. a *Matthaeo* edita, *Theod. Cantero.* & ex Epiſtola *Domini de Doderie* infra producenda videbimus urſiſſe regem Galliae hoc negotium adhuc ſub finem hujus anni.

incommodo, exopto hunc caſum, & ut mihi liceat te longum frui, cui quam plurimum me debere lubens agnoſco. de reliquo ignoſce, ſi rogatus liberam huic negotio operam dedi, & me ama. Pariſiis XII. Februarii 1603.

EPISTOLA DXXXIX.

J. LIPSIUS

Franciſco Aerſſenio.

Lutetiam.

CLariſſime & Prudentiſſime Domine, de eo quod ſerio mecum agis, jam reſponderam [1] Legato Regio: quid autem? ſine ambagibus dicam, quod nec volenti tibi ſit, me non venire. In hac aetate nihil muto: addo valetudinem, quam ſi videas, (ſi affectum tuum novi) ipſe in ſententiam meam voce, manu, pedibus eas. Obſecro te, philoſophemur, id eſt ſapiamus. quid ſpes meas aut cogitationes longe mittam? metam ſpecto, & paene tango. At quies illic eſt, & famae campus latior, & (rei caput) talis Rex & Princeps. Iſta omnia ante decennium movendo mihi erant: nunc, ut res meae ſunt,

Vixi, & quem dederat curſum fortuna peregi.

Patria mea turbat, & turbabit: hoc ſcio. ſed ego tam quietus in his fluctibus, quod ad animum quidem attinet, agito, quam ſi in fortunatis alibi inſulis degam. Conditionem humanam novi, & lectio & uſus me docuit: igitur me apto, & caput omnis Sapientiae, fatum, id eſt Deum, ſequor. Ecce meam, ſine fuco aut colore ſententiam: a qua non ruina orbis, ne dicam Belgicae, me dimovebit. At tuum affectum & mei ſtudium jure amo: tu me quoque, valde in te (& parentis beneficiis primum hoc debeo) proclinatum. Quaeſo iſtud animorum vinculum maneat, etſi aliter non jungemur. De lineis veſtibus, quod obiter quaerebas: certum eſt, antiquas fuiſſe, Aegyptiis & Orienti notas, ſed & Hiſpanis aliiſque. non tamen promiſcuas aut paſſivas: minime quidem Romanis, qui ſero in uſum, nec niſi Chriſtianorum temporibus, admiſerunt. Dicas. quid ergo? ad cutem & interiora corporum velanda non linum fuit? Non fuit. quod noſtris moribus novum mirumque ſit, ratione non ſit, & illorum uſione. Lana eadem omnia praeſtet, preaſtititque: & tunica interior iis fuit, ſive Induſium, quod divites ſaepe mutabant, & huic fini copia olim fullonum, ad eluendum. Ut nos lineas plures, ſic illi tuniculas laneas habebant: & quid mali fuit? auſim dicere molliorem blandioremque lanam, omni lino eſſe. Haec in exiguo: ſed in ſenſibus judiciiſque quam prave ſaepe mutamur? Omitto: ſalvere te animo cupio, & in amore mei (ea lege, ut ego perſeverem) conſtare. Rogo facito, & Clariſſimum Parentem, ubi occaſio, multa ſalute imperti. Lovanii, VI. Idus Februar. ∞. IϽC. IIII.

Clariſſimum *Thuanum*, cujus in epiſtola tua mentio, ego jam olim novi, & ideo judicio amo atque aeſtimo: haec ei legito, volens nolens probabit.

1 *Doderio.* vid. Epiſt. praecedenti.

EPISTOLA DXL.

J. LIPSIUS

Franciſco Aerſſenio.

CLariſſime & Prudentiſſime Domine. Beneficium ſane mihi tribuiſti miſſione [1] novitii hujus libri e Gallia, quem ego Hiſtoricis an Politicis magis accenſeam, ſententia haeret. Utraque habet, & flores praeterea ſermonis inſpargit, qui omnem ſeveritatem recreet & diffundat. non ſic veteres, fateor, & magis reſtricti atque acciſi ſunt: ſed tamen delectat, docetque haec ubertas, & meo judicio gratiam atque uſum ſuum habet. ſunt in quibus fidem tamen requiras, & partium ſtudium aut adulationem deprehendas: aut ignorantiam etiam, alienationem interdum in externis: ſed interdum; & compenſat aliis virtutibus. Ego pro uſuario libro [2] libellum hunc ecce mancipio mitto, a me donum. Levis res & ſcriptio eſt, & cum leges, animadvertes calamum alas habuiſſe. nam quid diſſimulem? ſerio hoc argumentum nunquam cogitaveram: alio fine aliquid in adverſaria conjeceram. & incidit ut in nuptiis iſtis (rogatus etiam) concinnarem & vulgarem. Praedico, ut remiſſiore animo ac judicio legas, nec acrimoniam tuam utique adhibeas, aut meam requiras. ſunt tamen, praeſertim ubi materies facit, in quibus ad altiorem ſtilum aſſurgo, & hiſtoriae veteris faciem conatus ſum referre. Auctores mihi quidam ſunt, ut in rebus Brabantiae idem faciam. ego delibero, & aetatem meam, & valetudinem, ſed & ſaeculum in altera lance pono. ſaeculum: nam quam pauci haec capiunt ſive legunt? Quo igitur pondus verget neſcio. at vernum fortaſſe tempus dicet. Tu Vir Cl. & Prudentiſſime, ut me ames, qui te ſerio, rogo. Lovan. poſtr. Id. Januar. CIƆIƆCVI.

1 De quo libro agat hîc Lipſius, vix dijudico. an de *Thuani* Hiſtoria, an de alio opere? Thuani prima pars 1604. altera hoc anno prodiit: potuit hos libros *Aerſenius* miſiſſe Lipſio.
2 *Lovanium* ſuam.

EPISTOLA DXLI.

J. LIPSIUS

Franconi Duykio S. D.

Leidam.

MI Duycki, uſuvenit, ut ſpecimen clarum affectus & benevolentiae tuae praeberes, in re hac iſta, quam petii. Libellum una cum collegis tuis jam videris; ſeorſim peto pro jure amicitiae, pro jure diſciplinae, atque inſtitutionis, quam aliquam partem mihi debes, juva quod in te eſt petitionem noſtram. redde, inquam, illam mihi factam. jus verum oro. mirabor, ſi quis abnuet aut reſiſtet. innoxius ad vos veni, ſpero talem me & per bonam gratiam

tiam abiturum. Quod promiſſionem aliquis mihi objecerit, verba ſunt, nec docebit. Illud ſane ἀποδεικτικῶς mihi dictum. *Rediturum, ſi valetudo permitteret:* ea non permittit, & aequum eſt, mihi crede. Vale, mi Duycki, noſtri memor & amans, ego tui. in Spadanis Aquis Prid. Non. Jun. CIϽIϽXCI.

EPISTOLA DXLII.

[1]JOANNES HEMELARIUS HAGIENSIS

V. Cl. *J. Lipſio* S.

Leodicum.

VIdine te hodie in hac urbe, mi Lipſi, an aberrarunt, aut hallucinati ſunt mihi oculi? imo vero vidi; ſed id obiter & per tranſitum tantum: ideoque ex repentino, & improviſo iſto objectu, ſimulque ex ſubita gaudii conſternatione vix inducere animum meum potui, ut vel hiſce oculis (quorum tamen teſtimonium aeſtimamus certiſſimum) adhiberet fidem. Narro tibi; tanta admiratione perculſus fui, ut mens ipſa tantum non mihi; vox certe, & faciei color omnis ſedibus ſuis excuterentur. inhibui tamen animum coram te appellandi, cum per ſubitum iſtum velut ſtuporem, ſimul & ingenitum mihi vitium mollis, timidique per verecundiam animi minime ad id officii idoneum me praeſentirem, & in ipſa ſalutatione linguae defectum (quod in repentinis non mirere) pertimeſcerem. Sed nunc chartaceo iſthoc ſermone liberius id facio; tibique, mi Lipſi, fauſtum ac foelicem in hiſce locis adventum (reverenter & quam poſſum officioſiſſime) ex animo gratulor; mihi autem maxime hanc velut a caelo inſperatam praeſentiam tui, cujus non tantum ſermo ille amiciſſimus, (cujus ego, qua docendo, qua monendo & exhortando, efficaciam expertus ſum) ſed vel ſolus aſpectus, & (tanquam lucidiſſimi, & gratiſſimi alicujus ſolis) praeſentis vultus efficacia ad omnes animi nebulas, & frigus omne ingenii ac ſtudiorum leniſſime & velut uno obtutu diſcutiendas, & propellendas uberrime ſufficiat. O ter foelices, (vere & ſinceriter hoc enuntio) quibus propior tui uſus contingit, quoſque tu ex Juventute hujus aevi,

1 *Joannes Hemelarius* Hagienſis, poſtea factus fuit Canonicus Antverpienſis, cujus ſoror nupta fuit *Theodoro Golio*, patri *Jacobi Golii*, Profeſſoris Leidenſis, & *Petri Golii*, Profeſſoris Linguae Arabicae Romae. vide *Val. Andr.* Bibl. Belg. & *Baillii* Lexicon; & *J. F. Gronovii* orationem in funere *Golii.* commendat eum *Lipſius Joanni Miraeo*, Epiſcopo Antverpienſi, cum canonicatum a Papa impetraſſet, Centur. v. Miſc. Ep. 96. & elogium ipſi praebet Cent. I. ad Belg. 63. Romam; ut eat ſuadet *Lipſius* Cent. I. ad Belg. 48. ubi primum ipſi non ex voto ſucceſſiſſe docet Epiſtola 85. Cent. II. ad Belg. & Cent. III. Miſc. 84. A. 1603. eccleſiaſticae vitae ſe addixiſſe patet ex IV. Cent. Miſc. 77. ſollicitum fuiſſe *Lipſium* & Jeſuitam *Schondonchum*, ne mutaret iterum religionem, cum mater ejus in *haereſium* ſalo fluctuaret, apparet ex Epiſtola Schondonchi infra producenda, & Lipſii III. Cent. Miſc. 81. & III. Centur. ad Belg. 79. ubi ſe tandem curae liberum eſſe dicit, cum a *Caeſio* Cardinale eſſet in patrocinium receptus. immo & ipſe videtur poſtea tentaſſe *Grotium*, cui cum carcerem evaſiſſet, ſcripſit jambicum carmen de Angelo cuſtode, ut tranſiret in Pontificiorum caſtra. ut ex duabus *Grotii* ad *Hemelarium* epiſtolis, quas in Bibliotheca Leidenſi repperi, ſuſpicari licet, quas forte etiam in hoc opere legendas dabimus.

aevi, non alloquio ſolum tuo, ſed & interiore noticia dignaris, quibuſque non modo vultus ille tuus, ſed & conſilium, imo correctio, & coërcitio, ut filiis aut diſcipulis liberrima pateat! Heu (iterum dico) ad invidiam foelices! certe ego illis credam benignius aliquod ſydus naſcentibus affulſiſſe. At jamdudum tibi, credo, hoc in mente: Sed vos qui tandem? ego cum abſens tecum, & forte per oblivionem ignotus, haec ago. Agnoſces igitur, me ex diſcipulis eſſe tuis unum, & ſub te Rhetoricis exercitiis, non multo tempore ante tuum Lugduno noſtra diſceſſum, aliquamdiu vacaſſe; ut olim, ita & nunc tibi addictiſſimum; qui ante novem plus minus menſes in conſortio Dn. *de Groeſbeeck*, ex Batavis huc me contuli, meditans cum illo jam exinde iter porro in Germaniam: ſed ejus negotiis aliter, ut fit, ex occaſione cedentibus, atque ideo profectione iſta intermiſſa ad tempus, non omiſſa, ſimul etiam linguae Gallicae ſtudio (quoniam Gallia ipſa civilibus nunc ardet incendiis) hîc locorum reſedi, contubernio, per *Groesbeeckium*, hactenus hîc uſus, viri in forenſi prudentia diſertiſſimi & exercitatiſſ. M. *Bartholomaei le Ducquet*, conſiliarii ſtatuum, (ut vocant:) de quo hoc unum dixerim; eum, ut non tantum in literis, quantum in civilibus & publicis negotiis verſatum, tamen virorum eruditorum, interque eos etiam tui praecipue, quem ex fama, ſcriptiſque & a viſu etiam quondam (ut refert) novit, eſſe ſtudioſiſſimum. apud hunc igitur hactenus ago, uſus otio ſatis liberali, animo tamen & corpore non nimium ſemper validus, ideoque in curſu ſtudiorum aliquanto languidior, quam par erat, & quam hunc aevi florem agnoſco depoſcere. Tu hîc mihi ſol commodum es exortus, & vel jam nunc vegetaſſe viſus, & illum erexiſſe, qui jacebat, & torpebat per abſentiam & privationem vitalis & vegetantis iſtius caloris. Hunc igitur adventum hîc tuum & mihi & tibi foelicem fauſtumque gaudere me ex his cognoſce. Hoc volui tantum. Plura cum per otium tuum (quod ego nunc ſperem tibi haud quaquam defore) coram te ſalutandi occaſio mihi contigerit. Reliquum eſt, ut Deo opt. Max. te commendem, qui tibi valetudinem (cujus gratia ego exiſtimo hanc maxime peregrinationem a te ſuſceptam) confirmet & conſervet quam diutiſſime, meque tibi magis magiſque inſinuet, quod ego illum unice & cum ſuſpirio precor, hoc voto a verbis exiguo, aſt a re magno & affectu, quod ingenue hic ſubjungo;

Summe Deus, qui mera ſapientia, mera veritas; & a quo radius ille, ſacra iſthaec in terris pectora colluſtrans, dimanavit: oro obteſtorque te, ut infuſae iſthuîc pectori, lucis, uſuram ſtricturaſque ſaltem aliquot mihi ab hoc impertiri digneris; quîs pectus meum colluſtratum inflammatumque frigida haec omnia terrenae noctis involucra aliquando diſcutiat, & tui ſuique cognitione per intellectus aciem, & hîc, quantum fieri pote, & olim liberrime perfruatur. Amen.

Salve, mi Lipſi, ab eo, qui te amabit aeternum. Leodii, XVIII. Junii ∞. D. XCI. ſub noctem.

EPI-

EPISTOLA DXLIII.

J. LIPSIUS

J. Hemelario S. D.

TU in hac urbe, in qua me ſcis eſſe, & non me vides? literis me compellas, non debebas. Scis quam non ſum faſtidioſus aut alienus ab iis, quos inſtitui, & praeſertim quos ſcio eſſe ſpei atque indolis melioris. quo in numero, mi Hemelari, tu es. age, audacter ad me veni, & fac ut coram os tuum recognoſcam. Nimia tua probitas improba fit, niſi hoc facis. Etſi grata mihi tua ſcriptio, magis tamen ipſe tu, quo praeſente omnia de te diſcam, & quantem potero juvabo conſilio ſive re opus fuerit. Vale.

EPISTOLA DXLIV.

JOAN. HEMELARIUS

J. Lipſio patri meo S. P.

Leodicum.

QUaenam haec inſcriptio, inquies, apage, apage. non agnoſco, neque enim ego iis talibus gaudeo, qui onus ſint aut ὑπώπιον futuri meae genti. aſſentior tibi ea in re, mi Lipſi, & erubeſco, ſed nec ego id ſcribo, ut adſpirem eo, quod nimis quam remotum eſt a viribus & fortuna meae tenuitatis, verum ut tua in me beneficia digniore, quo poſſim, titulo recognoſcam, niſi quoque majus etiam eſt aliquid, animi quam corporis educandi curam habere; ad ingenii quam fortunae opes comparandas cumulandaſque excitare, juvare, promovere: conſilio, ope, opera ad illa vere ac ſolide bona, quam ad haec momentanea, & in ſpeciem talia conſequenda adeſſe, imo praeeſſe. atqui haec omnia ego quondam a te, atque ab animo in me tuo benigne expertus. Unde certe eſt, quod, dum a vobis abfui remotius, viſus mihi ſum non a delitiis quaſi vitae, ſed ab ipſa luce vitali ſecluſus. At tute hic, ſi hoc ita eſt, inquies, cur non literis ſaltem aliquoties (quae ſi non corporum, at animorum recte exhibent praeſentiam) taedium iſtud abſentiae diluiſti? Quid dicam, mi Lipſi, ſi occaſionem rei ejus copiamque plane mihi defuiſſe; fallam. potui enim, fateor, ſi inquiſiſſem, reperire qui aut iſthuc ad vos irent, aut ad loca non longe diſſita, unde non incommodum ſit nuntii aliquid ad vos tranſmittere. ſi noluiſſe me aut per negligentiam aut per oblivionem? magis etiam fallam. nam & volui, medius fidius, & non ita hactenus immemor ſum veſtri, ulla ut propemodum lux occidat, in qua non grata aliqua, apud animum ſaltem noſtrum tui recordatio. quid ergo obſtitit? multa multa, mi Lipſi, quorum tamen agmen fere ducit, (quidni confitear?) pudor quidam rerum a noſtro illo a vobis diſceſſu, qua ſtudia, qua reliquam vitam, non modo

non ex animi noſtri ſententia, ſed peſſume, fere dixerim, cedentium. quod quidem me jam aliquot menſes tanto rerum faſtidio exercuit, ut non tantum gaudii omnis aut officii erga homines, ſed vel vitae ipſius uſum interclufiſſe mihi videatur, meque ita conſopierit fere an ſepelierit, ut apud alios rariſſime, apud me non nimis ſaepe meminerim fuiſſe. quale quidem fortunae nuſquam non novercantis taedium, ſi ullo unquam tempore animum veſtrum perſtrinxerit, clare videris quam inidonei per id tempus ad officia vitae, (illa praeſertim, quae hilaris aliquid & erecti animi requirunt,) reperiamur. ut non mirere intermiſſionem hic aliquam officii non omiſſionem fuiſſe. ſed illa quae me vexant animumque diſtrahunt & corrodunt, cum in mea perſona potiſſimum ſeſe exerceant, tum domeſtica quoque ſunt, quibuſque aliunde nec apud me origo aut cauſa, quare & μυςικώτερα ſunt, ut non temere litterarum fidei comittantur. quorum quidem nonnullorum tametſi ſemina jam tum collegeram Leodii exiſtens, non audebam tamen ea detegere vobis, neſcio qua verecundia cohibitus, cum tamen hoc factum oportuiſſet, qui te jure habeam (ſi ullum alium mortalem) unicum, cui interna externaque mea, meque totum adeo patere ac translucere vellem, ut in cujus fideliſſima ſeu conſolatione in rebus triſtioribus, ſeu admonitione imo increpatione in remiſſioribus optime me ſperem poſſe conquieſcere. adeo ut ſaepenumero etiam cum ſuſpirio voveam apud me, aliquando adhuc ut poſſem, quod non omnino deſperem, amantiſſimo, humaniſſimoque praeſentis tui conſilio perfrui. Certe mens mihi non omnino ut ſpero mala, ut nec votum vitae viaeque, quod eo potiſſimum inſtitutum, Deo ut inprimis animum, hominibus etiam (bonis praeſertim & qui veſtrae illius ſunt, id eſt vere optimatium claſſis) linguam & vitae ſtudia, moreſque adeo externos & aſcititios probare poſſimus. ſed tam multi tantique curarum turbines me exercent atque agitant, ut non modo quo mihi ſit commodiſſime iter habendum, ſed an haberi omnino poſſit, in ambiguo relinquant. haec iſta, ob copulam iſtam individuam corporis & animi, illud quidem καχεξία affligunt, atque huic dein neceſſario συμπάσχοντι igneae ſi quid ſuberat ac caeleſtis aurae, id extinguunt omnino, aut proculcant proterviſſime, adeo ut nunc niſi terreum nil reſtet fere, frigidum, grave, lentum, quodque in peccantibus humoribus μελαγχολίαν vocitamus, unde mihi hectica velut quaedam triſtitia impreſſa, mente ad alia omnia aut ſtupida aut non aperta ac vacante, quae quidem tametſi remittitur aliquando, &, ſi non eliditur, at eluditur, idque per praeſentiam hominum, aut occupationem aliquam; tamen cum ad me redeo eadem omnino me urget aut paulo gravior etiam febris. Ita ut jam ab aliquo, tempore, ut & alias quondam ſaepe, cogitabundus & ſolitarius gaudeam eſſe, abhorreamque ab omni fere conſortio. Qua in ſolitudine verſanti (cum omnis mundi ſtudia mentis oculis objecta habeam) creberrime ſuccurrit & meam deplorare ſtultitiam, qui videam quo in luto ipſe obhaeream; & multorum aliorum, qui beatiſſimi ſibi, vulgoque habentur, cum tamen in eadem mecum omnino navi aut etiam diſſolutiore nonnumquam, praeſentiuſque naufragium minitante in utramvis aurem ſecure obdormiſcant,

jo-

jocis delitiiſque conſepulti. haec talia eo me inſaniae (quomodo enim aliter appellem?) demiſerunt, ut jam in Heraclyti diſciplinam mihi videar juraſſe. Sed in omnibus hiſce angoribus hoc me unum conſolatur, quod ſaepenumero triſtibus iis miſeriſque animus cogitationibus plane immerſus, cum in ſeipſo aut in aliis adeo praeſidii nihil invenit aut ſolatii, refugium ſuum ad illum habeat, qui tutiſſimum in rebus deploratis azylum, eoſce ſublevare gaudet, qui variis, qua animum qua corpus miſeriis cumulatiſſimi transfugium a creatis ad creatorem meditati, res plane omnes, ſeſeque adeo ipſos abnegare parati ſunt. Hinc nempe incidit ſaepe, ut in media hominum turba ſolus imo relictus mihi videar, cum nullum inter mille homines reperiam, cujus in ſecuriſſima conjunctione ſperem poſſe conquieſcere. Te autem unum ſoleo cogitare, in cujus ſinum, ut adſipientis, & quod caput rei, vere amici, omnes meas moleſtias deponere ſecure me conſiderem. Hunc autem ego Labyrinthum curarum & angorum ſi evadere ſemel (filo deducente divinae gratiae hominumque amicorum conſiliis adjutus) potuero, ſpero equidem eum me, qui nunc nihil adeo ſum, niſi pondus iners terrae, & fruges conſumere natus, (non enim ego ſi veritatis res eſt, temere aliis me praeconiis venditaverim) anniſurum aliquando alacriore conatu, olim ne fruſtra omnino natus haberi poſſim. atque ego quidem, cum haec vita communis tantum mihi jam faſtidii quotidie commoverit, nihil ut fere ſit quod in ea valdius me remoretur, vel ſaltum e Leucade tentare aliquando meditarer, ut ejuſce, quam juſta jam nunc dedignatione tantum non exoſam habeo, nullo in poſterum amore illecebroſo poſſim, gaudeamve implicari. Certe quotieſcunque apud me ſum (ſum autem ſaepius quam par eſt, ut ab officiis etiam vitae ea re una ſecludar) & nunc me ſpecto, nunc ſupera illa aeviterna caeleſtia; taedet profecto hactenus me mei; ardentique ſaepe voto ad illa adſpiro. jam vero aetatem meam intueor. hanc video unam, in qua fundamenta illa jacienda, in quamcumque voles partem. hanc video ceream labore nunc aliquo condocefactam & cohibitam, ἕξιν ſibi poſſe volvendae (ſi quid ejus reſtat) vitae convenientiſſimam imprimere non ullo poſtea tractu temporis eluendam. hanc denique video, quod unum mihi pro multis, ſolam eſſe, in qua (ſi quidem rite id ac ordine fiet) genus illud vitae feliciter degendae neceſſario complectendum, ut indoli ingenitae maxime conſentaneum, ita qualecumque, per omnem deinceps aetatem retinendum atque exercendum. Ubi quidem ſi invita (ut ajunt) Minerva quidquid conamur, vides quid mox taedii atque infaelicitatis devorandum reſtet. Aevum deinde iſtud ſi conſidero, in quo nihil adeo virtuti audaciae plurima tribuuntur, in quo ſimplicitati priſcaeque morum innocentiae non modo non ſuus honor, ſed praeſentiſſimum immo periculum; optime profecto cum illis actum mihi videtur, quorum illa ut ſic dicam vitae navicula minoribus jactatur tempeſtatibus, quique littus tuto legunt, nec ludibrium ventis debent, auraeque judicii popularis multo inſaniſſimi. Ad quid enim ſapientiae ſtudia & ſcientiae vulgo amplectuntur homines ſtudioſi, quam, ut eorum velut ſufflamine fulti ad opes recta contendant, & honores Eccleſiaſticarum aut ci-

vi-

vilium dignitatum? quam ut titulis ac pilleo decori, ſpectabiles obambulent, digitoque monſtrentur praetereuntium, quam ut verba ſua magno divendant, divitiaſque ea ratione in altum extruant, quibus ingratus tandem haeres molliter ac ſecure perfruatur. At quanta illa pars eſt, vel quantula potius eorum, qui ad finem illum rigide intenteque collimant, Publici Boni, aut etiam sui, ſed interioris ejus ac ſolidi, altaque illa reſipientis? Atqui valere merito jubeam illam ſapientiam, quae nec meliores reddiderit cultores ſui aſſiduos nec adſipientiores in ſui notione & illius, a quo, in quo, & per quem ipſi. Ut enim ego tibi expromam, Lipſi, animi mei cogitata; non alio libens contenderim omni ſtudio omnique literario aut Philoſophico labore, quam, ſapere ut poſſim, & fari, & facere omnia recte. caeteriſque facile remiſerim erratorum culpam in vita omni, officiiſque tum divinis tum humanis, non itidem ipſi mihi, cui, ſiquidem otium & vacatio conceditur ab aliis fere rebus ad hanc unam meditationem, quidni indigniſſimum ipſi aeſtimem nil aliud quam μετεωρεῖν, & cum vulgo per totam adeo vitam aut nihil agere, aut ſi quidquam, id aut malum aut male agere, aut ſi nec illud, tum aliud certe agere ab officio hominis Φιλοθεόρȣ aut Φιλοσόφȣ. Praeter iſta nonnumquam me quoque excitat nominis ac cognominis mei ſignificatio, (quorum, ut nunc quidem a perpaucis habetur ratio, ita concedes non olim quidem incurioſos fuiſſe illos, qui omnia diligentius & ſtudioſius perſecuti) eorum illud praeter ejus jam nativam ſignificationem, a duobus mihi venit, qui ut clariſſima duo lumina radiant in fronte illa auguſtiſſima Chriſtianiſmi; quorum alter ſanctiſſimus, alter Deo ipſi inter homines converſanti dilectiſſimus, uterque caſtiſſimus, uterque rerum doctiſſimus caeleſtium, uterque praeco veritatis fideliſſimus: hoc autem alterum quid vernacula mihi lingua praecepti inſtillet facile eſt cognoſcere. Haec ſi ſuperſtitioſa tibi videntur, non contenderim, modo calcar mihi aliquod ſubdant, ut majore impetu ad illa vere ac ſolide bona contendam, quo quidem nos nimium quantum indigemus, languidi numquam non ac tepidi, ſi non torpidi ad illa quae ſtudii eſſe noſtri cum morſu animi vellicante agnoſcimus. Gaviſus itaque ſum, cum Lovanium commigraſſe te intellexi, ubi ego tibi omnia fauſta felicia non ceſſo comprecari, atque ut illi tui Grudii te longum incolumi; tum ipſis, quamdiu voles, tute perfruare. tametſi illis quidem invidere nos par eſt, quibus lux illa veſtri ſplendoris communicata ita quidem, ut a nobis illa avulſa, qui interea a ſitu ſqualore & tenebris vix adeo nos vindicemus. mecum autem ego perbelle actum exiſtimo, ſi non aliorum praeclara ingenia, quorum illic reor non deeſſe copiam, te jam ita novis implicuerint familiaritatibus, ut dulciſſima eorum conſuetudine capto, ne ſemel in mentem venerit Hemelarii tui meminiſſe. Et nos iſthic jam ab aliquot ſumus menſibus, non nimis volentes aut libentes, ob taedia rerum ſatis moleſta, ſed parentes jam contendunt coguntque ut redeamus, & habent illi ſuas cauſas quas non refello. Si tamen alius daretur hic aut alibi utilis mihi locus & non inhoneſtus, mihi quidem ſtaret non tam cito reverti, brevi tamen ſtatuemus, &, credo, remigramus, quando

do non aliter video ipſis me facturum ſatis. Plura hîc vellem & deberem, ſed jam haec ipſa plus nimia video, & modulum epiſtolae ſupergreſſa. quare deſino, atque illa reſervo in aliud tempus. Extremum autem hoc erit, ut vehementer te rogem, ut, quem ante benigne amplexus, inter tuos illos habere deinceps ne graveris: quo enim ego indignior iſto gradu, eo glorioſior humanitas tua, quae etiam tales clientela ſua non dedignatur, noſtrique aliquando, etiam in precibus tuis ut non nolis meminiſſe, talibus enim taliumque interceſſionibus in lubrica hac aetate haud parum adeo nos agnoſcimus indigere. Vale, mi Lipſi, & ſi quicquam aut hîc aut alibi quocumque gentium tenuitas noſtra poterit, quod tibi ſit uſui, pro jure tuo impera, ut enim nemo vivit mortalium, cujus ego malim dici totus, ita nec quiſquam alius, credo, libentius ſeque & ſua tibi mancipaverit. Raptim Coloniae. pridie Non. Martii 1593.

Si quid reſponſi a te expectare poterimus, (quod valde optem) poterit deſtinari domum Wilhelmi Burchgraeff mercatoris Colonienſis, tametſi vel alias commode, ut ſpero, ad me perferetur.

P. S. Jam vero in hiſce talibus cogitationibus verſanti, an mirum ſit, ut illi quondam male felici hoc (O Solon Solon!) expreſſum, ita mihi hoc (O Lipſi Lipſi!) ſaepe in animo eſſe ſi non in labiis, non attinet referre: quem quidem ego te ſciam, ut hoc ſpatio, quod mihi quoque decurrendum propoſui, feliciſſime ſummaque cum gloria confecto non immerito jam gaudere, ita quoque me in carceribus etiamnum, proh pudor, haerentem non applauſu modo, ſed voce, ſed mente, ſed ope aut opera & poſſe & non nolle excitare ac promovere. unde certe (dicam enim) etiam indignius fero, quod & olim ego non agnoverim theſauros iſtos, quos e praeſentis tui benevolentia haurire potuiſſem, & nunc (cum maxime agnoſcam) facultas mihi eadem non ſit relicta. contingit mihi hîc quidem quod vulgo ſolet, ut non ante rerum pretia ſubducta ratione examinemus, quam cum iis ſublatis e medio, ſummo cum deſiderio atque aegritudine, cogimur tamen carere. itaque jam demum vere video, quid tibi & nos debeamus, & illi, qui aut olim te fruiti, aut nunc etiamnum praeſentes praeſente fruuntur. ut autem ego animi erga te mei illum affectum exprimam, non poſſum ſignatius, quam quibus ille verſibus argutiſſimus Poëta Cornutum ſuum alloquitur in re haud abſimili conteſtatae gratitudinis, quos non gravabor addere, modo tu ne legere.

Non equidem hoc ſtudeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgeſcat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur: tibi nunc hortante Camoena,
Excutienda damus praecordia, quantaque noſtrae
Pars tua ſit, mi Lipſi, animae, tibi dulcis amice,
Oſtendiſſe juvat, pulſa, dignoſcere cautus,
Quid ſolidum crepet, & pictae tectoriae linguae.
Hic ego centenas auſim depoſcere voces,
Ut, quantum mihi te ſinuoſo in pectore fixi,

Voce traham pura, totumque hoc verba reſignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.

Quos ipſe dein ſubjungit verſus, ſi tam ſtricte de me poſſem, quam hoſce quos poſui, alius profecto eſſem. & multum mutatus ab iſto qui nunc ſum. hoc tamen ex parte adſcribam, quod tuo ductu

Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.

Quae ſequuntur, ut ſupra fortunam meam ſunt, ita ſi hoc modo quadret, me faelicem?

Non equidem ut dubites, amborum foedere certo
Conſentire dies & ab uno ſidere duci.

eorum concludam tamen voce cum ipſo;

Neſcio, quod certe eſt, quod me tibi temperet aſtrum.

EPISTOLA DXLV.

J. LIPSIUS

Joanni Orano.

REverende Pater. Aeterno Deo gratias debeo agoque, qui me poſt varia diſcrimina & moleſtias in hunc locum traduxit. Spadae ſum, & juxta deſideratos diu fontes. Ad te toto animo adſpiro. ſed fatigatio mihi paullum abſtergenda eſt, & quiete mitiganda. Audio etiam itinera haud uſquequaque tuta. Sed quidquid ſit, brevi te & Patres videbo. Adventum meum ſerio celari cupio ob juſtiſſimas cauſſas. fugio interpellationes, & donec res meae in Batavia confectae ſint, uxor & familia & ſupellex traducta, melius nos latitare. Pro prudentia tua intelligis. Ego deinde honeſte me expediam ab illis, & illibata mea fama. litterulas illas mitti ad uxorem valde mea intereſt, ſed ita, ut ipſi reddantur in manum, rogo ſi potes, juva. ſumptum in nuncium & laturam ego, aut uxor ibi potius, liberaliter exſolvet. Reverende mi Pater, animo tibi circumfundor & amplector, & precibus calide me commendo. literas ad te habeo, ſed ipſi tibi coram reddendas. In Spadanis aquis XVII. Kal. Jul. CIƆIƆXCI.

EPISTOLA DXLVI.

J. LIPSIUS

Joanni Orano.

R. Pater. abire te ſine ſalute mea, valde mihi moleſtum eſt. & praeter opinionem meam, atque adeo praeter promiſſum. Quid tamen faciam? fontes iſti juvare me nonnihil & exercere nunc vires ſuas videntur. Intempe-

ſtive eos deſeram? Scio te nolle. alias (teſtor illum quem quis fallet?) nihil magis mihi nunc in votis, quam te cum P. *Delrio* una videam, quem animo aſſidue, oculis nondum uſurpo. At brevi fiet, ſive enim valeo, juſtiſſima eſt cauſſa veniendi, & hilari animo hilaros amplectendi. ſive non, cauſſa quoque juſtiſſima haec abeundi, nec manſione mea infamandi inclytos & laudatos adhuc fontes. de rebus meis in Batavia nihil etiam audio, ſpero optima, & feram quae evenient; certus Deum haec ſic diſponere in bonum meum & ſalutem. Ne de publicis quidem hîc ullus ſermo, quae vacillare poſſunt, ſed labi, me judice, non poſſunt. ita Deus ſigna clara jam ab aliquot annis dedit ſuae voluntatis. Rex noſter, (mihi crede) victor de apertis occultiſque hoſtibus (iſti plures & metuendi) triumphabit. ſed omnia in tempore, & cum Deo viſum. cui ut & me Rev. Pater, ſanctis precibus tuis commendes ex animo rogo, ſi me amaſti aut amas, hoc fac. Aquis Spadanis XXVI. Jul. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA DXLVII.

J. LIPSIUS

Joanni Orano Presb. Soc. Jeſu. S. D.

R. P. Dolui ita cecidiſſe, ut me adveniente tu abires; atque ita, ut ignari eſſemus alter de alterius diſceſſu. Voluiſſem certo te alloqui & amplecti, quod ſpero me facturum, antequam hinc abeam, quia ſtatui (praeter veterem ſententiam) pluſculos dies aut ſeptimanas hîc haerere. ita me capit cum ipſa urbs, tum amici quos repperi, & inter eos eximius candor tui fratris. Certe vir eſt, ex animo loquor, quem ex animo amo: & meretur. Reſiſtam hîc igitur, ſaltem tantiſper, donec aliquid ab uxore, & de ejus adventu; ut tum demum ſtatuam de loco domicilii mei firmo. Quod ad Rempublicam, nihil audimus, niſi Verdugum Tribunum cecidiſſe aliquot vexilla hoſtium circa Gruningam, idque eruptione ſubita, ita ut tormenta etiam reliquerit hoſtis. Ita fama eſt, nec valde adfirmo. utinam ſerium & grande aliquid audiamus, & quod faciat ad rei ſummam! quod tunc denique futurum confido, cum ordo erit & regimen, quale optamus. Interea pro magno bono, ſi non magna jactura. Scripſi nuper inſtinctu amici cujuſdam ad *Richardotum* benivolum nobis, ut certo audimus: ſed communiter, & levi mentione rerum privatarum. Permiſi illi ipſi amico plura addere, ſi occaſio aut inclinatio ejus ita ferrent. Et quid autem feſtinem? ſatis tempori hoc fiet: & Deo placeamus, parum eſt de reliquo iſto humano grege. Prorſus ita ſentio. ſine ſuperbia aut pervicacia, contemno tamen omnia haec externa; & utinam mihi Deus tantillum vitae otiique det, ut in ſeceſſu corrigam mea quaedam & colligam, quae fortaſſe ſint in publicum bonum! conabor, atque etiam perficiam, ſi veſtris R. P. precibus juver; quas ſcio apud aeternum illum Deum efficaces. Is te meque ſervet. Leodici prid. Kal. Jul. CIↃ.IↃ.XCI.

Hoc

Hoc ipſo die apud fratrem tuum comiter valde in prandio accepti fuimus, & te deſideravimus, ſed hoc tantum. De valetudine mea haud eſt? aſſideo & accumbo ſanis, & ſi vires mihi pro animo, valde vir ſim. qualiſcunque aeger, illo valeo.

EPISTOLA DXLVIII.

J. LIPSIUS

Joanni Orano.

REverende in Chriſto Pater. Conſilii tui copiam ut mihi facias in re, quam proponam, valde rogo. Ab amicis moneor de gratia reconclianda cum meo Rege. Res noſtra ita poſtulat, ut veniale diploma impetrem, ſi uti fruique velim meis bonis. ſed & fama quoque ſuadet. quia abſit, ut inter eos cenſear, qui hoſtes ſunt legitimo ſuo Regi. Ego me non eſſe, nec fuiſſe etiam, cum inter medios hoſtes fui, ſcio: etſi fateor dicta aut ſcripta a me fortaſſe aliqua (privatim tamen, publice, quod ſciam, nunquam) quae trahi alio poſſunt. ſed deinceps cauto & recto pede ambulandum eſt. Hoc conſilium ſi non improbas, juva etiam. Quomodo? ut teſtimonium mihi conficias pacis & reconciliationis meae cum Eccleſia, quo ante omnia eſt opus. Id per Patres Societatis veſtrae fieri conveniens videtur, quoniam per illos interpretes & arbitros Deo iterum me junxi. Moguntiaci expiata culpa, & ſolemni communione inter Eccleſiae membra ſum receptus, ac Coloniae iterum, Confluentiae, hîc denique. An ergo a primis teſtimonium peto, an ab ultimis, & qui ad manum mihi eſtis? Hoc eſt, in quo ſententiam tuam exquiro. Reverendiſſimus *Torrentius* benigne nuper ad me ſcripſit, atque etiam de me ad alios, & arbitror illum omnia mei cauſſa velle. de re mea habes. de repub. hîc ſiletur. Hoc unum. Bruxella adferunt, Principem Aſcoli regio mandato celeriter ſe in Galliam contuliſſe. Item Hiſpanos, qui nondum pacati, *Breinlechaſteau*, ut appellant, per inſidias occupaſſe; an & diripuiſſe? non enim memini probe, quid in ea epiſtola fuerit, plura nunc non habeo, & res etiam meas diſponebam in domicilio novo, quod apud viduam piam & probam conduxi. ſi Deus volet, videbis cum redieris. eundem illum rogo; uti ſanus & firmus. Leodici III. Non. Jul. CIↃ IↃ XCI.

EPISTOLA DXLIX.

J. LIPSIUS

Joanni Orano.

REverende in Chriſto Pater. Non reſcripturus ſic ſubito eram (etſi libenter tecum alloquia haec alterno) niſi pupugiſſent me, quae de migratione

ne mea, aut potius ejus cauſſis ſuſpicaris. Ignoſce, nondum eo veni, ut affectus omnes habeam domitos. & iſte, ecce, ſe oſtendit. Putas me rei familiari ſtudere in hoc conſilio: non ita eſt, ſed tu mihi paulliſper judex eſto. Triennium paene hîc jam verſor, exiguo ſtipendio, & quo honeſte me non tolero: eo ipſo incertae & malignae ſolutionis. Aſſuevi ſine curis iſtis externis vivere, nec opus hactenus fuit: vis me nunc, praeter atras iſtas nubes, quas morbus gignit, hanc quoque exſpectare, & ſubire inopiae calamitatem? Proceres medebuntur, inquies. Ita dicunt, & jamdiu audio: ſed liberale aut benignum quid exſpectem, cum nec promiſſa praeſtentur? praeter ſexcentos florenos, quos adſignarunt ordines, ducenti mihi promiſſi e Collegio Busliдiano recipiendi: ubi ſunt? obolum non vidi, non videbo. bona fide, pater, eſt hoc literas colere cum dignitate aut cum fructu? ad Antiſtitem noſtrum plene omnia ſcripſi, & conſilium atque etiam auxilium ejus imploravi. Scribis, non ſemper ſic futurum Belgium in ſordibus & ſquallore. Ego vero ſpero & opto, imo & confido. Quid tamen ad me valde, qui non eam relinquo, quia turbidam, ſed (ignoſce mihi ſi liberius ſcribam) ingratam. Nolumus nos cum magnis viris comparare, ſed cum nemine tamen meae ſortis aut famae ſic tenuiter actum, audeo confiteri. Metuis etiam valetudini meae in aëre Italico. Agnoſco benevolentiam, id eſt affectum tuum veterem: tuum? imo tuae gentis, & omnes ſic in me Orani. ſed de Valetudine, Deo permitto, quae nec hîc valde me habet ſanum. Quid ſi ipſe aër mutatus, & locus aliquid adjuvent? ſaepe ſolet. Etſi (ut ex pectore loquar) tale nihil cogito, niſi cogar. Cogi me interpretor cum iis, qui retinere poſſunt & verbis volunt, rebus nolunt. En, de me libere, & pro ingenio meo, ac tuo. Hoyenſe oppidum receptum eſſe jam audimus: quod mihi privato quoque nomine gratum, ut iter patefiat ad veſtros fontes. Anhelo illos & ad amicos. Vale R. Pater. Lovanii XIIII. Kal. April. CIↃ IↃ XCV. R. P. T. addictiſſimus jam olim a puero J. Lipſius.

EPISTOLA DL.

J. LIPSIUS

Petro Orano.

QUi tuas tulit (caſu domi non eram) jam nunc reſponſum poſtulat, & ecce habet. ſed quale tempus permiſit breve & abſciſum. Ego die Mercurii non venio. hoc primum. Valetudo non vult, non etiam tu ſi me noris. Egone inter Primores illos, & ubi ipſe Princeps? ſeorſim ſingulos convenire aut affari non fugio, valde univerſos, & ubi pompa. ſed de valetudine (ne amor tuus ſollicitetur) ſic habet. Τὴν κοιλίαν τὴν κάτω ſolverunt mihi fontes. Id pro bono ceſſurum ſpero, & ita firmant rei aquariae hîc periti. ea res ne me commoveam omnino jubet, alioqui haud diutule hîc futurum.

ſive quia mihi periculi fortaſſe aliquid incurrat, ſive quia aliubi quoque & meliore loco potare fas iſtos fontes. Eburones quidem veſtri (tractum totum intelligo) menſes pluſculos tenebunt. Salve, Vir Clariſſime, & multa ſalute Germanum tuum, olim & nunc mihi carum, imperti. Aquis Spadanis x. Kal. Jul. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA DLI.

J. LIPSIUS

P. Orano JCto.

EN fui hilariuſcule apud fratrem tuum in prandio, male mihi ſit, niſi hilarius, quia apud fratrem tuum: nam etſi ipſe mihi amicus, & quidem vetus: tamen neſcio quomodo tuus ardor me incendit, & hanc amicitiam inter primas habeo, ſed animis non annis aeſtimandam, at parcam in hoc verba, ut cum Symmacho noſtro loquar, & venio ad id, quod in epiſtola quadam nuper a me requirebas. Cur [1] *Leodium*, *Leodicum* ſcribo ac nomino? Quia, non dico majorum, ſed avorum veſtrorum aevo ita fuit; nec ille novus qui hoc, ſed qui illud uſurpat. unde doceo? Annales veſtros conſulite: nego vos reperturos ſcriptos quidem libros paullo meliores, qui non *Leodicum* appellent. Eſt apud me Sigeberti Chronicon, cum memoria aliquoties urbis veſtrae, ſed *Leodicenſis*. Ipſa vita Caroli Magni, veteris incertique ſcriptoris, ſic refert: *Rex Carolus reverſus eſt in Franciam, & celebravit natale domini in villa quae dicitur Duria, & Paſcha in Leodico vico publico.* obſerva *vicum* vos tunc fuiſſe. adde quod vulgo *Luidik* vel *Luttich*: Uxorem rediiſſe ſalvam, matre relicta etiam ſalva, ex fratre intellexi; & in primis amorem, quem conſtanter in nos ſervas, debes, & mutuum facio, faciamque quamdiu ero. Ita candor, virtus, eruditio tua poſtulant, quae me ceperunt. Vale cum tua & tuis. *A. Leemputius* ſuis literis amice ſalutem tibi adſcribit. & ego vero Cl. *Juyio* collegae tuo. Lovanii XIII. Kal. Febr. CIↃ IↃ XCIII.

1 Latius haec diſcuſſit Lipſius libr. 1. Poliorcetic. Dialog. 2. vid. ſupra Epiſtolam Scaligeri CCXXXIV. quae producit ex Vita Caroli leguntur in Annalibus Geſtorum a Carolo ad A. DCCLXIX. *celebravit natalem domini in villa Duria, & Paſcha apud Sanctum Lambertum in vico Leodico.* Annales vero Loiſelliani addunt *vico publico.* Caniſii codex habet, *Leako vico publico.* De Sigeberto Gemblacenſi miror: Lipſius enim ait in MSS. codice, quem ipſe habebat, & ab ipſius Sigeberti aevo eſſe putabat, ſemper eſſe *Leodicenſes.* & ita in Editione Aub. Miraei invenio ad A. C. 774. ubi *Agilfredus Leodicenſium Epiſcopus* memoratur, qui in editione Piſtorii corrupte dicitur, *Gilfredus Laodicenſium epiſcopus.* ſed idem *Miraeus*, qui codicem illum Lipſii adhibuit, ad A. 698. & 710. 1106. & ubique fere, *Leodium* exhibet. & quod notandum, ad An. 824. *Walcandus Leodicenſis Epiſcopus corpus ſancti Huiberti transfert a Leodio ad Andagium monaſterium.* ita ut videantur Urbem vocaſſe *Leodium*, ſed gentile inde formaſſe *Leodicenſis.* certe parum refert, cum Lipſio tamen facerem. de origine etiam nominis non male ſentire *Lipſius* videtur. nam & *Goldaſtus* t. 1. Rer. Aleman. p. 132. a *Leodes*, id eſt antiquo ſermone, *homines* deducit. quod vero ultimam Syllabam deducat a *Dyck*, id eſt aggere, Lipſius, poſſet errare, quia enim *vicus* vocatur, poſſet *Leodicum* eſſe pro *Leodewicum*, ut multae urbes a *vico* denominationem traxerunt. & quia *vicus publicus*, id eſt fiſci vocatur, ita dictus forte, quia *Leodi*, id eſt homines, vaſalli eum habitarent.

EPI-

EPISTOLA DLII.

PETRUS ORANUS

J. Lipſio ſuo S. D.

Lovanium.

HEre apud Herum cum paucis tui nominis, tuae gloriae ſtudioſiſſimis in arcano prandimus, multa honorifica de te & operibus tuis confabulatio; nihil te uno apud illum eſt antiquius, didicit egregiis ingeniis habere ſuum honorem, dicerem omnia, ſi patereris te in epiſtola ad te, laudari, librorum tuorum exordiis guſtatis non conquieſcit, donec ad calcem pervenit, hortatur ut *facem Hiſtoriarum*, *militiam Romanam*, in qua nunc es totus, praeclaraque alia opera tua adfecta conficias, ad aevi noſtri ornamentum & utilitatem, poſterorumque admirationem tui. utinam, mi Orane, dicebat, Lipſio tuo, imo vero noſtro, & in praeſenti mutuoque adloquio frui poſſemus, & (ut ſermo ſermonem trahit) inter caetera narrabat, apud Germanos e re nata frequenter ſe pro te ſtetiſſe, plurimos enim tibi invidere & falſa obloqui, reſpondi, ſtabilitatem animi tui falſis delationibus non mutari, cum bene conſcius vitae & actorum, nihil in ſe maledicis ſermonibus licere aeſtimet, quinetiam deſpuere, ſi quae inculcata de ſimulata religione mendacia, huncque honorem & vitam & mores meritaque tua vindicare; ut qualis ipſe es, talem te a Principibus viris intelligas judicari, verum enim ſuſque deque te ferre agyrtas maledicentiſſimos: quid enim, addebam ſuper, coget hominem rei litterariae perfectiſſimum columen, cum longe imparibus quaſi altercando & jurgiis concertare; nihil tibi commune eſſe cum indoctis, quos *litteratos* Plautus vocat, ideo quod iis *littera* (ut ait Cicero) *ad caput adfigenda ſit*, qui ut aliquid inanis gloriolae apud ſui ſimiles aucupentur, ampliſſimos & praeſtantiſſimos viros amarulentis, inutilibus ac invectivis libellis laceſcunt; Ad haec Herus, recte quidem, mi Orane, hoc enim Deus avertat, ut ullius hominis virulentia, ſi quenquam laceſſitum a ſtatu mentis dimoveat, ut laxatis maledicentiae habenis in alterum debacchetur, hoc enim nihil eſſet aliud, quam cum inſaniente inſanire, & alienam ulciſci malitatem, ut ipſe fiat malus. His ſimilibuſque ſermonibus ultro citroque habitis, ille nobis conſumptus eſt dies. Memini legiſſe me magnum *Eraſmum* Roterdamum *Erneſtum* Bavariae Ducem, Heri noſtri (niſi fallor) abavum, habuiſſe Mecaenatem favitorem ſuum, eumque ab eo ampliſſimis conditionibus provocatum, & hic adſiduus vindex & adſertor tuus, ad quem, ſi me amas, ſcribe, & litterarum officio Sereniſſimi Principis beneficium agnoſce. habes materiam; de cruce libellos tuos ſitienter exoptat, mitte cum epiſtola: Reges & Principes viros ſine aliquo munere non eſſe ſalutandos, monebat lex Perſica. Sed & aliud avide expectamus, ut Dominus Deus populi ſui miſertus per novi Producis adventantis pietatem & prudentiam, tandem triſtiſſimam hanc tempeſtatem, civile & exitiale Belgiae diſcidium, vobis nobiſque vertat in tranquillitatem, ſperamus aeterni nu-

numinis bonitatem omnia in laetum exitum verſuram, ſi tamen animos noſtros ad ea, quae illi ſunt placita, verterimus. mi Juſte, cum tua & ſalve & Vale. Dominus de *Melroy* menſae & confabulationis ſocius, tibi ſalutem. Leodici pridie Id. Decembris 1593.

Virorum bonorum & doctorum, uti & tuus, Moecenas & fautor ERNESTUS ELECTOR COLONIENSIS.

Priuſquam obſignaſſem litteras, venit ad me Sereniſſima ſua Celſitudo cum paucis, & ante prandium videre voluit, quid ad te ſcripſiſſem, vidit, legit, ſuaque ſubnotatione, ut vides, adprobavit.

EPISTOLA DLIII.

J. LIPSIUS

P. Orano JCto.

Leodicum.

VOs vero miramini, ſcio, ſilentium meum, fortaſſe & accuſatis. Quid tamen obloquor, cum omnia ſic apud vos nota? cum ignes illi ſuppoſiti cineri doloſo, ut Poëta ait, jam in apertum incendium eruperunt? Equidem vicem veſtram doleo, & nec illum angulum exceptum communi huic cladi. Praedictiones tamen meas commeminiſſe potes, etſi non putabam Batavos in ſic apertum ſcelus erupturos. Quis vel color ſaltem allini poteſt? nullus, niſi ille Euripidis, *violare jus Tyrannidis cauſſa.* ſed laetiora nunc audimus, & aliquid ſpei bonae de Huyo. O Rector ſupreme, fac ratum, & da illam vobis, & vos iterum mihi, ut hac ſaltem aeſtate fas mihi ſit vos videre, & veſtros fontes. Propediem Antwerpiam me iturum cenſeo, ut figuras, quae ad Poliorcetica noſtra, ſive de machinis ſpectant, eas, dico, jubeam pingi & ſculpi. Eſt & alia viae cauſſa. ſemel tranſigere cum Aula noſtra debeo, teneant me an dimittant: quoniam profecto arcte habent, & res meae fiunt anguſtae. Interea Itali identidem invitant, & jam recenter Bononienſes in primarium locum, & qui *Sigonii* fuit. Nulla vocatio illapſa magis in aures & animum, & ſerio delibero quid ſim facturus. Heros ille, veſter Herus, quod agat habet, & ubi vim inſitam promat: fallor aut tota haec res (utcumque ab initio triſtis) ſtabiliendae ejus auctoritati erit, imo augendae. Deus faxit, & quod ante dixi, vos nobis reddat, & fideliter inviſat. Lovanii XIII. Kal. April. CIↃIↃXCV.

EPI-

EPISTOLA DLIV.

J. LIPSIUS

Petro Orano.

Leodicum.

ACcepi tuas. & in iis quod de[1] filio petis. Non faciam longos logos. vide fructum amicitiae, quod aliis & proceribus negavi impetraſti. veniat cum bono Deo, ſed in annum unum. nec longius potui ab uxore mea extorquere. Ipſa aetate jam ſeneſcit, quietem expoſtulat. annonae etiam caritas familiam non vult augeri. Hoc ſpacio facile & formavero eum & direxero, & hauriet a me quae uſui videbuntur. Habebo, hercules, benigne & cuſtodite, & plane ut meum. Tu videbis ut bene modeſteque ſe gerat, vitet conſortia, praeter eorum, quos ego dicam? nam veſtrorum quidam hîc inſolentiores aut proterviores, & de *Lampſonii* filio quid dicam? triſte exemplum parentibus, aliis utile ad cavendum. Tibi ſcriptum. In domo mea alius item eſt, ſed inſigni pudore & modeſtia, filius *Othonis Hartii*, quem recepi futurum mihi a manu. nec enim titulo convictoris volui, etſi pro convictore ſolvet, & parens ejus jam olim mihi amicus ſit, & res meas omnes ac lites etiam curet. Haec de filio, cui cubiculum jubebo apparari circa initia Septembris. ſub id tempus veniat. de bombarda bene eſt, ſecum eam ferat, & una thecam, aut repoſitorium coriaceum, quod in domo noſtra apud virgines invenietur. Honeſte ibi petatur. Sed de hoſpite, qui ſymbolam petit, o ſcelus. Non aliter loquor, & commodum nobis adeſt P. *Leonardus Leſſius* e Societate, qui mecum ibi fuit, atque is tres florenos pro coenula noſtra ſolvit. Coenulam dico, in qua pauca modo ova, amplius nihil. Si P. *Leonardus* non adeſt, Rector erit, & is ipſi viro perſolvit. Per fidem, Orane, haec flagitia, non dicam fieri apud vos, ſed ferri? furta & depraedationes manifeſtae ſunt, atque idem in pallio fuit, quod haud longe infra pretium redemi. Patiamur, ſed Spada aut Spadani haud temere me videbunt. Caeterum de tantilla pecunia, nihil eſt. ſi petit & urget, ſolve meo juſſu & nomine, compenſabo. Librum fratri Archidiacono miſi, ultimum mihi e ſeptuaginta. memini audire me tabulam plumbeam erutam apud vos eſſe Epiſcopi alicujus defuncti, in qua *Leodicum* ſcriberetur. Eam velim mihi exſcribi, quia uſum habent ad ſermones noſtros, quos pertexo. Vale. Lovan. III. Id. Sext. CIϽIϽXCV.

1 Vid. Centur. ad Italos Epiſt. 39. Unde videmus *Franciſcum Oranum* vocari, ut & appellabatur ejus Patruus, qui Romae inter Senatores Rotae erat.

EPISTOLA DLV.

[1] PETRUS BERTIUS

J. Lipſio.

Spadam.

VIr clariſſime, Deum teſtor & Fidem tuam; nihil mihi unquam gravius acerbiuſque contigiſſe, quam divortium, & diſtractionem Moguntinam. O diem illum inamoenum mihi & triſtem! Egone te, cui pectus iſtud debeo, & quicquid in me eſt animi melioris, ut potuerim deſerere, imbecillem, invalidum, aegrotum, alienae opis indigentem? Sed ita res utriuſque noſtrûm poſtulabant. Haerent tamen in pectore, & urunt indies ſermones illi, quibus adfectum in me tuum, cum ante ſaepius, tum diſcedens maxime declaraſti; quos ego ex animo nunquam deponam, quamdiu vivam. Atque utinam ut de animo in me tuo, ita de ſalute aliquid nobis conſtaret! quid enim agas, aut ubi vivas, poſtquam Moguntia abiiſti, nulla hactenus potuimus ratione cognoſcere, donec ex *P. Brederodo*, qui nuper admodum Francofurto ad nos venit, intelleximus, te in Spadanis eſſe. Nos interea quod ſolum poſſumus, non deſiſtimus curam valetudinis tuae gerere, pro qua DEO operantes cotidie, infulas eliciendae miſerationis offerimus, vovemuſque ex formula DE NOSTRIS AN-

1 *Petri Bertii* vitam deſcriptam legere poteris, Lector, inter Profeſſores Leidenſes, & apud *Valer. Andream* & *Franciſcum Sweertium* in Bibliotheca & Athenis Batavis, & alios. Comitatus ille fuit Lipſium in hoc itinere cum duobus *Canteris*, *Adamo Leemputio*, *Werckovio*, Ultrajectinis, *Rocho Honerto*, *Schapio* & *Gravio*, teſte *Meurſio* in Athen. Batav. p. 235. & ut ex multis Epiſtolis Lipſianis, tam editis quam his, apparet. & forte jam tum a Lipſio ſollicitatus & ſponte pronus ad religionem puriorem ejurandam, quod ſerius tamen fecit: Paupertas vero videtur praecipua cauſſa mutationis fuiſſe; cum enim Profeſſorio munere in turbis notis patriae noſtrae privatus, unde viveret non habebat, Lutetiam abiit, ibique acceſſit 1620. Catholicis, & Orationem edidit, qua rationem reddit, cur relicta Leyda Pariſios commigraverit, & Haereſi repudiata, Romano-Catholicam ſidem amplexus ſit: quam legi editam Antverp. 1621. ubi foedum in modum adulatur Papiſtis, & praecipuum robur argumentorum ex antiquitate & ſucceſſione Epiſcoporum petit. laudat vero eam *Nicol. Borbon*: in Poëmat. expoſitis p. 127. refutavit eum ſcripto Anti-Bertio, *Joannes Corberius* Norib. 1623. *Bertius* ipſe Epiſt. ad Ruarum t. 1. 12. queſtus ſe duriter haberi, *tamen exemplum poſteritati daturum conſtantiae & moderationis* promittit, & meditari jam iter Pariſienſe, ibique adjuncturum ſe Reformatis ſcribit. VI. April 1620. Neque etiam gratum fuiſſe ſtudioſis patet: nam Lugduni cum A. 1594. menſe Octobri obtinuiſſet a Senatu Academico poteſtatem publice explicandi Ariſtotelis Ethicam, prima recitatione publica ita a ſtudioſis fuit exploſus & tumultuariis clamoribus exceptus, ut nullum verbum potuerit proferre. *Vulcanius* tentavit in eum transferre munus Secretarii per Curatores & Conſules, ſed Senatus Academicus interceſſit, quia *non viſum erat expedire, ut hoc tempore eo munere Bertius fungeretur, & ſignificatum Curatoribus electionem Secretarii etiam ad Rectorem & Aſſeſſores ſpectare*, ut didici ex actis noſtris. Tentavit & A. 1598. Junii menſe iterum publice docere, ſed Senatus eum monuit melius facturum, ſi eo tempore non doceret, ſed differret: poſtea tamen etiam Profeſſoris munere functus. & 1604. 17. Jul. Magiſter artium honoris cauſſa creatus, & menſe Octobri celebravit oratione funus *Jani Douzae*. *G. Patinus* Epiſt. CCLVIII: mortuum Lutetiae 1629. ex Dyſenteria atrabilari narrat, & ſe eum hoc in morbo curaſſe ſcribit, & licet ſacra mutaſſet, ſoceri tamen ſui *Kuchlini* laudes ſemper celebraſſe, ait. vide de *Bertio* etiam ſupra ad Epiſt. CXCIII.

ANNIS. Et ſpero etiamnunc aliquid impetratum. Me vero Heidelbergae ante quatuor hebdomadas graviſſima febris corripuit, quae nunquam me liquiſſet, niſi ego peſtilentem aërem, terraſque Belgis crudeleis. Vix enim Argentoratum veni, quum me repente morbus deſeruit, multo citius, quam ex porta ludis quum emiſſus eſt lepus. Ita nunc DEI virtute, ſanus ſum atque incolumis, ſperoque deinceps aëris hujus temperie clementiaque adjutum firmatumque iri valetudinem. Ego tamen adhuc cochleae in morem meo ſucco, ſed parce admodum & tenuiter. nam longo illo itinere, ut ſcis, magna mihi peculii pars abſumta eſt, neque Heydelbergae ſane exigua. hîc autem (niſi DEUS aliquis juvet e machina) reliquum ſubito perierit cum pulviſculo. Sed ſpero in poſterum laetiorem Fortunam, propter ingentem nobilium juvenum frequentiam, quae in hac Schola eſt. ſed tarde ſane me adhuc illa reſpicit, movetque vere formicinum gradum. Quotquot tamen juvare me conſilio queunt, favent, voluntque quae cupio omnia. quod non mea mihi virtute, ſed tuo potiſſimum beneficio evenit, qui me coram verbis *Gothofredo*, doctis omnibus epiſtola commendaſti. Sed *Gothofredum* ſcin tu a Norinbergenſibus Altorfium accerſitum, ut in *Donelli* defuncti locum ſuccedat? Ita eſt. Ille vero gratias egit negavitque ſe poſſe Scholam iſtam honeſte deſerere, in quam non ita pridem veniſſet. Nunc ille in Suetonio eſt, quem dabit, ut puto, his nundinis ita tractatum digeſtumque in libros Aureorum, ut Senecam. ſed a Criticis conjecturiſque manum ille abſtinebit. Callide. metuit fortaſſe [2] *Witebergenſem* illum, ne ad praetorem corripiat, & dicam ſubſcribat, nam is, ut audio, in eodem ſcriptore eſt. Nos adhuc in Seneca & Plutarcho. Inde ſerio cogitamus ſerium illud ſtudium. Velim tamen aliquid etiam in Juriſprudentia, ne omnino illorum ſtudiorum ignarus ſim. Adgrediar, ubi tuum de hac re judicium audivero, quod ut perſcribas rogo. Habebis profecto, quem habuiſti hactenus, morigerum & dicto tuo audientem. *Cujacii* vita nuper admodum prodiit deſcripta a *Papirio Maſſonio*, ejus exemplar ad te mitto, quod & gratam tibi ſciam illius viri memoriam, & exemplaria nondum exiſtimem ad vos eſſe allata. *Hieronymum Mercurialem* narro tibi itidem in Italia obiiſſe. Ita funeſtus hic annus Doctorum omnium capitibus. Sed quid querimur? mortalitatis haec noſtrae lex eſt, ut per fluctus & ſaxa hujus vitae in portum mortis veniamus, a qua dum nos multum putamus abeſſe, abſumus minimum. *Τρόχος ἅρματος γὰρ οἷα βίος τρέχει κυλισθεὶς, ὀλίγη δὲ κεισόμεσθα Κόνις ὀστέων λυθέντων.* Tu vero diu vive & vale, vir clariſſime, nec ſirit DEUS, tam ſubito nobis eripi, Decus aevi noſtri. *Canteri* ſalutem voluerunt adſcribi, etiam *Werckhovius*. nuper admodum Friburgo huc ſimul venerunt. cogitantque brevi Baſilaeam, inde in Italiam. Friburgenſis Scholae, Rectorne dicam an profeſſor? certe alteruter, librum unum de Conſtantia in Germanicam linguam tranſtulit. Edet, ubi typographum nactus fuerit, quem adhuc non potuit indipiſci. Iterum vale. Datum Argentorati. proprid. Non. Quinctil. A°. 1591.

2 Credo intelligi *Janum Gruterum*, qui hoc tempore Witebergae Profeſſor erat.

Si quid ad me voles, quod ut facias rogo obſecroque, inſcribes aut ad D. *Gothofredum*, aut quod malo ad Doct. *Michaëlem Loefennium.* Eſt is advocatus hujus urbis, ejuſque nunc utor hoſpitio, Vir humaniſſimus, neque etiam elegantiorum litterarum rudis.

EPISTOLA DLVI.

J. LIPSIUS

P. Bertio ſuo.

UBi es mi Berti? Etiamne Argentorati? ubi, ubi, animus apud te eſt, maxime ex animo hoc ſcribo. diu eſt, quod te amo, & ſcis: magis vero, ex quo in via propius & familiarius te novi. Quid tibi in os dicam? probaſti te mihi & tuos mores. ſed enimvero res tuae me habent anxium, ſi nondum eae in firmo; Adminiculari poſſum? ſcito velle, ſignifica, imo ſi paullum ego conſtitiſſem, ad me te elicerem, futurum mecum quamdiu velles. Nec eſſet ἄπερπος aut ἀχρήςης ille convictus. plura in hoc otio molimur, & poſſemus, ut olim viri magni apud Romanos, a ſtudiis te uti. Scribe ſerio & ſtatim, quo loco tuae res. aliquid extricabimus. alioquin etiam commendatio mea apud Batavos te juverit, a quibus miſſionem petii & impetravi, ſane quam honeſte. Genti illi debeo, & prae me fero. & tu aliquando, etiam illi mihi. In Patribus ut ſedulo pergas, eorumque lectione te dirigas ſum tibi auctor: mihi crede, ab illis eruditio vera, atque etiam pietas. & καινοτομίαι iſtae, vereor, ut ferunt illum, ut ſic dicam, Βάσανον ἐκ πυρὸς. de morte *Cujacii* flevi acriter & dolui. ingeminavit dolor, cum etiam de *Mercuriali* meo audivi, unico, & vero poene mihi ex iis locis amico. ſed bene & benigne Deus, qui tales illos ad ſe ex his turbis. Vale, mi Berti, & ſcribe. Leodici aut Spadae literae tuae me repperient ſemper gratae. Leodici poſtrid. Non. Sept. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA DLVII.

PETRUS BERTIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

VIr Clariſſime. De rerum mearum ſtatu ſcripſeram Prid. Kal. Decembris. Poſt illa quid factum ſit intelliges. Nobilis, qui ita largiter fuerat pollicitus, adhuc nihil dedit. Hoſpes meus fidem illius corbitam eſſe ait, ſed certam tamen. Sperabo igitur. Polonus ille, friget. & nunc ea, quae praeſente *Gothofredo* fuerat pollicitus, negat. qua cauſſa, neſcio; niſi quod tanta eſt animi inconſtantia, ut quod vult, nolit, quod non vult, rurſum velit. Ita nunc inter ſacrum & ſaxum incertus excrucior, dum alter lentum incertumque, alter nullum auxilium fert. Batavis tamen certum eſt non exhibere

bere moleſtiam, ſatiuſque arbitror extrema hîc perpeti, quam illic beneficio accepto, pudorem & libertatem perdere. Illud interdum cogito

Multi ſuam rem bene geſſere & publicam patria procul.

Privatim tamen adoleſcentulos aliquot nobiliores dum inſtituo, aliquid corrado, ſed ita puſillum, ut inopiam tolerare tantillo non poſſim, & ita incertum, ut de craſtina die vix conſtet, ſintne id diutius permiſſuri profeſſores, quorum legibus jam olim id vetitum eſt. Habes de rebus meis. Sed vereor ſaepenumerò ne te obtundam, impudenſque videar, quod toties ad te, de me. Quod ſi ita eſt, obſecro te, Vir. Clariſſ. ignoſcas vel amicitiae, vel ſaltem neceſſitati meae. Ita enim Deum mihi velim propitium, ut conſiliorum meorum hominem in Belgica praeter te participem feci neminem, ne parentem quidem. Tanti apud me eſt animi pectoriſque tui humanitas & candor, tantumque de tua in me benivolentia mihi ipſe polliceor. Noribergenſes *Dionyſium* noſtrum ſolicitare non deſinunt, legi ad eum *Scipionis Gentilis* epiſtolam, in qua de *Caſaubono*, deque te illuc arceſſendo exſerte ſcriptum fuit. Tentabunt haud dubie. *Brederodus* huic rei gerundae unus caput eſt & pes. Narro tibi, illius conſilio etiam hîc de te actum. Ego vero Pancarpiam concinno, majus opinione mea opus, laboris certe immenſi; quod propterea his nundinis lucem non adſpiciet. Velim in Praefatione aliquid monere, de utili Auctorum lectione, tum qui legendi, & quo modo; tum quaenam in lectione excerpere atque adnotare oporteat, etiam de Adverſariis paucula, lociſque communibus. Videtur enim non incommode iſtis operibus praeſtrui poſſe talium rerum quaſi propylaeum. Ad hanc rem quae olim ex te audivi, erunt ſcio utiliſſima. Si quid praeterea eſt, quo me adjutum iri putes, id mihi oſtendi abs te pervelim. Aut ſi haec ipſa praepropere a nobis ſcribi exiſtimes, (quod plenius ea abs te tractata ſint in Dialogo de recta Inſtitutione) velim id quoque ſignifices. Deſiſtam. βροντᾶν γὰρ οὐκ ἐμὸν, ἀλλὰ Διός. Tametſi videam, *Modio* conceſſum fuiſſe, pagellas ſuas tuis ſcriptis ſaepius replere. Ubi autem iſtud, quod inſtitui, abſolvero (quod brevi ſane fore arbitror) totum ego me ſacris, ut juſſiſti, dabo, hoc quidem majore cura ſtudioque, quo minus utile eſt Theologo per ſemitas iſtas & dumeta incedere, quam ut eſt apud Empedoclem θείας σοφίας ἐπ᾽ ἄκροισι θαμίζειν. *Junius* e Gallia nuper rediit. *Canteri* in Italia ſunt cum *Werkhovio*: *Rochus*, *Eyndius*que huc conceſſere, vere proximo itidem in Italiam, ut puto, profecturi. Argentinenſes Epiſcopum ſuum bello videntur petituri, & de apparatu frequens ſermo; ſed turbata omnia eorum conſilia obitu Ducis Caſimiri, quem certo nunciatur, tertio Non. Januarii Apoplexia eſſe mortuum. In Saxonia pariter novae turbae, ob Religionem obitumque Ducis. Steneum oppidum Lotharingiae cepit nuper admodum vicecomes Thureinius, idemque rurſus obſidione cinctum liberavit. *Briſſonium* certum eſt Mainii juſſu Lutetiae ſtrangulatum, quod regiis partibus nimium favere videretur, Hiſpanis certe eſſet infenſior. O cladem, & vel hoc ſolo nomine funeſtam urbem! Quis jam de illo regno bene ſperet, unde virtus ipſa ſublata eſt, & Juſtitia, βουλᾶντι καὶ

πλέμων· ἔχοισα κλαΐδας ὑπερτάτας —— ? Metuo mehercule ne ingratae tibi ſint meae litterae, quod ſemper Tragica nuncient, obituſque & funera clariſſimorum virorum. Sed haec omitto. Tu modo diu, diu, vive & vale, & nos ſi digni videmur quos ames, ama. Salutant te *Gothofredus*, *Rochus*, *Eyndius*. Ego litteras tuas vehementer exſpecto, & quid agas, quid valeas, magnopere ſcire cupio. Datum Argentinae apud D. *Michaëlem Loeffennium*. 4. Eid. Januarii. A°. 1592. quem felicem tibi proſperumque ex animo exoptat Tuus P. Bertius.

EPISTOLA DLVIII.

J. LIPSIUS

Petro Bertio.

Argentoratum.

EN, mi Berti, quas ab amico literas accepi, tui, ut vides diligente. An audies? Ipſe optime ſtatues pro rerum tuarum nunc ſtatu. ſuadere non audeo; nunc bene in Batavis, ſed & ut ille ait, τῶν μελλόντων πετύφλωνται φράδαι. vides & Gallias promittere nihil ſereni. nos in hac urbe. ſed mox ad fontes, quando ſerio tantem ſalutares? ſed aut erunt hac aeſtate, aut ego non ero. ita mens ominatur. tu de rebus tuis ſcribe, nec breviloquentia mea talem te faciat: quia nunc diſtringebar plurifaria ſcriptione. Priores etiam meas, puto, cum illis ad Polonum accepiſti. Vale. Leodici III. Id. Maj. 1592.

EPISTOLA DLIX.

PETRUS BERTIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

VIr Clariſſime. Nunquam audacior mihi videor, quam quum ad te ſcribo. Audacem tamen tua facit humanitas, qua me ultro pronum allicis attrahiſque. Quaeres fortaſſe, nunc ubi ſim, aut quid rerum geram? Ego vero *D. Gothofredum*, ipſamque urbem, graviſſimis expulſus bellorum tempeſtatibus reliqui, prid. Kal. Quinctilis, abiique ad Noricos. Mallem equidem D. *Hauteno* vocanti parere licuiſſet, ſed quo me verterem, aut ad quem confugerem, ſine ope argentaria, non habebam. Et tute ſcis, quam ſint itinera difficilia. Itaque dum omnia circumſpicio, meditorque ut Poliorceten fugiam Lotharingum, divina quaſi Virgula, id quod maxime mihi optanti fuit commodum, oblatus eſt quidam [1] Baro Polonus, adoleſcens moribus, ingenio, natalibus, prae caeteris eximius, atque ex iis unus, qui mea opera in privata in-

1 Hic eſt *Slupetius* (ſi recte nomen eſt ſcriptum) quem cum *Gregorio* Praeceptore & *Petro Bertio* ſalutat Dionyſ. *Gothofredus* in Epiſtola ad Scip. Gentilem in Appendice Gudianar. IX. p. 342. ubi vitio operarum eſt *Petro Boëtio*, niſi ſit *Adamus Tholotius*, ad quem eſt Epiſtola Lipſii inf. DLXXV.

inſtitutione Argentorati uſi ſunt. Is me per ſane humaniter rogavit, ut ſe Altorphium comitarer. Non celavi ego de negocio Leydenſi, quae res quamvis eum graviter ac moleſte haberet, rogavit tamen, ut quamdiu per illos liceret, opera mea uti poſſet, pollicituſque praeter ſumtus, florenos annuos quadraginta, & praeterea neſcio quid honorarii loco. Placuit mihi eo praeſertim tempore illius in me benivolentia, fecique id quod tunc optimum factum eſſe arbitratus ſum, me illi adjunxi. Nunc illud reliquum eſt, ut quum volent Batavi, me vocent. Quod ſi ad iter commeatum miſerint, nulla erit mora, advolabo. In ſtudiis vide quam nuper inſanum, quamque tricoſum laborem ſuſceperim. Scis Gloſſarium illud vetus *Henrici Stephani* quam ſit confuſum, ac depravatum? Totum ego ordine digeſſi, multa ex aliorum, multa ex meo ipſe ingenio corrupta emendavi. Praeterea, quaecumque apud Nonium, Varronem, Feſtum, Iſidorum, Grammaticos etiam quoſdam antiquos, & Criticos noſtros exſtabant vocabula inſigniora, adjunxi; exque iis omnibus ordine litterarum vulgato digeſtis, feci Lexicon in privatum ſtudiorum meorum uſum, haud paullo melius certiuſque quam ea ſunt, quae hactenus edita ſunt. Initium mihi, ac veluti cauſſa laboris, fuit Cicero, cujus ego Antiquitates quaſdam volui illuſtrare. Acceſſit, (imo praeceſſit) & altera, quod de ſumma vitae ſerio cogitanti mihi, Schola placeret magis, quam Eccleſia. Nam (cur non libere deponam apud te quod ſentio?) quo magis in Religionem inſpicio, hoc mihi minus placent Theologorum hodiernae de rebus divinis diſceptationes. Non quo ſacrum illud ſtudium culpem, aut ſpernam (quis enim poteſt ſuavior eſſe animo cibus, quam cognitio veritatis?) ſed quod κοσμοτορυνην iſtam, & altercationes fugiam infructuoſas, quae ad turbandas potius, quam ad componendas Eccleſias ſunt comparatae. At illae tam ſunt frequentes, ut in iis ſolis verus Dei cultus conſiſtere videatur, ac ſine illis vix ſit, ut ſe quiſquam Theologum poſſit profiteri. Ita in haec omnes conſpirant, omnes compacto rem agunt, ut in velabro olearii. Quis autem erit iſtarum rerum finis, quis exitus? quum nihil ingenia humana labefactare aut defendere ſtudio contradictionis non audeant? Quare commode utiliterque me facturum putavi, ſi ſequerer, non ducerem, & Religionem diſcerem potius, quam docerem. Interim ſuſpicerem atque honorificarem communem parentem generis humani. Hac igitur ſententia abjunxi animum a priore ſtudio, atque in ſylvam illam ingreſſus ſum, quam dixi, materiemque non inutilem explicandis bonis auctoribus comparavi. Quod ego propterea ſcribo, ut quid a me his menſibus praeſtitum ſit intellegas: Te enim perpetuum mihi conſiliorum omnium atque actionum teſtem & arbitrum delegi; utque de Schola, ſi fieri id poteſt, ante adventum meum cum *Hauteno* & amicis agas. Quod ſi vero meam apud Curatores voluntatem ſufficere non poſſe exiſtimas, ſpero in aetate ſatis mihi fore praeſidii, inque judicii imbecillitate, ne, quod dicitur, clitellae bovi imponantur. Habes vir Clariſſime de rebus meis longam, ac fortaſſe etiam moleſtam ac taedioſam tibi epiſtolam. Valetudo tua me valde anxium habet. Quod poſſum facio, ac cotidie vittas eli-

eliciendae a Deo opt. max. miſericordiae praefero, quas ſpero, vel tua, vel mea, vel publica cauſſa aliquando reſpiciet. Nimium me urunt poſtremae tuae litterae; ſed Deum precor, ut is avertat omen, & te, meam commoditatem opportunitatemque, diu ſalvum atque incolumem nobis conſervet. Datum Altorphii in Noricis. XII. Kal. VItil. ∞.IↃ.XCII.

EPISTOLA DLX.

PETRUS BERTIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

MI Lipſi. Tandem enim familiarius te compello, & veluti de contiguo, poſt ancipitis & longi itineris ambages. Et vero Chriſto Opitulatori Cuſtodique meo magnas merito gratias debeo, qui me tot terris, tot fluminibus, toto Oceano a parentibus, amiciſque diſcluſum, & patriae viciniorem reddiderit, & tibi, ſummo inter amicos amico & patrono. Vere ita ſentio. Nam quid aut optari a me potuit, aut a quoquam praeſtari, quod non cum ultro ipſe obtuleris, tum mea cauſſa effeceris? Ardens iſta & perpetua in te fides mea, non patitur animum adfectumque iſtum obſcurari, qui tamdiu vivet vigebitque, quamdiu ego. Unum tantum communi cauſſa doleo; hoc quid ſit, ne tu quidem ignoras, mi Lipſi. Quanquam, ſi te novi, non probas certe omnia, quae illic probantur. Sed περὶ τῶν ὅλων, ſi putabis eſſe integrum, φιλοσοφώτερον inter nos διακελνήσομεν. Nunc ego, quae res bene & feliciter vertat, in Sodalitatem noſtram propero, in qua Praeſes *Baſtingius*, ego Adjutor. Studium mihi omne in rebus divinis. Otium largum adhuc & tranquillum, ſed vereor ubi Leydam advenero, ne inter caeſa & porrecta, ut ajunt, onus mihi imponatur opinione mea gravius, cum temporis, ſtudiorum & valetudinis detrimento. Sed nos Dei virtute ſcenam iſtam decurremus, vel publici boni cauſſa, vel ne in ambiendo leves fuiſſe videamur. Nam ut impium eſt θεομαχεῖν, ita turpis eſt in poſtulando flagitandoque confeſſio temeritatis. Serio igitur & ipſi σοφιστεύειν cogitamus, & commiſſorum nobis adoleſcentum diſciplinam ad regulam normamque perducere. Ad quam rem te V. Cl. rogare inſtitui, ut Collegii Lovanienſis ad me leges tranſmittas, & cum illis judicium ſimul tuum conſiliumque de recta formatione juventutis. Nam quae nunc leges ſunt, eas in ſpeciem tantum, & pro re nata conſcripſit quidam *Cochlinus*, nobis & mutandi eas, & alias praeterea prout uſus erit condendi, relicta facultate. Juva igitur, quum poſſis, juva nos, Lipſi, & excita facem illam ſopiti in nos amoris tui. Silentio ad hanc rem opus eſt, aut fide? Utrumque praeſtabo. Ipſe videris quid voles. Dabo operam, ut & quae volueris perficiam, & pro ſummis in me meritis tuis, numquam offendas immemorem aut ingratum. Oppiani κυνηγητικὸν, quod aliquando deſideraſſe te ſcio, miſiſſem, ſi librarium meum vaſculum e Germa-

mania adlatum eſſet. Nam nos, ut ex litteris poſtremum Altorphio ſcriptis intellexiſti, alia via, per Bohemiam, Sileſiam, Poloniam, Ruſſiam, Maſoviam, Boruſſiamque domum reverſi ſumus. *Monavium* Vratislaviae conveni, virum egregium, & amantem tui. Is te ſalveri juſſit. *Junius* apud nos eſt, nunc in Germania noram ἀναξαγόρου τροφίμῳ ſimillimum, Στρυφνὸς γὰρ ἔμοιγε ἔοικε προσειπεῖν, καὶ μισογέλως, Is nunc uxorem duxit, viduus enim ex Germania ad nos venerat. *Scaligerum* in horas pene expectamus, tum *Cluſium* & *Gruterum*. *Gothofredus* ad Friſios concedet. De Cruce ſi quid (ut ſpero) a vobis confectum, quaeſo ad nos tranſmittas, & ſi quid praeterea aut μουσικὸν, aut φιλοσοφικὸν. Adficimur enim utriſque, ut ſcis. Vale V. Cl. & ſi ſcribes per *Bernardum Langheneſſe* Bibliopolam Middelburgenſem ad nos curabis, niſi alia tibi via magis placebit. Gouſae Eid. Junii CIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA DLXI.

J. LIPSIUS

Nicolao Libra Humaerollio S. D.

EGo vero doleo, quod nec tua, nec mea fortuna (fas ſit ita loqui) citius Te Spadam adduxerit; cum ego quoque illic valetudini firmandae, quae jamdudum labat, eſſem. Quanto mihi ſolatio tuum alloquium & aſpectus. Nihil hîc blandum, ſed rem dico. amo humaniſſimam veſtram gentem, ſed in ea eos maxime, qui cum generis ſplendore, hanc habent virtutis & doctrinae lucem. Te inter eos eſſe video ex ſcintilla hac, ut ſic dicam, unius Epiſtolae tuae, quam jamnunc legi. me iſtae regiones habent, & habiturae adhuc ſunt, cupidine tantum otii & quietis. Nam fateor tibi, odio & morti jampridem mihi ſunt peſſima haec diſſidia, quocumque praetextu nata & aucta, quae nos & vos (Deus faxit ut errem) evertent & perdent. ſed triſtia omitto. Uxorem ego e Batavis indies exſpecto. ſi brevi veniet, excurram certo Spadam iterum, & te tam mei amantem unice complectar. ſin autem, tu fortaſſe huc ante diſceſſum. De Politicis meis, non nolo te ea vidiſſe. etſi fateor optimam eorum partem, & vitam atque animam ipſam a nobis premi, id eſt Commentarios, temporum iſtorum aſpectu. Altum & generoſum aliquid, imo ſincerum purumque aliquid non ferunt. ſed nos conſtanter illa. Thraſeam, credo, jam tu aliique vidiſſetis, niſi eadem quoque arcerent, & ſuffocarent conceptum diu hunc partum. Tu & boni ignoſcite, ſic debeo, ſi volo, non dicam, in fama eſſe, ſed in vita. non quia aliquid in eo ſcripto impium aut improbum (abſit) ſed quia jam diu didici quidquid non pro publica aura, cenſeri tale, etiam cum minime tale. plura aliquando ſi Deus volet, in ſermone. Ego te ex una epiſtola tua & amo, & affectus mei pignus libellum hunc noſtrum mitto. peto ut tu porro etiam me, vir nobiliſſime, qui ſubito haec ſcripſi. Leodici prid. Kal. Sept. CIↃIↃXCI.

EPISTOLA DLXII.

J. LIPSIUS

Chriſtophoro Brouwero.

TU vero non moleſtus interpellator, & ſaepe eveniant mihi tales. ut per viam defeſſis jucundus comes taedium levat & laborem, ſic mihi tua interpellatio erudita & pro noſtro guſtu. Ac doleo quod magis te fruitus non ſum, cum una eſſemus apud Confluentes. ſed noſti neceſſitudinem ſive occaſiones eorum, qui peregrinantur, quorum illud proprium eſt, *λατρέυειν τῶ χρόνῳ*. Itaque divulſi ſumus propere, ſed teſtor ingenue, animo meo haeſiſti, & haeres. Utinam ego tuo, ac conſors fiam orationum tuarum ac precum, quas Deo offers. Nam negare non poſſum, amo litteras & haec talia animorum ornamenta, ſed magis ad illa aeterna & vera bona aſpiro. Vera? imo una, quae ad coeleſtia nos ducunt & ſalutem. Tu in iis me juva, ego qua poſſum etiam in his minutiis. Ambigis de Colonia Trevirorum deducta ſub Auguſto, an Veſpaſiano? ego illud cenſeam efficaci Taciti teſtimonio, qui Coloniam nominat jam tunc, cum imperii Veſpaſianus adhuc vix potens. ſtatim, inquam, a Vitellii morte. *Cerealis*, ait lib. IV. Hiſt. 72. *poſtero die coloniam Trevirorum ingreſſus eſt, avido milite eruendae civitatis.* Atqui tunc colonia etiam nulla a Flavio deducta: Etiam hoc quaeris, quae mens mea de *Tungrorum* nomine & *Germanorum*, in Taciti verbis, quae adducis? illa ipſa, quam in commentario expreſſi, nec adhuc muto. Nam jure, ait, de Morib. Germ. cap. 2. *recens certe Germanorum nomen, & nuper auditum.* Tacito ipſo ſic firmante. ita eſt, ſed *recens* appellat, nempe, quia ante Caeſarem & illud aevum ignotum. Non ad inferiora Tacitus haec refert. Tamen fateor, obſcurus, & ut ſic dicam *ἀχλυώδης* Cornelianus ille locus. nec firmiter adhuc & decreto pronunciem: de *Helena* ſentio tecum, & Panegyrici nihil obſtant, niſi ſiniſtre capienti. At de *Colonia Patricia* nullus eſt, non in tua tantum Treverica, ſed in aliis; ut ecce in Plinio lib. III. cap. I. *Cordubenſis Patricia*, & in nummis Germanici Caeſaris: GERM. CAES. COLONIA PATRICIA. niſi tamen C. Caligulae ſit ille nummus: nam & in alio certe accepi a *Nic. Florentio* [1] COL. AGRIPPA PATRICIA :::: COR. C. CAESAR. AVG. GERM. ſed de nomine conſtat, quae ejus cauſſa? ipſa vetuſtate obſcura res eſt, & quam neminem veterum cenſeo aperuiſſe. [2] Ambigo an non inde *Patricia*, qua jus iis ſenatus, & venire poterant in Patres. an quia ipſi habebant Patres? *Tranſiſſe Rhenum centum & tredecim Trevirorum Senatores* Tacitus v. Hiſt. 19. commemoravit: atqui in aliis Coloniis [3] *Curiales* tan-

1 *Harduinus* de nummis Populorum non de Agrippina colonia, ſed de Corduba capit, & Agrippam eſſe viri nomen cenſet, ſive duumviri iſtius Coloniae, ſive Generi Auguſti.
2 Haec *Lipſii* verba refert *Brouwerus* Annal. Trevir. lib. I. pag. 131.
3 Male Brouwerus *Curiates*.

tantum, nec iſto nomine inſignes. An ideo & *patricia*, quia Patrum decreto deducta? poteſt & hoc eſſe, quia Senatui jus aliquod in aliquas Colonias fuiſſe ex Dionis LIV. diſcas. actis anni DCCXXXIX. in extremo. Sed malo prius illud, & habuiſſe jus aliquod ſplendoremque Patrum, ſicut *Equeſtrem Coloniam* in Plinio lib. IV. 17. lego. *Colonia*, inquit, *Equeſtris & Rauriaca in Gallia*. Etſi videatur quaſi nomen proprium ſtatuere, atque ita in Antonini Itinerario *Equeſtribus* legas. Iſta ſunt, vir Doctiſſime, quae nunc potui adferre. ſi quid occurret amplius aut certius, non celabo. Tu perge in tuo inſtituto, ſed rogo & ſuadeo brevitati ſtudeas, quantum poteſt, & poſteritatis potius famae & uſui conſulas, quam praeſenti voluptati. Scio varia judicia eſſe, ſed mihi illud ſedet, paucis & diu probari, quam ad breve tempus multis. tamen aliquid etiam aevo tribuendum eſſe non nego, quod utinam proba capiat magis & probet. Vale, Vir Reverende. & amantem tui ama. Leodici XVIII. Kal. Octob. CIↃIↃXCI. Saluto officioſe R. Patrem Rectorem & *P. Ambroſium*, quibus quod frui diutius non licuit mihi, nunc etiam dolet. quid ſcio an alias fiet? nam nos Germaniam fortaſſe (ut hîc turbae ſunt) iterum reviſemus, ſed non niſi puram illam, & a vobis inſeſſam. Scripſi ad Illuſtriſſimos & Reverendiſſimos Bavariae Principes; fac iis reddantur hae epiſtolae.

Altera eſt epiſtola Lipſii ad Brouwerum de *Colonia Agrippina*, quam edidit J. J. Pontanus Decad. I. 5. pag. II.

EPISTOLA DLXIII.

P. BREDERODIUS

J. Lipſio S. P.

Leodicum.

LIterarum cumulis, Lipſi Clariſſime, obrui te non ignoro; Adeoque religio mihi eſſet te ſine cauſſa vel juſta occaſione interpellare. Sed, cum *Petrus Fiſcherus* Bibliopola & *Johannes Wechelus* Typographus & Bibliopola Socii, accepiſſent, te animum in Hollandiam noſtram revertendi depoſuiſſe, teque etiam conditionibus, quas cum Raphelingio habebas, renunciaſſe, me obnixe rogarunt, ut ipſorum nomine ad te quam diligentiſſime ſcriberem, peteremque, ut, ſi tibi animus eſſet opera tua recognita & emendata alicui typographo in Germania excudenda committere, illa ipſis tranſmitteres. de fide, diligentia & opera illorum hoc habebis; uti etiam illud tibi ſatis notum eſt, eos primarios vel eſſe, vel cum illis certare. Characteres, papyrus, forma, correctio, omnia optima; inſtructi illi ab omni re, abundantiſſime. de conditionibus nihil nunc nominatim; ſed eas tuo arbitrio quaſi relinquunt. Quapropter tuum erit deſpicere, quid voles, mihique aut etiam illis voluntatem reſcribere, ego mandati fines non excedam, niſi in rem tuam meliorem tuam conditionem faciendo. Videbis itaque, Clariſſime Lipſi, utrum diſcipuli tui opella aliquando tandem tibi fructuoſa eſſe poterit, non in illo tantum negotio; ſed

ſed alio quovis, ego ut ſemper tui obſervantiſſimus ſtudioſiſſimuſque, ita etiam tibi nunc obſequentiſſimus futurus ſum. Deus te, Lipſi, quam diutiſſime Reip. litterariae & nobis incolumem ſervet. Vale. Francofurti VI. Kal. Octob. CIↃ.IↃ.XCI.

Brederodius Hagenſis JCtus & legatus foederati Belgii ad varios Germaniae Principes, ſed praecipue ad Electorem Palatinum. vid. *Val. Andr.* Bibl. & *Sweertii* Athen. Belgic. in Scaligeranis alteris dicitur fuiſſe filius Stannarii, & nomen *Brederodii* traxiſſe ex joco, cum neque ex legitima Brederodiorum ſtirpe eſſet, neque ſpurius. Parentem ejus Genevae, ſi non natum, certe habitaſſe docet Epiſtola *Dion. Gothofredi*, qui intimus erat *Brederodio*, ad *Gentilem* in Appendice Gudianarum n. XI. pag. 344. & ſaepe ejus mentio in epiſtolis ad Heidelbergenſes, vel ab illis ſcriptis.

EPISTOLA DLXIV.

HENRICUS CUYCKIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

CLariſſime Lipſi. In hoc triſti Reipub. noſtrae litterariae ſtatu, non parum mitigat noſtrum dolorem tua ad nos reverſio: de qua, praeter alios, pluribus mecum litteris egit *Dn. Oudardus.* Bene habet, quod cum eccleſia catholica apud Moguntinos & Colonienſes Societatis Jeſu Sacerdotes, quorum te conſuetudine frui audio, in gratiam rediviſti. Sed non negligenda interim eſt externi fori reconciliatio, quae vel ab Illuſtriſſimo Nuncio Apoſtolico, vel a Leodienſi Epiſcopo, aut a nobis hîc poterit obtineri. Nam quae a Societate praeſtatur venia, etiamſi publico teſtimonio vitae, probitatis, integritatiſque tuae fulciatur; ſigillo ſacramenti continetur. Ad reverſionem tuam porro quod attinet, perſuaſum habe, Lovanienſes omnes vehementer optare, ut hanc Academiam, almam matrem tuam, quam florentem olim mecum vidiſti, in qua tuae eruditionis accepiſti teſtimonium, & hiſtoriam ſumma cum laude profeſſus es, pene jacentem jam, tui nominis celebritate reſuſcites. Non deerit hîc occaſio de re litteraria bene merendi, ſive in Buslidiano collegio, ſive in quavis alia publica functione: quae ut obtingere tibi poſſit, certatim omnes adlaborabimus. Opto, ut vivas & valeas longum. Lovanio Calendis Octobribus 1591.

Henricus Cuyckius Culemburgenſis, cujus vita eſt deſcripta ab *Andrea Valerio* in Biblioth. Belg. & Faſtis Lovan. pag. 127. hoc tempore erat Profeſſor Theologiae, & Vicarius generalis Archiepiſcopi Mechlinienſis, quo nomine Lipſio reconciliationem Fori externi offerre poterat. poſtea A. 1569. factus Ruremundenſis Epiſcopus. Vehemens Haereticorum, ut vocare amant, inſectator & vexator. Contra eum ſcripſit *Henricus Boxhornius*, *Anticuyckium*, de quo vide *Verton.* de Satyris *Anti* inſcriptis, qui eodem, quo *Cuyckius*, flagrans contra Haereticos ardore, in *Boxhornium* nullis calumniis parcit. vid. ad Ep. 73. An vero hic *Cuykius* fuerit gentilis Ultrajectinorum *Cuyckiorum*, qui ſe & *Cauchios* dixerunt, neſcio. vid. ad Epiſt. LXXIV. nec etiam an *Johannes Cuyckius*, cujus opera A. 1572. Fliſſinga maxime ab Hiſpanis defecit, & cujus honorifica in Annalibus noſtris eſt memoria, fuerit ex eadem familia. Ceterum ex hac epiſtola diſcimus *Lipſium* A. 1577. Lovanii jam Hiſtoriam profeſſum fuiſſe: & *Miraeus* Livium & leges Regias & decemvirales publice interpretatum eſſe narrat.

EPI-

EPISTOLA DLXV.

HENRICUS CUYCKIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

CLariſſime & ornatiſſime vir. Accepi hodie, quae ſeptimo calendas Julias ad me ſcripſiſti. Paucis reſpondeo: poſſe D. Tuam ad nos accurrere quamprimum volet. Quae deſiderantur ad ea, quae iſthic facta ſunt, minimo negotio hîc ſupplebimus. Confeſſionis ſacramentalis factae apud Societatis Patres teſtimonium huc adferes, ſcriptum ab eo, qui accepit & abſolvit. Quo conſpecto, ſeorſim apud me & privatim profiteberis fidem orthodoxam ad eum modum, quem praeſcripſit Pius Pontifex quartus. Dabitur deinde publicum ejus profeſſionis & reconciliationis teſtimonium, meo obmunitum ſigillo. Haec ſeries & ſumma hîc gerendae rei. Excubiarum moleſtiam ut evadas dabimus operam, nec eſt quod dubites. Securum eſſe te jubet Doctor [1] *Zwerius*. Venies (mihi crede) votis omnium exoptatus. Quid Brabantiae Ordines de honorario hîc tibi adnumerando decreverint, non dubito quin Reverendiſſimus *Torrentius* dudum ad D. Tuam perſcripſerit. Rem omnem plenius intelliges, ubi ad nos propius acceſſeris. Quod ſupereſt, opto ut valeas. Salutem adſcribi voluerunt, D. Petri Paſtor *Embertus* Arenduncanus, & clariſſ. D. *Zwerius*. Lovanio VI. nonas Julias 1592. Poſt repudiatum a me Ruraemundenſem Epiſcopatum, non debeo nec mereor amplius eo titulo inſigniri atque inſcribi. Quod ne in poſterum fiat, oro.

1 Eſt *Philippus Suerius* Antverpienſis, primum a conſiliis Univerſitatis 1565. tum Inſtitutionum, poſtea Profeſſor Legum Ordinarius, horis pomeridianis A. 1578. deinde Primarius Horis matutinis A. 1580. quo in munere ſucceſſit *Elberto Leonino*. vid. *Valer. Andreae* Faſt. Academ. Lovan. p. 155. & 156. & praecipue p. 197. obiit 1606. an huic *Suerio* cum *Marco Suerio Boxhornio* gens ſit communis, reperire non potui. certe hujus etiam ex Brabantia familia oriunda fuit.

EPISTOLA DLXVI.

J. LIPSIUS

Henrico Bredio S. D.

Leidam.

ITa ſane, deſperandus reditus noſter, mi Bredi, nec eo fine tantum viae confecimus, tot moleſtias & diſcrimina exhauſimus, ut iterum repedaremus. mihi non ſic libet *ματαιοπονεῖν*. At mirantur multi noſtrum hoc conſilium. Credo: ego quoque miror, quid tam multis cum uno homuncione ſit, qui nihil eſt ſupra privatum modum. mihi viſum eſt ita facere, ex re, an abs re, meum erit ſive commodum, ſive damnum. Nec haec eo ſcribo, quaſi benevolentiae veſtrae ſuccenſeam, quae me requirit. (οὐκ οὕτω πεφύσωμαι) ſed

ad curioſos quoſdam ſermo meus pertinet, & ſpecie volentium malignos: quibus ſuave eſt carpere & detrahere quidquid videtur eminere. Mihi ſanitas cauſſa conſilii, mihi quies interna externaque: quam adipiſcar, ſpero; & ſi non, nihil deterius mihi factum: Iidem fluctus qui hîc, illic quoque me jactarent. rideo hunc orbem rerum, καὶ οὐκ ἐρῶ πῶς ἂν μᾶλλον πάντα ἄνω καὶ κάτω γένοιτο. ſed ille, qui ab initio chaos & confuſionem rerum ſuſtulit, & hanc poterit, cum ei viſum, id eſt, cum utile generi humano & ſalutare. De Oroſio & Cedreno tuo quod injicis, ita eſt, ſunt apud me, ſed tibi ſalvi. Uſum volui tantum meum eſſe, & praeſertim Cedreni ad quaedam, quae paramus. ſed mihi gratum ſi proprietatem quoque in me transferes, pretio a Raphelengio noſtro accepto, apud quem reliqua pecuniola noſtra. ſcripſi ad eum, ſi videtur, pete. ſi non repetes ipſum librum libroſque cum voles. Bene tibi & collegio tuo. certe ego voveo, & juvi pro viribus coram, nec deſinam etiam nunc, ſi occaſio erit. Candorem enim tuum (ἄνευ ὑποστολῆς, dico) amavi & amo, facturus deinceps idem, quamdiu tu idem. [1] *Douſae* mei filios tibi commendo, & ſcito illos eſſe quaſi meos: vale, mi Bredi. Leodici Poſtrid. Kal. Octob. CIↃIↃXCI.

[1] Inter Douzae filios *Franciſcus* praeceptoris ſui *Bredii* cum honore, optimum & doctiſſimum virum laudans, meminit ad Lucilii fragmenta lib. VIII. pag. 122. & ipſe Janus Douza Pater in epiſtola XIV. ad Franciſcum filium pag. 437. Poëmatum, ejus meminit.

Sat mihi, ſi placido relegat te Bredius ore
Nec tetrica verſus exigat aure tuos.
Exemplum ut monſtrare aliis te poſſit, & olim
Dicere, Diſcipulus noſter & ille fuit.

Fuit vero Collegii Theologici Proregens & Profeſſor Rhetorices extraordinarius. Filium habuit *Franciſcum*, ad quem eſt Epiſtola Jani Douzae filii pag. 92. Edit. nuperrimae Poëmatum. de Cedreno, cujus in hac epiſtola mentio, vid. ſupr. Epiſt. CLXXXVI. ad Raphelengium.

EPISTOLA DLXVII.

THEOD. CANTERUS

J. Lipſio S.

Leodicum.

MIraberis ſat ſcio, amicorum optime, diuturnum noſtrum ſilentium, quod non nobis, ſed occupationibus imputes velim. nam hoc tibi certo perſuaſum habeas, nos eodem erga te eſſe animo, quo fuimus ſemper, & futuros, quoad nobis haec vita. Attamen niſi aliqua juſta ſcribendi occaſio ſe offerat, non temere te noſtris literis interpellamus: integra tamen & inviolata manente amicitia noſtra. Nunc autem de te certior fieri cupio, quo loco res tuae ſint, & ubi ſedes figere ſtatueris, & quod praecipuum caputque rei, quo loco valetudo tua ſit. Nam Reipublicae literariae magnopere intereſt, te nobis diu, Dei benignitate, ſalvum & incolumem ſupereſſe. ut, ſi non viva voce, quod tibi diſpliciturum videtur, ſaltem ſcriptis nos totamque poſteritatem erudias, & omnibus votis a te exſpectamus aliquod ſcriptum. Nam

in hoc tuo ſeceſſu, quin aliquid mediteris, non dubitamus. perge ut coepiſti, & quorundam calumnias fortiter contemne. virtuti enim, ut ſcis, ſemper invidia comes. Haec hactenus. filii ſalvi & incolumes Patavium venerunt, illic ad tempus manſuri. ſi occaſio ferat velim interpellas, & monitis tuis calcar addas. Nos etiam, laus Deo, valemus, ſed occupationibus nimium quantum diſtinemur, attamen per occaſionem literas tractamus noſtro more. *Stewichius*, ut audio, piae memoriae, teſtamento legavit D. *Torrentio* exemplar Arnobii a ſe multis locis emendatum & illuſtratum. ſi illud exemplar ad breve tempus nobis impetrare potueris, pergratum feceris; nec dubito, quin ſis impetraturus, nam admodum, ut audio, pronus eſt ad juvanda ſtudia. ſi per occaſionem etiam nanciſci potueris varietates lectionum Arnobii ex veteri codice, quo aliquando uſus eſt *Cujacius*, & ille, ut erat humanus, cum *Carrione* aliiſque multis ſtudioſis communicavit, vellem te noſtri memorem eſſe. Nam libenter ſecundam editionem, ſi tibi conſultum videbitur, in lucem darem, nam poſt primam multa tum per me, tum per alios obſervavi. His Vale, amicorum optime, & nos ama. & ſi interdum nos tuis mellifluis literis inviſeris, tam gratum erit, quam quod gratiſſimum. Saluta *Levineium*, ſi illic eſt; & caeteris viris doctis, me de meliore nota commenda. Raptim Ultraj. XXVII. Decembr. ſtilo antiquo. 1591.

Reſpondet ad hanc Lipſius Epiſt. X. Decad. IV. a Pontano edita; & LXV. a Gebbema edita. Cent. III.

Canterorum Familia ex Friſia vel Groninga oriunda, magis eruditionis laudibus, quam honoribus, licet ſummis fuerit ornata, floruit. *Suffrid. Petrus* duplicem facit Decad. XII. 8. de Scriptoribus Friſiae. Groninganam & Friſiacam. An ex eadem fuerit *Joannes Canterus* diſcipulus *Weſſelii Gansfortii*, qui memoratur in vitis Profeſſorum Groningenſium pag. 22. & an idem ſit, quem Senatorem vocat *Suffridus*, neſcio. ſed a *Guilelmo* certa ſeries deducitur, qui pater *Lamberti* fuit, & cujus vitam breviter deſcribit ejus filius *Guilelmus* lib. II. Novar. Lection. 26. & laudes ejus *Suffr. Petr.* Appendic. ad Bekam de Epiſc. Ultraj. p. 291. Duos hic reliquit filios Celeberrimos, Ultrajecti natos, *Guilielmum*, qui otium literarium poſt varias peregrinationes, Lovanii ſecutus, immatura morte, ex ſtudiorum intemperantia obiit A. 1575. vide ſup. ad Epiſt. V. & *Theodorum* hunc noſtrum, cujus vitam deſcripſit *Valer. Andreas* in Bibliotheca, & *Suffr. Petr.* de Script. Friſ. Dec. XV. 7. Hic in patria urbe, factionibus agitata, ſummum magiſtratum geſſit. vid. ſup. Epiſt. CLXXXVII. ſed poſtea ejectus repetiit majorum ſedes, & in Friſia obiit 1617. ſumma huic, ut cum omnibus viris doctis, ita maxime cum *Lipſio* familiaritas, quia Catholicis & Auſtriacis faviſſe videtur, licet ſuſpicari poſſimus, ſimulaſſe etiam purioribus ſacris ſe addictum, ſed ambitionis cauſſa ea celebraſſe: nam ſi verum ſit quod in Scaligeranis legitur, ſemel tantum Sacramento Euchariſtiae adfuit. Ex Epiſtol. *Lipſii* Cent. II. Miſc. 77. qua conſulatum ipſi gratulatur, apparet nefanda diſſimulandi ars *Lipſii*. nam in Leiceſtrianam dominationem, cujus ſatelles & ſignifer Conſul a *Deventer* violentiſſimus plurimos optimates carcere aut exilio multaverat, vehementer invehitur, cum ſaepe in his epiſtolis Leiceſtrio & ejus ſectam ſequentibus foediſſime adulatum, & *Sarraviae*, *Donello* & turbulentis patriae noſtrae & libertatis hoſtibus faviſſe viderimus. Hic vero *Theodorus*, duos filios *Lambertum* & *Joannem* reliquit, quos in contubernium & diſciplinam *Lipſio* dedit. de *Lamberto* ſpem optimam conceperat *Caſaubonus* Epiſt. XXXVIII. & utrumque veteres ſuos hoſpites vocat Epiſt. LXXXVIII. Cum *Lipſio* enim deſerente Belgium, peregrinationis initia per Germaniam fecerunt, & inde Italiam & Galliam peragrarunt. vid. Epiſtolas a *Pontano* editas Decad. IV. & a *Gabbema* Cent. III. LXIV. & LXVII. defeciſſe jam ſtirpem illam puto, ex qua adhuc unum aliquot annos Ultrajecti ſuperſtitem novi. Fragmenta Poëtarum Graecorum a *Theodoro* collecta, quibus quid factum ſit *Valer. Andreas* ignoravit, poſſedit olim Celeb. *P. Francius*, nunc vero in manus eruditiſſimi Juvenis, *Jacobi Philippi Dorvillii* Amſtelaedamenſis, venerunt, de cujus eruditione

ne & ingenio egregia quaeque ſemper, ex quo diſciplinae noſtrae traditus fuit, ſperavi, & quem ea orbi literato non inviſurum confido, & propriis opibus hos Theſauros locupletare poſſe ſcio. Haec in memoriam civium & popularium meorum hîc commemoranda paullo uberius duxi.

EPISTOLA DLXVIII.

THEOD. CANTERUS

J. Lipſio S.

Leodicum.

ANte aliquot dies, amicorum optime, ad me perlatae fuere literae *P. Meliſſi*, quibus inter caetera adjunxit carmen hoc ad te, ut illud per occaſionem ad te mitterem: nolui autem illud ſine meis ad te literis tranſmittere, quare arrepto calamo haec paucula exaravi. Nos, laus Deo, valemus, & more noſtro ſtudia inter occupationes tractamus. Filii mei, ut ex literis ipſorum intellexi, vivunt & valent, & ſunt etiamnum in Academia Patavina, attamen fere inviti illic haerent. ſummis enim precibus a me contenderunt, ut illis Romam uſque, & ultra excurrere liceret, quod nunc tandem conceſſi, quare ſub finem hujus anni Romam & poſtea Neapolim ſe conferent. nec forſan, ut ſpero abs re illorum hoc erit, attamen non e re mea, ſumptibus enim deterreor. Intellexi etiam ex ipſorum literis *Urſinum* Notas ſuas ad omnes hiſtoricos, miſiſſe ad Plantinianos, quod ſi verum ſit, velim me certiorem facias: mei exiſtimant jam typis deſcriptas prodiiſſe, ſed ego nihil dum intelligere potui. Scribunt inſuper Romae nuper inventum fuiſſe Epitaphium valde elegans cujuſdam, qui luſerat pila vitrea in tribus thermis. ſed Epitaphium non tranſmiſerunt. Tu ſi videris vel habueris, velim nobiſcum communices. Scire etiam magnopere aveo, quo loco res tuae nunc ſint, & quid tandem certi de domicilio eligendo ſtatueris, nam necdum, ut vides, res noſtrae aut Gallorum ſatis in tuto ſunt. Vellem ut velles. Unum hoc me male habet, quod tanta locorum intercapedine ab invicem diſparati ſumus. utinam paulo vicinior eſſes. His Vale, amicorum optime, & nos amare perge. Raptim Ultrajecti 6. Junii. Eriſque noſtri memor in Arnobio impetrando.

EPISTOLA DLXIX.

THEOD. CANTERUS

J. Lipſio S.

Lovanium.

DIutius me, vir Clariſſime, a ſcribendo continere, nec potui, nec volui, idque duabus potiſſimum de cauſis, tum ut de valetudine deque ſtatu rerum tuarum aliquo modo certior fieri poſſim, tum maxime ut ingrati animi notam hoc pacto effugerem ac evitarem, & memoriam tui mentibus noſtris non-

nondum excidiſſe, compertum haberes. Quî enim hoc fieri poſſit, ut tantorum tuorum in me beneficiorum, tuaeque erga me benevolentiae unquam immemor eſſe queam? Ego certe quamdiu mihi haec vita, non deſinam affectu & benevolentia, qua hactenus proſequutus ſum, te porro proſequi. Nos, laus Deo opt. max. bona fruimur valetudine, & pro ratione temporis, & hujus deplorati ſaeculi, res noſtrae privatae ſatis commode ſe habent, niſi quod quorundam invidia, nulla tamen noſtra, teſte Deo, culpa, premimur: fateor quidem me libere aliquando aliorum vitia redarguiſſe, cum eſſem eo loco conſtitutus, eaque dignitate & auctoritate praeditus, ut niſi hoc a me factum fuiſſet, boni viri Reipublicaeque amantis officium omnino deſeruiſſe videri poſſem. fuitque ea mea intentio, ut ſi non ultro, ſaltem pudore & verecundia compulſi, officium facerent. ſi hoc cuiquam vitio vertendum ſit, me graviter peccaſſe libens fatebor. Sed de his ſatis. nunc de ſtudiis pauca: licet diverſis interdum curis diſtrahar, tamen ea non derelinquo, ſed meo more, id eſt lente, in iis pergo. Ego hac aeſtate per otium totus fui in actis Martyrum evolvendis & diſcutiendis, plurimaque notatu digna in iis deprehendi, quae vix alibi invenias. Dignus etiam ſua laude *Surius* ille, qui acta & Hiſtorias martyrum ſummo labore in unum coacervavit: ſed majorem a me initurus fuiſſet gratiam, ſi ſcriptores iſtius aevi, ſua & non per illum interpolata lingua loqui permiſiſſet. *Baronius* in ſuo ad Martyrologium commentario ſaepiſſime in teſtimonium adducit [1] *Mombritium* quemdam de vitis Sanctorum, quem nunquam nobis videre contigit. tu ſi per te vel per amicos videris, velim libri titulum ad me perſcribas, una cum anno & loco impreſſionis, ut ſic commodius eum alicubi inveniri poſſem, quod ſi feceris, beneficio ſummo me affeceris: nam votis omnibus eum videre expeto. His vale, amicorum optime, & nos, quod facis, amare perge. Raptim Ultrajecti XVIII. Octobris 1596. Saluta communes amicos. Filium meum majorem natu elocavi, quod volebam neſcius ne eſſes.

1 *Boninum Mombritium* carmine ſcripſiſſe Paſſionem Domini A. 1480. conſtat ex *Scaligero* de Poëtic. lib. II. pag. 729. Rarum vero hoc poëma eſſe inventu ſcribit *Reineſius Daumio* Epiſt. IX. Heſiodi Theogoniam carmine verſam vidi in Baſilienſi editione, cui annus deerat. ſed *Oporino* deberi apparet ex Epitome *Geſneri.* Hoc opus omiſit *Bailletus* de Poëtis recentioribus. t. III. pag. 46. qui nec Scaligeri judicium de eo intellexit. ille enim dicit, *cum multa admiſerit* (id eſt peccaverit) *ſibi tamen conſtare*, quae verba cepit, ac ſi in magna rerum varietate, quas tractat, tamen ſibi aequalem eſſe, nec ſtilo variare dixiſſet.

EPISTOLA DLXX.

J. LIPSIUS

Theodoro Cantero S. D.

Ultrajectum.

QUod vales, mi Cantere, & nos conſtanter amas, gratum eſt, nec aliter a me exſpectatum. Quî dubitem de tuo affectu, ſi illum (ita fere fit) ex

ex meo metiar? Sane pauci litteratorum in hac Belgica ſuperſumus, atque ii ipſi locis aut partibus disjuncti; animis tamen cohaerere debemus, & poſſumus, ſi quid ſit animus vere cogitamus. Eſt in corpore, ſed ſpargit ſe extra corpus, & veloci curſu ad fines caeli & terrae tendit. Saepe quidem ad eos, quos ſerio amat: inter quos te habeo, atque habuiſſe, animum illum ipſum teſtem appello. Conquereris aliquid de vocibus aut calumniis: quid mirer in hoc aevo? & in tuis illis locis? Utinam ſapiamus omnes idem, & id pietate duce: ac vires animoſque jungamus in magnum & invaleſcentem hoſtem? Sed fatum Europae eſt lacerari, ſcindi, & quaſi ſponte in exitium per partes ire. Viderint, qui haec faciunt: beatum me otii, & unius curae, ut mea & me curem? Inter haec, ſtudia numero, & maxime ea, quae ad mores aut Sapientiam: cujuſmodi nunc tracto. Video & te eſſe in iis, quae decus religionis noſtrae tangunt, in Martyrum vetuſtis actis: approbo: at de *Mombritio* illo, nihil niſi nomen ſcio. Ego vero putarem apud vos quoque reperiri ſcriptorum aliquid in hoc genere veterum; praeſertim ubi religioſorum coetus olim fuere. Apud nos rarae Bibliothecae, & ſi ſint, vix in iis aliquid rari. De filio majore, audivi & gratulor: Deus ei nuptias illas in concordia, in prole ſecundet, & te brevi faciat avum. Vale, Lovanii, Kal. Decembribus ∞.IↃ.XCVI.

EPISTOLA DLXXI.

JOH. MATTH. WACHHERUS CONSTANTINUS

J. Lipſio S. P. D.

Leodicum.

QUod te ab ineunte adoleſcentia mea colui & admiratus ſum, Juſte Lipſi, virtutis tuae fuit: quod de te abſente & ignorante bene mereri ſtudui, fortunae meae. Nuper in coena fueramus apud *Nicolaum Rhedingherum* Sniſſanum, rariſſimi ingenii hominem. Ibi ego ſubito ad *Jacobum Monavium*, tuumne magis an noſtrum? Ecquid a corculis ſeculi noſtri, *Scaligero*, *Lipſio*, *Briſſonio* haberet. Nihil, inquit, ille: niſi quod is, quem tu medio loco nominaſti, praeclara ſub incude quam plurima habet, quae jampridem in lucem daturus erat, niſi ſibi a fucis, & ſervo illo pecore Horatiano metueret. Mox ſerio mihi narravit, te privilegium excudendis tuis praeclariſſimis monumentis a Caeſare petere; eamque ad rem etiam Monavianam operam advocaſſe. Tametſi igitur ſciebam, tantum illum & gratia & auctoritate apud Aulae proceres pleroſque valere: ut alieno adminiculo minime indigeret: tamen pro incredibili, quo erga te & bonas litteras ſemper fui, amore, continere me non potui, quin meam quoque tibi, aut Reipublicae potius litterariae, operam ultro offerrem. Quam cum ille minime reſpuere videretur: ſcripſi altera ſtatim die in Aulam, ad ſacrorum ſcriniorum praefectum; illuſtrem & genere & litteris & humanitate virum; Dominum *Jacobum Curtium a Senfftenau*, ſum-

ſummum meum: itemque ad *Joannem Barvitium* doctiſſimum hominem, Aulicae Imperialis, quam vocant, Cancellariae Secretarium primarium, neceſſarium noſtrum; & utrique ſummam poſtulatorum tuorum expoſui; cum aliqua mei erga te affectus ſignificatione: ſumma certe cum praedicatione incomparabilis tuae virtutis atque eruditionis. Neque vero ſatis apud me ſtatuere poſſum, utrum ego in petendo diligentior: an illi in largiendo promtiores fuerint. Ecce enim tibi poſt dies non multos, *Barvitii* humaniſſimam epiſtolam, qua certiorem me facit, Caeſarem, ſummum verae virtutis & acerrimum aeſtimatorem, ad poſtulata tua, non modio, ſed horreo toto reſpondiſſe. Quam epiſtolam iccirco tibi integram, quamquam nonnullis in locis *ἀπρεπῶς* ſane interlitam, mitto: ut in ea & meam fidem, & *Barvitii* de te judicium: & Caeſaris voluntatem agnoſcas. Reſcripſi autem heſterna die ad *Barvitium*, eumque rogavi, ut diploma vel ad me, vel ad clariſſimum *Monavium* mitteret. De annorum numero, conſulere Dominum *Monavium* volueram: ſed cum ille peregre abfuiſſet, conjeci in ſchedam paucula illa, quae his litteris adjuncta ſunt. Simulatque vero diploma recepero: tradam illud Domino *Monavio*: ut ad te quam primum perferatur. Interea temporis, ſi quid affecti habes; noli illud, quaeſo, praelo invidere. Summa privilegii vel primae vel ultimae paginae facile, antequam liber exeat, adjicietur. Sed me ineptum, qui haec tecum, tam familiariter! Ignoſce mihi, mi Lipſi. Ex ſcriptis tuis; & ex meo te metior ingenio. Itaque nuper etiam quaedam de te ad *Vitum Milettum*, ornatiſſimum virum Maguntiam ſcripſi, juſſu Principis mei: de quibus non dubito, quin a *Miletto* jam ante certior factus ſis. Plane tibi perſuade, innumeros eſſe, qui te ament, colant, ſuſpeciant: neminem qui magis, quam ego: qui te penitus in oculis fero. Tu mihi viciſſim amorem tuum praeſta; & pro mea erga te pietate; redde, atque aperi mihi, tuum illud

—— (de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalae lippa propago)
Compoſitum jus faſque animi: ſanctoſque receſſus
Mentis: & incoctum generoſo pectus honeſto.

Clariſſimo Domino *Monavio*, ambigo certo, tune an ego majores gratias debeamus! tu, quod tua omnia, tantae ſibi curae eſſe patitur: ego: quod eadem ille opera me tibi ſibique magno beneficio devincit: tibi: ſi meum ſtudium & officium non ingratum tibi fuiſſe intelligam: ſibi: quod ad amicitiam tuam, mihi quaſi fores recludit; quas quandiu vixero, ſtudioſiſſime obſervabo. Vale, mi praeſtantiſſime Lipſi, & ſalve. prid. Kal. Januar. exeunte hoc anno CIƆ IƆ XCI.

JOH. MATTHAEUS WACHHER

Joh. Barvitio S. P. D.

IMmortales tibi gratias debent, primum *Juſtus Lipſius*, pater Muſarum: deinde Muſae ipſae: poſtremo ego quoque rejectamentum Heliconis, de impetrato privilegio. De quo tametſi mihi promta omnia policebar: vix auſus tamen eram tantam mihi liberalitatem promittere, quantam reipſa expertus ſum. Macte hoc animo, mi praeſtantiſſime Barviti; qui de virtute & litteris quam recte judicare poſſis, vel hoc exemplo declaraſti. De annorum autem numero quod me rogas: jocari te mecum puto, non ſerio agere. Noſti Muſarum numerum: ſcis illis ſemper adjungi praeſidem Apollinem ſolere. Ita fient anni, quibus Troja obſidione cincta eſt. Quodſi ab Illuſtri Domino *Curtio* duodecim menſes; abs te alteri duodecim adjicerentur: haberemus vel Deos illos duodecim, quos Varro invocat: vel integrum ſaltem Muſarum Charitumque chorum; niſi quod virginibus illis ſacris tum pater Phoebus abeſſet; quem facile Illuſtri Dominus *Hornſtenius* noſter ſuae virtutis luce ac ſplendore poſſet ſufficere. Ita vel Apoſtolorum numerus fieret cum capite ſuo: vel memoria vicarii capitis renovaretur Vigilii decimitertii: cujus omnia praeclara & excelſa fuerunt. Sed extra jocum: facio hoc totum judicii tui: ſatque ſcio *Lipſium* vel in novenario, vel in denario, vel in minore etiam numero facile acquieturum. Illud magis neceſſarium erat, ut ſcriberes: quid honorarii loco mitti iſtuc velles: quod ut adhuc facias obnixe peto. Ego interim hoc ἐυαγγελίῳ Lipſium beavi: tuamque illi, & paucorum aliorum virtutem & humanitatem depraedicavi. Spero illum ſpecimen gratitudinis aliquando daturum. Venio ad noſtra; Illuſtriſſimo Principi meo valde gratae fuerunt, cum quas ad ipſum; tum quas ad me dediſti literae. In quibus utriſque & prudentiam tuam & diligentiam vehementer commendabat. Dolemus autem, nos nihil Sarmatici habere, quod hoc tempore rependamus. Si quid tamen erit olim, operam dabimus; ut nihil te lateat. Reſcripſit Princeps & ad Caeſarem, & ad Dominum *Curtium*; & ad te ipſum. Faſciculum hoc nuncio accipies. De Strenula quod gratias agis: amice facis. quanquam gratiae abunde mihi eſt: ſi intelligam ineptias noſtras tibi non omnino moleſtas fuiſſe. Quod ſupereſt, vehementer abs te pro amicitia noſtra contendo: ut ſummorum hominum Domini *Curtii*, Domini *Hornſtenii* benevolentiam mihi conſervare digneris. Bene vale. Breslā. undetriceſima Decembr. 1591.

EPI-

EPISTOLA DLXXII.

JOH. MATTH. WACHHERUS A WACKENFELS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

IN maximis meis aerumnis & calamitatibus, quae exiguo ſex ipſorum menſium ſpatio, obitu cariſſimae filiolae; deceſſu lectiſſimae conjugis: & inopina morte filii longe optatiſſimi atque ingenioſiſſimi, me non obruerant duntaxat: ſed propemodum extinxerunt: non tantum non depoſui curam tui, mi praeſtantiſſime Lipſi; ut diploma toties nobis a *Barvitio* promiſſum, urgerem apud amiciſſimum hominem: ſed nuper etiam peculiarem tabellarium eo nomine Pragam miſi, qui non niſi recepto diplomate, ad me reverteretur: quem in horas fere ſingulas exſpecto. Eamque in rem, ut *Barvitium*, qui ſexcentis ſuis epiſtolis, de diplomate ſpem mihi fecit, novo ſcribendi genere excitarem: in gravi illo moerore meo, neſcio quo oeſtro percitus, pro Muſarum antiſtite μουσικώτερον ſcribere volui: ſi ea fortaſſis ratione, ab occupationibus aulicis Barvitium poſſem ad ſeſquihorulae opellam ſevocare. Quod equidem me impetraturum plane confido. Nihilominus cum hoc tempore, Princeps meus, Epiſcopus Vratislavienſis, ad epiſtolam tuam, non ita pridem nobis redditam, reſpondere omnino decreviſſet: non debui committere; ut illa ſine meis litteris ad te perferretur, praeſertim cum ad poſtremas tuas humaniſſime ad me, & honorificentiſſime de me ſcriptas nondum reſponderim. Ad quas uno nunc verbo reſcribo: Nihil mihi epiſtola illa tua, & adjunctis munuſculis in omni vita mea gratius & optatius accidiſſe. Itaque illam quidem inter κειμήλια mea repoſui: imagunculas autem ſtatim ad Illuſtrem Dominum *Curtium*; & ad *Barvitium* noſtrum miſi: qui eas tibi longe acceptiſſimas fuiſſe litteris ſuis ſignificarunt. Reliquum eſt, ut reipſa etiam gratitudinem animi ſui, in curando privilegio, teſtentur; quod eos facturos, etiam ante, quam nundinae Francofurtenſes exeant, plane confido. Interim te, mi Lipſi, recte valere: & mei memoriam cum benevolentia retinere, ita cupio, ut magis nihil poſſim. Vale. Pro tua imagine: aureolam tibi Principis mei procuravi: quam a Domino *Vito Miletto*, una cum litteris herilibus accipies. Nyſſa, undetrigeſima Sextilis. Anno 1592.

EPISTOLA DLXXIII.

JOH. MATTH. WACHHERUS A WACKENFELS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

NObiliſſime vir: Domine amice obſervandiſſime; Nudiustertius ad te Nyſſa ſcripſi, me peculiarem tabellarium Pragam miſiſſe, qui diploma Cae-

ſareum, a *Barvitio* mihi toties promiſſum, tandem reportaret. Interea dum illum mitto: optimus *Barvitius* diploma illud Breslam miſit; cum his adjunctis litteris: quas *Jacobus Monavius* pro neceſſitudine, quae ipſi mecum intercedit, confeſtim reſignavit; & diploma ad te per Mercatores noſtros curavit. Gratulor nobis, mi praeſtantiſſime Lipſi, de tam prolixa Caeſaris Optimi voluntate: quam tibi honori futuram omnino auguror. Tuum erit: ut in omnibus ingenii tui monumentis, animi tui gratitudinem erga tantum Principem oſtendas: hoc primum: deinde vero, ut officia etiam Illuſtris Domini *Curtii*, & honoratiſſimi Domini *Barvitii* accepta tibi fuiſſe teſteris: quod procul dubio, more tuo, praeclare facies. Ego ſi qua alia in re porro commodare rationibus tuis quoquo modo potero: operam dabo, ut non minorem apud te conſtantiae, quam humanitatis laudem inveniam. Cupio valde ſcire, an adhuc vivat, & quid rerum agat θεοείκελος ille *Joſephus Scaliger* noſter; quem ita tecum compono: ut ſimile par Solem hunc videre hodie negem: quamquam profecto ſeſe vobis quodammodo adjungit, tertium, magnus ille *Faber*; e cujus officina nuper Agoniſtica prodiere: opus quod multa communia habet, cum iis, quae tu tractanda ſuſcepiſti: quae, obſecro, ne nobis diutius invideas. quanquam ego Thraſeam tuum longe malim, quam funus, & venationem adſpicere: maxime in his tam crebris funeribus meis domeſticis; ad quorum dolorem leniendum, libenter fateor, poſt ſacras litteras, multum momenti, tua quaedam ſcripta, multum optimi Senecae, & Boëthii attuliſſe. Nunc quod ruſticis accidit, idem mihi uſu venire animadverto; ut maximum alloquium ex tempore ipſo capiam. Quas litteras nudiustertius ſcripſi: quibus adjunctae erant alterae ab Hero meo, cum imagine aurea Principis: eas a Domino *Vito Miletto* accipies: Ad eum enim Moguntiam curatae ſunt. Ad nos ſi quid reſcribere voles: poteris litteras tuas vel ad eundem *Miletum* mittere; vel Antverpiam ad Dominum *Ortelium*, aut ad *Danielem Rindfleiſchum*, qui eas Vratislaviam & Nyſſam facile ac libenter curabunt. Vale, mi optime atque praeſtantiſſime Lipſi: & nos tui amantiſſimos redama. Vratislavia. 4. Septembr. 1592.

EPISTOLA DLXXIV.

JOH. MATTH. WACHHERUS A WACKENFELS

J. Lipſio S.

Lovanium.

QUale ſopor feſſis: ut ille ait: talis mihi epiſtola tua fuit, mi praeſtantiſſime Lipſi: melle revera & ſeſamo ſparſa, & omnino, ut uno verbo dicam, Lipſiana. Verba vis me intueri? lectiſſima ſunt: Sententias? e piae & Chriſtianae Philoſophiae myrotheciis depromtae. animum ſcribentis? nivem ipſam mihi viſus ſum & candorem, non litteras intueri. Itaque te, mi [1] Lipſi,

1 Lipſius videtur his reſpondere III. Miſc. 9.

Lipſi, tuo merito magis magisque amo & ſuſpicio: neque remittet quicquam de hoc affectu animus hic meus, niſi tum cum terram ipſam deſeret. Tu modo mihi quoque benevolentiam illam tuam, quod te facturum minime dubito, perpetuo conſerva. De Principe meo, qui & ipſe litteratiſſimus eſt: utpote ab incunte aetate in Germanicis, Belgicis & Italicis ſcholis diligenter verſatus; & de litteratis rectiſſime poteſt judicare: benigna tibi omnia polliceri debes. Facit is te, ut aequum eſt, maxime. libros tuos Politicos avide legit: illos de Conſtantia etiam ad menſam Epiſcopalem, per anagnoſtem juſſit recitari. Qua e re judicium facere potes, quanti te tuaque aeſtimet. Neque tibi non poteſt eſſe honorifica haec cum ipſo familiaritas: homine, quem non ſummates tantum, ac Principes alii: ſed etiam Caeſar ipſe plurimi faciat. Quod multis argumentis tibi oſtendere poſſem, ſi uſus foret. Quare hanc tibi amicitiam, litteris nonnumquam ſcribendis fovendam exiſtimo. Quod ſi tibi videretur, aliquid operum tuorum praeſtantiſſimo huic Heroi, pro more doctiorum, dedicare: faceres rem, meo judicio, te ac ſingulari illa tua prudentia dignam. Neque enim e vulgaribus illis, ac minorum gentium Epiſcopis eſt. Sed praeterquam quod διοίκησιν, ut vocant, in ſacra functione longe ampliſſimam, latiſſimeque patentem habet: etiam in politicis adminiſtrationibus, regis Bohemiae, cujus regni primarius Princeps Lygius eſt, vicem gerit, per utramque Sileſiam; quae non exigua florentiſſimi regni Bohemiae portio eſt: ut in qua etiamnum Principes Illuſtriſſimi quinque vivant; *Jagerdorfenſis*, ex antiquiſſima Brandenburgenſi familia, *Legnicenſis*, *Brighenſis*, *Monſterbergenſis* ac *Teſchinenſis*; qui omnes Principatibus peramplis atque opulentibus praeſunt. Quibus Principatibus, alii decem Ducatus hereditarii addendi, qui demortuis ſuis Ducibus, nunc a Regis Bohemiae Praefectis adminiſtrantur: ut ſunt *Suidnicenſis*, *Jaurienſis*, *Troppavienſis*, *Glogovienſis*, *Oppolienſis*, *Ratiborienſis*, *Saganenſis* ac *Pribuſienſis*, *Monſterbergenſis* & *Vratislavienſis*: rurſumque Baronatus ampliſſimi quatuor, *Trachenbergenſis*, *Milittſchienſis*, *Wartembergenſis* & *Pleſſovienſis*: ut de innumera pene multitudine urbium, oppidorum, pagorum ac villarum taceam: quorum omnium & Magiſtratus & ſubjecti hujus Principis, tanquam ſupremi Regii Praefecti auctoritatem comiter agnoſcunt: quam ille blanda quadam gravitate, & ad ſeveritatem compoſita humanitate ita temperat: ut ab omnibus, etiam diverſa ἐν τοῖς θείοις ſentientibus, certatim ametur & colatur. Quod eo duntaxat paucis apud te perſtringere volui: ut majorem cauſſam προσφωνήσεως alicujus ad tam praeſtantem Principem nanciſcereris. De diplomate Caeſareo, nihil eſt quod nobis gratias agas, beneficium omne primum Caeſaris ipſius: deinde Illuſtris Domini *Curtii:* & poſtremo praeſtantiſſimi Domini *Barvitii* noſtri eſt. Nos tantum obſtetricati ſumus, in partu tam praeclaro ac difficili promovendo. Et tamen gratulamur nobis aliquantulum, nonnullam ſaltem in eo maturando operam noſtram exſtitiſſe: quam ut ita gratam habeas, ut longe majora à me tui obſervantiſſimo atque amantiſſimo exſpectes, valde cupio. Filius meus primogenitus, *Julius Caeſar Wachherius*, adoleſcens duodecim annorum, cui Im-

Imperator ante biennium Canonicatum Vratislavienſem clementiſſime contulit, jam per duos annos & quod excurrit Poſnaniae degit: ubi ad Latinarum & Graecarum litterarum cognitionem, etiam Sarmaticae linguae uſum adjecit. Eum ego cogito, de conſilio Principis mei alio mittere. Quare abs te pro amicitia noſtra peto, ut mihi paucis verbis ſignifices, quae nunc facies Lovanienſis Scholae ſit: utrum tu quoque ibidem & quid doceas: & utrum e re adoleſcentis putes, ut iſtuc potius, quam in Italiam, hac praeſertim tam tenera aetate mittatur. Feceris mihi rem longe gratiſſimam, & humanitate tua digniſſimam, ſi ea de re, quod cum commodo tuo fiat, me certiorem reddideris. Bene vale. Nyſſa. 10. Aprilis 1593. Tui obſervantiſſimus atque ſtudioſiſſimus.

EPISTOLA DLXXV.

J. LIPSIUS

Adamo Tholotio Polono S. D.

INdicium mihi fecit *Bertius*, adoleſcens, quem virtutis, an ingenii cauſſa dubium, amo, tui in ſe & beneficii & affectus. Quae ita grata habui, ut iis me quoque devinctum in parte fatear, & id hac epiſtola teſter. omnino humanitatis eſt, exteros in alieno ſole attollere & ſublevare: quid tales, qualis meus *Bertius*? qui, mihi crede, in elegantioribus & homine dignis artibus eſt ſupra τοὺς πολλοὺς καὶ ἀγελαίους. Tu illum, quod coepiſti, amplectere, & me ſponſorem accipe pro moribus & doctrina. mihi quoque, ut dixi, in eo bene feceris, & quamquam longe diſſitum, animi quodam vinculo obligaris. Leodici VI. Idus Jan. 1592.

Vid. ſupra Epiſt. DLIX.

EPISTOLA DLXXVI.

RICHARDUS STANIHURSTUS

J. Lipſio S. D.

Leodicum.

PRius ad fores tuas, quam me in viam, Hiſpaniam verſus, dedi, petaſatus adſiſto. Reſpondet ancilla, extra foras limenque te eſſe. Angebar, te jam tum maxime non adeſſe, cum te minime abeſſe peroptarem. Volui enim te in meis: tibi, prout potui, in tuis rebus conſulere. Verum, mi Lipſi, corporis, non animi erga te mei diſceſſio eſt facta. Multi, qui excellentibus ſcriptis, qualia ſunt tua, mirabiliter delectantur, qua in Italia, qua in Hiſpania, ad me, de te multa. Mihi & dolere, & laetari viſi. Dolere, quod ibi tam diu eſſes, ubi eras: laetari, quod ibi jam nunc ſis, ubi es. Ego tuam cauſ-

cauſſam ea fidelitate egi, & peregi, quam & tua dignitas poſtulavit, & ipſius cauſſae veritas flagitavit. Quod reliquum eſt, abſens itero, quo de praeſens ſaepius tecum: ſcilicet, ut orationem tuam, quam de laudibus diviniſſimae Virginis Mariae, proxima aeſtate, Leodii habuiſti, quamprimum reguſtes, quam celerrime divulges. Cave exiſtimes, in me uno hujus deſiderii igniculum foveri. Etenim ſpondeo tibi, quamplurimos e noſtris, hoc eſt, in ſanctiſſimae hujus patronae ſodalitium cooptatis, iſtud idem a te, non tam communi voce petere, quam ſingulari pietate exigere. Quorſum itaque homines, omnia praeclara & egregia de te ſentientes, diuturno deſiderio aeſtuare permittis? Da te in hanc curam. Si vacas, ſtude: ſi ſtudes, lectita: ſi lectitas, ſcribe: ſi ſcribis, effice & perfice, ut iſtam tuam orationem, limatulo tuo judicio politam, abjecta omni cunctatione, videamus. Habes de tuis: de meis ſcire aves? Dic, amabo te, Juſte Lipſi. Aveo, inquis. Ex animo? Quidem certe. Igitur obtutum in chartula fige. Simul atque iter ſuſcepi, a ſpinoſioribus meis ſtudiis animum prorſus abduxi. Multa hujus relaxationis invitamenta occurrunt. Frequens comitatus: Meorum, remota ſcurrili dicacitate, facetiae: equi placide & expedite gradientes, denique (quod eſt peregrinanti maxime optandum) bona pecuniae vis, qua, in quovis diverſorio, tinnire licuit. Ab honorificentiſſimis Imperii principibus honorificentiſſime fui acceptus. In his *Julium*, Antiſtitem Herbipolenſem, perbenignum habui. Praeſul omnino certus, pius, & politicus. Dum Politicum ſcribo, vim verbi, ſicuti veteres, reſpicio: non uti hujus aevi Machivelliani, qui publica ſcelera politicis velis obtendunt. Manu te Genuam duco. Iſtinc, felicitate navigandi uſus, Palomóſam (quae eſt maritimum Cataloniae oppidum) appello. Paucis interpoſitis diebus, navicula, ſecundo vento, Barcelonam advehor. Cives portum & portam mihi meisque occludere, arbitrati nos eſſe, qui non eramus, hoc eſt, peregrinatores, peſte infectos & fere confectos. Mei, ſcriptis & teſtimoniis, cauſſam agere; nos recta Genua veniſſe: Perpinianum provinciam (ibi jam tum graſſari peſtem, rumor fuit) non adtigiſſe. Hac controverſia ad ſolem praecipitantem ducta, ignem & aquam nobis interdicere. Mutata itaque velificatione, ad pagum, civitati citimum, advolamus. Ibi item ruſtici, pilis & gladiis, nobis obverſari, & adverſari. Venit jam tum mihi in mentem illud Poëtae:

Quod genus hoc hominum? Quaeve hunc tam barbara morem
Permittit patria? Hoſpitio prohibemur arenae:
Bella cient, primaque vetant conſiſtere terra.

Etſi haec in illos non ita adpoſite quadrant, qui, in peſtiferis malis arcendis, malunt haberi nimis timidi, quam parum providi. Ad aliam itaque villulam vela damus. Interea ventus increbuit inopinatus: turbulentiſſimorum fluctuum turbidiſſima acceſſio: in ipſo portu minime portuoſa navigatio. Nautae, tandem bajuli effecti, mecum, in litore, fluctubus obruuntur. Illi raptim excitantur: ego, eorum opera, emerſus e vado, evado. Vides, mi Lipſi, quam

falſi gaudii uſuram mundus mundanis impertit. In alto tuto velificari, in portu repentino immergi. Ab adverſis abeo, ad proſpera propero. Patuit mihi, ſtatim fere atque Madridum perveni, ad Regem Catholicum non modo aditus, ſed etiam introitus. Bone Deus, quanta in potentiſſimo orbis terrarum Monarcha comitas adfabilitaſque ſermonis? Nulla frontis nubecula: oris preſſus intuenti gratiſſimus. Nihil attinet me plura ſcribere. Narro tamen tibi, nihil, in vita mea, audivi gravius, vidi humanius, novi prudentius. Omnia mihi prolixe promittit, etiam opipare praeſtat. Multorum in me oculi, ob extraordinariam hanc gratiam, converſi. Quis? Quo? Cujas, Quid? Verum haec ad te ſcribo verboſius, oblitus tui, immemor mei. Te enim, utpote ſcriptorem frugalem & parcum, verborum parſimoniae adſtrictum novi. Me etiam maximarum occupationum concurſus diſtentiſſimum tenet. Quod reliquum eſt, ſi qua in re tibi inſervire potero, rogo, ne roges, ſed imperes. Me ad omnia paratiſſimum habebis. Hoc re, quam oratione faciam libentius. Vale, & ſalutem D. *Dominico Lampſonio*, meis verbis, nuntia ſingularem. Madridi Calend. Februarii. 1592.

Rich. Staniburſtius Dublinenſis fuit, quem non aliunde novi, niſi ex libris ejus quatuor de rebus in Hibernia geſtis, editis a Plantino A. 1584. eos inſcripſit Fratri ſuo *P. Plunketo*, Baroni Dunſaniae. alia ejus opera memorantur in Catalogo Bibliothecae Bodleganae. pag. 177. obiiſſe A. 1618. ſcribit Königius in Bibliotheca.

[1] EPISTOLA DLXXVII.

SIMON TOELEMANNUS

Pomeranus J. U. D.

J. Lipſio: Praeceptori.

Leodicum.

CUm Leodium iret, Vir Clariſſimus, qui has traditurus tibi eſt, *Hartgerus Henotus*, juvenis doctus & modeſtus, tuique nominis ſtudioſiſſimus: nolui eum ſine meis ad te literis dimittere: tum ut ſalutarem te, cujus ego doctrinam, mores, praeceptaque ſemper plurimi feci, & cui lubens acceptum fero, ſi quid in politioribus literis aſſecutus ſum, quod ſentio mea, non praeceptoris culpa, eſſe perexiguum: tum ut eundem tibi commendarem, ut in numero tuorum eſſe patiaris, tuaque amicitia, quantum ſine moleſtia tua fieri poterit, uti frui. Etſi enim tantum mihi arrogare non auſim, neque debeam, ut familiaritatem eam, quam ego ſummopere deſideravi, & religioſiſſime colui; cuivis expoſitam velim, tamen non videris mihi rem indignam facturus humanitate tua, ſi *Hartgerum* hunc in album amicorum admiſeris. candidus videtur, & ſtudioſus, & non ingratus; ſi quam bene merendi facultatem fortuna ipſi tribuit, temporum injuria, & quorundam hominum invidia pateretur, ut amicis innoteſceret. Sed facies pro judicio, proque can-

1 Reſpondet huic Lipſ. Cent. ad Germ. 122

candore tuo, quod maxime oportunum eſſe exiſtimabis. Ego tamen, Clariſſime, mihi obſervandiſſime Lipſi, juſtam videor habere expoſtulandi occaſionem: quod ſuperiori autumno Agrippinae fueris, & ſpectatiſſimum virum, *Arnoldum Mylium* allocutus, (quod ab ipſo non ita dudum intellexi) mihi, ut te inviſerem, ſignificare inſuper habuiſti. nam ut ad me venires, parum verecunde videor poſtulare debuiſſe. Sed ignoraſti fortaſſis, me hîc degere, & neſcio quo fato ſedem fortunarum & domicilii collocaſſe. Verum, ut maxime iſta excuſatione tueri te poſſis: attamen Clariſſimos viros, D. *Carolum Utenhovium*, & D. *Joannem Matalium Metellum*, quibuſcum ſumma intimaque mihi familiaritas intercedit, hac in urbe commorari, celeberrima eorundem fama notum facere potuit. quos ſi compellare tibi viſum eſſet: uterque ultro officii mei, ut te ſalutarem videlicet, commonefeciſſet. Sed quia proculdubio occupationum tuarum, profectioniſque neceſſitas effecit & feſtinatio, quo minus te praeſentem eſſe certiores redderemur: non difficulter hujus praeteritionis veniam do: ſi viciſſim, quod non maturius diligentiuſque de adventu praeſentiaque tua percontatus, ſalutandique officio functus ſim, omni me culpa velis liberare. Porro, quoniam coepi graviores tuas occupationes inani literarum mearum ſtrepitu interpellare, fretus ſingulari tua humanitate atque benevolentia, quam expertus ſum ſuperioribus annis, cum ex Gallia, Italiaque reverſus, Lugdunum Batavorum ob ſolius tui nominis celebritatem, me contuliſſem: ut qui clariſſimos viros, *Cujacium*, *Menochium*, *Hotomannum*, alioſque videram & audiveram, te quoque, illuſtriſſime Lipſi, his ipſis fama, ſi non ſuperiorem, certe parem, audirem, & aliquid politioris literaturae, & antiquitatis, cujus ſumma mihi religio eſt, abs te imbiberem. quod & feci, integro biennio, cum Suetonii Caeſares, itemque de Magiſtratibus veteris populi Romani nobis explicares: non ſine maximo meo fructu: quod agnoſco libenter: licet meſſis forſitan, ob ſoli mei ſterilitatem, ſementi tuae non reſponderit. eadem igitur fiducia benevolentiae atque amoris erga me tui, abs te rogo, & majorem in modum contendo, ut eoſdem in Suetonium Commentarios, quorum mihi memoria & relectio quotidie magis magiſque dulceſcit, limare atque in publicum aliquando emittere velis. Etenim ex hiſce, quae currente calamo ex ore docentis raptim notavi, velut ex unguibus leonem facile aeſtimare poſſum, quantus ſit futurus δευτέρας φροντίδος ſplendor & ſapientia. Veriſſimum enim dictum puto, quod libello meo Paratitlorum Cujacii in Codicem, rogatu meo, memoriae cauſſa adſcribere dignatus es: *Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque.* cui alterum illud adjunxiſti: μεγίστη πρᾶξις ἡ ἀπραξία. quorum ego vim & ſignificationem nunquam non animo reputo, & non minus venuſtam, quam veram eſſe deprehendo. Fac itaque, mi Clariſſime Lipſi, ut, quia veteres & mores & viros, non melius, quam ex ipſorum vita & deſcriptione cognoſcere & diſcere poſſumus: nobis omnibus in eo gratificeris, & Reipublicae literariae fructum iſtum laborum & meditationum tuarum ne invideas. quod te etiam plane facturum, mihi perſuadeo. & cum eo tibi me plurimum, & nos omnes Dei Opt. Max. tutelae

commendo. Vale, doctiſſime Lipſi: & me amare perge: ac, ſi vacat, reſcribe. Dat. Agrippinae. 23. Februar. A°. 1592.

Simonem hunc *Toelemannum* Coloniae cum *Metello*, *Ximenio*, *Utenhovio* & aliis, aliquamdiu vixiſſe patet. vid. ſupra Epiſt. LVIII. poſtea Auguſtam ſedes tranſtuliſſe, ejuſque Reipublicae Conſiliarium fuiſſe vidi ex Epicedio in obitum *Marci Velſeri*, quod ante ejus Opera legitur.

EPISTOLA DLXXVIII.

GEDEON BOETZELARIUS AB ASPERA, BARO LANGERACHIUS

J. Lipſio S. P.

Aquaſgrani.

NOn magna mihi verborum copia, ornatuque, vir Clariſſime, opus eſſe video, quo me tibi excuſem, de litterarum ſilentio praenimis alto: tua enim illa animi lenitas, tuaque in me voluntas, ſi quid a me turpiter peccatum ſit, omnem culpam ſpero, tollet. Sed fatalis quaedam neceſſitas, & vis major, cui nemo queat reſiſtere, cauſam dedit negligentiae meae. Nam cum haud perdudum poſt diſceſſum tuum e Belgio, ad D. Avunculum meum in Zelandiam abiiſſem, rediiſſemque poſtea Aſperam ad Parentes, ſubito incidi in quartanas febres, crudelis Saturni filias, quae me ad iſtum Caucaſum longum tempus ſummis, mihi crede, cruciatibus exederunt, meque aegre admodum ſub vernum uſque tempus dimiſerunt, quo dudum antea decreveram iter ingredi in Germaniam peregrinaſque terras. quare ſi tibi, mi LIPSI, haec ſatisfaciet excuſatio, eſt quod gratias tibi habeam, pergamque confidere priſtinae benevolentiae, in me tuae, & ſerio promittam me quoque ſemper fore eum in te, tuamque famam, qui fui hactenus: Nunquam enim depoſui ex animo charum noſtrae amicitiae pignus, quicquid alii ſuſurrarunt in aurem meam, & delibare tuam virtutem conati ſunt; fidem fluxam non geſſi, at ſaxeum pectus in his tuae famae turbellis ſervavi, cum tute nobis antea medullitus oſtendiſſes: & ſunt ſane etiam alii multi, qui mecum tibi, quem debent, honorem habere non deſinunt, clauduntque aures, ad vaniſſimorum hominum latratus. Quamobrem age, mi LIPSI, rejice triſtes ex animo hujus injuriae cogitationes, ſi fas eſt me Herculi vires animi addere; malos quaeſo contemne, confide bonis, qui te ſemper non modo incolumem, ſed etiam ampliſſimum, atque ornatiſſimum eſſe volent: A me autem, ubicumque ero, omnia ſumma in te ſtudia officiaque expectabis, non fallam opinionem tuam. Quod autem aliquando Patriae meae fines exceſſi, animus meus pergrinandi deſiderio jam diu aeſtuans impulit, ſtudia invitarunt, denique ſpes reficiendae valetudinis auxit voluntatem, ut & tibi hoc inſtitutum meum probari certo ſciam; maxime vero quum hanc peregrinationem meam, non Germaniae limitibus terminaverim, ſed in Italiam brevi cogitem, elegantioremque jucundiſſimae regio-

gio-

gionis tractum peragrare, ſedem vero Patavii, vel Venetiis quietam figere: ſed per Helvetiam eo iter ingredi magnopere expetam, ſi mihi comes eſſe poſſit is, qui & in te fide, animoque ſingulari, & mecum fuit jam diu ſtudiis iiſdem, & vetuſtate amicitiae conjunctus, *Petrus Bertius*. te mi LIPSI, ſi placebit tua in me augere beneficia, rogabo, ut quid tibi de itinere meo videatur, velis perſcribere, tuique hoc in me amoris teſtimonium mittere: & vero ſi quid a me iſtis in locis fieri cupies, equidem faciam lubentiſſime. De propinquis meis ſiquid ſcire velis, valent omnes Deo gratias: etiam meus Avunculus cum tertia conjuge, qui quam tibi faveat, ego ſcio, & te nihil addubitare certe velim. Ad extremum vota ſuſcipio ad ſummum Numen pro tua valetudine, tibi ut velit majorem corporis incolumitatem largiri. vale plurimum, vir amiciſſime, a me, & *Bertio* tuo. Ad diem ſextum Martii. M.D.XCII. Argentinae.

De hoc *Boetzelario* vid. ad Epiſt. CLII. fuit Toparcha de Langerach & poſtea Legatus reipubl. in Galliam. Hanc epiſtolam edidi, ut viderent noſtrates, ſummos eo tempore in repubI. noſtra viros Latine ſcribendi conſuetudinem amaſſe & exercuiſſe; cum hodie ita jaceat linguae ejus pretium, ut pauciſſimi ſint, qui, non dicam ſcribendi, ſed loquendi uſum habeant, immo vix alios Latine loquentes intelligant, aut ferant.

[1] EPISTOLA DLXXIX.

NICOLAUS SERARIUS

Cl. V. *Juſto Lipſio* S.

Leodicum.

ITane Cl. Vir? A te mihi ſalus? tam articulata, tam diſerta? ſane eam mihi, e tuis litteris, cum nunciaret D. [2] *Adamus Leemput*, vix credas, quanti tuam hanc tantam in ignotum, nullaque omnino re, praeterquam ſua ipſius vilitate inſignem, homulum benevolentiam fecerim. Non infitebor tamen. jam inde ab annis pluribus maximi te, ſcriptaque tua omnia, maxime Politica illa poſtrema, feci. nihilque propius fuit, quam ut magnum illum priſci aevi Antiſtitem, quem, ut ex libris tuis colligo, e manibus vix ponis; D. Auguſtinum imitarer. Narrat enim in quadam, ſi recte memini, epiſtola, ſe, cum quemquam bono ingenio praeditum, doctriniſque liberalibus eruditum, audiret, *quamquam in iſtis ſalus animae conſtituta non eſſet*; exarſiſſe tamen, ut hujuſmodi hominem noſceret, & cum eo colloqueretur. vel, ſi id non poſſet, ſaltem litteris, quae longiſſime volant, ejus mentem attingeret. Me tamen, recte an ſecus? cauſa ſemper una tenuit. quae etiamnum tenuiſſet, ni D. *Leemputius*, vel officium potius, tibi quod debeo, perviciſſet: caudex enim vel truncus ille, qui amiciſſime ſalutantem non reſalutet. Quia vero, a prima familiarium conſalutatione, primus fere de amicis aliis abſentibus ſermo, audi. Tuus iſte D. *Leemputius*, ita ſe hîc, tres quatuorve menſes, geſſit, ut ma-

1 Reſpondet Lipſius III. Cent. Miſc. 5.
2 De hoc Leemputtio vide. ad Epiſt. CCCXV.

magnam non doctiſſimi tantum; ſed quod multo amplius; modeſtiſſimi optimique viri laudem conſecutus ſit. Is, die heſterno, Prolyta, ſeu ut jam loquimur; Juris licentiatus, ſolenni Academiae ritu, ſumma omnium approbatione, renunciatus eſt. Spero fore, ut, patriae, in quam jam revertitur; id felix fauſtumque ſit. Illa enim etſi afflictiſſima eſt, bonorum tamen doctorumque virorum, qui Deum, Religionem, veramque pietatem ſpectent; opibus & conſiliis erigi aliquantum juvarique poteſt. Illud vero, ut alia plura; libentiſſime ab eo audivi; tibi decretum eſſe, ſi quid uſquam; *tuis in lucubrationibus Batavicae labis inhaeſit, eluere prorſus & abſtergere.* Ita, doctiſſime Vir, ita. Auguſtinianum id eſt. Chriſtianum eſt. Etſi enim, qui tanto ſe intra veritatis & modeſtiae priſcae lineas opere continuerit, ullum vix ſcio, Apoſtolum tamen velle non ignoras, ut ab omni nos mali ſpecie abſtineamus. Si quid involutius evolves, contractius diffundes. O mi Juſte. Qui ſequitur juſtitiam & miſericordiam, inveniet vitam, juſtitiam, gloriam. Cor ſapientis erudiet os ejus: & labiis ejus addet gratiam. Vale. Herbipoli XVI. Calend. April. ∞ D XCII. Volebam his *Paulum*, quem, anno ſuperiore, neſcio quomodo edidi; adjungere. tum ut ejus praefatio tibi de aperto ab Eccleſiae hoſtibus diſceſſu gratularetur: *tum ut illum cenſeres, &, quibus abundas; nonnullis antiquitatis luminibus mihi communicatis illuſtrares.* ſed ſcit D. *Leemputius*, ita me, heri toto pomeridiano tempore, & hoc ipſo mane, occupatum. ut me ipſe aliquoties fruſtra domi requiſierit. Iterum vale Doctiſſ. & humaniſſ. Vir.

Nicolai Serarii vita eſt apud Alegamb. in Bibliotheca Jeſuitarum pag. 355. de ſcriptis ejus & Scaligeri criticis vide ſupra ad Epiſt. CCXLVIII. Lotharingus fuit Rambervillanus, & male eum Saxonem feciſſe *Clarum Bonarſcum*, id eſt *Car. Scribanium*, notat *Abrahamus* ad Cicer. pro Caelio ſectione LII. ſive cap. XXI. Male *Serrarium* vocat Morerius & alii. Gallice dicebatur *Serurier*; latinum nomen a *Sera* ſibi fecit.

EPISTOLA DLXXX.

NICOLAUS SERARIUS

D. *J. Lipſio* S. P.

Leodicum.

FUerunt, Doctiſſime Vir, tuae adeo benedicae litterae, ut blanda mitti niſi voluiſſes, blandiloquentiſſimus eſſe deberem. Parebo tamen; non damnabis, quod praeſcripſiſti, & verbo illud ſignificabo, me, quem meo nullo merito amas; ſyncere Te ac multum, in Domino redamare. Quem enim, in alienis etiam caſtris verſantem; hactenus & ſuſpexi & dilexi, quidni noſtrum jam & amem & obſervem? Neque in ſermonibus, neque in lucubratiunculis quibuſdam meis, meum hunc in Te animum diſſimulare unquam potui. Noſti doctiſſimum, veteriſque memoriae, ſacrae praeſertim; ſcientiſſimum, *Caeſarem Baronium?* Tenere me certe non potui, quin, cum ad eum, pro amicitia, quae mihi cum homine optimo eſt; ſcriberem; Eccleſiaſticos Annales ſcribenti, de

Reſponſio eſt ad III. Cent. Miſc. 5.

de eo, qui Taciti Annales, totamque adeo antiquitatem oculiſſime colluſtraſſet, paululum neſcio quid inſuſurrarem. Itaque jam ille aperte & nominatim *J. Lipſium* citare. maximi facere. & hiſce diebus, cum tertium ſuum Tomum mihi mitteret; iſta ſcribere. *De Lipſio, quod ſcribis, grato animo accepi. Utinam, quam citiſſime ejuſmodi fax noſtris Annalibus illuceſcat? Cuperem praeſentem videre, virum alloqui, eoque frui. Quod ſi Romae eum habere minime digni ſumus, per tuos ſaltem amicos, meo nomine, illi ſalutem plurimam velim dicas.* Verum ut id per me poſſem, gaudeo poteſtatem a Te mihi factam. Unum nollem tam vere ſcripſiſſes. Per Argentinenſium turbationem tua illa ἡσυχίη φιλόφρων e Germania noſtra excedere videtur. Mittunt illis ſuppetias, per quos Pindarica illius mater exploſa. Nobis omnibus Deus Opt. Max. ſanctique ejus Angeli, quorum octavum hodie diem agimus; opem ferant. Et forte ſperandum; imo confidendum. Iis, inquit S. Hilarius in pſalmum opinor CXXIV.; *qui ſtare volunt in Eccleſia Catholica, non deſunt ſanctorum cuſtodiae, Angelorumque munitiones.* Vale, humaniſſime & amiciſſime Domine. Herbipoli. die jam dicto. ∞ IↃ XCII.

EPISTOLA DLXXXI.

NICOLAUS SERARIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

A Te, C. Vir, jam ſemel iterumque mihi [1] *D. Adrianus* ſalutem, & vere ſalutem. Nam Te, quem ne in vivis quidem cenſeri dididerat rumor neſcio quis; ſalvum eſſe, mihi ſalus. hac enim aetate, prudentia, merito, ac religione, dum ſenuerunt, maturitatemque adepta ſunt tua omnia; quam ſalutaria deinceps, & ſeriis etiam ſeveriſque hominibus grata & jucunda, ſcripturus es! Erit, ſat ſcio; meae huic ſpei argumento certiſſimo Tua, quam e Francofurtenſi Mercatu peravide jam exſpecto; de Cruce lucubratio. Si quae aggregavit *Covarruvias* adeo placuerunt; quid, quae via & ratione digeſſerit, lectiſſimarum rerum varietatate amplificarit, ſtili ſui luminibus & quaſi ſtellulis ornarit perpolieritque Lipſius? Haec cauſa, cur, cum Tuis ad Reverendiſſimum noſtrum SS. Theologiae Doctor *Sangius*, qui eidem Reverendiſſimo a ſacris concionibus & conſiliis eſt; reſpondiſſet; per me, plurimum Tibi, ſuis verbis, nunciari ſalutem voluerit: Teque, ſicuti & ipſe Reverendiſſimus; valde diligat. Clauderem, niſi τὸ ἐρωτητικὸν, mei ſimilibus perutile traditur; Tibi minime grave putarem. Audi, mi Domine Lipſi. Opinio mihi eſt, eos, qui utrumque nobis Teſtamentum Latine verterunt; illiteratos haud fuiſſe priſcorumque ſcriptorum, qui vel hodie non extent, vel ſi extant; mihi aliiſque, noſtro e vulgo ignoti, inviſique ſint; monumenta complura legiſſe. hinc fieri, ut in Bibliis, verba nobis quaedam barbara, in-

1 Eſt *Adrianus Romanus*. vid. ad Epiſt. CXC. & DXIII. & alibi.

inepta, ſoloecizantia videantur, quae forte valde bona ſint. Id in plurimorum quotidie ſcriptis experimur. ſed Tibi, quaeſo, quid videtur? qui unus totam, qua rerum, qua verborum, antiquitatis regionem perſpectiſſimam habes. An Latina non ſunt, in primo Regum, *ciſtartium*, apud Lucam, *manicare* vel *manitare*, apud Jacobum, *calefacimini*, & id genus alia? In Apocalypſeos v. dicunt *millia millium*. Dignus *eſt Agnus*, *qui occiſus eſt*, *accipere virtutem & divinitatem*, Graece πλȣ̃τον. Reponunt Lovanienſes veſtri, *divitias*. Quidſi *divitatem* poſuerit interpres, ut a *dives* ſit *divitas*, ſicuti & apud veteres *divitare?* Capite VIII. dicuntur *Angeli tuba canituri*. an a *cano* etiam olim *canitum*, an vero *i* redundat, ſicuti & pleriſque, apud Jacobum, in *alleviare*, viſum. quamquam hoc potuit Eccleſiaſticis tam probum videri, quam *humiliare*. Bene, ut opinor; de divinis libris mereretur, qui, ſi non opuſculo propio; alicubi ſaltem, ἐν καιρῷ, aliqua iſtiuſmodi explicaret, contraque logodaedalos, ſacram verſionem nimium ludentes & irridentes, propugnaret. Apud Auguſtinum vero epiſtola LXIIX & CLXVI. cujuſmodi veſtis genus eſt, *Burda*? Nam a ſummo harum rerum Magiſtro non niſi doctiorem abire fas. Vale Cl. & Amiciſſime Lipſi. Optimo & doctiſſ. Theologo Veſtro D. *Stapletono*, etſi de facie ignoto, ſalutem tum, ſi moleſtum non eſt; dici velim plurimam. [2] *Antiſtapletonus*, qui jam prodiit, *Antiwitakerum*, brevi ut ſpero, ipſi extorquebit. Eſt enim vetulus & calcitroſus iſte fuſtuario novo digniſſimus. Herbipoli. XV. Calend. Majas CIƆ. IƆ. XCIV.

2 Hiſtoriam horum libellorum habet *Verton.* de Satyris inſcriptis *Anti* t. I. pag. 238. ubi & vita *Stapletoni* & *Witackeri* legitur. & quia Duaci etiam ille docuit, Flandriae Scriptoribus eum etiam adnumeravit *Sanderus* lib. III. pag. 156. Profeſſor etiam fuit Lovanii Theologiae, vid. Val. Andr. Faſt. Acad. p. 80. Rector. fuit 1595. pag. 54. inter plurima, quae ſcripſit *Stapletonus*, ad imitationem Lipſii compoſuit *Admiranda*, *ſive de magnitudine Romanae eccleſiae*, librum ineptiſſimum, quem quicumque modo inſpexerit, ſibi probari non poſtulabit. prodiit vero poſt ejus mortem 1599.

EPISTOLA DLXXXII.

J. LIPSIUS

Nic. Serario S. D.

Lovanium.

EGo vero vivo, mi Serari, & malus falſuſque ille rumor de mea morte: ſed & a malis, ut opinor. Illi, a quibus me corpore quoque abjunxi, animo nunquam junctus, velint me alium eſſe, aut non eſſe: & ideo pro voto ſuo famam ſpargunt. Sed vivo, & vivam, quamdiu vivam, Deo, pietati, ſtudiis, virtuti. De Cruce noſtra, nunc iterum & emendatius excuſa, jam videris, opinor: de quibus opinionem tuam ſic eſſe velim. Exſpectas quae non ſunt, & pietatis meae magis, quam doctrinae eſt illud argumentum. Alia brevi erunt. Rogas me de verbis quibuſdam in libris ſacris, ecquid proba ſatis aut Latina ſint? De quibuſdam reſpondere poſſum, alia quaero. [1] *Manicare*

1 Vide Cangii Gloſſarium Latinit. in *Manicare.* & de aliis vocabulis, ad quae nihil *Lipſius* notat, in *alleviare*, & *Burda.*

nicare in Luca probum eſt, quod Graecis ὀρθρίζειν. Auguſtinus in libr. Judicum uſus, & e noſtra ſchola vetus Commentator Juvenalis, quem Pithoeus edidit, in illud: *Et multo ſtillaret penula nimbo. Propterea ſemper manicaſti per pluviam.* In Apocalypſi *Canituri*, item probum, & *occanuerunt* alibi (ſi memini) in Fragmentis Salluſtii. *Divitatem* tuam pro *Divinitatem*, equidem amplector: ſicut & judicium univerſum de interprete, quem ego, Bibliorum praeſertim, cenſeo fuiſſe pereruditum. Non nunc alia. Valebis, mi Serari, & ſalutabis Reverendum V. D. Doctorem *Sangium*. *Stapletonus* te reſalutat, qui nunc denique *Antiſtapletonum* accepit, & in eum aliquid parat. Lovanii IIII. Kal. Sextil. ∞ IↃ XCIIII.

EPISTOLA DLXXXIII.

NICOLAUS SERARIUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

LEgebam D. Auguſtini caput ſeptimum de Eccleſiae unitate. In eo erat, A & Ω litterae in ſigno Chriſti omnibus notiſſimae. Mirabar; & tacitus quidem, quod omnibus notiſſimum ille diceret; noſſe ipſe poſſem, diſquirebam. Et ecce, eo ipſo articulo, Tui illi de Cruce, ad me veniunt. aperio. primum quod occurrit, Chriſti ſignum fuit, in quo A & Ω. Et de illis nondum viſis, quae mea fuit opinio, eſſe non vis? Aucta vero illa, & valde confirmata. Hujuſcemodi pietatis Tuae, quae doctrina numquam vacant, argumenta, faxit Deus plura videre ut liceat. De face, quam accendis, hiſtorica, jampridem audivi. Sed & de ea, ſponte, ipſa e Gallia, quidam huc ſcripſerunt. Vix credas, quam illa meae, meique ſimilium caligini optata. Ecquando tandem prodibit? Francofurtenſibus eam Nundinis illuxiſſe jam putabam. ſed paene cum laterna Diogenes fui. Te oro, vel materiem duntaxat intelligere liceat. Aderat, hiſce diebus, cum Ratisbona Francofurtum properaret, *Henricus Stephanus*. optabam, vel ſupremo iſto aevo, ad Eccleſiam eum redire. neque omnino abhorrere videbatur. ſed poſt ultro citroque ſermones, ut fit, varios, quidnam de *Lipſii* ſtylo mihi videretur, rogabat. Nam ad arcem eum cum deducerem, bonumque ſenem fatigatum ſentirem, quaſi jocans *pauſandi* verbo uſus eram. Reſpondi, quod profecto eſt; me hujuſcemodi rerum Palaemonem minime idoneum. in paucis tamen, quae adhuc legiſſem, Lipſianis operibus mirari me antiquitatis cognitionem, ſententiarum, chriarum, apophtegmatum copiam, ordinem, delectum. Ille aſſentiri. ſed, multorum tum rogatu, ſe, de *Lipſiana oratione*, commentariolum apparare. jamque epiſtolam unam edidiſſe, qua ſe nec Lipſiomimum, nec Lipſiomomum profiteretur. Ego, ut in iſto quidem poſteriori ſtaret, hortabar. & ſi non in dicendi ratione, quae cuique libera; in credendi certe vivendique modo Lipſium imitari ne pigeret. Utinam vero ipſe, quod & nudius

ei tertius ſcripſi; faciat. De litteris bene Graecis meritus eſt. ſed animae ſuae detrimentum ſi patiatur, quid haec? Quae de Biblicis verbis illis ſcripſiſti, ut gratiſſima ſunt, ita & aliorum plurium ſitim accendunt. Vale Cl. & amiciſſime Domine; Herbipoli ipſo S. Michaëlis. CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA DLXXXIV.

NICOLAUS SERARIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

PAx Chriſti. Vix, Clariſſime & Doctiſſime Vir, dixero, quam heri me noſter quidam Theologiae Auditor recrearit. E patria enim, quo, paucas ante hebdomadas, negociorum cauſa, profectus erat; adeoque ex ipſis Polonorum, contra Tartaros, caſtris reverſus, cum alia narrabat, tum hoc unum. multos magnoſque Viros, de Tua nunc religione & in DEUM pietate cum audiunt; ita commoveri, ut ſacroſanctam Catholicam fidem amplectantur. In his nominabat Magnificum Dominum *Procopium Sienawsky*, Generalem Regni Marſchalcum. auctoremque laudabat, vir alioqui non vanus; nobilem doctrinaque praeſtantem Virum, mihi hîc olim notiſſimum, Dominum Cracovienſem Cancellarium *Andream Pruchniskyum*. Gaudeo equidem, mi Domine, qui Te Tuaque corde amo; ſic in Te, quod Dominus noſter jubebat; DEUM glorificari. ſic Te, quod D. Paulus hortatur; proximo placere, ut ſit in bonum ad aedificationem. Non eſt meum EUGE iſtud & BELLE. ſed, *Ille*, inquit D. Auguſtinus, *in Te laudetur, qui in Te operatur.* Addebat ille, tuorum librorum nonnullos Polonice jam verſos, quos hîc propediem videremus. &, ſi a bellorum illorum tumultibus paulo abeſſes longius; fore ad Te audiendum Polonorum concurſus maximos. Sane, hoc ipſo anno, cum luſtrandi Belgii, Cardinaliſque videndi ergo, iſtuc hinc nobiles duo, itidem Poloni, ſeſe contuliſſent, in magnis tam periculoſae, ſumptuoſaeque peregrinationis fructibus, Te, de Caeſare neſcio quid explanantem quod audiiſſent, reponebant. Sed hoc non miror. facerem ego, ſi quidem liceret; aliquanto etiam amplius. Saepe adeſſem. plurima rogarem. unus mihi diſcendi finis, ſi Tibi docere moleſtum. Hoc biennio cum, ſacrae Obedientiae juſſu; ſacrarum litterarum Doctorem indoctus agere deberem, quoties non veteres tantum illos doctiſſimos & ſanctiſſimos Magiſtros, ſed e recentioribus & ſuperſtitibus etiam quoſdam, & in his Te, humaniſſime Vir, mihi optavi! A Geneſi coepi, & per Tetrateuchum, Joſuam, Judices, Ruth, Reges, Paralipomena, Eſdramque ad Machabaeos tandem, Deo bene juvante; perveni. Quod in aliis non licuit, mihi, quaeſo, bona Tua venia, liceat, duas treſve, quae e vetere memoria, in qua Tu aevi noſtri Varro; pendent, quaeſtiunculas ponere. Prima eſt 1. Machabaeor. c. 8. vſ. 16. *Quo per ſingulos annos uni magiſtratum ſuum committant Romani?* Quae de alterno Conſulum imperio dicuntur, videor aliquo modo probare poſſe ex Plutarchi Numa, Fabio, Ariſtide. ſed clarius & aptius

aptius quid adhuc requiro. Altera. Poſſintne aliqua alicunde fraternae illius, quae jam inde Abrahamo, inter Judaeos & Lacedaemonios fuerit; neceſſitudinis veſtigia erui? 1 Mach. 12. vſ. 7. 21. Habeo quidem ex Byzantio Stephano, Herodoto & aliis nonnulla, ſed obſcuriora quam vellem, minuſque impreſſa. Tertia. In Lucii Romani conſulis epiſtola, ibidem vſ. 16. num vetus, id genus litterarum, formula ſatis retenta? Sunt & alia. ſed minutiora. de quibus Te tanto praeſertim tanti Regis hiſtorico munere occupatiſſimum interpellare non audeam. & ad iſta, quae rogo, vel verbum, quod commodo Tuo fiat; mihi ſatis fuerit. Mitto unam vel alteram chartam. e quarum una, ubi de *Remmone* Deo ago; videbis, quae mea interdum vota. Vale, mi Doctiſſime & humaniſſime Domine. Herbipoli VIII. Calend. Octob. CIↃ IↃ IVC. cum eodem die publica, ad varia urbis hujus templa, habita fuiſſet proceſſio, ſolemniſque gratulatio pro felici Hatwanenſis urbis expugnatione. Putatur exercitus noſter ad Solnacenſem obſidionem perrecturus. Quaerunt interim amplius centum millia Tartarorum tranſitum in Hungariam. Moldavum ingentibus promiſſis a Tranſſylvano diſtrahere conantur. hactenus fruſtra. & ut porro ita ſit, DEUM Opt. Max. rogemus. Vale.

EPISTOLA DLXXXV.

NICOLAUS SERARIUS

Cl. V. D. *J. Lipſio* S. P.

Lovanium.

QUas, Cl. Vir, petis Tuas ad me, mitto. Utinam & mittere, quod Tibi gratum foret, poſſem aliud. Vix credas quanta id ego lubentia. Ex eo enim, quo Tuas intueri licuit imagines, tempore (Libros dico eruditionis & ingenii monumenta praeſtantiſſima) magno Te ſemper opere dilexi: poſtea etiam adamavi & obſervavi, cum eum Te indicaſti, palamque profeſſus es, qui es. Et jam ad amorem accedere poſſe nihil opinabar, cum novus derepente acceſſit cumulus, quod Te non in me tantum, qui inter candidas canoraſque illas ὄρνις κλαγγηδόν κ’οὐκ οὐράνοθι πρὸ κλαγγοῦσαι; ſed in omnes Societatis noſtrae homines tanto ferri amore cernerem, ut omnem eos graviſſima honeſtiſſimaque Tua teſtificatione ornandi capias occaſionem. Ipſum autem autographum a me non mitti aegre haud feres: Id enim, Tui videndi copia cum nulla ſit, inſtar praeſentis vultus Tui mihi eſt. plane τιμιώτατον κειμήλιον. Cum vero autographa id genus plura invenire non potuerim, his Achatae Tui, quod ſub manus venit, unum adjunxi. Eſt autem quod Te admodum rogem & obteſter, ut D.[1] *Hanſenium*, cui de magni vere viri familia publice gratulatus es, officii pro Tuo in ipſum jure, aliquantulum, quae prima erit occaſio, ſubmoneas. Nam hominem audio, cum in honore ſit, non intelligere, meque commendationis pene, aut ſuppudet aut ſubpoenitet. Valebis Cl. & am-

1 Vid. Epiſtolam Lipſii xc. in Centuria ad Italos.

ampliſſ. Vir. Moguntia XVII. Kal. Januari CIƆ. IƆCII. Manum hîc immutatam quod videas, cauſſa eſt, quia ipſus non video: Cum enim priora ſcripſiſſem, alio quopiam ſubito avocatus, tanta non ita multo poſt & tum gravi ophthalmia correptus fui, ut finem haud imponere quiverim.

EPISTOLA DLXXXVI.

J. LIPSIUS

Nicolao Serrario.

Herbipolim.

V. R. Noli, noli de Riſu dicere mi Pater, & illum ſcriptis tuis advocare: potes Gratiam, potes ſeriam & utilem Doctrinam. At ego jam ante legeram, curioſus talia videre. De aliis quid dicam neſcio, de me profiteor Modeſtiam inter omnes virtutes placere, nec ſine ea ſcientiam ullam aut ſapientiam cenſere. Quid attollimur homines? bullae ventulo tumidae, mox in eundem ſpargendae. Senecam meum an videris, neſcio: conatus ſum non in pompam adornare, ſed in uſum. Huc, ſi nunquam antea, nunc eundum erat in aetate gravi, grandi, & quae jure non ineptias ſolum, ſed delicias ſpernat. Nunc mei me vocant ad Patriam Hiſtoriam, & praemium proponunt. Non abhorreo: ſed valetudinem cum video, reſiſto & ambigo,

—— ſtabuntne ſub illa
Mole humeri? an tanto labetur pondere cervix?

Videbo, & Deum ac Divam quoque (fremant impii) in conſilium vocabo: & jam nunc V. R. tuas preces. *Lovanii*, III. Idus Decembr. ∞.IƆC.V. Quod rogabas de Lapide veteri, AER. XVII. quid eſſet? Non hercle de *Aera Hiſpanica* accipiendum, neque ea Romani uſi: ſed interpretandum, *Aerum* XVII. id eſt Stipendiorum totidem. Dicuntur enim *Aera militaria*, ut ſcis: & miles *aes merere*. Inde Phraſis.

EPISTOLA DLXXXVII.

NICOLAUS BUYCKIUS

J. Lipſio.

Leodicum.

VIdimus nuper, Vir Clariſſime, non abſque animorum motu Theologorum Lovanienſium de Academia Bataviae, & inſcriptione in eam, cenſuram. Hanc & hanc illegitimam cenſent, & Schiſmaticos omnes, qui in ea (licet Catholici ſint) inſcripti, imo non inſcripti lectiones audiunt: de primo nemo eſt, quin inclinet eos recte ſentire, & quod non ſit a legitimo Principe inſtituta, aut a Pontifice maximo approbata. De altero certe, aut non recte, aut abſque praevia diligenti cognitione. Ignorantes quomodo haec inſcri-

ſcriptio fiat, aut quo fine a multis petatur, nimirum ut forum urbicarium declinent, ſeque privilegiato ſubjiciant, & ab excubiis, vectigalibus & aliis divexationibus liberentur. Concurrentes ad Academiam, tanquam ad Aſylum, non tamen propterea eam probantes, ut legitimam. Ut enim in republica uſurarius publicus permittitur, non ut bonus, ſed ut neceſſarius ad majus malum evitandum; Ita nos illam, ut ſub ea latitemus. Rogarem propterea obnixe, vir Clariſſime (& haec praecipua meae ſcriptionis cauſa) ut digneris meo, & *Buyckiorum* omnium nomine, patres illos tuos hac de re conſulere: poterunt enim illi plene per te cognoſcere, nec per quemquam plenius, & Academiae (cui tu aliquoties ſumma cum laude praefuiſti) & noſtrorum omnium ſtatum, & libere ad nos perſcribere (nam ſolis nobis ſcriptum erit: Curae enim nobis eſt, & dignitas tua & ſalus noſtra) quid tu, quid illi ſentiant, ut ſcrupulus, qui inhaeret animis noſtris, eximatur. Nos viciſſim, ſi quid tua, aut tuorum cauſa poterimus, impetrabis ab obnoxiis nobis & volentibus. Imo pro maximo beneficio nobis erit, ſi vel tu, vel gens tua officium noſtrum ſibi utile fore aliquando volet, adhuc id poſtulet. Vale, Vir Clariſſime. Te cum conjuge ſalutant Pater, Patruus, & *Boelius*, qui jam cogitabat acidos fontes, niſi debilitas & valetudo vetaſſent. Adeo enim nunc debilis eſt, ut conſultum tam medicis, quam amicis non videatur, ut ſe viae committat. Lugduni Bat. XII. Kal. Maj. MDXCII.

Non vidi cenſuram illam Lovanienſium, neque ejus mentionem alibi fieri ſcio. ſed hinc efficere licet, injuria queri ſaepe in epiſtolis *Lipſium* & alios, de edicto ordinum Foederati Belgii, ne quis filios mittere audeat in Academias inimicas & infeſtas religioni & libertati noſtrae, aut in diſciplinam Jeſuitarum traderet. ut bis hoc prohibuiſſe lego An. 1591. apud Borr. lib. XXVIII. pag. 19. & A. 1596. Borr. lib. XXXIII. 21.

EPISTOLA DLXXXVIII.

J. LIPSIUS

[1] *Emberto Everardi Theologo.*

Lovanium.

Reverende & eximie Domine, Invitat me humanitas & benevolentia, qua ſingulari in me uteris (ita ex meis audio) ut ad te ſcribam, ſi non alio fine, ſaltem ut ſcire & agnoſcere beneficium me teſter, paratum reponere ubi vires, aut facultas mea ferent. Ego me bonis adjungere non animo ſolum, & amicitia cupio, ſed etiam corpore: & palam facere toti mundo, quod nec libero nec tranquillo animo haeſerim in iis locis, quae a legitima religione & rege abierunt. Fateor me in communi iſta tempeſtate rectum curſum uſquequaque haud tenuiſſe (doleo & poenitet) ſed ecce redeo, & vel cum periculo in-

1 *Embertus Everaertus* dicitur a *Valerio Andrea*, in Biblioth. & in Faſtis Academicis Lovan. pag. 54. *Embertus Everaerts* Rector Academiae A. 1583. & pag. 78. Doctor Theol. creatus XXIX. Aug. 1584. vide Faſtor. p. 127. Obiiſſe ibi X. Kal. Aug. 1604. dicitur. ſed in Bibl. *Valerius Andr.* VII. Id. Junii notat. ejus etiam meminit *Cuyckius* in Epiſtola DLXV.

invehi cupio in portum iſtum pietatis. Verba haud dederim; ſed re, ſpero, teſtatum faciam, eſſe me priſcae eccleſiae, tranquillae reipublicae, & juſti regis mei ſtudioſum. Deum precor, uti mentem hanc mihi magis magiſque firmet, in qua non aliud, quam ipſum ſpecto. ſi idem ille volet, ego brevi ad vos: & quos nunc affectu, etiam brachiis iſtis amplectar. vocavit me nuper ſummus Pontifex, ſed amorem Lovanii quis mihi exuet? quam omnibus locis praeponi a me, quae ſunt in Europa, ex animi mei ſententia teſtor. Vale, Reverende & eximie Domine. Leodici Poſtrid. Non. Jul. 1592.

EPISTOLA DLXXXIX.

J. LIPSIUS

Franciſco Sweertio filio.

Antverpiam.

HIſtoriolam legi, quam ad me, & quidem de N. ſcribis. Quid exiſtimas? Cum ira legiſſe me? ne vivam niſi cum riſu. Atqui ego facile divinavi, quis bonus ille vir, niſi quod tempero, & ſatis ſit intra me ſcire. Deus bone, quouſque homines non de vita ſolum, ſed de alieno animo ludent? ſcilicet ille aut alius eſt libripens, qui religionem meam, qualis aut quanta ſit appendat in ſtatera. O non calumnia, ſed crimen! Deo eripere quod Dei eſt, & penetrare ſe velle atque arbitrum agere animorum. Ego veterem & patrum religionem vita & factis & verbis colo: ille cavillatur, & haec ait fucum. quis in penetralia pectoris mei illum duxit? quis indicium fecit? Livor & haec maledicendi libido, quae ita invaluit, ut parum ſerio bonus videatur, niſi qui aſpere convitietur modeſte bonis. hoc aevum eſt. tu quid ſuades? recriminari aut repugnare? abſit. nec tu ſapienter, qui paene ad manus: imo Minerva audienda fuit, quae tibi a tergo

— λῆγ᾽ ἔριδος, μηδὲ ξίφος ἕλκεο χειρὶ.

Contra iſtos Atridas, & qui ſoli imperitare aliis volunt, patientia & ſilentio opus: aut certe oſtendimus nihil plus nos ſapere, quam ipſos. audi me, venient tempora, cum ſuus honos, atque uſus etiam erit bonorum virorum. Utinam ſcias, quam animus mihi firmus ad haec talia? & ſane ſi ratione non eſſem, uſu cogor: quia undique in me incurritur, & ad voces exponor, quaſi ſcopus. bona ſpes mihi de fama in poſterum, cum aevum in praeſens eſt tam iniquum. Vale, mi amice Sweerti. Leodici poſtrid. Idus Jun. CIƆ IƆ XCII.

EPI-

EPISTOLA DXC.

J. LIPSIUS

Franciſco Sweertio S. D.

Antverpiam.

BInis tuis litteris reſponſum debeo, & nunc una ſcriptione atque opera reſolvam, quod non citius, occupatiunculae noſtrae faciunt, quibus etiam acceſſit aedificatio. non magna illa quidem, ſed inter lentos iſtos homines, lenta, & quae plus moleſtiae potius habet, quam ſumptus. Abſolvemus, etſi tempora profecto non invitant ad exſtructiones, quae ſic incerta, vix faciunt certas nobis ſedes. ſi Judicia aliorum ſequerer, audirem aſſidue Venetos vocantes, & omni comitate invitantes. ſed mihi mens eſt in fluctibus etiam iſtis ſtare, & non deſerere patriam, quamdiu vis aut injuria non coget. Ambitio ſi me cepiſſet, pedem huc non tuliſſem: Quies & modeſtia ſunt, quae amo, & ea hic habitant in iſta urbe, quibus & inopiam adjungo. Haec eſt triga, qua aliï vehi nolint. ego, ut dixi, amo, & maxime, quia pietas praeſidet, & aurigatur: Quod ad ea, quae ſcribis de Batavis, equidem ex ſermone jam audieram: ſed tam abrupte pacem omnem ſpretam, & rejectam non opinabar. Ubi mens illorum eſt? ubi metus & cogitatio vacillantis fortunae? Atqui honeſtiſſimus & tutiſſimus receptus proponitur, & ut evolvant ſe laqueis, & periculis diuturni belli. Quid ſe? etiam nos, qui inviti cum illis involvimur: etſi ſapiant, fundamenta nunc firma jaciant, & quietis noſtrae & Libertatis. Libertatis dico juxta ſtatuta patria, & ſub juſto ac legitimo rege. Equidem vates non ſum: Eventa tamen omnis aevi docuerunt nunquam proſpere abjectam delationem honeſtae pacis. ſed annorum aliquot ſucceſſus faciunt iis animos, & mala aut infirma ſua non vident bonis tantum intenti. Quid? quod nec alienas vires ponderant? quae nunc impeditae, aut diſtractae coire poſſunt, & impetu ingruere ipſis. Deo permitto: ſperni tamen ſana conſilia, hoc doleo: & eo magis, quia non diſſimulo affectum meum erga Batavam terram, & gentem. Nuntias in poſtrema epiſtola tua de motu in Italia. Ergo etiam illic arma ſua Mars concutit? diuturna illa quies huc erumpet? Erumpet, & curſus ita mundi hujus eſt, ut ſerena turbidis diſtinguantur. ſi non nunc, paulo poſt fiet; & luxus & libido & opes Martem attrahent ſolennes ejus anteceſſores. Quid nos inter iſta? Videamus, audiamus, ſed quod caput eſt patiamur, & vindicemus hoc robur, inter tot nimbos ſtare inconcuſſos. petamus ab eo, qui ipſa & aeterna firmitas, dabit, & nos, mi Sweerti, ad immota illa denique perducet. Rogo, ſpero. Lovan. poſtrid. Non. Sept. A°. 1594.

EPI-

EPISTOLA DXCI.

J. LIPSIUS

Franciſco Sweertio.

Antverpiam.

MIrabar, mi Sweerti, ſilentium tuum tam longum, quod video eſſe ab abſentia tua & peregrinatione in meis olim Hollandis. Significas de iis, quae non ignoro, pervicaces eſſe, in religionem & regem infeſtos. ſed quis exitus tamen erit? non pro plebejis illis judiciis aut vocibus; & nobis hoc crede, facies & modus ille reipublicae non diu ſtare poteſt, & quod hactenus ſtetit, vitiis noſtris acceptum ferri licet, non viribus illorum. Regis noſtri conſilia lenta & tarda ſunt, firma tamen, & ſenex ille rectam viam ad diuturnitatem & propagationem imperii iniit. Alii aliter judicant, ſcio, & quidem periti etiam rerum; ſed nobis cauſſae, & alacritas aliqua judicii etiam eſt, quam tamen promo, apud amicos, non obtrudo. Tempus definiet utrûm verior ſit ſenſus. Atqui de me etiam apud Batavos ſermones, & dolor (ut ſcribis) in effugio noſtro. mi Sweerti, ego inimicos ibi me habere non nego, neque neſcio, ſed eos, qui virtuti & juri omni adverſi ſunt, toti novitatum iſtarum & opinionum. Ex aliis, qui colorem aliquem honeſti & probi habent, ſcio pleroſque amicos mihi eſſe, &, magno animo dico, debent. Qui hodie primi inter illos, a noſtra inſtitutione ſunt: & diſſimulent licet, taciti & in animo nos probant. De vita aut moribus dicere ſuperbum aut ſupervacuum fortaſſe ſit: tamen ita vixi, ut ambitio aut avaritia, fontes duo malorum, nec ab hoſtibus mihi impingantur. Quae in privatis moribus, omnia ad modeſtiam compoſita & comitatem, ad probitatem etiam, nec Lycurgum aliquem Graecum, aut Romanum Caſſium judices metuam aut cenſores. Quidquid objici poteſt, diſſimulatum & omiſſum potius ſit, quam commiſſum. ſed ſatis de iſtis, ad publica te ſequor. Res Hungariae laetiores, & in bona ſpe, per bonum hunc ducem. Profecto ſi a diſciplina ſic incipit, rem factam habet, & victoria illi comes. Ipſum Suecorum Principem audio laxa & ſoluta vita eſſe, mera Mapalia, & inter concubinas aut ſcorta volutari. Unum deſideratur; Germaniae conſenſus, & ut re, non verbo Auſtriacis ſe jungant. Qui religionis diverſae ſunt, ii occulte inclinant alio, & in animo dicunt, quod Batavi clara voce. Stuporem & perverſitatem! malle ſub Barbarico illo jugo eſſe, quam legitimos dominos agnoſcere, & florentes videre, quos Deus & virtus tollunt. Iſta, mi Sweerti, apud te diffuſius, dum tota epiſtola tua eo trahat. alias, ſcito me cogitare interdum haec potius, quam dicere, & totum apud me eſſe. Quid ad me, valde in brevi hoc aevo, quid Turca, aut Batavus agat, ſentiat. illud ad me, quid ego agam, ſentiam: & in primis, quî vitam & mores conſtituam ad poſtumam illam & perennem vitam. Deus mihi det certe judicare & ſapere, tum & tranquille hîc agere, atque obiter ſtilo & voce, ſiquid poſſim, prodeſſe juventuti. Tu vale, & *Othonem Venium* noſtrum ſaluta. Lovan. Nonis Septembr. CIƆIƆXCV.

EPI-

EPISTOLA DXCII.

J. LIPSIUS

Franciſco Sweertio S. D.

Antverpiam.

DOlui profecto lectis tuis litteris, & imagine ibi expoſita inopinatae tuae calamitatis. Vide quid homini non immineat, cum intra ipſos parietes, in penetralibus penatium, & religione [1] foci, velut militariter invaditur, & bellum eſt ſine hoſte. Sed tu gratulare magis tibi, quam dole: quod nos quoque facimus, & in tanto diſcrimine, nihil praeter terrorem, tibi illatum fuiſſe, gaudemus. Nam de cute leviter afflata aut perſtricta, parum eſt: video reliqua ſalva, & ipſos oculos, tenerrimam partem, quod ſcriptio tua me docet. Litterae enim elegantes, & bellae, ut ſolent. Ergo gaudemus, & obiter monemus, mortalem aſſidue cogitare mortalia: verum veteris & noſtrae philoſophiae praeceptum, nec aliud efficacius ad vana, ſtolida, exſultantia animorum, coërcenda. Quod ad publica attinet, nuncias de iis ſatis laeta. [2] Archipiratam illum nobilem obiiſſe, ſed fato ſatis ignobili, bene eſt: & vides quam non ſuccedant, & neſcio qua vi occulta reprimantur conſilia in magnum & felicem noſtrum Regem. Nemo negaverit, unicam rationem turbandi ejus eſſe, turbatas Indias: vidit callida illa mulier, toties tentavit, aſtu & viribus: vix aliud, quam opprobrium & damnum, redundavit. Quid in Gallia? quamdiu ad unum oppidum, cum viribus omnibus, Rex ille aſſidet? cum noſter interea Prorex, ſanguinis, animi, & fati Auſtriaci, opidum & arcem eripuit, quae provinciam aliquam aequent. Aequent dico, ſi utilitatem & oportunitatem ſpectes. Quid enim magis Regi in votis, quam portum hunc habere, ad res Britanniae & Bataviae? Ipſi ſciunt, & animi eorum hac plaga, quidquid diſſimilent, valde ſunt percuſſi. Etſi nec diſſimulant: & Edictum illud atrox in Batavia (ante dies aliquot vidimus) non niſi originem habet a conſternatione illa & metu. Sed male ratio muniendi, plures hoſtes facere, & excitare eos, qui in finibus tuis pacati degunt. Sed fervor eſt fortaſſe, & re inſpecta remittent: quod equidem velim, ob plures bonos notoſque viros, qui inter illos agunt. De Turcicis rebus, multum erat ſi repugnaremus, & ſiſteremus violentum illum hoſtem. At nos etiam progredimur potius, & invadimus, & jam nunc certe audimus Cliſſam, validum & notum Illyrici opidum, veniſſe in poteſtatem: ſed & arces aliquot vicinas. Multi pro magno habent, in eo quoque tractu, ubi militaris populus, res moveri. Audio & veteranos ex Africa Genuam veniſſe, ſed quo mittendos, huc, an potius in vicinum Galliae limitem, ignoramus. Mihi de Maſſilia ſu-

 ſpi-

1 *Nam pulvere tormentario ſubito accenſo, dum deſiccatur, faciem & os laeſus erat.* haec adſcripſerat Lipſius margini.

2 Credo intelligi *Franciſcum Drakum*, qui hoc anno 28. Jan. 1596. in America ad Portum Bellum dyſenteria exſtinctus eſt. ita *H. Hollandus* in Heroologia Anglica. p. 109. ſed Borrius lib. XXXIII. f. 53. 8. Februarii obiiſſe ſcribit, novo forte ſtilo, ut vocant, uſus.

ſpicio eſt, nec Regem omiſſurum hoc inceptum. Conſilia & aſtus ſi non valuit, vis & arma valeant: nec forte tam difficile id erit, quam quidam opinantur. Sed ecce epiſtolam, in occupationibus meis, ſatis longam: quam affectus provexit. Tu eumdem a me *Othoni Venio* nunciabis, & miſſurum me materiem ac menſurationem pro tabella: ſed fabros iterum habere, & aliquid in ipſo loco, ubi ponenda, mutare. Vale. Lovanii XI. Kal. Junii. ꝏ.IↃ.XCVI.

EPISTOLA DXCIII.

FRANC. SWEERTIUS F.

J. Lipſio S. D. P.

Lovanium.

JAm octo dies ſunt (ni fallor) mi Lipſi, quod ad te miſerim Demetrianas, habes hîc alteras, quae ſignificabunt quid deinde actum in Britannia, quae ſolita gloriari, quod ſaepius externa prodigia vidit, pauca domeſtica. Serpentes paucos & innoxios habet. videbantur Inſulae illae interfluentibus undis & a terrarum & a ſcelerum commercio disjungi. Sed jam proh dolor! monſtrum in iis conceptum valde horrendum, ut poſt tale prodigium nec Africa nominanda ſit. [1] *Georgium Thomſonum* Andreapolitanum Scoto-Britannum, voco monſtrum, qui calamo ſuo peſtifero & monſtroſo te ab Orco gentiliſmum revocaſſe ſcribit. Mitto hic exemplar unum, quod ex Anglia ad me *Cambdenus* his verbis: *Prodiit hiſce diebus apud nos libellus contra Cl. V. Juſtum Lipſium, cujus unum & alterum exemplar tibi mitto. Cenſuram de eo a me nolim expectes, nec interponere lubet. Author ſane erudite literatus, ſed a Scoticis miniſtris, quos ſulphureo eſſe ingenio Rex noſter dictitare ſolet, eductus, & tu facile videris. An bono Lipſio communicandum exiſtimes, tui eſto judicii. Male nos habet, qui ejus gloriae hîc favemus, optimum illum virum ab omnibus invidiae ventis ita circumflari, & inceſto ore paſſim a calumniatoribus lacerari. Quod tamen futurum virgo veſtra Hallenſis nobis praedixit. Clariſſimo illi communi amico a me ſalutem quamplurimam. quocum de Conſtantino M. non libet amplius in arenam deſcendere, etſi nova nunc mihi arma.* Cl. P. Rector *Scribanius* decumbit ex morbo, tibi noto, legit & perlegit libellum, parvique aeſtimat, dicens nil praeter verba & voces. Vale, mi Lipſi, & *Wouwerium*, ſi apud vos eſt, meo nomine ſaluta. Antverpiae cIↃ.IↃ.CVI. XIII. Martii.

1 *Georgius Thomſonus* hoc anno edidit Londini libellum, cui titulus, *Vindex veritatis adverſus J. Lipſium*, quo & inſanam ejus religionem, Politicam & fatuam nefariamque de Fato, & ſceleratiſſimam de fraude doctrinam refellit, & Deae Ligneae Aſpricollenſis miracula convellit, & *Lipſium* ab orco Gentiliſmum revocaſſe docet. quae hic habet ex Cambdeni epiſtola, leguntur inter ejus Epiſt. LVI. & in epiſtola praecedenti ad Wottonum mittens libellum ſcribit, *habe ſtimulum, quo paedagogus Scotus e Britannia fodit.*

EPISTOLA DXCIV.

JOHANNES RIMAINUS,

Ex Primariae nobilitatis Hungaris unus,

J. Lipſio.

Leidam.

VItae meae ſtatum, exordium, curſum, ſi coram te, eruditorum politiſſime, ſpatio mihi temporum metiri liceat, minuti laboris onus (dixerim facile) in me recipiam, utpote qui Sexageſimo & nono ſupra ſesqui milleſimum Chriſti anno ortus, in Secundum hunc atque Nonageſimum devenerim. At tantuli temporis aerumnas, cum maximo periculorum terrore crebroque ſalutis diſcrimine, ſi animo recolligo, vixiſſe nimium diu me ſatis agnoſco, etſi non conſenuiſſe. Cujus ſatietatis deſiderium mihi ſaepe non obſcure inſtillabat triſtiſſima rerum haec facies, quod manu Turcarum ter ſedibus pulſum, propinquis orbatum, omnibus & diviciis ſpoliatum, univerſa item & nobilitatis ornamenta & corporis fortunaeque bona relinquere juſſum, ſicque ad inſtar Leonis rictu diſſectum & diſſipatum genus meum, pro priſtino affluentioris fortunae nitore, minus glorioſe vivere ſentirem, ſed vero doloris hujus duriciem doctorum virorum praecepta aurea & ferreae manus, ad quas ego (ut priſtinae nobilitatis jacturam videlicet mundanae & corporeae, altera hac, quae ex animi bonis conſtare perhibetur, reſarcirem) ſaepiſſime recurrebam, non diminuerunt tantum, ſed evellerunt etiam: inter quos tu, clariſſime Lipſi, praecipuus hujus officii auctor extitiſti, quum prima Epiſtolarum tuarum ſelectarum Centuria mihi obviando, ſapientioribus me inde liquoribus imbuiſſes, riteque edocuiſſes, non Deum duntaxat eſſe, qui ſic de nobis ſtatuat, ſed ſimul & Patrem; ſalutare igitur, bonum, proſperum, quicquid ſenſibus oculiſque noſtris aliter videretur, nec culpare poſſe aliquid malum & acerbum in eo, qui bonitas & benignitas totus eſt. Ubi te quidem cum tuis & in tuis non niſi laudare, admirari, amare, potui, ſenſibus, affectu, corde. Accendebat praeterea Conſtantiae tuae conſtantis deſiderium in me tua Centuria, ubi frequens eſt ejus mentio, tua, amicorum. Quae me tantisper latuit, dum a foelicis memoriae viro Generoſo ac Magnifico Domino *Stephano Melith de Briber*, Caeſ. Majeſtatis intimo Conſiliario, & Scepuſienſis Camaerae in ſuperiori Hungaria Praefecto, ſummo litteratorum fautore, haud ita pridem defuncto &c. in convivium accitus, (prout mihi non amiciſſimus ſolum erat, ſed ſumme quoque fidelis) oborto de te ſermone & tuis laudibus, eam manibus ſuis oblatam in amoris ſui pignus una cum Politicis tuis accepiſſem, accepi, exoſculavi, libavi, obſtupui, ſervo ultro, lego, amo, laudo, ſtilum ſi reputo, merum mel, ſumma ſuavitas ibi, lux, ſol, cujus coruſco radio antiquorum Eloquii lunam nimis obſcuraſti. ſi adfectum; viva humanitas nitet. Sobrio calamo ſobrie ſobrius haec ſcribo: ab ipſis enim incunabulis (ne clam

te ſit) eo me natura beneficio munivit, ut omnibus inebriantibus ſuccis interdictis ſolius aquae mihi in potu uſum conceſſerit, nec judicare permiſit de re quavis, niſi prius inſpectis medullis. Prodeant nunc Lipſicidae, fremant, carpant, dicant quicquid velint, tumultuentur, numquam efficient, ut tuos a te avellant. Intelligo quoſdam objeciſſe tibi te in Politicis tuis Fati recenſionem, & religionum tolerandam diſparitatem minus dextre poſuiſſe, quaſi ad omnes haereſes fovendas atque amplectendas liberiores valvas pateferis, ſed nimium coecutiunt, nec eſt, quod ibi quid mutes tuorum reſpectu, (doctos intelligo & tenerioris judicii viros) qui ſatis te Chriſtiano ſenſu ea collocaſſe intelligunt, quibusve hic fructus ibi proponitur, ut Pii ſint, & Fata ſequantur, id eſt Deum. In religione autem, ne ſuperſticioſe timeant Deum, ſed recta cum Fiducia atque Fide eum revereantur, &c. Pro adverſariis ne labora, nam ab invidia tutus non recedes, etiamſi cuncta abſolute & perfecte adminiſtraveris. Laſciviant illi (ut ſolent) effrene, qui (ſicuti in literis ad [1] *Collinum* ipſe ſentis) nec vinci quidem ac repelli poſſunt, ſine macula tam maculoſi. Divinaſti apud [2] *Hadrianum Saraviam* quoque, Sperare te Politica tua firmioris attentique judicii Lectoribus probaturum, nunquam vero iis, qui pervolant, & inſtar apum ſcripta ſaltem delibant. Equidem ſolida contra judicium vulgi (ut aſſuevi) firmiter amabo, atque Politicorum tuo opere nil operoſius aut auguſtius, nec ſanius quidem in hoc cenſu, me unquam legiſſe, non ſolum fateor ingenue, ſed & totam meam vitam tuae me debere ſponte percipio; a te enim aura, cujus afflatu diu areſcens illa refloruit, ob hocque nimium grata eſſe mihi coepit, quod cum tua vivat, utinam etiam tibi poſſit. Praecipuum mihi votum in hac vita innoteſcere viris, qui claritatis aliquid habent ab ingenio & ſcriptis, quorum in numero cum tu maxime ſis eminentiſſimus, jure amorem tuum ambio, & magni aeſtimo. Extra admirationem ergo apud te ſit, dulciſſime Lipſi, quod ex remoto & afflicto hoc orbis angulo, illo Martiali tractu, hanc amoris mei ad te erumpere geſtientis cymbam velo gratitudinis inſtructam direxerim, quin potius eo apud me quoque ſplendore fac liberalitatis tuae lux renideat, ut me amantem mutuo (quod facere ſoles) viciſſim redames, cujus evidens ſpecimen ſic coram me edideris, ſi quicquid vel tuis aut tibi ipſi ex hiſce oris gratiſſimum fore cenſueris, eorum compotem per me te iri jubebis, non labori, crede, non opibus parcam, ſi tenues meae extiterint aut exiguae tibi magno. Sunt Magnates, ſunt Barones, qui amore mihi omnes impenſe devincti, ſancte omnia ſe tibi debere agnoſcent. quid de [3] *Michaële Forgachio* tecum ante fide, amore, conjuncto, juvene candido, erudito, & ſua ipſius ſtirpe digno ſentis? Ille nunc ex Italia rediens, ab inſidiis latronum, (licet humero ſaucius) ope Dei vendicatus, Epiſtola tua ſibi pollicitum de Formando Imperante librum tuum manibus officioſe terit, mente colit. Hujus Patruelis Illuſtris ac Magnificus Dominus *Eme-*

ricus

1 I. Cent. Miſc. 95.
2 II. Cent. Miſc. 70.
3 Ad quem eſt epiſtola II. Cent. Miſc. 81.

ricus Forgatſius, Trincinienſis Comitatus Comes, Eques auratus, & Majeſtatis Imperatoriae Conſiliarius, Ducibus Praeterea Saxonum affinitate junctus, Muſarum ſummus moecenas, vir erudicione & vita praeſtans, &c. vix credas quantum te amet, & quanti faciat; Idipſum Gen: ac Magnificus Dominus *Petrus de Reva*, Comes Turocenſis, Argentoratenſibus ſtudiis paulo ante valedicens, ſingularis tui obſervator, & inſignis cultor, cum omnibus illis agit, qui ex noſtra turba, noſtro cenſu, apud quos omnia tua religioſiſſima. Experiare itaque amorem noſtrum, officium, nutu, ſi non juſſu, noſque ad gratiam referendam praeſtabimus (ut tu adnotaſti) non modio, ſed horreo toto. Sicque voluntas ſcribendi nunquam in nobis deerit, modo opportunitas mittendi adſit. Nova, quae apud nos, & inter nos, haec habeas. Vix ſedato Patriae vulnere, creber Turcarum in Vicinios illatus impetus, renovata velut cicatrice, triſtiſſimi facinoris famam in dies ad nos relegat. Cum enim praecio conductae ſpe pacis & robur militum ſenſim deceſſiſſet, abrogato militaris ſtipendii fulcro, omnique virtutum ſublato praemio, & fortalicia Regni, non ea municione & moderatione, qua tempore pacis ad bella tempeſtivius erant conformanda, curarentur, Turca (qui fidifragio atque perjuriis decorum tenuit genti ſuae victorias ſemper acquirere opumque augmenta) opportunum ratus, per ſe ex incuria ruinam minitancia moenia tum omni quoque opis ſpe deſtitutum, ideoque praedae ſponte patentem militem invadere, Baſſa Illiridis valida armatorum manu reliquias Sclavoniae atque Dalmatiae noſtracium contra ſpem adortus, municiores quatuor arces cum octo Caſtellis, trucidatis noſtris, Majo atque Junio Menſibus praeteritis, Imperio Turcico adſcivit. Erat inter commemorata haec loca Bihegi nomine Arx cum oppidulo, tute adverſus vim paulo remiſſiorem munita. Hujus loci Praeſes natione Alemannus, tum ſaluti ſuae, militum, & oppidanorum etiam multum conducere exiſtimans, ſi oppidum fide Turcica tentatum, non expectato expugnationis eventu dediſſet, commilitonum aſſenſu pactis inter ſe condicionibus ſe & ſuos fidei illorum offert, dum porro educti ſe ad repetendum iter in Patriam accomodant, Aga quidam Turmae Turcicae Praefectus adamata Praeſidis conjuge, jus ab eo ſibi ea potiundi petit, atqui iſto renuente, quod iniquiſſime rem minus conceſſibilem vel fidei Chriſtianae aequiſſimam poſtularet, violentas rei peragendae manus accomodat, quare vehementiſſime punctus Praeſes, arrepta ſclopeta ictu Agam interficit, facto tum tumultu, Turcae in noſtrates irruentes, pluſquam ter millenos necant, reliquos captivant. Interea *Thomas Erdödius* Illuſtri ex familia natus, Sclavoniae atque Croatiae Banus, vicina hac clade perterritus, quo comode adverſus hoc incendium, dicioni ſuae jam jam iminens, poſſet proſpicere, collecto quali potuit exercitu, caſtra ad fluminis Kupae ripam locat. Mittuntur e Carinthia quoque auxiliares copiae, quos in ſupplementum ſuorum Banus ipſis aſſentientibus agglutinat. Caeterum cum praeſidii amnis fiducia indiligentius vigilias agunt, conſtructo navali ponte Turca, ſuperatoque intempeſta nocte amne, ſomno hos torpentes incaute corona cingit, nimiumque lethali ſtrage affectos, ita ma-

ctat, ut vix Banus cum paucis quibuſdam ſalutem reportaret. Hac opportunitate commotus Budenſis etiam novicius Baſſa, qui ex Arabia paulo ante evocatus functionem dicti officii obtinuit, Spiritu ſuperbo, nimioque crudelitatis fervore tumens, dum Chriſtianorum animum cum ſtupore, niſumque omnem converſum ad res in Sclavonia patratas videt, ut ad ſigna milites convocent, celeriter Praefectis edicit. Illi mandato obtemperantes, Turmas in ordinem cogunt, qui cum duodecim millium armatorum numerum ſuppleſſent, ex mandato (quo primitias fortunae militaris novicii Baſſae cum fructu reportent) Tibiſcum ſuperant, moxque Kallovinae Arcis in ſuperiori Hungaria, vicinia invadentes gladio & igne vaſtant. Cujus graſſantis vi, contermini & paulo longius diſtributi milites obviam ire cupientes, viribus impares, diu dubio cladis eventu inter ſe concertant, tandem in aeditiorem colliculum impetu Janizerorum acti, cum vehementiores tormentariorum globulorum ictus ultro ſuſtinere nequiviſſent, terga obvertentes qui evadere poterant, non inulte, fuga ſaluti conſulunt 7. Julii. Non ſine gemitu & angore poſſum, clariſſime Lipſi, tam praeſtantiſſimorum militum, nobiliumque virorum chariſſimorum meorum amicorum memoriam repetere, quos hîc vel durior captivitas, vel ipſius dulciſſimae vitae amiſſio a conſuetudine mea ſeparavit, ita quidem, ut vix noſtra memoria intra hoc afflictum regnum fuit commiſſum praelium, in quo tam fortes milites, ſtrenui nobiles, pugnae piloque aſſueti concidiſſent, inter quos *Stephanus Balaſdiatus*, (licet enim unum exempli cauſa proferre) Agrienſis pro-Capitaneus, Agriae, totius Hungariae, imo & Europae celeberrimo in confinio a multis jam annis partis victoriis praeſtanti fama celeber, magno militum omnium cum commodo degens, dum audacius pugnam capeſſit, intentiori id cura cavens, ne vivus in praedam hoſtibus veniat, poſtquam equus etiam, quo vehebatur, transfixus fuiſſet, acceptis pluribus vulneribus, ſemivivus in terram corruit. Cui Gener *Nicolaus Segniejus* nobilis, *Simonis Forgachii*, Parentis nimirum, *Michaëlis* tui illi *Forgatſii* ex Sorore Nepos, bellica virtutis fama apud nullos noſtratium non celeber, opitulare cupiens, aedita memorabili ſtrage vulnerando atque interficiendo hoſtes, dum praeſtantiſſimum quoque equum, cui inſidebat, amiſiſſet, laſſus vulneribus, haſtis duabus transfoſſus, exanimis a Turcis capitur, dein capite privatur. cujus in auxilium *Jobus Segniejus* fratruelis, ipſe etiam impiger miles, dum impenſiorem curam navat, capite mulctatur. Ita hos miſeros ne novercans quidem fortunae impetus a virtute & amore quivit avellere, quos ſerenior fortunae vultus mente coadunaverat. De coeteris ne lachrymans, impedito viſu, officio meo deſim, in praeſenti nihil agam. Jam ſi ſtatus gentis noſtrae cum Gallis & Belgis tuis conferatur, quorum ſortem ſuſpirioſe melleis tuis ſcriptis proſequeris, uter ex duobus ſub majorem miſerationem redigi debeat, nimium ambigo, niſi quod nos naturalem hoſtem, & qui corporibus tantum atque opibus noſtris, inhiat, ſuſtinemus, interea audiendi puri verbi dei apud nos relicta poteſtate. Illi nec anima nec corpore tuti, ſublato etiam loquendi audiendique commertio, taciti ſuſpirant, qui & memoriam quoque ipſam

ipſam perdidiſſent, ſi tam ipſorum in poteſtate eſſet obliviſci quam tacere, (ut tu habes) ſed alias de his plura, praeſertim ſi ex te has tibi redditas fuiſſe intellexero. Illud unum memineris velim, quod ſi quid literis meis reſcripſeris, *Joanni Aubrio* mitte Francofordiam reddendas, tuas vero a me quo atque cui deſtinem, tu quaeſo author mihi ſis, ſcripturo nempe tunc & crebrius & largius, ut ſic tecum animo coeam, cum corpus diſſita intervalla, a copula tam ſancta utili & honeſta interpellent. O utinam imaginem tuam Golczius & nobis impertiat, ut ejus faciem videre liceret, cujus ambriferi ingenii ſpiramenta avide hauſimus, mentem ſtupuimus. Sed ne Lipſiani Horti legem praevaricaſſe videar, retraham calamum, illud a te rogans, ut amantiſſimos tuos, *Douzam* praecipue, & *Raphelengium*, meo nomine plurima ſalute impertias, atque tenuem hanc meam ſcriptionem, ſine ſanguine, colore, carne datam, boni conſulere velis. Malui quippe balbutiendo tibi gratus, quam ſilentio fraudulens eſſe.

Salve, lux noſtra, nec id ſolum, ſed ſaeculi. Dominus turbones tuos turbet, pellat, aboliat, vacillantem valetudinem tuam ſuſtentet, te protegat, ſervet, ad annos foelices, dies laetos, nec ſinat te diu apud pultiphagos. Vale, Trenchinii Hungarorum. xx. Aug. 1592.

EPISTOLA DXCV.

ANDREAS DEI gratia Epiſcopus Wratislavienſis, Supremus Superioris & Inferioris Sileſiae Capitaneus,

J. Lipſio.

Lovanium.

SAlutem in Domino. Multo tempore nihil nobis ſuavius, nihil optatius accidit litteris tuis, Leodici menſe Februario datis: nobis vero exeunte Junio Nyſſae redditis; In quibus & pietatem tuam, ſtudiumque retinendae veritatis benigniſſime complexi: & mores tuos ſuaviſſimos amice exoſculati ſumus: ut de eruditione taceamus; quae quemadmodum in omnibus ſcriptis tuis mirifice elucet: ita in hac quoque epiſtola tua effulſit: e qua magnam ſpem cepimus fore, ut brevi ingenii tui monimenta reliqua, ſummo cum rei litterariae fructu & emolumento in publicum edas, quae jam pridem omnes magno cum deſiderio expectamus. Cumprimis autem nos in litteris tuis delectavit: quod animum noſtrum valde erga te propenſum non tantum non es aſpernatus: ſed ultro etiam amicitiam noſtram ambire te, & applauſum illum noſtrum, quo te in re honeſtiſſima, & Chriſtiano homine digniſſima, proſecuti ſumus: carum tibi fuiſſe, amiciſſimis verbis ſignificaſti. Qua de re & praeſtantiſſimo viro, Domino *Vito Myleto*, parario noſtro, maximas gratias habemus: & nobis ipſis profecto etiam atque etiam ſerio gratulamur. Quanquam enim omnes omnino, quotquot virtute atque eruditione praediti ſunt; licet ſententiis & opinionibus a nobis diſcrepantes, ob virtutem atque eru-

eruditionem ſolam diligimus: tamen neſcio quomodo prolixior eſt, & plerumque illuſtrior affectus noſter erga eos, quos unitas ſalutaris ac coeleſtis doctrinae nobis devincit; ut quibuſcum nobis non fluxarum tantum & terreſtrium rerum: verum etiam aeternae beatitatis commercium conſtitutum videatur. Quod nos profecto nulla alia re, quam ſalutari illa ſanctae antiquitatis perſuaſione compraehenſum cenſemus. A qua, quo quis longius, tanquam a regia via deflectit: eo citius in errorum tenebras dilabitur: e quibus ſeſe, ſine divina ope nunquam poſtea poſſit extricare, ut quod Seneca tuus de aetate hominis dixit, id nos de fide & Religione Chriſtiana non injuria dicere poſſe videamur; Quemadmodum ex amphora, primum quod eſt, ſinceriſſimum effluit: graviſſimum quodque turbidumque ſubſidit: ita in doctrina pura, quod eſt primum atque antiquiſſimum, id optimum eſſe: quod exhaurire, qui ſapimus, potius debeamus: quam ut ad fecem ac vappam nos recentium ac futilium opinionum reſervemus. Sed haec tu, etiam tacentibus nobis, pro ſummo ingenio tuo, proque ſingulari pietate, recte dijudicaſti. Ad litteras noſtras Myletianas ut redeamus: ita eſt, praeſtantiſſime Lipſi, quemadmodum *Myleto* ſcripſimus; nihil nobis magis in votis & optatis eſſe: quam te, vel tui ſimilem aliquem: cui tamen profecto pares paucos novimus, apud nos in familiari noſtra conſuetudine habere; qua re nihil poſſet nobis vel gratius vel exoptatius accidere. Quia vero cum ex tuis litteris; tum ex aliorum etiam ſermonibus intelligimus, rationes tuas haud ferre, ut de his tam diſſitis locis cogites; abunde nobis voluntas tua ſufficit; quam effecti loco habebimus: ſi non gravaberis nos litteris ſaltem tuis de ſtatu rerum tuarum, deque ſtudiis tuis nonnunquam certiores reddere. Quod ut facias: & nos ames: majorem in modum abs te contendimus. Sane cum Cancellarius noſter *Johannes Matthaeus Wackherius* effigiem nobis tuam aeneis formis excuſam oſtenderit: quam tu librorum tuorum monumentis longe felicius expreſſiſti; facere non potuimus: quin noſtri quoque vultus ſpeciem tibi mitteremus: ut cujus animum erga te longe benevolentiſſimum ex his ac ſuperioribus litteris perſpexiſti: ejuſdem etiam corporis aliquam poſſes, cum luberet, adumbrationem intueri. Bene vale. Nyſſa. exeunte Sextili A°. 1592.

Reſponſio eſt ad Lipſ. Cent. ad Germ. VIII.

EPISTOLA DXCVI.

[1] PETRUS WITTENDELLIUS

J. Lipſio S.

Leodicum.

NUnquam feriari a meo officio mihi ſumma curatio eſt. Merito abiturienti ita amico Francofurtum ad Moenum ſtrictim debita verba credidi: quibus binas a te *Mercurialem* noſtrum ejuſdem tenoris, me unas: alteras, tua ma-

1 Vide ſupra Epiſt. CCLVIII.

manu, prid. Kal. Auguſt. poſtremas alterius, nuper accepiſſe, intelligas. Utrique equidem immane quantum Gratiae tuae gratae, doctaque prudenſque Minerva. Perplacuit vero *Mercuriali* cum filum ſcriptionis limatum politumque; tum verborum ſtillans auro excuſatio. haec vero minus: quia cauſa vere ſontica reſpondebit accepto reſponſo Roma. Nos jam paramus abitum, manſionemque aput Magnum Ducem Etruriae; *Mercurialis* commodo non minori quam honore maxumo hic hyeme Piſae leget: aeſtate Florentiae manebit, ſalubritatis cauſa aedes illi deſtinatae. habebit mille ſeptingentos coronatos annuos. tria millia prius quam hinc ſe moveat, quam ſummam σιγῇ annuo ſtipendio detrahet. Interea ſi moritur (quod Deus avertat) haeredem nihil reſtituere, lex. Eſt illi in manu, familiam ſupellectilemque omnium transferre aere Mag. Ducis. Filius Equitis inſignibus illuſtrabitur: honorificentiſſima vocatio eſt, quae mihi calcar ad alte aedita Apollinis Mercurialis &c. diuturnioriſque aput hunc morae cauſa. Redeo nunc ad litteras tuas. Miſi *Mercuriali* Forolivium (quae patria illius eſt, ubi receſſit paululum res ſuas componendi gratia) exemplar tuarum, quas ad me; quia in fronte honorifice de eo, non ſine venere, gratiiſque tuis. Non levem vero curam mihi peperit infirma valetudo tua, quia tuum, qua publicum vulnus, atra illa bilis βαρεῖα, quae cum aetate accreſcit, & rarenter eradicatur, μέλαινα γὰρ χολὴ (cum Hippocrate loquar) τῶ ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων χυμῶν γλισχρότατον, καὶ τὰς ἕδρας χρονιωτάτας πεποίηται. ferendum tamen eſt, quod fors fert, aequo animo. οὐ γὰρ θεμὶς ζῆν πλὴν θεοῖς ἄνευ κακῶν. Atque recte ille, σκηνὴ πᾶς ὁ βίος, καὶ παίγνιον ἢ μάθε παίζειν — τὴν σπουδὴν μεταθείς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας. Sed vide ſodes quam συμπάσχω? qui γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. *Acidalio* legi, quae de illo libaſti. Immortalis gratiae inſtar habet. Finis litterarum tuarum infoelix, augurium nimis. gaudeo & gratulor te illud fulmen caviſſe. Noſtris abunde ſatis eſſe debet, tibi Jovi, ut ne dicam ἀμαλθείης κέρατι, olim clara ſua placuiſſe. Scripſit mihi Dominus *Huernius* Academiam Lugdunenſem pulcre herbeſcere, & jam *Cluſium* & *Scaligerum* vocaſſe. hortum parare Medicum & theatrum Anatomicum. Graecam etiam litteraturam adeo increbuiſſe, ut fere graece jam loquantur, ſtudioſos integras tragoedias quinque ſerie continua peregiſſe, & plauſu ſane dignas. Ego vero *Cluſium* unquam venturum deſperaverim, *Scaligerum* ne deliberaturum quidem crediderim. Interea gaudeo ſpectatiſſimos viros placere etiam, Batavorumque ſtudium tam foelice alite uti. Sed ne prolixiori ſermone ad faſtidium uſque irrumpam, filum abrumpam, & telam hanc pertexam, mei officii ratio ut poſtulat. Itaque extremum illud te obſecro, attemperate, valetudinis tuae certiorem facias. Deumque ſupplex precor, ut te diu jactatum his fluctibus marique infirmitatis tandem in tranquillum recipiat, nobiſque reddat. Bononiae ipſis Kal. Sept. CIↃ. IↃ. XCII. agnoſce ſodes affectum, cultum feſtinationemque; ignoſceque vacillantibus pedibus prae illa, & infantiae ingeniui mei.

EPISTOLA DXCVII.

J. LIPSIUS

Hieronymo Berchemio JCto & Canonico.

Ipras.

MEmor es mei? ecce ego tui, & curam hanc inter primas habui, ut ad te ſcriberem, ſimul in veterem meam ſedem (ea Lovanium eſt) veniſſem. Deſeruimus loca, Religioni & Regi non amica, in quibus diutius haeſimus, quam pro opinione, aut voluntate. ſed valetudo, & itinera undique infeſta me tenuerunt; tum etiam Batavi, a quibus, niſi per fraudem, me non divelli. Dare me coepi ſerio ad ſtudia vetera, de quibus uberius, cum a te litterae erunt, indices priſcae voluntatis. De qua tamen nefas mihi ambigere. Lovan. III. Id. Sept. 1592.

Parum mihi de hoc *Berchemio*, viro, ut videtur, doctiſſimo conſtat. mentio ejus facta ſupra Ep. CI. & CII. unde in aula Ducis Juliacenſis verſatum diſcimus. Aquenſem fuiſſe, & perluſtratis praecipuis Italiae, Siciliae, Germaniae, Galliae Celticae & Belgicae Academiis, atque in amoeniſſimis Sophiae hortis perpetuo verſatum, & mortuum fuiſſe Kal. April 1597. ſcribit *Janus Gruterus* Chron. Eccleſ. Tom. II. pag. 1206. mortem ejus etiam memorat *Lipſius* ſupra Ep. CCLXXXII. & ſimul inſigni elogio ejus memoriam exornat. ſcriptae ſunt ad eum quoque Epiſtolae Centuriae I. Miſcell. 21. I Cent ad Belg. 21. & II. Cent. 26.

EPISTOLA DXCVIII.

HIERONYMUS BERCHEMIUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

GRatum mihi fuit legere in epiſtola tua, & ex ſermone *Gravii* audire te Lovanii ſedem vitae ac ſtudiorum iterum collocaſſe; neque ſane poteras loco commodiore. Optime vero factum, quod ab illa gente tandem tandem in portum ſalutis te recepiſti. nam ut mortales ſub ictu vivimus, quid ſi ſubita mors in illis contantem oppreſſiſſet? Audieram quidem de diſceſſu tuo, jam tunc, cum vix pedem ex navi in Germanico ſolo poſuiſti, quanquam hoc futurum eſſe, diu ante, & maxime poſt editum librum tuum de una religione, animus mihi praeſagiebat. Sed conſulto feci tamen, ut ante vel certius aliquid de te cognoſcerem (quod audieram quam magnis pollicitationibus, a quam multis ac quam magnis principibus, ambireris) vel ut ipſe in conſpectum tuum prodirem. Itaque opportune litterae mihi tuae redditae ſunt, veteris tui erga me licet immerentem, & humanitatis & veri candoris indices. Atque utinam Deus det, quod jamdiu meditor, ut coram te brevi complectar, & erit id fortaſſe circa veris principia. Quod de ſtudiis tuis innuis, non explicas, jam diu omnes Lipſianum aliquid cupidiſſime exſpectamus, &

Gra-

Gravius neſcio quid ſpei mihi fecit commentarii novi de Cruce, qui utinam vel proximis nundinis appareat. Pluſculum autem tibi vel ex conſtantia tua conſtantiae eſſe debet & roboris, quam ut ad exemplum *Scaligeri*, circumlatrantium iſtas virtutes tuas livore & miſera invidia a juvando publico deterrearis, ut nuper legi *Fabri* in nomen tuum incurſiunculas. Equidem confido plus apud te valitura ſtudioſorum ac veri vere amantium vota, quam iſtorum inanes ſtili, ut a te vocantur, punctiunculas. diſſentire in omni genere ſtudiorum debet eſſe liberum, abſit modo invidia ac malevolentia. Weſtphali illius ſcriptum, cujus confutationem *Gravius* mihi exhibuit, meo quidem judicio, nec vocem tibi debet exprimere: tametſi vero acerbum & univerſum, ut ipſe ſcribis, ad invidiam pariter & infamiam compoſitum: nam qui finis, aut quod praemium, ſi in hoc certamen cum talibus tibi cenſes eſſe deſcendendum. Altior es, quam ut haec nubila ad te pertingant: contemti ſilebunt; ſed haec alias. De obitu *Victoris Giſelini* noſtri ſcio te ſcire: is moriens *Lernutio* omnes ſcidas ſuas reliquit, quae Vinoxbergae in aedibus apothecarii hominis, qui unicus in illo oppido, cuſtodiuntur. Igitur cum *Gravius* mihi dixiſſet, *Lernutium* poſt triennii carcerem tandem ad ſuos rediiſſe. velim te hoc illi per occaſionem ſignificare. Ejuſdem Plinium quidam familiaris meus, nimis quidem familiariter mihi praeripuit, abuſus apud emtorem nominis mei praetextu, quem *Victor* totum manu ſua conſcribillarat. Nam ex epiſtolis tuis habeo, te illi caſtigandi Plinii auctorem ſemper fuiſſe: *Dalecampius* enim, ut equidem exiſtimo, opinionem non implet. ſed erunt fortaſſe multa in ſcidis illis, quas dixi, & ſanidibus pleniora. Nam ad Plinium id tantum videtur annotaſſe (praeter varias lectiones, quas interdum ex M.S. codice in librum ſuum tranſtulit) ſi quid vel ex Dioſcoride, vel Theophraſto, vel Ariſtotele & ſimilibus auctor tranſcripſit, & alicubi cum nota, ſi vel liberius, vel non ex vero hoc fecit. Codices *Victoris* M.S. omnes ego redemi. in quibus ſi qui prodeſſe ſtudiis tuis poterunt, faxo, ut etiam univerſi ad te perferantur. quanquam exiſtimo te meliores his habere. Auctores vero claſſici ſunt, Virgilius, Ovidius, Horatius, Terentius, Valerius Maximus, & quidam libri Ciceronis, Victorinus, Priſcianus. Illud peſſime me habet, quod virum optimum neſcivi in tam propinquo loco habitare, niſi poſtquam mortuus eſt. Mortuus autem eſt prorſus convenienter nomini ſuo. at ſcis quomodo? ſub noctem ab amici colloquio domum regreſſus, mox paſtorem accerſit, & uxori contanti reſpondet, ſic facto opus eſſe: nam mortem ſibi imminere. A paſtore Deo reconciliatus litteras ad matrem ſua manu exarat, eique uxorem ſuam, tanquam jam viduam, ſtudioſe commendat. Tum ad bibliothecam convertitur, ut amicis libros aliquot divideret, cum, ecce, viro mors cita, viro, & vere viro manum injicit. Igitur propere ad lectulum reducitur, ubi dum alternis Pſalmum quinquageſimum cum uxore, & quidem ab ipſo juſſa, recitat, etiam ante paſtoris, qui iterum vocatus fuerat, celerem licet regreſſum, in haec verba *Domine miſerere*, defecit. Vide, quam conſtanter, & an non haec ἐυθανασία, quam tu probas? Illius uxor nunc alteri

 nupta,

nupta, preces ad Deum horarias a defuncto, in hoc ut ederentur, accurat ſcriptas, ſic premit, ut inſpicienti copiam nemini faciat; cupidine pretii, quod magnum poſcit. Ita fortaſſis illae lucem non aſpicient. Ut neque diſſimili fato, quanquam diſſimili ex cauſſa *Jani Guilelmii* lucubrationes in omnes Ciceronis orationes vix unquam edentur, de quibus ipſemet Lutetia ad me ſcripſerat, commentarium illum non nudas emendationes habiturum, ſed graviſſimorum locorum novas & graves explicationes, & cum hoc epigrammata ad trecenta ex Α'νθολογιῶν libro ab ipſo converſa. Audio *Meliſſum* omnia illius ſcripta a moriente ſibi credita non optima fide ſervare, dicam, an premere. Profecto mihi videtur humanitas ac probitas a Doctorum iſta gente potiſſimum exſulare. Vale, eruditiſſime Lipſi, & ignoſce loquacitati verboſae epiſtolae meae. De republica nihil hîc erat novi. Ypris VII. Id. Octob. 1592.

EPISTOLA DXCIX.

HIERONYMUS BERCHEMIUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

CLariſſime Lipſi. jucundum mihi nuper fuit, poſt tot annorum curriculum reviſere Grudios meos. at longe jucundiſſimum, tua ſuaviſſima conſuetudine interim frui, & humanitatem & benevolentiam experiri. quae, ita me Deus bene amet, inexſpectata mihi fuit, quia tam profuſa. Ego igitur viciſſim, ut vel in parte mutuum in te amorem meum teſtatum tibi faciam, mitto tibi parvum noſtri mnemoſynon, lapidem, inquam, auro a me incluſum, ſed, ut vides uſtulatum, &, quod ſcio, ſacrilega & impia manu ex templo quodam Galliarum, in primis bellorum motibus olim dereptum, cujus imaginem, a me non intellectam, ſi capis, mihi exponas velim. nam nimis eſt abſurdum, quod *Nicolaus Stopius* Venetiis mihi reſpondit, Venerem eſſe in balneo. Addidi nummum aureum, ex illo loco, in quem te cupio commigrare, atque ut ejus inſcriptio quoque argumentum ſit benevolentiae erga te noſtrae, quia penitus ex animo, ſi quis alius, ego *Ben ti voglio.* Quod diſcedenti mandaveras, ut *Oudarti* noſtri ſententiam de conſilio tuo exquirerem, per litteras feci, quia Bruxellis aberat, & oſtendi propoſitum tuum prorſus mihi placere, & tamen adhuc ἐπέχειν, periculumque mihi videri, ne magnatum quorumdam ſuaſionibus & auctoritati poſtremo cedas, vel potius ſuccumbas, neu putes pluſculum dandum eſſe famae, mihi tamen amore tui & Reipub. ſententiam meam conſtare. Narrationem de *Montani* obitu, pueri manu, quod valde te rogo, ad me mitte. Nihil enim in hiſtoria tam me delectat, quam magnorum hominum caſus & obitus, & qua conſtantia mortalitatem exuerint, velut in tabula pictos intueri. atque hoc magis, quod haec aetas mea, nunc ingraveſcens ac fini propior, me monet talibus exemplis animum firmare. De *Montani* vero exceſſu hoc curioſius quaero, quod extra ingenium vi-

ri.

ri & judicium, quae tuo judicio ſumma in illo fuere, pleroſque naturae defectus & veluti imperfectiones, quas ipſe palam agnoſcit, in mea ſimiliter experior, ut geminum me illius poſſis dicere, ſeu verius ex ſolido Platone, totum gibbum referre. Huic ſcripto velim adjicias Petronium *Douzae*, quem perlectum tibi remittam: nam *Moretus* eum non habet. Vale, Clariſſime Lipſi, & uxorem a me ſaluta, & una adoleſcentem illum doctum & elegantis ingenii, qui apud te in prandio, cujus nomen mihi excidit. Sed an verum, quod de aggeribus vi maris in Batavia perruptis, ſermonibus hîc increbreſcit, & nunc pacem eos non aſpernari? utinam, utinam id verum. Ypris 22. Aprilis 1595.

EPISTOLA DC.

J. LIPSIUS

Hieronymo Berchemio S. D.

Ypras.

EPiſtolam ad me miſiſti, verbis & rebus peramicam. Quis tu es, mi Berchemi? amore & affectu qui ſoles, animo & magnificentia inter dynaſtas. Amo te carum caput, qui me ſic amas; qui muneribus etiam afficis, & quod in te eſt, ditas. Utinam ſic veri iſti dynaſtae! non mea Hercules cauſſa, qui nunquam minus haec, quam nunc curavi, ſed publica, & ut calcar ac praemium ſit in oculis juventuti ad bonas artes. Sed olim, ſi meminiſti, queri de temporibus ſolemus: ſi tunc juſte, quid nunc dicam? Non ſpernuntur bona tantum, ſed pelluntur, & odium eſt occultum in honeſtos & honeſta. O fructum innovationum, & religionis recentatae! Per quam avaritia, rapinae, ſcelera, impietas, ferocia, denique & barbaries invecta in noſtrum orbem. Sed fuerint, & abibunt, ut vaticinor: & quanquam lente, una cum novo iſto imperio virtus & humanitas reſurgent. Sed ut proprie ad tuam epiſtolam, munus anuli accepi, pulchri, veteris: cujus ſculptura tamen mihi obſcuri ſenſus. Balnei rem non eſſe tecum ſentio: columna, & hydria illa effuſa, quid ſibi volunt? cogitabimus. Ego vero vel ſignatorio illo anulo deinceps uti volo, in tui gratiam & memoriam: qui ut te jam olim, ſic hoc a te acriter amo. Addidiſti nummum aetatis avitae, Bononienſis Archontis *Bentivoli*: idque eo, ut ſcribis, quia in hunc locum maxime nunc vocabar. Vocabar, mi Berchemi, ſed renui, dolentibus ipſis, & litteras habeo non querulas ſolum, ſed expoſtulantes. Quid dicam, niſi Deum eſſe, qui nos & noſtra gubernat? ſemper utiliter, ſaepe obſcuris tamen & in ſpecie diverſis cauſſis. Omnia ſi conſulam & inſpiciam, ratio ſit illuc ire: & video te non nolle. ſed retinet neſcio quis aſpectus regis ac patriae, atque uno verbo, arctius meum fatum. Non licet mihi, in luce illa hominum, dotes proferre oris aut ſtili, ſi quas Deus dedit; & redigor atque includor in anguſtiorem hunc gyrum: fui Bruxellae jamnunc, egi cum Proceribus, & amicis: illi non dimittunt,

& hi retinent, ſed quidam lingua magis quam mente, quod ipſe animadverti. Quicunque ſerio mihi bene volunt, illuc ire vellent, etſi disjungi a me tamen amor nolit. Sed obſervavi, & vultus mihi ſtare viſus & dicere contra verba. Heu intricatum negotium! & mihi praeſertim, cui non omnia tam libera ſunt, quia fuimus apud eos, qui in nimia libertate. Una etiam haec res eſt, quae ſcripta noſtra aut ingenium premit, ad meliora fortaſſe aptum & natum: ſi eliciens aliqua eſſet & favens, non haec adſtringens & coërcens, aura. Sed praeſes ille ſtudiorum, & noſtri, viderit: lucebimus, non lucebimus, ut ille in loco aut tempore judicabit. Neſcio an fallar, ſed ſemel tibi aperiam hunc meum ſenſum. puto digitum aut calamum me non movere, ſine inſpectione, imo directione illa Genii cujuſpiam mei adſtantis. Si in nomine erro, parum eſt: divina in tenebris: ſed intelligo vim & numen aliquod ſupra nos, quod apud nos curat & regit. In aliis rebus, clarum: ſed magis publicis, quorum pars etiam aliqua ſcriptiones iſtae aut aliae ſunt, quae a perenni illo numine habent aliquid perenne. Homerus magnus Sapientiae ſacerdos, hoc pulchre & vere de poëtis:

—— —— οὔ νύ τ' ἀοιδοὶ
Αἴτιοι, ἀλλά ποθι Ζεὺς αἴτιος, ὅστε δίδωσιν
Ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.

Ille de poëtis, de omnibus nobis ſi idem cenſes, mecum cenſes. Quam multa parata mihi jam olim ad editionem, nec eduntur? *Thraſeas*, & de *Inſtitutione*, & quaedam *Ethica*: quis retinet? ille, cujus velle nos vult velle, & idem nolle ac ceſſare. Jam ceſſo, & ſcribere deſino, ſed te, mi Berchemi, aeternum amare pergo. Petronium *Douzae* hîc habes, & otioſe lege, aut potius tibi ſerva. Lovanii xv. Kal. Jun. ∞. IↃ. XCV.

EPISTOLA DCI.

J. LIPSIUS

Hieronymo Berchemio JCto S. D.

Ypras.

NOn potui ad Antiſtitem veſtrum ſcribere, quin una ad te, veterem & fidum meum amicum. Et ah, quoties te hîc deſidero? ſolebas inſidere hunc locum, & (memini) te delectabat: cur nunc aut non vis, aut non licet? Certe viveremus inter nos, ambulando, convivando, fabulando. Nam ego hîc ſolus, ſi noſtrarum artium homines inſpicis; qui & in Belgica tota rari, & neſcio quo loci genio, Lovanii olim & nunc non increbeſcunt. Etſi ad artes, quae quaeſtum inſcribunt, magnus concurſus eſt: noſtra Schola habet auditores quidem, ſed vereor ut tantum, & pauci inter eos ſint ἐπιστάμενοι, imo & προκόπτοντες pauci. ſed quid ad me? qui duco & doceo qua poſſum. Ipſi poenitebunt fortaſſe non obſequentes. ſed heus. Ciceronis locus eſt, quem explorari a te velim, iſte. Oratione de Aruſpicum reſponſis cap. VIII. *P. Valerio,*

rio, pro maximis in remp. beneficiis, data domus eſt in villa publica: at mihi in Palatio reſtituta: illi locus, at mihi etiam parietes atque tectum. Itane *in villa publica?* atqui in ima Velia fuit, regione Palatii, ut ſcriptores conſenſu volunt, non ſane in campo Martio, ubi publica haec villa. Quomodo etiam *in villa*, id eſt domus in domo? nec enim aliud villa ea fuit, quam aedificium grandius excipiendis legatis, & aliis uſibus talibus deſtinatum. vidit *Octavius Pantagathus* (laudabilis memoriae ſenex,) legebatque *in vico publico.* At Antonius Auguſtinus, *in via ſacra.* Neuter meo animo recte, & ſcripſerim, [1] *in Velia, publica*, ſive placet, *publice:* domus, inquit, publice data eſt Valerio in Velia. nonne hiſtoriae ita dicunt? Livius II. 7. *Confeſtim materia omnis delata infra Veliam, & ubi nunc Vicepotae eſt domus, in infimo clivo aedificata.* ſic enim locum Livii [2] jam olim reſtituimus: cum male *vicus publicus* legeretur. Idque ex Plutarcho tunc affirmabamus. At nunc etiam Varronis locus accedat, qui & Livianam, ſed & Tullianam correctionem nobis probet. Is apud Aſconium ita citatur. *Varro tradit, P. Valerio Voleſi filio Poplicolae aedes publicas ſub Velia, ubi nunc Victoriae aedes eſt, populum ex lege, quam ipſi dixerat, conceſſiſſe:* (puto etiam *ea lege*) & viden' hîc primum pro Tullio ſub Velia domum eam fuiſſe? Erat enim antea in ſumma Velia, nunc delata materies in imam, & ibi publico ſumtu exſtructa. locus igitur publice datus primum, ſed & impenſae ad opus. Ideo Varro dixit *aedes publicas* datas, & Cicero *domum publicam* eo ſenſu, quem ipſe oſtendit. Sed quod in Varrone amplius eſt, *ubi nunc aedes Victoriae*, plane eſt aedes illa Liviana *Vicae Potae.* Nam ſic antiquitus dicta haec diva, a *vincendo* & *potis*, quoniam illud prius *vico* efferebant ſine *N* ut *Pago.* Sic in Iſidoro ſcriptum, *Viciam antiquis dictam, quae nunc victoria.* Vellem ſcribi *Vicam*, quaſi *Vincam:* ut eſt in Livio & Plutarcho. An autem & Varronis ille locus recte habet? ſi ipſis Varronis verbis relatus; non recte: ſcripſit enim, ubi nunc eſt *Vicae Potae aedes.* ſin autem Aſconius immutavit, eſto. nihil ego muto. ſed conſtat igitur *Vicam Potam* Victoriam eſſe. Haec mi Berchemi, hodie mihi meditata, atque adeo judicii cauſſa ad te miſſa. Vale. Lovanii III. Idus April. CIↃIↃXCVI.

1 Emendavit ita & *Philip. Ruben.* I. Elect. 7. quid dicemus? an Lipſio haec ſublegit Diſcipulus & Contubernalis ejus *Rubenius?* nollem factum. utile tamen eſt prodi Epiſtolas, quae plagiarios nobis demonſtrant. poſt mortem enim Lipſii biennio fere ſua edidit *Rubenius.* probabilem etiam *Rubenii* plagii ſuſpicionem facit alterum ejus facinus in loco Hirtii de Bell. Alexandr. cap. 70. quem emendat lib. I. Elect. 32. atqui repperi fragmentum epiſtolae inter Lipſianas, ſine nomine ejus, ad quem data, in haec verba.

Arriſit mihi conjectura his diebus, an vana, an anceps? tamen acuta, & dicenda. In commentario Hirtii de Bell. Alex. *Nam neque interfectis amiſſam vitam, neque exſectis virilitatem reſtituere poſſe, quod quidem ſupplicium gravius morte Cives Romani ſubiſſent.* Caeſaris ſermo eſt, quo Pharnacis ſaevitiam in cives Romanos juſte queritur & adauget. ſed illud *amiſſam vitam*, ſuperfluum alterum verbum habet: nemo negaverit. & ſatis omnino. *interfectis vitam reſtituere.* Imo inepte dici ego affirmo. an igitur, *interfectis Amiſi vitam?* valde convenerit & pro vero eſt. nam Appianus de hoc facto? (Latina modo verba ponam) *Amiſum urbem in Ponto, ad Romanos inclinatam cepit, & in ſervitutem Cives redegit, & eorum liberos omnes exſecuit & vita privavit.* Eſt igitur ibi modo hoc factum. & cur non locum Hirtius expreſſurus? vide & judica. Haec Lipſius. tenetur ergo furti & ibi *Rubenius* manifeſti.

2 Lib. II. Epiſtol. Quaeſtion. Cap. II.

EPI-

EPISTOLA DCII.

JACOBUS SIRMONDUS

J. Lipſio S.

Lovanium.

FRaus fuit? an tua vere manus, Juſte Lipſi, quae in meas nuper ad me venit? ſed tua eſt profecto. quis enim has lineas ducat praeter Apellem? aut quis, abſque te foret, ita ſtilum hunc tractet amoris & benevolentiae? o vir humaniſſime, infra ſortem tuam agis, ſupra noſtram. nam quis ego ſum; qui teſſeram faciam cum Lipſio? Equidem optaram ſemper. ſed genii conſcius ſpem repreſſi hactenus; nunquam animum; qui ad te, & in te rectus, ex quo te novit. vis argumentum? libros tuos, qui mihi pararii & illices amoris hujus, vel hac cauſſa legi libentius. amicos ipſos, quos ſciebam addictiores tibi, tametſi alio nexu vinctos, amabam valde; tui aſpectu & ſtudio amavi magis. Deerat voti caput, ut in chorum ipſum admitteres. nunc admittis, & quidem ultro, ſine admiſſionali. advocas ipſe in collegium: timidoque candidato praetextam induis, quam prenſabat. & amorem hunc ſcilicet an probem, rogas? Etiam, etiam, mi Lipſi, quantus, quantus ſum amplector. & niſi me amor ipſe fallit, faciam ut probatum ſentias. Da quaeſo hanc gratiam, ut per te poſſim; libeatque fidem capere ex obſequio. quod quidem non tam defero, quam praemii vicem a te peto. ἁπλῶς dicam, ὥσπερ δίκαιον πρὸς φίλους οἴγειν στόμα. Innue, dic, impera. praemium erit, Lipſio partes. Vale. nec enim plura huic Epiſtolae, quam totam volo τῶν ἀσπασμῶν. caetera qua de te, qua de ſe, *Bencius* noſter. Iterum vale, & nos mutuis votis adjuva. ab urbe Idib. Octob. CIↃ.IↃ.XCII.

Reſponſio eſt ad Cent. ad Italos Epiſt. III.

EPISTOLA DCIII.

J. LIPSIUS

Regnero Ingelio, JCto.

Amſtelodamum.

QUod de fama mea ſolicitus es, mi Regnere, & quae ad eam pertinere cenſes, ſignificas; bonam tibi gratiam debeo & habeo, nec aliter cenſe. Debes primum ut Chriſtianus, & eorumdem ſacrorum: debes etiam ut diſcipulus, quem olim te fuiſſe nobis puto. Ergo in optimam ego hoc partem accipio: utinam omnes noſtra facta! locum mutavimus: quo fine? ſolo illo pietatis & religionis: quia cetera, ut ſcis, prolixa mihi illic, & benigna. Deo teſte hoc dicam, ſi priſca & pura ſacra, etiam nunc apud vos eſſem. Amo enim (non diſſimulo) indolem & ingenia veſtra, modeſta, quieta,

a

a vanitatibus amota: niſi exteri, aut commercia, ſed & religio corrumpant. Nam haec nova, nova gignit: videmus, & dolemus. Mite & pacificum illud veſtrum abiit, & eo ventum, ut nec juſtis legibus nec domino parere velitis juſto. Pax offertur: reſpuitis, imo nec auditis. Sed ab iſtis abeo: de me hoc habe, ſerio quod ago agere, & res ipſa clamat. Qui verbis diffitentur aut ſe opponunt, ſuadere aliis volunt, quod nondum ſibi. Aemuli aut improbi homines non me movent: te, Deus, ſpecto, tu mihi & pectori iſti judex. Quod autem ſum, etiam verbis palam, ſcriptiſque profiteor: ut in libellis de *Cruce* videbis. [1] *Politica* etiam reformavimus, ſed ex judicio primatum virorum, qui Romae. In iis *de ſimulatione* mitigatum aliquid, aut detractum: ſed leviter, quia revera hic orbis non regitur, niſi cum flexu aliquo ſententiarum, aut velo. [2] *Henricum Laurentium* jamdiu amo, & in pectore iſto geſto. a me ſalutabis. Vale, mi Regnere, & litteras meas litteras eſſe cenſe, id eſt tui unius. Lovanii. poſtr. Idus Novemb. ∞.IↃ.XCIII.

1 Vid. ad Epiſt. LXXIII.

2 Intelligit *H. L. Spiegelium* Amſtelodamenſem, ſapientiae & Poëſeos ſtudioſiſſimum, cujus memoriam edito Poëmate ejus Belgico *Hertſpiegel* inſcripto, & aliis opuſculis, renovavit nuper *P. Vlamingius*, Vir tam eruditionis elegantioris & Poëticae ſuavitate, quam amicitiae uſu mihi ſemper magni faciendus.

EPISTOLA DCIV.

JOH. LIVINEJUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

COmmunicavit mecum ſuperioribus aliquot diebus *Ortelius* noſter epiſtolae tuae partem, qua Senecae locum quendam inſpici, & tractari ſerio jubebas, meque hortabare, ut tua cauſa libere ſententiam dicerem. Agnovi illico, mi Lipſi, conſuetudinis illius olim noſtrae ſuſcitabulum, qua Lovanii ſolemus, tum pro morum nonnulla & ingeniorum ſimilitudine, tum etiam quod Propertiana lectione mirum in modum uterque caperemur, frequentes una eſſe. Pergamus nos vero, & intermiſſum, ſi videtur, officium (ut ſic dixerim) poſtliminio repetamus. Multae & graves cauſae, anni praecipites, iniqua & ἄμȣσα tempora, litterae fugientes, & quotusquiſque, cui ad hanc laudem vel animus, vel ingenium? Neque ego enimvero is ſum, qui, etſi non ſus Minervam, docere tamen Minervam velim; ſed quid vetat καὶ κηπωρὸν εἰπέντι καίριον? Experior certe quidem, & humanitate tua fretus, veniam (quod dicitur) in rem praeſentem, Igitur verſus ſunt [1] Maecenatiani, qui ejuſdem generis alterni, omnes recti & integri, ſi in ſecundo alterum *debilem* tollas, quod verſum corrumpit. Poſtremi duo proprii ſunt argumenti tui, quod habere te jampridem in manibus de *Moreto* noſtro cognovi. In quorum germana lectione e libris (ut ais) ſtatuenda ignoſce, ſi a te in alia omnia eo. Primum

 ſex

1 Apud Senecam Epiſt. CI.

lex carminis pugnat, qui primore ſede dactylum, ni fallor, non admittit. Deinde quid ita viſum tibi *ſuſtine* reſcribere pro *ſuſtineo?* de ſe enim id Maecenati dictum. Clarum e Seneca. Jam vero quem commodum ſenſum lectio tua ſpondeat nullus video. *Subdas* etiam legebatur, nimirum e Senecae ſequentibus verbis, *& acutam ſeſſuro* (ita emendate ſcribitur, non *ſenſuro*) *crucem ſubdas* &c. Tibi potius viſum *ſedeam*, prima perſona pro ſecunda ſubſtituta. Niſi error eſt *Ortelii* exſcriptoris, (non enim vidi autographam tuam) & a te exaratum *ſedeas*, quod ſenſus poſtulat. Atenim videſis mihi, & cenſe (ut me jubebas) libere, an non commodius illud, & minus anxium, quod olim ad mei libri oram annotavi ductus conjectura, *Hanc* (vitam) *mihi vel acutam Si das ſuſtineo crucem*, apertiſſima quidem certe ſententia, non recuſare ſe vel acutam crucem, ſi des vitam. De primoris ſedis, ut dicebam, pede, dubium non eſt quin ea ſpondaeum capiat non gravate. Exempla apud Catullum in Epithalamio in nuptias Juliae & Manlii plura obvium colligere. Conjecturam quidem meam Reverendiſſimo noſtro approbavi, & conſulenda editione Mureti, quae hactenus mihi non viſa, idem ei viro quod olim mihi probatum repperi, nec video cur ſolicitemus. De impalatione quoque, (quod ſecundo loco a te quaeſitum) quae Heſychio eſt σκόλοψις, ſuperiores verſus intelligi non poſſe, quis ἀξιοπιστότερος Seneca? qui *patibulum* clare nominat, & *pendere* addit. Praeterea ignotum & Graeciae, & toti Latio ſupplicium illud Barbarum, quod hodieque Turcas frequentare alicubi mihi lectum, & (ſi recordor) de Perſis apud Cteſiam. *Acutam* vero *crucem* a dolore dictam cur dilutum tibi viſum equidem nullus capio. Et profecto quî id minus probum, quam Horatianum illud, *Si latus, aut renes morbo tentantur acuto?* Poſtremo illa, *vulnus ſuum premere*, quae urges, haud eo traxerim quo tu videre, ſed ſimpliciter capiam & interpreter concoquere, & ſilentio premere. Habes quae ad quaeſita in epiſtola tibi pro tempore reſpondere potui. Quae ipſa cenſurae tuae judicio volens & lubens ſubjicio, eadem prorſus, qua me jubebas, libertate, gratumque erit, ſi intelligam haec te in meliorem partem accepiſſe. Vale, mi Lipſi. Antverpiae Prid. Natalis Dominici vertente anno XCII.

EPISTOLA DCV.

JOH. LIVINEUS

J. Lipſio.

Lovanium.

JAmpridem, mi Lipſi, reſponſum tibi debeo, & ſcripturum me brevi *Moreto* noſtro, hinc ad vos abeunti, promiſeram. Sed incidit mihi poſtridie moleſta, & aliena a Genio meo legatio Bruxellam, quae totum paene menſem me illic detinuit, atque ita poſſedit, ut vix unius horulae ſpatium daretur, quod mihi impenderem. Aberam a libris, &, quod invita Minerva factitabam, animi mentem ſtupefecerat. Ignoſces igitur, ſi tardius reſcripſi,

pſi, & haec ipſa non nimium accurate. De Dionis loco, aſſentior tibi, Graecum vocabulum *tenſam* interpretanti, & pro ὄχλον ſine dubio ὄχον reſcripſerim, non ὄχος, quod duntaxat poëticum eſt, & a proſa oratione alienum. Tibi pro ὄχλον, ὄχος ὅλον viſum melius. In quo tantiſper haerebo, & judicium ſuſpendam, dum incidam in locum, ubi ἅρμα ὅλον autori dictum, quod obſervas. Dubito, & non ſatis aſſequor, cur eo modo viſum autori *tenſam* circumſcribere. In Gloſſario vetere Henr. Stephani lego, *Thenſae* αρμαθεων, ſine accentu, ut ſolet in ſuſpectis, aut corruptis vocibus, ſed ſcribo audacter, ἅρμα θεῶν, & nemini dubium, quin ea vera *Tenſae* notio & ſignificatus: ἱερὸν ζεῦγος Graece redditur ab *Hadr. Junio* in Nomenclatore, e Plutarcho, ſi recte memini. Definitius (ut ſic dixerim) *Morelius* Commentario verborum Latinorum cum Graecis Galliciſque conjunctorum, (quod mihi opus jam olim eſt, cum vehementer placuit) ſuſpicatur id eſſe, (quod veteribus πομπεῖον, exponitque *tenſam*, ποιὸν ἢ ὄχημα πομπαῖς ἐπιτήδειον. Ὄχον dixiſſe autori ſatis viſum, cum praecedat de *Circo*, qui *tenſarum* locus. Voluerintque Juliani adulatores homini ambitioſiſſimo, uti Deo, locum inter Deorum vehicula, quae in Circum inferebantur, concedere. Neve dubites, quin ea corruptela ὄχλου pro ὄχου huic loco ſoli acciderit, in Etymologico lego, ἁρμαλιάς, ὄχλος ὁ σκευοφόρος, manifeſto errore pro ὄχος, ut bene eſt apud Varinum, & Heſychium. Recordor & locum quendam in Plutarcho olim ſic corrigere, ſed is hoc temporis non eſt ad manum, nec vacat quaerere. Expectabo igitur ſi quid fortaſſe afferes, quod ὄχον ὅλον ſtabiliat, & eum ipſum locum, de quo dicebam, tibi notatum. De *acuta cruce*, non exiſtimo ad eam notionem confugiendum, qua ὀξείας νόσους Medici vocant, quae celeres & cum diſcrimine praeſenti, neque eo Horatii verſum adduxeram, ſed in ſupplicio crucis id re vera eſſe mihi perſuadeo, quod appoſitione notatur, id eſt, acutiſſimum dolorem, & *acutam crucem* perpetuo quodam epitheto, ut Graeci appellant, rectiſſime dici. Haec habui quae ad quaeſita tuis literis reſponderem. Quae ut libere mihi ſcripta, ita libere viciſſim refutari & cenſeri aequiſſime feram. Vale, mi Lipſi, & aliquando a me judicium tuum ſuper Senecae Tragoedi aliquammultis verſibus expecta. nam nunc quidem urget tabellarius. Raptim Antverpia IV. Kal. Martii M.D.XCIII.

Reſponſio ad Lipſii epiſtolam, quam non repperi; ſed cum Cent. III. ad Belg. II. quae Novembri menſe hujus anni ſcripta, *Lipſius* nihil ſe reſponſi accepiſſe ſcribat de Dionis hoc loco, neſcio an ſimulaverit ſe accepiſſe has literas, an in nota temporis aliquid ſit turbatum. nam & ſeq. Epiſtola de Dionis loco agit; ut ignorare *Livinei* ſententiam Lipſius non potuerit.

EPISTOLA DCVI.

JOH. LIVINEUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

UTor, ut vides, mi Lipſi, conditionibus tuis, & enimvero meo commodo ſcribo. incidunt enim (mihi crede) in hoc vitae genere multa etiam invito, quae differre ſcriptionem cogant. Ingenii quoque nonnulla culpa eſt, in quo voluntatem laudes, negligentiam accuſes. Sed quid agam? Ita natus ſum, momenta ex momentis traho, & huic vitio meo ſtrenue ignoſco. Tu id excuſabis, ſcio, & in amicitiae noſtrae fiduciam conferes.

I. Dionem tuum nondum dimitto, & vide, obſecro, an aliquid dicam. Ἅρμα ὅλον erudito ſcriptori ſuſpicare in tenſa uſurpatum, quod ea clauſa & tecta ſuperne, eoque *currum arcuatum* a Livio dici. Fateor, & rem cedo. Docuerat id me nuper Latini Pacati e Panegyrico in Theodoſium locus, qui etſi non nimium proprie *tenſas* nominat, haud negaveris tamen eo ſpectaſſe, cum de Domitiano ait, ac ſimilibus monſtris, qui ſolitudinem & integumenta captarent, *Quin ſiquando in lucem venire, & diem ferre potuiſſent,* (*poſſent* ex arte dixiſſet) *Lecticis tenſiſque ſubvecti, & denſiſſima circum ſupraque coperti virorum armorumque teſtudine, ſenſim atque ad numerum movebantur.* En *Lecticis* ſcripſit, & *cooperti.* Sed age vero, currus ſuperne intecti non ὅλα & ὁλομερῆ ἅρματα? Ita eſt profecto, & ſi ὁλομέρειαν reſpicimus, nimis quam curta & anguſta ea tenſarum περίφραξις. Equidem ſane ἅρμα ὅλον juſtum & ſingularem (ut ſic dixerim) currum interpreter, quae in Circo legitima demum & juſta περίφραξις tenſae. nam ecce, dixerat Graecus honori Caeſaris conceſſum primum, ut eburnum ejus ſignum Circenſi pompa deferretur. Id ego ſcilicet ad fercula traho, quod genus pompae humeris virorum geri ſolitum. Addit decretum poſtea, ut tenſa ei quoque ageretur cum deorum ſimulacris. Nimirum ingens id honoris incrementum, & longe altero majus. Suetonio etiam in Julianis adulationibus *tenſae* & *ferculi Circenſi* pompa mentio cap. LXXVI, quod Dionis noſtri narrationi geminum eſt, ac, ni fallor, hinc Suetonius lucem accipere & mutuari debuit. *Leunclavius* (quod obiter addam) valde expectationem meam fruſtratus eſt, & ſuperioris Dioniae ſcripturae lib. XLIIII. ὄχλου pro ὄχου vitium non obſervavit. Scilicet homines ſumus, neque intenti in omnia ſemper.

II. Venio nunc ad Polybium tuum, (Di boni!) quem ſcriptorem? In limine offendimus & ipſi. qui ſunt enim οἱ δέκα οἱ λοιποὶ, e queis decem Tribuni, qui ad ſuperiores quatuor & decem adjuncti? Ita omnino Tribuni militares XXIIII. in quaternis exercitibus, ſi autorem capio. Tu eum nodum diſſolve. Sequitur de equitibus, ac peditibus. Quae complexionem novam inchoant, debuitque poſt λοιπῶν juſtum (ut loquimur) punctum deponi, non ſectio. Ac memini equidem duriore conditione meruiſſe peditem quam equitem, & emendanti:

danti tibi, τοὺς ἢ πεζοὺς εἴκοσι δεῖ στρατείας &c. aſſentior ſine dubio. Ait diligens ſcriptor equitem dena, peditem vicena ſtipendia debuiſſe intra ſextum & quadrageſimum aetatis annum. haec enim mihi verborum mens apparet. *Janum Laſcarim*, qui multo aliter ea convertit, (ut parciſſime dicam) fugit ratio. *Fulvio* etiam *Urſino* noſtro, pro ἐξ. οὖς de conjectura ἐξ οὗ reponenti, neſcio quid credam, niſi hîc plane illud verum, *Quandoque bonus dormitat Homerus.* non enim video vel leviſſime, quae ei ſententia conſpecta, aut concepta. Sed ita eſt, mi Lipſi, obſervatum mihi & alias Graeca homini, ceteroquin docto, & in primis diligenti, non optime cedere. Non omnia poſſumus omnes. Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε. Correctionem tuam juvant, aut magis ſtabiliunt quae ſequuntur, ἐὰν δέ ποτε καταπείγῃ τὰ τῆς περιστάσεως, ὀφείλουσιν οἱ πεζοὶ στρατεύειν εἴκοσι στρατείας ἐνιαυσίτας. Ecce aperte εἴκοσι. Sed hoc intereſt, quod ordinarie pedes vicena ſtipendia, at urgentibus periculis vicena annua debet.

III. Heſychium adii tua cauſa, & nullum dubium, quin vere caſtigatum tibi ἀνεσταυρῶσθαι, ac ſic eſt in Varino explicate. Sed obſerva ſis mihi principem ſcripturam, & librariorum compendia. Erat olim nimirum ἀνεσ͞τρωται, ut σ͞τρὸς, id eſt σταυρὸς, paſſim. Et hic adeo error frequens, *Roberto* ipſi *Stephano* in Juſtino Martyre, ut notare puer memini. In Heſychio tuo praecedit, Προσήλωσαν] προσέπηξαν, ἔτρωσαν. Scribe ab eodem compendio, ἐσ͞τρωσαν, id eſt ἐσταύρωσαν. Neve dubites in re explorata & omnium certiſſima, en iterum tibi Varinum, in quo lego, Προσήλωσαν] προσέπηξαν, ἔτρωσαν, ἐσταύρωσαν. Scilicet ſuo ſe indicio ſcriba prodit, & ἔστρωσαν praeceſſiſſe fatetur, non ἔτρωσαν. quod proculdubio nauci & nihili eſt.

IV. In Nazianzeni Chriſto patiente bene obſervas poſterioribus tuis parum diligentem eſſe numerorum autorem, neque id dubium ei, qui vel pagellam unam lectitarit, cum vitioſae, & exlegis licentiae exempla paſſim occurrant, ac paene quinto quoque verſu, atque etiam anguſtius. Tu accipe a me inſuper, non videri tragoediae parentem qui circumfertur, ſed ignobilem aliquem mediae aetatis Graeculum. Argumento eſt licentia, quam dicebam, quae non tam libera & effrenis in Nazianzeni germanis verſibus, (quanquam ne illi ipſi quidem nimium affabri, & extra reprehenſionem ſiti, quod ſine invidia dixerim) inepta ad haec totius operis οἰκονομία, & ſententiarum juxta ac rerum verborumque exilitas, verſus denique omnes, niſi qui mutuatitii, aut furtivi, fracti & elumbes, nec vel mediocri ingenio digni.

V. In *Venetis Fimbrianis* haeſi non ita pridem, cum aliud in Appiano quaerenti hic ſe forte fortuna locus offerret. Neque equidem rejecerim quod inventum tibi haud abs re, τῶν ὠνητῶν. nam profecto pauculos aliquot τῶν ἡγεμόνων, qui pecuniis corrupti, intelligit, quorum hoc conſilium, militem nominatim ciendum ad ſacramentum. Sed cui rei & uſui nominatim? Arbitror e vetere diſciplina, & praeſenti ſupplicio, ſi detractaret. Quod ipſum tamen Fimbriae elapſum in Nonio autor memorat. Nondum hanc Fimbrianam narrationem

 dimit-

dimitto, & vide an mox emendantem ſequare, ὐδὲ συνόδου διδομένης, καὶ τοῖς πολεμίοις ἐξισωθέντα, pro eo quod editum eſt, ἀξιωθέντα. Id eſt ad verbum, *Erat id primum aegre Fimbriae, nec datum congreſſum, & hoſtibus ſe exaequatum.* nam aliena & inſolens conſtructio, ut ἀξιοῦσθαι cum dandi caſu, non gignendi componat? Semel autem moneo valde depravatum ac mendis obſitum legi Appianum, niſi *Henricus* forte *Stephanus*, qui eum nuper recudit, medicinam attulit. Quod vix eſt ut mihi promittam, in Dione fruſtratus, quem una emiſit.

VI. Supereſt Herodianus e libro II, cui opem certam non adfero. Διαβολίας quidem, utcumque eis non abſurdiſſime ἀπὸ τῦ διαβάλλειν, id eſt a trajiciendo, origo repetatur, premo, & damno. Neque equidem negandum, quin ea primigenio illi notatio apud claſſicos autores, (nam ecce Euripidis e Rheſo haec ſunt verba, Πῶς δ' ἂν γεφύρας διαβαλοῦσ' ἱππηλάται; & Demetrius Comicus apud Athenaeum, Κἀκεῖθεν (inquit) εἰς τὴν Ἰταλίαν ἀνέμῳ νότῳ Διεβάλομεν τὸ πέλαγος εἰς Μεσαπίους.) ſed haud ſane ab eo ſignificatu pilo, aut cui cui, quod quidem vibretur, convenit. Itaque hoc primum, διαβολίας ſine provocatione damno, ut ajebam! διβολίας probarem ſi exemplum eſſet ad manum. nam δίβολον ἄκοντα, & δίβολον χλαῖναν, & ſi qua alia *talia*, rotunde dixeris, (quis neget in tam perſpicuis teſtimoniis?) at non idem mihi in διβολία judicium. Deinde quî minus gladios, aut pugiones, quam pila intentare miles potuit? At *Politiano* credimus, viro utraque lingua doctiſſimo. Sane quidem, & impudens ſit, qui hanc ejus laudem ſolicitet. Sed audi vero, id ipſum quaerimus, repereritne hoc vocabuli in exemplari ſuo, & hunc ei ſenſum dederit, an aliud ſcripta lectio ſubjecerit, quod explorate teneret. Enimvero pila γρόσφους Polybius vertit, alii aliter, διβολίας, opinor, nemo extra Herodianum. Itaque video, quid non ſatisfaciat, quid omnino & perſpicue ſequar non video. Additurus eram & cenſuram meam libere de *Politiani* Herodianea verſione, ſed parcam manibus. Atque haec habui, quae ad quaeſita tibi binis literis pro tempore & otio reſponderem. Nunc velim te viciſſim Latini Pacati locum quendam Panegyrici in Theodoſium mea cauſa tractare propius & inſpicere, quem ego autorem cum reliquis conjunctis haud ita pridem ad domeſticum exemplar deſcriptum manu, & annotamenta aliquot ſparſim toto opere Langiana ad Frobenianum codicem e veteri ſcriptione, plurifariam non infeliciter correxi, editione uſus Veneta apud Gryphios, cui procurator *Paulus Navius*. Locus hic eſt, cap. III. *Faciam ergo quod facere praeſtantes ſcientia medicos ſaepe vidi, altorum vulnerum cicatrices, poſtquam cutem ſanitate duxerunt, manu pendente tractabo, praeſentiſſe, & ſingulos univerſoſque rogitaſſe contentus an* &c. mihi hîc manum injicit *praeſentiſſe*, quod cum ipſum nihili eſt, tum ſuſpectum quod titubant codices. In domeſtico lego *perſentiaſſe*, in fragmentis Langianis *perſcrutaſſe*, utrumque parum ad Orbilii ſtomachum. Suſpicor eruendum aliquid ſecretioris verbi, & minus triti. Id eſſe conjicio, quamlibet illectum mihi & inſolens, *percenturiaſſe*. Favent quae proxime ſequuntur, & interpretamentum quoddam ſunt, meo animo, ab autore,

tore, ſingulos univerſosque rogitaſſe. Deinde quî minus feramus *percenturiare* quam *ſuccenturiare*? Poſtremo quantulam ab hoc domeſtica ſcriptura abeſt? Tu videbis. Sunt & alia quaedam inibi, de quibus fortaſſe alias. Abeo nunc ad Mamertini Genethliacum in Maximianum. In quo cap. II. haec conſidera, *Et certe virtutes, quibus ipſum ornatis Imperium, & ingenium veſtri procreavere natales.* In domeſtico eſt, *Imperium, genium veſtri* &c. propius ad verum. Quod eruebam clare ſub manu, *Et cert. virt., q. ipſ. orn. Imperium, gemini veſtri procr. natales.* Et occurrit commodum hac ipſa oratiuncula, quod omnino geminum eſt, *Gemini ergo natales pias vobis mentes, & Imperatorias tribuere fortunas* &c. Tu quid arbitrare? Sequitur mox, *ſiquidem vos Dis eſſe genitos & numinibus quidem veſtris* &c. *Nominibus* probem, levi, ſed explorata conjectura. nam Jovius uni, Herculius alteri nomen. Addit autor, *Quarum infatigabiles motus & impetus* &c. *ut nos ſemper auxilii veſtri caritate nuper ad libertatem piae conſtitutionis*, (In domeſtico eſt, *conqueſtionis*, egregie) *impleverit, cum itinera veſtra ipſi* (domeſticum, *ipſis*, bene & hoc) *hibernis* (domeſticum addit, *hoſtilis*) *diebus per vicina illa* &c. Locus difficilis, & in quo ungues demordeas. Sed vide ut me expedio, & cenſe. Lego igitur, *ut nos, ſemper anxios v. car., n. ad lib. piae conqueſtionis impulerit, cum itin. v. ipſis hibernis ſolſtitii diebus* &c. Quod *impulerit* commutavi pro *impleverit*, ſuaſit codicis noſtri ſcriptura Panegyrico ejuſdem Mamertini ad Maximianum & Diocletianum, in quo cum editum ſit, *neque enim cum reip. navem ſecundus a puppi flatus impleret* &c. in domeſtico illo noſtro eſt, *impelleret.* Cetera in emendatione noſtra clara, ut puto, & perſpicua. Tu interim vide, & vale, & cum alia alias, tum in Senecam Tragoedum, quod nuper ſum minatus, brevi aliquammulta expecta. XVII. Kal. April. M.D.XCIII.

EPISTOLA DCVII.

JOH. LIVINEUS

J. Lipſio.

Lovanium.

DEbeo tibi jampridem, mi Lipſi, ad tuam reſponſum, quam IIII. Kal. Mart. dediſti, & reddidit *Moretus* noſter. Sed ignoſce. Non habebam quod vehementer ad ea, quae de pilo quaerebas, dicerem, cum ad manum non eſſent nummi veteres, in quibus figura ejus clare expreſſa. Itaque quidquid adferrem, invita Minerva de re, ne nunc quidem optime mihi comperta, diſputaturus videbar. Quid hîc facerem? ſtrenue nugarer, ne quid ſcilicet putarer ignoraſſe? At non hi mihi mores, γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. & ingenue in quo claudicem agnoſco. Ajo igitur, non me capere quemadmodum utramque lectionem concilies ἑκατέρου & ἐκ θατέρου, putemque vel mea cauſa (addo etiam eorum, qui me imperitiores) explicari id in Analectis, quae attexere te operi de militia ſcribis, ad exemplum de Cruce libro-

brorum, & poſſe & debere. Habes breviter quid conſulam. In quo ipſo vereor ut ſus Minervam. Sed excuſabit me, ſpero, ingenuitas. De Prudentio quod ſcire aves, ante complures menſes dixerat mihi *Moretus* noſter, jamdiu eſſe cum deſiderarentur Giſeliniana exemplaria. Si quod prelum ceſſaret, ut aliquando ſcis fieri, velle ſe eum autorem recudere, gratumque fore quidquid hîc conferrem. Ea gratia coeperam codicem noſtrum ſcriptum, notae haud ſane vulgaris, cum edito componere. Reverendiſſimus quoque noſter, in amici gratiam quae ſuapte manu e tribus M. S. ad libri ſui oram notaverat, non invitus ſuppeditarat. Quae ipſa tamen haud magno mihi adjumento, quod, pauculis exceptis, omnia paene a *Giſelino* ante occupata. In eo ſtudio progreſſus uſque ad περὶ στεφᾶν. admoneor ab amicis ut Panegyriſtas prius extruderem, quos me ſcis moliri. Parui, & opus iterum a capite percurro, nactuſque exemplar ejuſdem editionis cum meo, ſtatui id primis diebus typographis & operis apparare. Neque hercule ab eo tamdiu abſtinuiſſem, niſi optaſſem videre in primis quae *Caſaubono* animadverſa. Quem ego virum merito magni facio, expertus tamen melius ei Graeca, quam Latina cedere. Juſſeram autem ſuperioribus nundinis exemplar mihi conquiri, ſed ecce pro theſauro carbones, quod dicitur. Allatae Plinii epiſtolae in 16°, ut vocant, ad quas Notae perbreves *Caſauboni*. In eodem opere Panegyriſtae, ſed ad exemplar Baſilienſe Rhenani expreſſi, additis etiam novis aliquot mendis, breviter οὐδὲν ὑγιὲς, quod cum bona *Henr. Stephani* pace dixerim. Memini vero ex te audire *Caſauboni* Notas ad Panegyriſtas apud te eſſe. Iis ſi carere potes, magno me beneficio obligabis, ſi prima occaſione ſubmittes; ſin minus, frontiſpicium mihi velim deſcribi, ut proximis his nundinis, quae prae manibus, curem certo afferri. nolim enim, niſi iis inſpectis, prodire noſtra. In Latino Pacato, quod alias memini ad te ſcribere, non longe ab initio, his verbis, *Altorum vulnerum cicatrices &c. praeſentiſſe* &c. diſſonant exemplaria. In Cuſpinianeo lego *perſentiſſe*, in vetere noſtro *perſentiaſſe*, in Langianis fragmentis *perſcrutaſſe*. Suſpicabar olim emendandum *percenturiaſſe*, ſine exemplo. Nunc ſententiam muto, & vix dubito quin germanum *per ſententias iſſe*. Fidejubebit Lampridius Alexandro Severo, *Neque ullam conſtitutionem ſacravit ſine viginti juriſpertis* &c. *& id quidem ita, ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur quid quiſque dixiſſet* &c. De eo loco ſic ſtatuo, te cenſere velim. In Appiani ὠνητοῖς, de quibus olim me conſulebas, quod timide tum probaveram, nunc nihil dubito quin vera ea lectio. nam aperte ejuſdem autoris pag. 170. vſ. 18. pro ἐνέτοὺς reſcribendum ὠνητοὺς in his verbis, κατηγόρους τε ἐνέτοὺς ἐπὶ τοῖς πλουσίοις ἐπήγοντο. id eſt, accuſatores ab ſe redemptos in locupletes ſubmittebant. Ipſum ὠνήσασθαι eo ſignificatu nuper in Pauſania offendi Laconicis pag. 84. edit. Francofort. apud Wechelum. Verba haec ſunt, Κλεομένης δ' ὡς ἀνέστρεψεν ἐξ Αἰγίνης, ἔπρασσεν ὅπως Δημάρατον παύσειε βασιλεύοντα, καὶ τήν τε ἐν Δελφοῖς πρόμαντιν ὠνήσατο Λακεδαιμονίοις αὐτὴν ὁπόσα αὐτὸς ἐδίδασκεν ἐς Δημάρατον χρῆσαι &c. In Fimbrianis quoque Mithridatico pag. 136. quod tamen emendabam ἐξισωθέντα pro

ἀξιω-

ἀξιωθέντα, damno. Deceperat me falſa diſtinctio. Clara ſententia; aegre in primis tuliſſe Fimbriam colloquium ſibi non permiſſum, quod ne hoſtibus quidem negaretur. Scribam igitur, & interpungam, οὐδὲ συνόδου, διδομένης καὶ τοῖς πολεμίοις, ἀξιωθέντα. Adeo, frater, ſaepe a noſtris ipſi judiciis diſcedimus. Tu vale φίλον ἐμοὶ καὶ λογιώτατον κάρα, & *Carrioni* noſtro a me plurimam ſalutem. Antverpiae v. Kal. April. xcv.

EPISTOLA DCVIII.

J. LIPSIUS

Joanni Livineo.

Antverpiam.

NIſi ipſum te in hac urbe noſtra, & in ore atque oculis exſpectaſſem, non tu tamdiu meum reſponſum. ſed ipſe [1] Antiſtes mihi ſcripſerat, ſe brevi huc venturum, quem cum Bruxellae eſſe audirem, indies equidem una tecum exſpectabam. ſed, ut video, nec tu cum illo quidem es, amans & cupidus, niſi fallor, tuae quietis, nec vagus peregrinari. Quod indicium tibi feceram de Panegyricis a *Caſaubono* editis atque emendatis; ita eſt, & vidiſſe te video; ſed vereor ut μήνυτρον mihi debeas, nec res eſt magna, ſunt illi ipſi, qui Epiſtolis Plinii ſubjunguntur, editi ab *H. Stephano* Anno xci. nuper. Itaque aliud non exſpecta, & te magis incita ad edendum, quae veriora & ſelecta habes. Ille vero (*Caſaubonum* dico) bene doctus eſt, & non e vulgo litteratorum: At ſocer ejus ([2] *Coronam* intelligo) non ſapit hilum, ut ait Lucretius. de militia abſolvimus, laborioſum magis, quam gratum, aut gratioſum opus. ſed haec quoque pervadenda fuerunt, & primus ille limes ad Hiſtorias muniendus. ſi res meae ferent, ego brevi Antverpiae. ſed non promitto; valetudo poteſt intercedere, quae *Carrionem* lecto adflixit, & hydrops eum habere dicitur. Vale V. C. & amantem ſerio ama. Lovan. x. Kal. Maj. 1595.

1 *Torrentius.*
2 *H. Stephanum.*

EPISTOLA DCIX.

PETRUS VORSPULIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

SI homines perinde ac nummi ſuis pretii notis veluti characteribus quibuſdam diſtinguerentur, nullo mihi, ut arbitror, teſtimonio opus eſſet: verum cum id prudenter cuique a natura negatum ſit, ne alioquin magna ineundae amicitiae anſa tolleretur, idcirco mihi faciendum eſſe putavi, ut id, quod praeſens verbis locorum intervallo non poſſim, abſens literis ſuppleam. Ego ſum *Petrus Vorſpulius* Liranus, Medicus, qui octo annos continuos Lovanii in Phi-

Philoſophiae & Medicinae ſtudio conſumpſi, quod [1] *Antonius Trutius*, apud Lugdunum Batavorum Philoſophiae Profeſſor, tibi abunde exponet: taceo reliquos, taedium fugiens, brevitati ſtudens. Anno ſeptuageſimo primo Lovanio diſceſſi, Italiam petii, apud Rempublicam Venetam ſatis honeſtam vivendi rationem nactus ex Profeſſione, de reditu in patriam nihil cogito, utpote qui patriae noſtrae Belgicae diuturnam calamitatem audire potius, quam videre malim: quod ſi hoc mihi ita foeliciter ſucceſſit nullo ſtipendio publico, ſed ſola profeſſione fretus, quanto magis ex voto tibi ſuccedet, qui Illuſt. virorum deſiderio teneris, ſplendido honorario invitaris, literis publicis vocaris, pro lectione publica in Academia Patavina apud Rempublicam Venetam, eo, inquam, ſtipendio quod deſideras. Petito & accipies: ultra ſalarium publicum tantum lucrum accedet, quod pro familia alenda abundanter ſuffecerit: viaticum liberaliter ſuppeditabunt: ſupereſt ſolum, ut pro libito veſtro noſtratem aliquem virum eligas, qui conditionibus, quas optas, cum reformatoribus ſtudii Patavini, & potiſſimum cum Illuſtriſſimo procuratore *Johanne Michaëlio* ſtipuletur, cognito animo veſtro, conventio ultro citroque erit facillima. Illuſtriſſimus procurator praedictus mihi literas veſtras dedit legendas, vidi veſtras D. [2] *Uberto Fabri* Ubio inſcriptas, audivi ejuſdem *Uberti* ad te datas jamdiu, una cum his vidi & *Cluſii*, omnium harum finis & argumentum idem: lectis & conſideratis omnibus, video cauſam, quo minus, aut ſaltem tardius, de hoc negotio ſtatuas, in morbum, quo torqueris, te conjicere; ſed ex meo judicio non morbus eſt, quippe actionem nullam laeſam reputo, ſed diminutam potius, & in ſtatu neutrali te conſtitutum exiſtimo; dato etiam, ſi ſic eſt, morbo, illum chronicum eſſe eſt manifeſtum; in morbis autem chronicis quid efficiat aëris & regionis mutatio, victuſque ratio, quae cauſae morbificae repugnent, quid, inquam, dato hoc praeſuppoſito, haec efficiant, meo non eges teſtimonio: & ne te tædio afficiam, haec ſcribendi occaſio me non poſtulat longiorem: deliberaſti diu, ſtatuas ſemel, quod ut facias, tibi ſuadeo, & magnopere te hortor, nec non, iſtis meis litteris hac in re tibi calcaria mitto, & tanquam orator ſubſtitutus venio, fac ut ſim exorator, efficiaſque ut praeſtantiſſimi iſti ſtudii Patavini reformatores cognoſcant, iſtas meas literas apud te, alicujus ponderis & momenti fuiſſe. Non morbum, ſed aliam cauſam umbroſam potuis ſuſpicor, quo minus de ſumma rei ſtatuas, qualiſcumque ſit, nullam amplius obtrudas: ſine ſale dico, civilis etiam & metaphorica veſtra ſit interpretatio. De me illud addam, quod talem me habebis, qualem deſiderabis, candidum nimirum ex antiqua noſtrae regionis conſuetudine. Spectatum virum D. [3] *Matthaeum Boden* poedagogii Standonci Regentem, niſi exciderit, officioſe ſalutabis. Literas veſtras ſine quavis excuſatione volantes, vel te potius ipſum, expectamus.

1 Vide ad Epiſt. LV.

2 Cujus mox Epiſtola DCXVIII. ſequitur.

3 Hunc *Bodenium a Ruecklinge* S. Th. Baccalaureum rectoremque Paedagogii Standoncki ſive Porci memorat *Valer. Andr.* in Faſtis Academicis Lovan. pag. 257. praefuit etiam collegio Standonckio ſive domui pauperum pag. 271. *Vorſpulium* vero Epiſtolae auctorem ignoro plane.

mus. Deus propitius & clemens concedat nobis proſpera omnia. Venetiis decimo Calend. Februarii 93. ſtilo Veneto.

EPISTOLA DCX.

JOANNES BRANTIUS

Juſto Lipſio S. D.

Lovanium.

UTrumque me hodie incitat & invitat, ut tibi ſcribam. Doctrina & egregiae ingenii animique dotes, quibus te Deus inter nos Belgas eximie ornavit, magna me tui admiratione jamdiu afficiunt, & ſimul deſiderio te videndi, amplectendi: aut ſaltem, quia hoc negatur per ſceleſtos illos latrones, quorum impuni graſſatione adeo intutae redduntur viae, vix ut cuiquam ſint perviae, qui publice mihi notus es, hoc eſt praeclaris monumentis tuis, eidem ut ego aliquo pacto privatim innoteſcam, & amorem ac ſtudium deferam. Id ut audeam his litteris, facit φιλανθρωπία & humanitas tua, quam omnes norunt & paſſim praedicant. Itaque gratulor tibi adventum Lovanium, imo Lovanio nobiſque omnibus eum virum, qui hoc ipſum nobis reſtituet. Equidem non ſemel te invidi Lugdunenſibus illis Batavorum, cum in ſcriptis tuis, quibus do interdum quod a publicis functionibus ſubſecivi temporis eſt vacuum, facile viderem, quam ſedes iſta tibi ſemper amata fuit, ut non ante conquieveris, quam ad eam redieris. Perge porro, & iſtic felicis ingenii tui theſaurum nobis communicare. De Cruce quod meditaris: ita enim intelligo de *Ortelio*, quîcum ſaepe mihi de te ſermo, avide expecto ut in lucem detur, opus, quod non modo cives meos, ſed & ampliſſimum hujus civitatis ſenatum imprimis afficiet. Quibus nimirum ſignum Crucis Chriſti tanta eſt in veneratione, quanta paucos ante annos rebellibus hîc fuit in contumelia: ab his enim contemptim & furioſe dejectum quod in Mera, publico hîc loco, erat, a praeſente ſenatu honorifice & religioſe ibidem erectum eſt heſterno die, ſolenni ante ritu conſecratum in templo divae Virginis, a Reverendiſſimo Antiſtite noſtro ipſis Kalendis hujus menſis. Quod te velim obiter, ſi videtur, attingere, cum laude tam pii inſtituti. Si vero magiſtratui noſtro iſtum laborem tuum dedicare cogitas, in me recipio toti Ordini gratum fore, neque hunc ipſum ingratum. Vale, Vir Ornatiſſime, & Brantium inter eos cenſe, qui te amant, colunt, & utinam aliquid tua cauſſa poſſim. Antverpiae octavo Idus Februarii 1593.

Reſpondet his Lipſius Cent. III. ad Belgas. 8.

EPISTOLA DCXI.

JOANNES BRANTIUS

J. Lipſio S.D.

Lovanium.

LUbens a te accepi aureolos libellos tuos de Cruce. gratiam habeo pro munere, quod utique mihi carum, quia clarum inſigne tui in me adfectus: qui ipſe a me tibi aeternum devotus. Ille vero novus tuus partus omnium hîc manibus circumfertur cum admiratione & laude parentis. & quidem Senatui noſtro, vix explicem, quantopere placeat. Cui tamen cum nuper in manibus eſſet, fuere unus item & alter, quos tenuit inſcriptio: *Ad Praelatos, Nobiles & Magiſtratus.* & poſtremi verbi vicem maluiſſent, *Civitates.* Ideo, credo, quod illos nobis eſſe velint, qui in quaque civitate Rempub. adminiſtrant: has vero cives & univerſum populum complecti, & vere tertium membrum Ordinum Brabantiae. Id mihi innuentibus ut tibi in occaſione ſignificarem, reſpondi, non dubitare me, quin ejus ſcripti ratio tibi conſtaret, at nihilominus facturum. Tu hoc in bonam partem accipe. Tui politici libri omnibus vigent. neque hîc tantum ſed & in aula Regis noſtri in pretio ſunt; apprime vero eos videre avet Praeſes illic rerum Belgicarum, ut cognovi ex indicio fratris ejus hîc Ammanni noſtri (quem vocamus) qui, niſi fallor, jampridem miſit. ſed ille deſiderare videtur mutationem alibi, & nonnulla in iis clarius expreſſa an expectare debeat, equidem ex te ſcire percupio. At de rebus publicis quid confidis? appropinquarene exitum hujus calamitoſiſſimi belli, in quo tot jam annos verſamur. Abſque hoc ſit, quid tandem nobis fiet? ſi pertendimus & porro pugnatum imus. Sed bene ſperare jubet novus Prorex, in quem omnium oculi conjiciuntur, & ſpes noſtrae poſt Deum defixae haerent. Hic illi aderit, uterque nobis, divina potentia, humana manu. Vale amiciſſime Lipſi. ſocer meus ex animo te ſalutat. Graphiarius *Dyck* ſe tibi & filium unice commendat. Hucuſque ſcripſeram, cum ſtatim mihi litterae adferuntur a *Jo. Bernartio*, cui proxime de titulo Juriſconſulti, conjugio, & affinitate Lipſii gratulatus ſum. at ille me triſti nuncio percuſſit de invaletudine tua, ſaeviente rurſus adfectu tuo hepatico. Deus te quamprimum firmet, & a morbo iſto tam pertinace relevet, qui tibi, ut video, indies infeſtior. & utinam hoc votum, cui junctae preces meae tanti apud illum, ut mox te convaluiſſe intelligam, iterum utinam. Antverpiae VIII. Idus. Mart. ∞ IƆ.XCIIII.

EPI-

EPISTOLA DCXII.

J. LIPSIUS

Joanni Brantio S. D.

Antverpiam.

CRucem vobis placuiſſe & magiſtratui veſtro, mi Branti, miror: Quis eam amet? fugimus quantum poſſumus, atque ipſum nomen, nedum illum crucium theſaurum. ſed extra jocum, in materia & argumento eſſe poteſt, quod Chriſtiano placeat; quid ab ingenio noſtro? quod totum tenui & coërcui intra antiquorum rituum metas. Habui cauſſas. At cum ſcribas de inſcriptione quoſdam mirari, quid ita *ad Magiſtratus?* Civitates ſunt, inquiunt, tertius ille ordo. mi Branti, non ignoro, & patrium iſtud publicumque jus ſcio: ſed mihi cauſſa inſcribendi, quod ad eos mitterem, qui in conventu. illi autem ſoli magiſtratus ſunt, aut aliqui interdum juncti; ſed qui vicem & locum ſubeunt oppidorum. Quid mali eos, qui eximii ſunt, eximie nominare, & mentem ac ſtilum vertere ad id, quod fit, non ad ultimam ejus cauſſam. Conſulibus & Senatui veſtro Conſtantiam meam inſcripſi, puto & opidum & cives alios in iis nominatos, aut certe honoratos. Haec levia ſunt, & tamen ſi cordatis viris mutanda videntur, fiat. *Moreto* ſignificabis ut ſubſtituat. quid? *Oppida?* indefinitum eſt, & quatuor conveniunt tantum. ſed intelligi poteſt, & nolo cavillari. Illud tantum ſequitur, non recte cum perſonarum vocabulis, *Antiſtites & Nobiles*, hoc rei *opida* conjungi. Heu quamdiu de re levi, & verbulo? ſed calamus labitur: quem premo, & addo meliuſcule me valere. hoc libenter audire te ſcio, & tibi idem exopto. Saluta D. *Dyckium* collegam tuum, & ſocerum tuum D. Secretarium. Lovan. Idib. Mart. CIↃIↃXCIV.

EPISTOLA DCXIII.

FRONTO DUCAEUS.

V. C. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

[1] JAmpridem in Gallia cum eſſem inter illos amicos tuos, V. C. mirifico deſiderio tenebar, & ut ille ait: *—mihi mens juvenili ardebat amore Compellare virum.* qui nobis vultu ignotus ſcriptis ita notus eſt, ut ejus beneficio, nobis innoteſcant, quae multorum forte ſeculorum experientia vel induſtria docere minime potuiſſet. Tum ubi ad has Moſae Moſellaeque ripas delatus miſſas a te, ad populares civesque meos literas legi [2] *Montanum* ac [3] *Brachium*,

1 Reſpondet his Lipſius Cent. ad Gallos 19.

2 Ad *Michaelem Montanum* Burdigalenſem eſt II. Cent. Miſc. 41. 55. & 92. quem inter ſapientes ſeptem refert, & *Thaletem* Gallicum vocat. vid. ad Epiſt. xxx.

3 Ad *Petrum Brachium* Burdigalenſem eſt I. Cent. Miſc. 66. & IV. 94.

chium, qui ex ultimis Auſonii laribus ad te ſcribunt, coepi egomet iſtam δυσωπίαν incuſare, quae, quod illa terrarum intervalla non faciunt, potuerit impedire, ne hîc quoque ſtudioſos & amantes tui eſſe audires. Atque initio quidem ita ratiocinabar, & apud me reputabam, ſi mihi ſuppeterent illa Graeca fragmenta, quae ex Bibliotheca Reginae Medicaea excepi, & ea, ex quibus integram Chryſoſtomi ὁμιλίαν excerpſi, ac *Nicolao Fabro* dono dedi, quod eum putarem commodius illam poſſe, ſi videretur mittenda, communicare ei, qui nobis jampridem Venationes pollicitus eſt & Circum Romanum, quod in ea τὰ περὶ τ' ἱππόδρομον eleganter & more ſuo perſequatur, tametſi nondum lucem viderit, aut illa *Scaligeri* patris poëmata, quae ab illis Tutoribus librorum ſuppreſſa ſunt, nec in poſtrema editione excuſa, quod Catholicae fidei integritatem ſapiant; eſſet quid cauſſae, cur nihil ἀπροσδιόνυσον redolerent literae noſtrae. Verum ubi non una tantum aut altera centuria epiſtolarum; ſed voce ipſa multorum, ac ſine tabellis promulgatam ſenſi benignitatem atque humanitatem tuam, non modo cenſui κοινὰ πάντα τὰ τῶν φίλων, ſed φίλους αὐτούς; num enim & ipſi inter opes pretioſiſſimas? cum non ſolum Alexander ſe θησαυροὺς ἔχειν ἐν φίλοις dixerit, ſed & eo ſapientior multo Rex theſaurum inveniſſe dixerit, qui amicum invenit? Enimvero ſi *Pithoeum*, *Fabrum*, *Corbinellium*, *Morellum* amicos tuos, eoſdemque meos profiteri pudeat, qui me tamen ſua familiaritate non indignum duxerunt, certe hac ipſa vitae religioſae profeſſione ac ſocietate conjunctos tacere non libet, *Oranium*, *Delrium*, *Benciumque*, quos ſi quaſi pararios & proxenetas adhiberem, non opinor ſuam mihi operam denegarent. Sed non id ago nunc, ut amicitiae tuae fores pulſem, quam inter pares ineundam ille qui dixit, haud ſcio an dignitatem, an vero voluntatum animorumque conſenſum ſpectarit; At cum nuper in eam epiſtolam incidiſſem, qua *Morello* ſignificas cupere te *Scaligeri* patris mittere in ſcripta vitam, ſi quod tibi auxilium ab iis ſit, qui interiora & minuta illa vitae norunt: memini equidem audire me Lutetiae ante annos quattuor, narrante D°. *Northio* Agennenſi Canonico, id quod haud ſcio an fuerit ad te perlatum. Id vero eo lubentius perſcribendum putavi, quod ab illis, qui liberorum librorumque ejus Tutores vel Agnati ſunt, non facile indicabitur, ut pote ab hac noſtra Catholica religione alienioribus, & tamen ut ſcis in iſto vitae actu nihil, tam ſpectatur quam extrema illa Cataſtrophe, cum amoto ſipario reddenda ratio eſt hiſtrionibus fabulae. At enim licet dum viveret non admodum benevole in monachos affectus eſſet *Julius*, praecipue obſtrepentis aeris Campani tinnitu interpellatus in ſtudiis literarum, tamen ſub illud tempus vicinum ejus Idibus Martiis ſic omne odium exuit, ut eorum opera uſus, & ſacris noſtrae religionis expiatus pie ſancteque mortem obierit, & in Franciſcanorum templo condi ſepulchro voluerit. Quod ſi in hac re patrem imitari voluiſſent filii, neque alterius culpa factum eſſet, ut patris Tuſculanum hoc poſtremo civili bello ſub haſta veniret, neque alterius cauſſa doleremus, non illa tanta ingenii ornamenta ad meliorem mentem eſſe converſa, quae quantum Reipubl. Chriſtianae prodeſſe poſſent, vel illud de temporibus nuperum

rum opus ſatis innuit. Sed hoc me potius admonet, ut eidem Eccleſiae gratuler, quod eodem te propugnatore fruatur, eo vehementiore, quo majori cum laude nuper ex illis Batavorum undis emerſiſti, (ὄναιο ταύτης τῆς λείψεως) & qui plurimum auctoritate valebas apud iſtos, qui Juriſprudentiam & literas humaniores ſectantur, eos foelicius ac fructuoſius & docuiſti, quae ad religionis cum τῆς πολιτείας ſanctitate copulandae doctrinam pertinebant, quam a Theologis inſtrui potuiſſent, quos illi ut imperitos contemnunt. Sed ne diutius in publica commoda peccem, & hoc tumultuario ſtylo, dum ſe non expectatus, ſed expetitus eques Iberus accingit, comes tabellario futurus, obtundam aures tuas, claudam epiſtolam tibique foelicia quaeque optabo, ut noſtro ac poſteritatis bono, quae inchoaſti perficere poſſis, precaborque, ut hanc noſtram ſubruſticam audaciam boni conſulas. Vale. Muſſiponti ad Moſellam, in Mediomatricibus. III. Idus Martias CIƆ IƆ XCIII.

[1] EPISTOLA DCXIV.

FRONTO DUCAEUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

QUae duo communis amicus noſter P. M. *Antonius Delrius* litteris ſuis ad me Idibus Martiis datis de te ſcripſerat, ea luculento tuarum ejuſdem menſis Nonis ſcriptarum teſtimonio comprobata cognovi. Nam cum propter dilationem reſponſi ſubvererer, ne proxenetam illum mihi prius ad amicitiae tuae penetralia ſubeunda debuiſſem adhibere, praeſto affuerunt tuae tantae humanitatis & ſuavitatis indices literae, ut illius potius dictis fidem & auctoritatem conciliarent, quam aliunde requireretur. ut igitur annuam operam ſuam bene collocatam putant, cum uberi meſſe compenſatam eam cernunt agricolae, ita licet annus ſe circumegerit, ex quo ad te ſcripſeram, auctam foenore etiam ſortem me recepiſſe confiteor. Confirmabat ille cum meae ad te perlatae fuiſſent, neſcium eſſe te officio vinci, cumque ex Batavia iſtuc commigraſſes, ſucceſſiſſe tibi religione diſparem longe, utpote qui probe ac pure Catholicus ſis, brevique libris de Cruce editis aliiſque operibus teſtaturus; at haec ipſa tuo penicillo in tabula depicta conſpexi, quae & plura pro fidei defenſione patiendi cupiditatem ſpirat, & officio nos vincit, dum in alienae mortis rite obitae nuntio viventis exemplum rependit. Atque utinam ille [2] *Juſtus* alter (nam & alterum hoc ei nomen impoſitum ex patris elegiis agnoſco) ad meliorem mentem voluntatemque tanta illa ingenii ornamenta traducat, & te in hoc imitetur, quod in votis maxime fuiſſe memini optimo viro *Joanni Santandreano* Pariſienſi Canonico, qui, ad nos reverſo *Florente*, *Chriſtiano* ad ſpem nos illius convertendi pariter erigebat, ſed infringebat eam, quod de

P.

1 Reſponſio eſt ad Centur. ad German. & Gall. Epiſt. XIX.
2 *Scaligerum* intelligit.

P. Pithoeo accepi, cum injecta eſſet de religione a Catholicis mentio, orare ſolitum illum, ut de litteris tantum verba fierent; cuique ritu ſuo numen colere permitteretur. Mihi tamen non potuit mirum non videri, cum tot antiquorum Patrum monumenta ſcribendis illis de Emend. temporum libris pervolutarit, non eum ad ſpeciem conſtantis illius Eccleſiae ſibique ſimilis cohorruiſſe, novarum ſectarum dogmatibus irretitum. Sed ut ad meliora te revocem, ſcripſeram equidem, optare me, ut ea mihi ſuppeterent ſchedarum mearum ſubſidia, quae Lutetiae reliqueram, ex obſidionis periculis elapſus, ut illa duo, quae tibi non ingrata fore putabam, ad te mitterem, *Julii* poëmata & [3] *Joannis* ὑπομνήματα ἱερά. ſed quamvis amicos per literas rogarim, ut ea ad me mitterent, nondum per temporum injuriam licuit accipere: quod unum in poteſtate fuit, ad teſtandam voluntatem libuit non omittere. Quando igitur aliud exemplar, quod amico cuidam utriuſque noſtrum dederam, ut oblata occaſione ad te mitteret, λογαρίου illius *Chryſoſtomi* in Circenſes ludos nondum vidiſti, nec ut olim mancipio rem tibi tradere, & ut probam mercem auctor certus commendare poſſum, fidem meam ſolvam, ut potero. Exſcripſerat illud ſibi quidam ex fratribus noſtris, vel potius cujuſdam ſui diſcipuli manu deſcribi curarat, ex eodem manuſcripto, ipſe ex autographo Latine verterat, ſed huc profectus ex ſua interpretatione non ſatis diligenter aut perite Graeca fuiſſe expreſſa deprehendit. hoc in iis praecipue locis, quae aſteriſcis notata ſunt, accidit, quamobrem ea tantum attigi, in quibus aliqui Circenſium ritus tangebantur, ut eorum citatis locis teſtimonia praeclaris tuis obſervationibus, ſi libeat, poſſis aſpergere. conjecturas noſtras & amici illius noſtri in margine addidimus, quibus tu meliores ſcilicet more tuo adjunges. Habes ergo δόσιν, quae eſt, ut inquit Homerica illa Nauſicaë, ὀλίγη τε φίλη τε: Imo magnum donum, ſi auctorem ſpectes Chryſoſtomum, & ſi voluntatem ejus, qui majora mittere poſſe cuperet, & ejuſdem penuriam πενιάντε, qui mittam δῶρον ὅσσ᾽ ἐν ἐμῷ οἴκῳ κειμήλια κεῖται τιμηέστατον; ſed quia fragmenta tantum, & quia verbis noſtris inornata, vix doni nomen merentur. At tu noli haec ea de cauſſa negligere, quod a ludis avocent nos temporum calamitates. Imo ipſae nos docent, ludos eſſe res mortalium, curſum eſſe, militiam eſſe vitam noſtram, & quo acrius bellorum tumultibus impeti labefactarique rem literariam videmus, eo alacrius inſurgendum eſt, & contrariis ſubſidiis ejus propugnacula ſtabilienda. ſane hi ludi tui ejuſmodi ſunt, qui nos ad ſeria ducant bona; ludi ſunt, quibus multorum ſeria poſthabenda ſint; vel unum Tertullianum vide. quantum ille tibi debebit, ſi rem Circenſem expedieris, cujus operibus Saturnales tui ſermones tantam lucem attulerunt. me quidem haec attingere potiſſimum juvat, quae ad noſtram hanc exponendae Scripturae profeſſionem pertinent. dici vix poteſt, quantum non dicam de Republ. literaria, ſed de Eccleſia bene meritus ſis, dum rei antiquariae fama & ope ſubnixus, editis de Cruce libris hanc religionis partem adjuvandam cenſuiſti. ut illi,

3 *Julii Caeſaris Scaligeri.*
4 *Joannis Chryſoſtomi.*

li, qui vel haereſi infecti, vel alterius factionis ſunt, quos Politicos dicimus, hac lectione diſcerent, etiam in mediis doctrinae ſtudiis pietatis ac fidei recordari. Verum in illis magna me voluptate perfudit, quam de duobus locis attuliſti, obſervatio, in quibus etiam Theologi haeſitabant, de recto ſcilicet ligno tranſverſumne excederet, ita ut emineret, deque illa tabula, qua crucifixi pedes nitebantur. Nam cum in antiquiſſimo manuſcripto exemplari operum Gregorii Nazianzeni, quod ante annos ſeptingentos Baſilio Imperatori oblatum fuit, & a Clariſſ. viro *Jac. Billio* ſaepe laudatur, vidiſſem plures imagines, quae idipſum docerent, cupiebam publice alicujus auctoritate confirmari, quod ad ſinceram ſpeciem repraeſentandam pertinebat. Plane enim ita diductis pedibus, biniſque clavis fixis, exprimitur Domini imago, ut in illo numo, cujus ectypum das in Notis ad Cap. x. lib. 11. in cujus inſcriptione ita lego, κόσμȣ τὸ λυτρὸν αἷμα τȣ̃ θεȣ̃ λόγου, ut apud Cedrenum p. 427. ὅπȣ πάναγνοι τȣ̃ θεȣ̃ λόγου πόδες. & apud Damaſcenum, ὃς ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς θεὸν θεὸς λόγος & alibi paſſim, non enim, opinor, Apelles noſter hujus minimi ſutoris, de crepida tamen admonentis, nec ultra lineam ſuae profeſſionis, gravaberis benevolentiam amplecti. Sed in illa multo antiquiori imagine Imperatores, Baſilii depicta caput, ut cernimus in pleriſque antiquioribus templorum altaribus, ſpinea corona carebat, neque admodum facile fuiſſe ut hereret tam ampla ejus moles, quae Lutetiae viſitur, ſuadet. Erat in eodem libro, atque in altero Novi teſtamenti codice, depicta Coena illa Dominica, in qua lectis ſtratis recumbentes Apoſtoli expreſſi erant, & ipſe Dominus non ad terram provolutae, ſed ſtanti & incurvatae Magdalenae pedes tergendos alibi porrigebat. Ad τετράπλευρον etiam crucem quod attinet, miſſus eſt etiam ad nos Roma nuper numus Arcadii Imperat. in quo ejus ea forma. Reperiuntur & in dies numi veteres, in pago huic oppido proximo, ex quo feminae illius equitantis ſtatua in Belgicam advecta eſt, cujus ectypum dedit *Orthelius* in Itinerario, iique eorum Imperatorum, quorum rarius cernuntur monumenta, ut Tetrici, Victorini, Magnentii, & Probi, in cujus unius diverſa facie trophaeum cum inſcriptione, *Victoria Germ.* Eorum nobis veritas fideſque certior videtur, quod hîc reperiantur, ubi a paucis in pretio habentur, ne ut alibi ficti putentur, ut doctis venditentur. Hoc eo libentius ſcribo, quod ex litteris *P. Delrii* intellexerim obiiſſe *H. Goltzium* penituſque ſublatam ſpem Hiſtoriam Auguſtam, ex nummis reſtitutam, videndi, ut eo diligentius omnibus danda ſit opera, ut ejuſmodi fragmenta & veſtigia antiquitatis colligantur, & excitentur artis ſculptoriae periti picturaeque, ad inſtitutum opus promovendum, quod ipſis etiam religionis & ſacrae doctrinae auctoribus lucem affert; cujuſmodi iſtic plures fortaſſe cohortatione tua poteris impellere. unum haec regio *J. Boiſſardum* habet, aptum huic oneri, ſed ab eo, ad alia conſilia, quae ſublimiora cenſet, abductus eſt: & a Catholicis optandum eſſet illud ſuſcipi, omnemque pictorumque in ſacris rebus licentiam ad veterum regulam & memoriam conformari. Nimium diu te avoco a ſeriis negotiis, dum ſuavi tuo congreſſu abſentis per literas fruor; unum addam ex manuſcripto Theodori Studitae libro pro imaginibus, quem vi-

vidi in Bibliotheca Medicaeae Reginae Matris Regum Francorum diſtichon, illa forma crucis diſpoſitas habens voces.

E
X
Θ
P
ȣ
C
ΚΑΙ ΦΟ ΝΕ ΥΩ ΤΡ ΒΑΡΒΑΡΟΥC
O
Π
ȣ
M
A
I

Vale, mi Lipſi, & crucem ac nos aeternum ama. Ponti ad Montionem caſtellum in Mediomatricibus, quam Muſſipontum dicunt. XIV. Kal. Julias CIϽ IϽ XCIV.

De *F. Bencii* obitu perlatum ad vos arbitror, quem Gregorii XIII. vitam ſcribentem nobis denum dierum acuta febris eripuit Nonis Maji. debes amico, imo fratri, ſic enim appellas, ἐπιταφίȣς non λόγȣς ſed εὐχάς. Iterum vale, eoque diutius, quo rarior doctorum numerus:

EPISTOLA DCXV.

FRONTO DUCAEUS

V. C. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

ANte aliquot menſes, cum editam *Julii Caeſaris Scaligeri* vitam legiſſem, novo ſtimulo ſum incitatus, ut, quam non ita pridem acceperam ab eo ſcriptam elegiam in laudem Deiparae, ad te mitterem, paulo ante quam Lutetiam ipſe mitterer. Cum enim filius ille patri minime ſane accreſcens *Joſeph* ultimum fabulae actum eo ſipario texiſſet, ut non facile judicare poſſis Catholicene mortem obierit, faciendum mihi putavi, ut quae reſtabant tenuia verae pietatis veſtigia conſervarem. Huc deinde reverſus cum miſſos ad me duos hymnos reperiſſem, ſtatimque ſe praeter expectationem tabellarius obtuliſſet, epiſtolam illis praefixam deſcripſi ex eo libro, quem mihi dono dedit V. C. *Nic. Faber*, cum noſtro illo amplius uti non poſſem. Cauſam, opinor, jam ſuſpicaris: caſum enim illum audiſti nobis adeo infelicem, cujus invidia pene oppreſſi ſumus. Porro unum crimen eſt, ut hoc omnes intelligant, quando plura non licet nunc exponere, ventitaſſe nimirum adoleſcentem ad noſtras ſcholas, in quibus ante ſex menſes Philoſophiae curriculum emenſus erat; Nam neque conſilio aut ſuaſu, neque doctrina vel admonitione cujuſquam e ſociis noſtris ſe adductum impulſumve unquam ille profeſſus eſt, ſemperque cum can-

candentes forcipes admoverentur, cum citatis equis in diverſa diſtraheretur. inſontes nos populo audiente clamavit. Ipſe adeo Philoſophiae magiſter, ubi equuleo tortus eſt, nihil confeſſus, abſolutus eſt liberque dimiſſus. Sed in illa tanta rerum perturbatione cum publicata bona noſtra eſſent, ipſaque ſupellex in pia opera expendenda diſtribueretur, vix ſchedia noſtra obtinuimus plerique, viaticumque tenuiſſimum. *Pithoeus* mihi cum Pirithoo ſuo *Fabro*, tum id praeſtitit quod tibi olim *Delrius*, amicos illos non fictos experto. Ab altero diſcedens librum hunc poëmatum Scaligeri accepi, ex quo alia quaedam ejuſdem propediem ad te mittam, cum nos collegerimus, & a tantis cladibus reſpiraverimus. *Michaëlem Montanum* & *Claudium Puteanum* viros clariſſimos vixiſſe jam opinor audieris, *Jac. Aug. Thuanum* Bibliothecae Regiae praefectum. Ibi tum quoque rumor erat te regiis juſſis illuc vocatum vel invitatum, ſed nunquam credidimus a te impetrari id poſſe. Ignoſce, quaeſo, praecipiti ſtylo, quem ὁ τῆς φιλίας ζῆλ⸗ cunctari non ſinit: facque, ſi placet, intelligam, an fragmenta ſermonis Chryſoſtomi de Circo acceperis, quae anno ſuperiori ad te miſi. Vale, mi Lipſi, & nos eo ardentius ama, quo tibi in hoc ſimiliores nunc ſumus, quod extorres facti pro religione calumnias ſumus & damna perpeſſi. Ponti ad Montionem IIX. Kal. Februarii CIƆ IƆ XCV.

Nova quaedam Hilarii & Auguſtini opera mox edenda nuper ab illis duobus mihi oſtenſa ſunt, qui & multa opuſcula Aubrio poſt publicanda commendarunt.

EPISTOLA DCXVI.

STANISLAUS RESCIUS

Regis Poloniae Legatus

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

QUi primus *In urbe virtutis & honoris cellam eandem locavit.* Id agere viſus eſt, ut oſtenderet *Gloriam virtutis umbram eſſe, quae etiam invitos comitatur. Nec alium gloria maxime excellere; quam qui virtute maxime praeſtaret.* Et *qui virtutem honore ſpoliaret, eum ſpoliare virtute juventutem.* Sic accidit tibi, Lipſi, Tu virtuti, labori, litteris litabas in Germania, tibi virtus honoris, gloriaque cellam, cum alibi, tum in noſtra quoque ſtatuebat Polonia, in qua tibi quottidie *Et magna ſimul, quod rarum eſt, & lata fama creſcebat.* Πόνος γὰ, ὡς λέγουσιν, εὐκλίας πατήρ. *Mirificam te dicens diſciplinarum exercere mercaturam, diſcendo ſimul & docendo, multaque te elaborata in lucem mittere. Quae in manibus hominum verſari his temporibus, atque hac rerum ſcena expediret.* Quae voces hominum, etſi me ad te

Plut. de fort. Romanorum.
Sen. epiſt. 79.
Cic. pro Plancio.
Plutar. in Apoph.
Plin. lib. 4. epiſt. 12.
Euripid. Stobeus orat. 29.
Plato de Ente.
Lipſius in Tacitum.

1 Reſpondet Lipſ. ad Ital. epiſt. 12. vid. & ibid. Epiſt. 11. ad *Bencium.* edidi vero hanc epiſtolam, ut ſpecimen exſtaret imitationis inſanae, qua *Lipſius* ſe ſuperatum fatetur. *Reſcium* hunc Secretarium ſuum vocat *Stephanus* Rex Poloniae in epiſtola ad Muretum, lib. III. Epiſt. Mureti 69. Formatus fuit manu Cardinalis *Stanislai Hoſii.* vid. *Ghilini* Theatr. Homin. Literatorum tom. II. p.229. Et *Morerii* Lexicon.

Plin. lib. 3. epiſt. 11. Lib. 4. epiſt. 11. Stobeus ex Aeſchile orat. 3. Sen. epiſt. 6. Plato in de Sapientia. Plato in Litigioſo. Plin. lib. 2. epiſt. 3. Sen. epiſt. 94. Auguſt. epiſt. 51. Plin. lib. 4. epiſt. 3. Cic. in Verr. Sen. epiſt. Lipſius in Tacitum. Sen. epiſt. 86. Ibidem. Ibidem. Greg. Naz. in epiſt. ad Greg. Niſſenum ex Eurip. Plin. lib. 4. epiſt. 19. Plutarch. Plin. epiſt. 13. lib. 4.

amandum valde acuerent; *non enim erat facile innumeris contradicere: Summam tamen adhuc de te, non ordinem rerum nunciare videbantur.* Poſtquam autem libros tuos, qui primi ad manum venerunt, evolvi, plane perſpexi, *Primam te Sapientiae partem poſſidere, & multa & utilia noſſe.* non ut noris tantum, ſed quod plane divinum eſt, ut etiam proſis, idque te video tanto conatu apparatuque facere, ut non dubitem ipſam *Recuſaturum te Sapientiam, ſi cum hac exceptione daretur, ut quod ſcis, uni tibi ſcires, nec e theſauris tuis rebus ſuccurreres communibus.* Hoc Conſtantia tua prae ſe fert, hoc ipſa quoque Civilis Sapientia, quae & Regia diſciplina vocatur, *Cujus ſubjectum Civitas eſt, finis commune bonum. Miniſtrae artes omnes*, in quibus tu libris non ſolum *Prudentiam humanorum, ſed & naturalium ſcientiam, & divinorum conjunxiſti Sapientiam. Nec hoc tantum aut illud, ſed quodcunque vis*, ut ajunt, *jaculo tuo feris.* non tam docens *Quid ſano, & intelligenti Principi faciendum ſit; quam ſanum, & intelligentem faciens.* plane ut anceps fuerim, quid in illis prius, quid deberem admirari poſterius. *An totius ſuccum Philoſophiae, quem perbibiſti, an lectionis varietatem, an judicii maturitatem, an memoriae tenacitatem, an contexendi artificium. An quod loquenti illa Homerici ſenis mella profluere, & quae ſcribis complere apes floribus, innectereque videntur. Equidem verbum vidi nullum, quod poſſem dicere excidiſſe; omnia ubique afferuntur ſcripta, meditata, cogitata, praeparata, quae lectorem ad ſingulos verſus detinerent; niſi inter paria legerentur.* Ita crebris, ita ſolidis, & neſcio unde ex abdito erutis ſententiis, quod tu recte Tacito tribuis, *Diſtincta ſunt omnia, quas vel veritate, vel brevitate, vice oraculi poſſes accipere.* Sed & illud, quam inſigne bonae mentis argumentum, *Profiteri per quos profeceris. Gratiam ſubinde habere videris docentibus, cum eorum inventa licet uſurpes, non tamen ais tua.* Sed ita doctorum virorum *Libamenta in unum quaſi ſaporem confundis, ut etiamſi fatearis, unde quidquam ſumptum ſit, aliud tamen jam eſſe, quam unde ſumptum eſt appareat.* quod quidem ſcriptionis genus non ambitione *Daemonum ſceleratiſſima, aut laudis cupiditate malo rerum artifice, gravique Domino* formaſſe primus uſurpaſſeque videris, ſed ſolo chariſſimae patriae rerumque communium *Amore, qui Magiſter eſt optimus. In eoque nobis Herculis aurea ſaecula repraeſentas: qui laudi ſibi duxit Evandrum docere litteras; praeclareque facere conſebantur omnes illo tempore, qui amicos & propinquos erudiebant.* Quam faelicitatem non poſſum profecto Germaniae tuae liberiſque veſtris non gratulari, quod in eodem, in quo naſcuntur, ſolo affatim illis ſuppetit, quo corpus animumque paſcant. *Quod ſtatim ab infantia, natale patriumque ſolum amare, colere, frequentareque conſueſcant, quod nil in eo, niſi conſeneſcere deſiderent: non pro moribus, proque praeceptoribus, pedem extra patriam efferant;* ſed parentes ſimul & praeceptores quottidie videant *Morum vel Magiſtros, vel cuſtodes, vel exem-*

exemplum, & ſive praeſentiam, ſive memoriam, vel timeant, vel eru-
beſcant. Vim quippe Praeceptorum obtinet, quem colis, & aſpicere fre-
quenter, & ſaepe audire. Occurſus enim, ait ille, *viri boni juvat, & eſt* Sen. epiſt.
aliquid, quod ex illo vel tacente proficias. Narro tibi. Iſto quoque no- 11.
mine *Major mihi fama tua inventus es, quamvis ea eſſet tibi maxima.* Plin. lib. 2.
Hanc igitur tibi non vulgari illo more, neque ſolita ratione; ſed il- epiſt. 3.
lis verbis gratulari volui, *quibus uti ſolemus, cum quid diligentiſſime* Cic. epiſt.
agimus. Non quia babes, ſed quia meritus es, quodque jam illi multos an-
nos ſupervixiſti, multa etiam quae de te μελιγάρυων τέκτονες κώμων *ceci-* Pynd.
nerunt, canuntque ſcripta dictaque vidiſti, legiſti, audiviſti. μεγάλων δ' Ode. 3. Pynd.
ἀέθλων μοῖσα μεμνᾶσθαι φιλεῖ. *At quodammodo poſteritati jam tuae inter-* Ode. 1.
fuiſti. quod ſane non contingit, niſi *Scriptoribus publico bono natis.* Plin. lib. 2.
Sed *Publica religione conſecrata virtus, nulla privata laudatione indiget.* epiſt. 1. Sen. de

Et qui favoris gloriam veri petit, Clementia
Animo laudari magis, quam voce volet. cap. 18.

Te igitur praetermiſſo, de me tibi dico. *Acrem me eſſe ingenii tui,* Suetonius. Sen. in
non ſolum amicum, ſed etiam amatorem; tantaque tuarum lucubratio- Thyeſte.
num cupiditate ardere; *Ut videar mihi vel ſola earum mercede poſſe cor-* Cic. epiſt.
rumpi, quo ſicut ait ille, *Vel contra Beticos adſim.* Teſtem habebis *Ben-* ad Atti- cum.
tium plane tuum, virum ſingularis, & pietatis & eruditionis, etiam- Plin. lib. 1.
ſi olim fuiſſet. plura non dico, licet omnia de illo poſſem, omnia epiſt. 7.
deberem, ſed *Magnus cuique honor eſt integritas ſua. Magnum Muſa-* Sen.
rum numen. quae ſedem in iſtius pectore ita fixerunt; *Ut nil ſit, quod*
diſcere velis, quod ille docere non poſſit. Mihi certe quoties in litteris
aliquid abditum quaero, *Bentius* theſaurus eſt. Is porro, cum neſcio
quid mihi Neapoli, quod mordebat, exemiſſet: ita me ad te aman- Sen. epiſt.
dum magis etiam acuit; ut Deum rogare non deſinam quo tibi det 78.
vitam quam mereris, & conſervet animum, quem dedit. *Unus quip-* Baſil. Con. de humi-
pe dies hominum eruditorum plus prodeſt, quam imperitorum longiſſima litate.
aetas. Ea porro eſt altitudo hominis, haec gloria, & majeſtas ejus vere Bernard.
cognoſcere magnum, huicque adhaerere, & gloriam ex gloria Domini quae- ſuper Cant.
rere. Scientia quippe litterarum bona, ſed ſcientia propriae infirmitatis ſerm. 36. In epiſt. ad
melior. quam tu probe videris aſſecutus, cum ais. *Abi a me ſcientia,* Vicarium
quae tumefacis, ego iſtam volo, quae coërcet, & oſtendit me mihi. Ma- Regis.
cte. Vel hoc ſolo nomine neceſſe eſt, ut & ſim totus tuus, & eſſe Daniae ad curas ſe-
debeam. *Nimia quippe magnitudo eſt, ſuam intelligere parvitatem.* Niſi cundas.
quod me longius provexit dulcedo quaedam tecum loquendi. Finem Caſſiodo-
itaque faciam, ne *Modum, quem in tuis libris laudo, in epiſtola excedam.* rum lib. de
Quamvis non dubito ne exceſſerim. Neque enim in eo ſtatuo *Laconi-* Anima. cap. 18.
cam brevitatem, paucas ſyllabas ſcribere, ſed de plurimis maximiſque re- Plin. lib. 2.
bus paucas. Mihi porro tuo nil majus amore. *Pro quo ego diu te roga-* epiſt. 5.
rem, niſi hoc eſſet indicium de tua minus praeſumentis charitate. Quam- Naz. epiſt. 3.
obrem, incipe nos amare, Lipſi, & quocumque vis loco inter bo- Auguſt.
 na- epiſt. 9.

Plato in de Mendacio. narum litterarum ſtudioſos, modo inter tuos numera. *Mirificum hoc habebo bonum, quod vel ſolum amore dignum putabis, quoniam ſine rubore verecundiae ad diſcendum me praeparo. Quod alienas virtutes amo.* Plin. lib. 1. *Quod quem colo, imitari quoque, ut iſto loco vides, contendo.* Lactantius lib. 5. cap. 10. *Summa quippe religio eſt, imitari quem colis, nilque eſt Deo magniſque viris gratius.* Habes noſtri cauſas amandi. Plin. lib. 2. epiſt. 13. *Rogat, & quidem efficaciſſime, qui reddit cauſas rogandi.* Incipe itaque in tuis nos numerare. Ego vero, liceat mî cum tuo *Douſa* exclamare.

O tutela praeſens
Auſonidum veteriſque ſaecli.

Cic. ad Atticum lib. 7. epiſt. 8. *ad tibi ſerviendum utar ea porta, quam primum videro, nec ulla objecta vi remiſſior fiam, cum tua ipſius, tum Muſarum cauſa.* quae profecto magno honore caruiſſent, niſi Lipſium habuiſſent. Pyndarus. θεὸς εὔφρων εἴη λοιπαῖς εὐχαῖς. Vale. Datum Neapoli, Kal. Maj. CIƆ IƆ XCIII.

EPISTOLA DCXVII.

[1]M. ANT. BONCIARIUS PERUSINUS

V. C. J. Lipſio Salutem plurimam mittit.

Lovanium.

A Quo die mihi de fama cognitus es, o vir omnibus diſciplinis, atque artibus inſtructiſſime, J. Lipſi, es autem cognitus fere biennio poſt quam Roma diſcederes, cum ego ad *M. Antonii Mureti* diſciplinam me contuli: injecta eſt mihi, quanquam tum admodum puero, minime puerilis cupiditas ad te ſcribendi. cujus rei ſatis magna occaſio videbatur, quod videlicet tu quoque *Muretum* audiſſes. neque deerant inſignes viri, tuique peramantes, in his popularis meus *Gibertus Oddus*; qui mihi ejus rei auctores forent. Interjectis diebus allatus eſt ad nos Tacitus tuus, mea ſeria, meae deliciae. Ad quem tam uberem, tam difficilem, tamque mihi carum ſcriptorem intelligendum, cum per te nobis aditus patuiſſet: coepi velle eo nomine agere tibi gratias; & meam ambitionem ſatis honeſta humanitatis, & officii ſpecie tectam gaudebam. Cum ergo me nullius, quantumvis acres, ac verboſae hortationes magis urgerent, quam tuus Tacitus, ad ſcribendum: quae poſtea conſecuta ſunt longe optima & graviſſima ingenii tui monumenta, ea me nimium quantum ab illo propoſito deterruerunt. Et alioqui totum contra fieri debuit: nam quo plura, & meliora quotidie a te diſcerem; eo erat aequius, de tuo majore in me officio gratulari. Sed feci more hominum vulgarium; ut quanquam ſcirem, cum iſta tua tam admirabili ἐγκυκλοπαιδείᾳ, tantumdem humanitatis debere eſſe conjunctum; tamen me pudor meus, & contemplatio tui ſaepius admoneret gravitatis, auctoritatis, & praeſtantiae tuae, quam humanitatis. Veritus ſum ne ultro proderem non tam inſcitiam meam, quae alioqui poteſt eſſe

1 Vide ad Epiſt. LXXIV.

eſſe non ignominiae, quam imprudentiam, aut, ne graviore verbo utar, animi levitatem, qui videlicet ad tantum tantulus. Neque ſcripſiſſem ſane, licet multis urgentibus, in his etiam Fratre tuo, Patre meo, *Franciſco Bencio*; niſi tu ipſe mihi animos faceres, & me quodammodo ad colloquium invitares. non enim exiſtimavi poſſe a quoquam reprehendi officium meum, quod a te provocatum foret. Ego vero, inquies, quî potui te provocare, quem ne natum quidem ſcio? Recognoſce paullum, Lipſi, tuos libros Epiſtolarum. videbis in fronte, quemadmodum me pellexeris, & ubi vere, ac prudenter diſputas, quam ſit facile de moribus uniuſcujuſque conjicere ex epiſtolis, in quo uno genere ſcriptiones detegimur, & ſubjicimur legentium oculis paene nudi. Ergo cum totam tuam Centuriam accuratius percurriſſem (primam dico: alteram enim audio eſſe qui viderint; ego diu quaeſitam non adhuc reperi) adeo tuum ingenium, tuum candorem, tuam animi aequitatem, atque ſuavitatem adamavi; itaque tecum verſari coepi, ut ſi non amicitiam, at ſocietatem, & conjunctionem animorum neſcio quam iniiſſe tecum videar: ut jam mihi liberum eſſe exiſtimem, quaſi ad domeſticum hominem, atque intime mihi notum ſcribere, ſi quid velim. Jam quod primis litteris a te petimus, breve eſt, &, ut remur, non difficile. Ardemus incredibili cupiditate ſcriptorum tuorum: eaque cuicuimodi ſint, magno ſtudio, & cura conquirimus. σύλλαβον quemdam conficias oportet, non eorum modo, quae ad hanc diem ſint edita, ſed illorum etiam, de quibus edendis cogites, quaeque jam habeas vel expolita, vel etiam inſtituta. nam illud ſupervacaneum eſt, ſi te rogem, ut cures quam plurima exemplaria Romam, aut Venetias perferenda. id nos ſcilicet operam dabimus. quod hucuſque ſucceſſit non ſatis bene: cum enim non ita multa allata ad nos eſſent, & extare non paullo plura ex iis ipſis intelligeremus, generatim hoc mandavimus Bibliopolis, ut Lipſiana omnia, & omnes libros a Lipſio emendatos, aut ſcholiis illuſtratos, undecunque conraderent, & afferrent: non eſſe periculum; atque adeo me ſibi ultro recipere, quicquid eo nomine impenderent, id ſibi pecuniae non occupatum diu futurum. ſatis enim intelligere videbar, id, quod poſtea factum comperi, fore neminem, dumtaxat paullo humaniorem, qui tuis exquiſitiſſimis, & cum ipſa antiquitate certantibus lucubrationibus carere vellet. Sed accidit illud perincommode, quod quos libros jam antea nacti eramus, Notas in Tacitum, Epiſtolica, Electa, Saturnalia; horum multa exemplaria aſportarint: quae autem magnopere expeteremus, auctos in Tacitum Commentarios, De Politica, de Conſtantia, de Amphitheatro; ea nuſquam compareant. His ſimilia ſuſpicamur eſſe non pauca, quae a praeſtantiſſimo, & paene divino ingenio tuo continenter prodeant. de quibus ſi nominatim ſcripſeris, ſcito te non uni mihi, quod ne ego quidem duco eſſe tanti; ſed plane omnibus Ciſalpinis rem gratiſſimam eſſe facturum. Vale, & me in Gymnaſio meae Patriae, haud ſcio humilioremne profeſſorem bonarum artium, an fortunae tenuioris; tamen nemini concedentem, qui tuam praeſtantem virtutem, aut magis revereatur, aut frequentius in ore habeat; habe in eo numero, quem reor eſſe

quam

quam maximum, dico eorum, quos admiratio tui quantovis terrarum ſpatio disjunctos ad te amandum, atque colendum excitavit. Peruſiae ex Collegio Seminarii Poſtrid. Id. Sextil. CIƆ IƆ XCIII.

EPISTOLA DCXVIII.

HUPPERTUS FABER UBIUS

J. Lipſio Belgae S. D.

Lovanium.

EO jam ingenii tui laus penetravit, eruditiſſime Lipſi, ut non patriis Belgii finibus contenta, ultra Alpes vaſtiſſima terrarum ſpatia pervagando ipſos uſque Latii intimos aditus penetrarit: Tua apud tuos facundia multis voluptati, grata quamplurimis, omnibus utilitati, praeſentes aut non longe diſſitos afficit Belgas, longe vero remotos Italiae populos excellens ingenii iſtius tui praeſtantia aeternis conſecrata monumentis vivi inſtar imaginis praeſentia indies detinet in ſuſpenſo magis. Quo factum eſt, ut ardentibus votis tuo teneantur adventu praepotentes authoritate magnates, avidis exoptent congreſſus; colloquia, & crebras conſuetudines tuas Illuſtres genere heroës, concordi geſtiat animo tuos ſpectare vultus omnis caterva ſtudentum, quae ex utriuſque Germaniae Sarmatiaeque extremis finibus, paternis laribus relictis, vaſtos Alpium ſaltus, tuae eloquentis facundiae capta decore, laeta & ovans de tuo in Italiam adventu certa ſpe concepta, ſuperavit jampridem te longe patens Venetum coram intueri cupit imperium: Antenorea tueri moenia deſiderant; expectat faecunda ſimul & facunda Latialis Hetruria, vetuſta Senarum Academia, ac coëva prope Piſarum univerſitas, haud diſpari ſane ambitu tuam aemulantur praeſentiam certatim: nec deſunt, qui privato affectu tui honoris avidi ſimul & commodi, omnia tibi, in Italiam relicto tandem Belgio cogitanti, fauſto eventura omine & augurari & exoptare non deſinunt. Horum primas citra injuriam omnem facile partes ſibi vendicat Illuſtriſſimus Triumvirûm coetus Venetorum, cujus fidei literariae rei cura Sereniſſimi Senatus decreto concredita, nihil habet in votis optatius, quam tua tuorumque uti ſimilium opera virorum in publica humanioris literaturae apud Patavium profeſſione, tuarum haud inſcius virtutum, nec iniquus judex eruditionis & cenſor ingenii: ex cujus albo Illuſtriſſimus Divi Marci procurator & Eques, ut majorum imaginibus, ita & legatione multiplici & propria virtutum Idea perilluſtris, Dominus *Joannes Michaëlius*, cujus ſolicite manibus tua indies teruntur jam evulgata perſpicacis judicii volumina, authoritate ſua, hortatu, ſuaſione, & tandem mandato etiam (quibus reluctari iniquum putavi) apud me effecit, has ut ad te, nec de facie, nec fama tibi notus unquam antea, inelegantes licet; affectus tamen indices integerrimi & teſtes animi locupletiſſimas darem literulas, certiſſima ſpe concepta, fore, ut quid de tuo in Italiam adventu, matura deliberatione praehabita, ſtatueris, tandem aliquando per huma-

manitatem tuam brevibus praeſcribere non detrectes. Sereniſſimi ſane Senatus ampliſſima Veneti erga te voluntas eſt, ſingularis propenſio, & paternus plane affectus, de quo tibi omnia ex integro, quod ad te ornandum remque tuam augendam ſpectabit, poteris polliceri, qui reliquis ingenii tui amatoribus ſimul & admiratoribus in nihilo cedens, aliorum oblata ultro ſalaria pari munificentia liberalitatis non indoctus lubens aequabit: ita quidem, ut caeteris paribus, cum Patavina urbs & loci celebritate, & ſcholarium frequentia, tum uberi etiam nobilium copia ingeniorum palmam reliquis propediem praeripuerit omnibus Italiae Academiis, honoris ipſam & commodi tui ſedem ſi deligendam tibi exiſtimaris, haud ab eo, quod recte factum prudentiores arbitrantur quamplurimi, parum aberrabis: Illudque ſi penes te tandem, quod optant multi, deliberate ſtatueris aliquando, ablegabit (prout Illuſtriſſimi iſtius reformatoris ſtudii Patavini Equitis *Michaëlii* fida mihi relatione innotuit) Sereniſſimus Venetiarum Senatus hominem ad te in Belgium, Italici, Germanici, Gallici etiam & veſtri Belgici idiomatis, tum itinerum maxime gnarum, cujus fideli opera & obſequio Patavium uſque deducaris: Faxit omnipotens, ut Sereniſſimi Senatus votis multorumque conceptae jampridem ſpei tua voluntas correſpondeat, & expectationi diutinae ſtudioſorum praecipue ultra montes degentium, tandem aliquando fieri poſſit ſatis. Vale, eruditiſſime vir, & me, ſi placet, ſpe Scholarem, animo ex meritis tuis clientem tuum, indignum licet, aliquo per humanitatem tuam reſponſo prima occaſione data non dedignare. Perfeſtinanter Venetiis Anno puerperii virginis CIↃ IↃ XCIII. XIIII. Kalendas Julias.

Fabrum hunc fere ignoramus, niſi quod ſuſpicamur filium fuiſſe *Huberti Fabri* Medici, cujus meminit *Melch. Adamus* in vitis Medicorum pag. 136. unde patet eum Coloniae Medicinam feciſſe, ubi & hic noſter natus eſſe videtur.

EPISTOLA DCXIX.

ROBERTUS BELLARMINUS

J. Lipſio.

Lovanium.

CLariſſime Domine. Accepi literas, & correctiones, quas ad me miſiſti. percurri breviter utrumque cum P. *Franciſci Bencio*, tibi ſane addictiſſimo. Placent pleraque. ſed quoniam ab aliquot jam menſibus ad congregationem indicis non acceſſi, ob alias occupationes meas; non exiſtimavi meum eſſe de his rebus ſententiam ferre. ſi qua in re juvare potero cauſam tuam, libenter faciam, ut non ſemel feci, ipſo *Bencio* teſte: diligo enim ingenium, doctrinam, &, praeter caetera, candorem tuum. Vale, vir praeſtantiſſime, mei memor in precibus tuis. Romae die 31. Julii 1593.

1 Reſpicit correctiones Lipſii in Politicis, quas ad *Bencium* miſit. vide Epiſt. LXXIII.

EPISTOLA DCXX.

CAES. BARONIUS

J. Lipſio. S. P.

Lovanium.

LEgi litteras, quibus adeo benevole ad ineundam inſolubilem tecum amicitiam provocas. Quid eſt, mi Juſte, quod adeo liberaliter offers, quod magnum mihi fuerat pretio redimendum, & plurimis officii demerendum? At vero num, quod merces ultroneae ſint, vileſcent? minime gentium, ſed majori a me aeſtimandae pretio, quod ſine pretio oblatas accipio. Quod mearum partium eſt, conabor omni officio amicitiam tantam excolere: tuaque cuncta perinde, ac mea curare. Bene accidit his diebus, ut reclamante me & aliis quam plurimis, a ſanctiſſ. D. N. Index vetitorum librorum jam cuſus, ipſe ne vendatur, vetitus ſit, quod multa in eo reperta ſint emendatione digna: complures credo volventur menſes, antequam diſcrepantium ſententiae in unum conveniant: Tu vero, mi Juſte, opportune hac bene utere occaſione. Quantum autem tibi tribuam, ex hoc accipe; quod te meorum ſcriptorum perpetuum habere cupio, cognitorem, monitorem, atque cenſorem: erunt noſtrae amicitiae ſigna, ſi cum me diligas, noſtra etiam in te ſuſcipias. Vale. Romae pridie Kal. Auguſti an. D. 1593.

Reſponſio ad Cent. ad Italos Epiſt. ix.

[1] EPISTOLA DCXXI.

CAES. BARONIUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

N*Icolaus Micaultius*[2], qui mihi binas literas a Te eodem exemplo ſcriptas dedit, ea de ſtudiis, & lucubrationibus tuis, deque praeclara tua pietate mihi narravit, quae me ſumma voluptate, incredibilique deſiderio auxerunt tui videndi, amantiſſimeque complectendi. Quod vero *Micaultium* nobilem, & ornatiſſimum virum, veteremque tuum auditorem diligentiſſime mihi commendas, facis tu quidem quod doctiſſimi viri diſcipulorum, ſui ſimilium amantiſſimi, facere ſolent, ut quos ipſi ſua diſciplina, ſuique imitatione eruditos, omnibus amabiliſſimos effecerint, ipſos tamen etiam propter ſe amari velint. In quo quidem, Juſte Lipſi, & voto, atque expectationi tuae

1 Reſponſio ad Lipſii Centur. ad Italos. Epiſt. LXXI.

2 *Nicolaus Micaultius*, *Boiſoti* ſororis filius, diſcipulus *Lipſii* & Theologiae Licentiatus. vide ad Italos C. ntur. Epiſt. 58. Ad eum aliquot Epiſtolae inter *Lipſii* editas. vid. ad Italos Epiſt. 59. poſt Italicam peregrinationem in Belgium rediit, & Tornaci videtur ſedes fixiſſe. vid. II. Cent. ad Belg. 66. obiit in flore aevi, & via ad honores An. 1602. vid. IV. Cent. Miſc. 46. & V. 12.

tuae ſatisfaciam, ſeu potius (ut aperte ſcribam id quod res eſt) aliqua ex parte ſatisfeci. *Micaultio* enim tua primum, tum vero ſua ipſius cauſſa, poteſtatem feci ad me quotieſcunque veliet, familiariter veniendi, utendique ſuis in rebus opera mea, illam ad omnia humanitatis officia, cum occaſio tulerit, paratiſſimam experturo. De Te autem, Juſte Lipſi, quid dicam? In ſumma expectatione apud me eſſe adventum tuum; qui tametſi appropinquet, tamen & itineris longitudo, & aetatis, ac valetudinis tuae imbecillitas ſolicitat animum, & ſuſpenſum reddit. Sed iturienti malo bene ominari. Opto igitur, ac ſpero, qui Tibi ad hoc quidquid eſt viae, duce pietate, ac religione, magnum, fortemque animum dedit, eundem ſalvum, & incolumem praeſtaturum, donec ad Urbem tui amantiſſimam perveneris. Vale. Romae Decimo Cal. Julias CIƆ IƆ XCIX.

EPISTOLA DCXXII.

J. LIPSIUS

J. Sargelſio S. D.

Lovanium.

PRo benevolentia tua gratiam habeo & debeo. ſcio tuum aliorumque, quibus doctor olim fui, animum in me propendere. & Carmen ſane illud, cum primo legi, mihi quoque viſum in me eſſe, & oblique tangere. nunc, cum examino, aliter eſſe video, neque aliud dictum Auctor voluit, quam nullum ingenium, aut aciem eſſe, quae in tanto myſterio aliquid cernat. *Scaliger*, inquit, *alas non habet.* ita viſum illi alludere. *Lipſius hîc lippus.* Iſta vera ſunt. & corporis aut rationis oculis quid hîc cernamus? fides eſt, quae ſublevat & inſtruit, & jubet illi credere, qui quod voluit fecit. verba ejus in hac re clara, quid ambigimus, niſi ſi quis ambigit, ipſum eſſe Deum? hoc ſatis, mi Sargelſi, & in poſterum, etiam ſi quis me tangat, aut petat, ne mirere, nec affectui tuo nimis indulge. haec ſemper fuere, haec ſemper erunt, morſus, dicteria, convicia in eos, qui veritatem extuliſſe videntur ſupra vulgus: Auctor dat intelligi ſuum nomen, & ego id facile divinem. Lovan. XV. Kal. Sept. CIƆ IƆ XCIII.

EPISTOLA DCXXIII.

JOANNES BOISOTUS

J. Lipſio.

Lovanium.

REtulit mihi nepos meus D. *Nicolaus Micault*, te horti cultorem plantis peregrinis, maxime coronariis plurimum delectari: ideoque gratum tibi fore, ſi munuſculum aliquod herbarium ad te mitterem. Qua in re deſiderio

tuo ſatisfacere cupiens, mitto plantas aliquot melioris notae, & maxime nunc expetitas, velut arrhabonem contrahendae tecum amicitiae. Eas, cum ſint alſioſae, teſtis ſecurius, quam horto committes. Mitto aliud, munus appellare vereor, ſcriptum ſcilicet quoddam, quod an voluptati, an faſtidio tibi futurum ſit, neſcio. Ejus mittendi haec fuit occaſio. Libri tui de cruce cenſura commiſſa fuit a collegis D. *Nicolao vanden Brande*, tibi quondam noto, mihi nunc familiariſſimo propter rei herbariae commune ſtudium. Is mihi ejus ad breve tempus copiam fecit, ſciens me ſcriptis tuis valde delectari, & argumentum hoc mihi cordi eſſe, de quo aliquando mihi ſermo cum eo fuiſſet, occaſione verborum Chriſti Joan. XIX. quibus Petro crucis ſupplicium praedixit: quae cum olim me torquerent, neque ſatisfacerent commentarii tractatorum, animadvertens eorum intelligentiam a modo crucifixionis dependere, inter legendum autores obſervavi quaedam ad hoc crucis argumentum petinentia, ex quibus coepi cogitare de tota crucifixionis ratione, conjectura ſupplens quae minus expreſſa inveniebam, neſcio quam ἀστόχως. Ea dubitavi aliquantiſper an tibi communicarem: verebar enim tibi aliquid ejus generis offerre, λόγους τῇ Ἀθηνᾷ. Et omnino non fuiſſem auſus mittere, niſi haec ſeſe obtuliſſet opportunitas ſimul mittendi plantas, quae, ſi minus illa palato tuo ſaperent, pro condimento eſſent, non e paupere penu depromptae, ut illa, ſed ex horto ſatis divite ſelectae. Si quid tamen in illis invenies quod inſtituto tuo ſerviat, aut ſi quid in aliis opera mea tibi conferre poterit, & ſcripto & ſcriptore tanquam tuis utere. Deus te ſtudiis & ſtudioſis diu ſervet incolumem. Bruxellae 10. Cal. Septemb. 1593.

Ad crucifixionem pertinere omnia illa Chriſti verba, quibus Petro mortis genus praedixit, verbis expreſſis Joannes ipſe cap. XIX. teſtatur. *Amen, amen dico tibi, cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis Hoc autem dixit ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Hic locus ſi diligenter excutiatur, & cum illo conferatur, qui eſt in tragoedia D. Gregorio Nazianzeno aſſcripta, quem recte tu quoque produxiſti, crucifixionis modum maxime mihi videtur repraeſentare, & velut oculis ſubjicere. Erigi ſolere cruces ante ſupplicium verba illa, indicant (*& ducet quo non vis*) οἴσει ὅπου οὐ θέλεις, *feret quo non vis*, (*feret* vertit interpres quem ſecutus eſt D. Auguſtin. epiſt. 65. & 120. cap. 10. in fine capit.) de ſubductione in crucem, non de deductione ad ſupplicium intelligenda: quemadmodum & illa quae praecedunt (*alius te cinget*) de fune, quo cincti tollebantur in crucem, & eidem aſtringebantur. Alioqui non magis ad crucem, quam ad aliud quodlibet ſupplicii genus pertinebunt, neque verbis illis apte cohaerebunt (*extendes manus tuas*). Crucis erectionem probat etiam locus ille. 1. Eſdrae VI. cap. *Ut omnis homo, qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem ejus publicetur.* Eodem referenda ſunt verba illa tragoediae, οὐρανοδρόμῳ ξύλῳ ἀνῆγον, ἦγον, ἦγον, εἰς ἄκρον πέλος. Conveniunt centones ex Homero & Virgilio collecti per Probam Falconiam. Aſtrictio-

nem

nem ſive alligationem confirmat illud Tertulliani cap. ultimo Scorpiaci ad Gnoſt. *Tunc Petrus ab altero cingitur: cum cruci aſtringitur.* Et Theophylactus hic, τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ἔκτασιν, καὶ τὰ δεσμὰ δηλοῖ. Huc refero illud ex centonibus praedictis:

Ille autem impavidus, quo vincula nectitis, inquit.

Et verba illa tragoediae, ὀρθὸς δ' ἐς ὀρθὸν αἰθέρ' ἐστηρίζετο. Nam de confixione clavorum tribus verſibus qui ſequuntur agit. Haec autem vincula prorſus erant neceſſaria, ſine quibus rei dolore vulnerum ſeſe vehementius exagitantes, facile ex alto praecipitarentur. Manebant autem etiam poſt confixionem. Crucifixionis igitur modus aut hic, aut huic proximus mihi fuiſſe videtur. Cingebatur cruciarius ſub axillis fune ſatis longo, qui poſt tergum ſic nectebatur, ut a nodo partes ejus aliquot pedum ſupereſſent. Admovebantur cruci, ſcalae ternae, unae ligno erecto, aliae tranſverſo utrimque incumbentes. Arripiebant milites ſive lictores partes illas, quas dixi, funis, & damnatum per ſcalas medias, ipſi per alias illas aſcendentes, trahebant ad ſummum uſque crucis, & ſuperiori ejus parti, quae ligno tranſverſo ſupereminet, eodem fune aſtringebant, aut ſi illa deerat, ipſi ligno tranſverſo, qua parte cum recto concurrit. Manus deinde, prius etiam ligatas, eidem ligno clavis affigebant: poſtea pedes πήκτῳ ξύλῳ, hoc eſt, ut mihi videtur, terrae infixo, non autem tabulae, de qua Gregorius Turonenſis, quae videtur a pictoribus, aut ſtatuariis originem duxiſſe, parum probatis autoribus. Ea nihil opus erat, cum funis ille, de quo jam diximus, ejus vicem abunde ſuppleret, qui non uſui tantum crucifigentibus erat, ſed etiam crucifixis ſolatio, corpora eorum ſuſtentans, ne ſolis clavis inniterentur. ut de hac quiete fortaſſis intellexerit Irenaeus lib. 2. cap. 42. *quae in media cruce fuerit*, hoc eſt (ut mihi videtur) utriuſque ligni commiſſura. Hanc vinculorum & clavorum imaginem graphice depinxit D. Hilarius lib. 10. de Trinitate ſic ſcribens. *Sed forte penduli in cruce corporis poenae, & colligantium funium violenta vincula & adactorum clavorum vulnera ſunt timori* &c. Has autem aſtrictiones, & vincula videntur in ſacrificio Miſſae repraeſentare tam zona illa, qua ſacerdos albam praecingit, quam manipuli.

EPISTOLA DCXXIV.

FREDERICUS AB HELBACH

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

NOn immemor ſalutationis reverendae in veſtibulo literarum, te amanter & officioſe ſaluto, Lipſi Nobiliſſime, Doctorumque, quos aetas noſtra videt, acutiſſime. Nam hoc requirit obſervantia in te noſtra, multis repetita ſignificationibus amoris & benevolentiae noſtrae. Sed quod ab homine plane ignoto proficiſcantur literae, demirari deſine. Facit tua fama lau-

laudatiſſima, facit meum te compellandi ardens ſtudium, jubent praeterea idipſum res meae, quae ſcopus ſient literarum. Ergo nunc ad rem accedo ipſam. Eo tempore, quo Jhena te profeſſorem agnovit clariſſimum, parens meus p. m. [1] *Wendelinus ab Helbach* p. l. Quaeſtorem egit in arce Dornberga ad Salam, ut forte noviſti, indeque ad E. T. Chronicon aliquod Thuringicum miſit, manuſcriptum (ſicuti jam compertum mihi eſt in annalibus ejus, cujus Bibliotheca ad mea jam pridem eſt delata,) eo nimirum animo, ut limam tuam operi adhibere debuiſſes, ſiquidem motus fama tua celeberrima, ſic tecum amicitiam inire voluit, niſi praeter ſpem, tam ſubito fuiſſet avocatus. Proinde cum hoc tempore [2] *Cyriacus Spangenbergius*, operam ſibi inſumit conſcribere res geſtas Thuringorum, datis ad me literis obnixe rogavit, ut Chronicon illud ad menſes aliquot ſibi concederem. cujus conatus tu quoque, mi Lipsi, valde juvare potes, quoniam Hiſtoriarum ſtudio te totum addicis, & quidem ab eo tempore, quo fama tua incepit pervolare Oceanum noſtrum longe lateque, ferentibus hoc declamationibus tum habitis, quas partim mei fratres tui diſcipuli, partim alii notarunt diligentiſſime. Atqui ut non ſolum amicis lubens gratificor, ſic hoc in primis ſtudio, (quo delector maxume,) quos juvare poſſum, nihil praetermitto, ni obſtant impedimenta, quo minus id effectum a me detur. Id circo rogo & obteſtor, ut ad me Chronicon illud transmittas, ne inani ſpe fruſtrer D. *Spangenbergium*. Eſt quidem tempus praeterlapſum haud exiguum, interim frivolum putandum arbitrarer, ſi labores parentis negligerem. Ego, ſi dignum judicas dulciſſima tua amicitia, efficiam, ut intelligas, me tuae Excellentiae ex animo favere, & omnibus viribus enitar ſedulo, uti tibi pari modo queam gratificari. Si placet reſcribere, literas mittas Francofortum in aedes *Nicolai Baſſaei* Typographi clariſſimi, cujus manus ſedula ad me perferri curabit. Hiſce, mi Lipſi, in tutelam omnipotentis Dei te committens. Vale. Dabantur Kyrnae ad Navam fluvium Kal. Septemb. Anno 1593.

1 Hujus luſum Poëticum de Cauſſis nigredinis memorat Lipenius in Bibl. Philoſ. t. II. pag. 996. hoc anno Erfortiae editum.

2 *Cyriaci Spangenbergii* vitam edidit *Joh. Georg. Leuckfelds* Quedlinb. A. 1712. cui pag. 81. catalogum ſcriptorum ſubjecit, inter quae nulla mentio chronici Thuringici. ſed A. 1572. Mansfeldicum lingua vernacula edidiſſe dicitur, ſed primam tantum partem, cum reliquae partes perierint; Querfurtenſe etiam chronicon edidiſſe dicitur A. 1590. & Hennebergenſe A. 1599. Comitum Holſatico-Schaumburgenſium A. 1614. poſt ejus mortem prodiit.

EPISTOLA DCXXV.

[1] ANDREAS HOJUS BRUGENSIS,

Juſto Lipſio S.

Lovanium.

JAm aetatem propemodum tecum, clariſſime Lipſi, abſente & inviſo, collocutus. tot jam annis, inquam, & toties, dum ſcripta tua, omni doctri-

1 De *Hojo* vide Valer. Andr. Bibl. Belg. & Sweertii Athenas, & Sander. de Brugenſ. Erudit. pag. 16.

ctrinae genere expolita, & cum antiquis certantia, nulla hactenus ſatietate, volvo, revolvo, candidam iſtam animam, cum omnigena ſcientia, tum virtute mactam, amplexus; hujus, qui & affinitate te contingeret, & iſthuc ad vos proficiſceretur, opportunitate utendum mihi exiſtimavi: per quem & litteris, licet incomtis, te compellarem, & incredibilem mei erga te animi adfectum declararem. Certa patriae, certis jam tum animorum in re religionis inter cives diſſcidiis, mox in ſummas calamitates prolapſurae praeſagia, me in Atrebates, gentem uti religioſiorem, ita a politiore iſta litteratura abhorrentiorem, extruſerunt: ubi jam per annos prope viginti, dum patria interea turbat, publicam inſtituendae juventuti operam dedi. nuper admodum, ſingulari Dei beneficio, ad hanc regiam apud Doacenos Graecarum litterarum profeſſionem, honoratam quidem, ſed in tam maligna regiarum penſionum diſſolutione praetenuem; e trivialium ſcholarum tenebris, ceu in Academiae lucem, provectus. Teſtes mihi, quibus, in magna paenuria, per Atrebatenſium tractum humanitas & politior muſa cordi (inter quos[2] *Moſchus*, *Jamotius*, & piae memoriae *Pamelius*, quique ad nos ſubinde viſit *P. Scondonchus*, *Modius* denique, meus olim Brugis diſcipulus) quam mihi frequens in omni doctiorum colloquio *Lipſius*; quam mirificum Lipſiani nominis hîc propagandi ſtudium: dumque omnia ad Lipſianae eruditionis (ad quam etſi nulla ex parte adtigi, admiratus ſum ſemper) amuſſim expendere contendo, quam contumelioſe (glorioſe, volui dicere) a ſemidoctis φιλολιψιάδης καὶ φιλαρχαῖος audiverim. De *Modio* fortaſſean, modo ne grave tibi ſit & moleſtum, alias plura: niſi ipſe te de rerum ſuarum ſtatu ante fecerit certiorem. Haec pauca vix a meo pudore ad te expreſſi, quae ſint ceu quaedam impudentiae experimenta. Hoc tantum habe, quod ingenue dictum accipi velim, Hojum hunc, qui pro re nata frontem perfricuit, animi candore, & in Lipſium fide, *Giſelinis*, *Lernutiis*, aliisque id genus raris animis, non ceſſurum. Vale, unicum Belgicae noſtrae ornamentum: eamque immortalibus ingenii tui monimentis exornare perge. neque nos, tuae in omni doctrinarum genere praeſtantiae admiratores, ſperne. Duaci, prid. Id. Octobreis 1593.

2 *Franciſcus Moſchus* Nivellenſis, de quo vid. Valer. Andr. Biblioth. pag. 235. *Fridericus Jamotius* Medicus & Poëta, de quo idem pag. 216. *Pamelius* & *Modius* ſatis noti literatis.

EPISTOLA DCXXVI.

ANDREAS HOJUS BRUGENSIS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

AMor in te, clariſſ. Lipſi, crebrius me ſcribere impellit: modeſtia, ut appellas, pudorem ſubruſticum dixerit morum meorum prudens, a ſcribendo revocat; & in publica commoda rei litterariae, peccare vetat, ſi crebro ſermone morer. noſti caetera. Audentem tamen me fecit tuae epiſtolae clau-

clauſula, *me fruere, & Colloquia haec litterarum non ſubducam.* &, quod tum juſſiſti, *Modium* monui, ſilentium abrumperet, teque cupientem rebus ſuis participaret. Sui huc adventus ſpem nobis, aliquot jam dierum hebdomaſin, injecerat: in Cimbricamne legationem a vetere Hero, Egmondano, abductus! & multo ante reſponderat (generoſum agnoſcis Adoleſcentis, nunc Viri & ſacris quidem initiati, ingenium) neſcire, cur ab ipſo potius officium hoc litterarum requireres, quam tu prior ſcribendo exemplum ipſi de te praeberes ad morem illum priſtinum veſtrum redeundi, ultro citroque de rebus veſtris inter vos participandi. ſcribam tamen, inquit, & illi, ut ſcias mihi tua monita, mi praeceptor, pro imperio fuiſſe. Itaque quid ipſe praeſtiterit, neſcio. niſi in Cimbros, brevi certiora. In *P. Fabro*, Agoniſtici laborioſo collectore, tecta occulto livore Gallorum ingenia (qualis olim in *Eraſmum Boudaeus*) agnovi. ni id crimen moroſae ſenectuti imputemus. ſed uti nuper Gallo-Italus Orator, ita & nunc Toloſas iſte J. C. moderationi tuae (Admonitioni modeſtae) ultro cedet. in quo ſtyli laxitas, utrumque nolit, prae tua nervoſa & inimitabili brevitate mihi certe putet. variam licet rerum cognitionem & multifariam lectionem juxta mecum mireris. Leviora ſunt illo pilorcii & aliorum minutulorum, quam lubeat vel meminiſſe. Inultam, quaeſo, ne ſinamus *Chriſt. Florentis* impietatem, ſive impiam & impudentem, non modo in ſanctiſſ. pont. Gregorium primum, ſed in ſacroſanctam univerſi Romani pontificatus dignitatem, calumniam, ſuis ad Andromacham Euripideam Notatis: & praefationem fanaticam. cujus certe mihi non tanti eſt verſio, ut hominem tam maledicum odiſſe non debeam. Riſimus ego & *Jamotius* (qui a *Nanſio*, noſtrate, hactenus ignoto, δευτέρας φροντίδας, in Nonnum, una cum litteris acceperat, prioris editionis prorſus inſciens, mirificas illas ἀστοχίας, *Sic, vel ſic lege* &c. nulla Codicis, ut praefert, fide, ſed ex ingenio, grandiloquis Aegyptii poëtae verſibus, ſiqua deficiunt, futileis ſuos & extemporales, ceu tibicines, ſufficiens. Tu quid cenſeas, ſcire avemus. Hujus noſtrae Academiae perpetuus Genius, non contemnere, ſed penitus humanitatem omnem, Παιδείαν dico ἐλευθέριον, ignorare, idque unum obſtinate velle. [1] R. D. *Heribertus*, Ultraject. cui haſce ad te, e medio praeclari ſui in litteratura, uno ut verbo complectar, Lipſiana, augenda & inter ſuos propaganda, conatus curſu, nobis eripitur, tuo conſpectu adloquioque non infrequenti, uti ſperat, beatior futurus. Verum impudentiae noſtrae, ſive τῇ φλυαρίᾳ ἀκαίρῳ frena ut adducam modeſtia pudorque monent, & te, optime virorum Lipſi, valere quam belliſſime, diuque nobis & reip. litterariae Belgarumque gloriae ſuperſtitem eſſe, Deo bene favente, jubeam. Duaci, xv. Kal. Octobris 1594.

1 *Heribertum Roſweidum* intelligi puto, quem Duaci didiciſſe & docuiſſe Philoſophiam ſcribit *Valer. Andreas* in Bibl. Belg.

EPI-

EPISTOLA DCXXVII.

J. LIPSIUS

Andreae Hoyo S. D.

Duacum.

H*Eribertus* noſter tuas mihi tradidit, boni & ſinceri animi teſtes. Vidi, libens, fateor, candida judicia ſine livore, ſine aemulatiuncula, & iis affectibus, quibus paucos litteratorum carere hodie utinam ne vere dicam. Ille quidem Vir, de quo ſcribis, e Gallia, quo noſtro merito invaſit? laudavi prolixe ubique, & vereor, ut non ſemel peccaverim in hanc partem: ut natura benignus ſum, & pronus in benedicta, atque etiam beneficia qua poſſum. Ille quid repoſuit, niſi morſum & non occultum livorem? Atqui enim erravimus alibi. Scilicet ipſe, aut alii immunes, & caſti ab hac culpa, imo omnes, quot vivimus, quot ſcribimus, labimur, lapſi ſumus, & labemur

Οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ, οὐδ' ἔσεται, οὐδὲ γένηται.

qui aliter, & qui vel hîc ſe jactet. ſed omitto illum, atque alios, non ignarus perpetuae hujus legis, cum fama invidiam creſcere, & hanc eſſe flammae illius fumum. mihi certum ſilentio, & modeſtia haec refutare, & praeſentibus poſteriſque calculum tradere de ſcriptiunculis noſtris. modeſtia, inquam, amata mihi inter omnes, imo ante omnes virtutes. & quam Vir ille magnus parum uſurpaſſe videtur in novitio ſcripto. At *Florens* ille quid ſibi voluit? & quam mihi impoſuit? Nam ego habui hominem inter puros & priſcos, quod ad ſenſum in pietate attinet, & ſic acceperam a magnis Viris; falſum me video, & fallent plures, vereor, qui in lubrico hoc temporum lapſabunt aut cadent. De *Modio* nolim equidem urgeri. Abunde appellationum & ſcriptionum nobis eſt, & quod ejus tamen elicueram, factum per amorem, qui, vetus in nobis ſedet. Reſponſum quidem ejus parum condignum ſuavitate priſca videtur. Jacere optimas iſtas artes apud vos jam diu audio: Quid mirer? in pleraque Belgica, nec per Martiales hos tumultus facile attollemus aut erigemus. Quid hîc cenſes? Leve pretium, & niſi pietas ac patria teneant, ego jam pridem ad exteros, qui non uni, nec ſemel vocant. Obduremus, Deo & bonis nos probemus, mi Hoye. Vale. Lovan. poſtridie Idus Octo: 1594.

EPISTOLA DCXXVIII.

ANDREAS HOJUS

J. Lipſio ſuo S. D.

Lovanium.

QUum *Breugelius* tuus, probus & candidus Juvenis, hinc ad vos cogitaret, & pro ſuae humanitatis officio de litteris, ſiquid ad te vellem, inter-

terpellaret; vacuum a me abire non ſum paſſus. Paucis ante annis Tragoedias, pruriente ſtylo effutitas, in pueritiae gratiam, emiſeram: ſupererant aliquot apud me exemplaria, nulli uſus. ſilvulam poëmatum, nihili & nugarum adcudendam curavi, & ceu novum munuſculum Amiculis obtruſi. Tu eam in partem pariter accipies; & una mecum, cum ſpectatis hîc ſodalibus, *Moſcho* & *Jamotio*, tui abſentis ſtudioſiſſimis, te oblectabis. Tuarum litterarum exſcriptum accepi pridem, quibus meum tibi judicium probari de Celtis illis, an Aquitanis? magnopere ſum gaviſus. οἱ τῶν θεολόγων παῖδες novam parant in libros & ſcripta cenſurae ſecurim. Bibliothecarum, ſi minus perniciem, ſaltim deformationem. Male ſit illis Germanis & Gallis, qui proba, inſincera, certatim excudunt & extrudunt. D. E. *Cuykius* veſter auſpex, tu moderator eſto. per occupationes pluribus in praeſentia non licuit. Vale, optatiſſime hominum Lipſi, quem videre, amplecti, adloqui aveo. Duaci, A. D. VII. Id. Maj. 1595.

EPISTOLA DCXXIX.

ARIAS MONTANUS

J. Lipſio. S. P.

Lovanium.

SI judicio votoque erga te meo par quoque accederet facultas, nemo profecto mortalium majori familiaris copia rei, majore & liberiore auctus eſſet otio, quam tu: quippe cui utraque haec ad publicam ſtudioſorum hominum utilitatem uſurpatum iri certo ſcirem, viro cumprimis pio ac pietatis conſtantia mille modis explorato ac probato, eidemque omnium, quos noſtra laudare debet memoria, bonarum literarum ac totius humanitatis peritiſſimo, in colendis amicitiis conſultiſſimo & plane candidiſſimo. Ex qua vel unica inter complures iſtius ingenii virtutes mihi perſuaſi, voluntatem apud te meam officiorum raritati ac tenuitati pondus & numerum ad gratiam ſufficere: unde audacter, imo & libenter gaudensque per *Ludovicum Pereſium*, communem amicum, & mihi cariſſimo fratris nomine dilectiſſimum, exiguum illud munuſculum, amicitiae, inquam, noſtrae argumentum repetito etiam tibi porrigendum curavi, cujus alias, niſi te noſſem, ac me tibi notum credidiſſem, non poeniteret modo, ſed valde etiam puderet. verum eo jam ſum conſilio atque animo, ut non arbitrer a te poſtulandum, noſtram ut ſimplicitatem boni conſulas, quem plane novi invidentum ac detractorum, imo & perverſorum judicum importunitates, modeſtia, comitate, patientia, imo & chriſtiana caritate vincere ac reprimere ſolitum. Illud vero tibi de me conſtare cupio, quod & credo per *Plantinum* noſtrum (meum heu perpetuum deſiderium) conſtitiſſe, neminem cujuſvis ordinis hominem proximis annis, dum tu apud Batavos lateres, magis quam degeres, quicquam de fide pietateque tua, deque tuo erga communem rem & religionem ſtudio, vel dubium haeſiſſe me

prae-

praeſente, vel quicquam detraxiſſe impune: jamque eo in loco nominis tui ornamentum apud nos eſſe, ut candidorum ac bene tibi cupientum gratulatione nunc exultem, rurſuſque naſutorum atque invidentum antea nunc minime occultato ac diſſimulato rubore rideam. Habes hac in urbe aequiſſimos tibi non paucos in his literarum ac virtutis nomine praeſtantes, *Simonem Tonarem* nobilem Luſitanum, *Lucianum Nigronum* & *Paciecum* Theologos & Canonicos, *Franciſcum Sanctium* Aeſculapii ſpiritu plenum, & in extrema Bethica *Petrum Valentiam*, rariſſimum noſtro aevo pietatis & eruditionis exemplum, quos nominatim ideo recenſeo, quod nunquam de bonis diſciplinis locutos, niſi te centies ad laudem nominato audierim. vale & nos, ut facis, ama. Hiſpali ipſis Jeſu Servatoris natalitiis. CIↃIↃXCIII.

Eſt reſponſio ad Lipſii Cent. ad Ital. Epiſt. IV.

EPISTOLA DCXXX.

BENED. ARIAS MONTANUS

J. Lipſio viro Doctiſſimo & Clariſſimo S. D.

Lovanium.

QUas ad me noviſſime dederas ſerius jam demum perlatas ante menſem accepi, gratiſſimas illas quidem, utpote a te profectae, atque indices bonae valetudinis tuae pro tempore, quo conſcripſeras. Hoc enim cumprimis mihi in votorum ſumma eſt, ut quam optime tu valeas, aetatis noſtrae decus & magnum ſtudioſorum omnium non modo adjumentum, ſed incrementum etiam: ſecundo vero loco, ut familiari re ita commode inſtructus agas, ut de honeſto victu ſecurus publicae bonarum literarum rei (ut hactenus feciſti & facis) promovendae perpetuo inſudes, magni certus praemii non tam ab hominibus, quam a Deo, utilitatis publicae ac virtutis verae liberaliſſimo Patrono expectandi. Cum vero utraque haec pariter tibi ſemper cupierim, non potui non dolere tuam vicem, cum tecum non uti dignus es, iſthîc agi, ex tua intellexi epiſtola. Equidem quippe audieram, non tantum per Academiae noſtrae Lovanienſis Praefectos, verum per Belgii ordines, atque etiam per noſtrum Regem tibi benignius fuiſſe proviſum, id quod ſecus habere, adeo graviter tuli, ut quamprimum D. *Garſiae Figueroae*, (quem tibi magnum amicum jam pridam comparare curaveram) indicarim epiſtolae tuae capite, in quo de hac re nonnihil ſignificabas, deſcripto ac tranſmiſſo. (diſtamus nunc loco, ut forte noſti, ego & Aulici.) id quoque viro optimo ac tui ſemper memori curae mandavi, ut partes tuas apud D. *Johannem Idiaquez*, Regi noſtro ab intimis conſiliis, amice pariter ac ſedulo ageret, meiſque verbis indigne ferret, te eo occaſionis anguſtiaeque redactum, ut Itali, Galli, Germani, aliaeque gentes ſolum vertere ſolicitent virum, ultra ſingularis doctrinae exemplum, bonum, pium, cumprimis catholicum, ac regi ſuo, ſi quiſpiam alius, fideliſſimum. Quod ſi tibi ea de cauſa commigrandum foret,

 opta-

optare me ad nos potius, *te vitae, ſi qua mihi ſupereſt, gratiſſimum excipiendum ſocium, & ſupellectilis noſtrae quamlibet curtae communicatione, imo ac donatione ex aſſe afficiendum.* Hac noſtra querela quantum uterque commotus fuerit, ex utriuſque reſponſis cognoſces, quorum, quae ad te attinent, capita eodem germano ſermone (quem ut arbitror) calles, iiſdem verbis legenda in hac ipſa deſcribo charta. Quare te oro atque obſecro, mi Lipſi, ut quam nobis Conſtantiam doctiſſimis libris pinxiſti, quamque vitae hucuſque atque animi integritate expreſſiſti, deinceps porro (ut de te polliceor) praeſtes, & iſto etiam hactenus facto fortunarum periculo noſtris Regi ac Principibus viris probes, commodam tibi poſthac & utilem (uti confido) evaſuram: ex me vero omnia, quamquam tenuis, veteris tamen & amantiſſimi ac fideliſſimi amici, quae conſtare in te poſſint, officia certus expectato. Vale. ex Rupe noſtra Aracinenſi Non. Auguſti CIƆ IƆ XCVII.

EPISTOLA DCXXXI.

MELCHIOR ZOPPIUS

V. C. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

DEdit mihi e loculo tuo ſtrenam pridie Natalitia *Morus* Mantuanus, te inſcio, utinam ne invito; ſi conſenſeris, gratias tibi potiores habebo; ſin dedignabere, omnino eidem *Moro* ago maximas. Bibliopola venale habebat tuum de Cruce opus, dicerem opuſculum, ſed nihil eſt tam parvum mole, modo tuum, quod non ſit idem pondere magnum: hoc dum ipſe mihi eflagitarem, ut qui nomine Lipſii mirifice capior, lectione detineor; *Morus*, qui forte aderat, Invidesne, inquit, habenti chirographum aliquod auctoris iſtius? Invideo plane. Tum ille produxit epiſtolam ad ſe tuam, diligenter adſervatam, uti rem vere praecioſam. Protinus invidiam fudit laetitia, quod vivis Lipſi, quod remp. litterariam locupletas, quod noſtrates diligis. Sed enim geſtiente me, & addente quae ſoleo, tribuenteque mihi eam in nomen tuum obſervantiam, quae omnes antecellat, controverſari inter nos coepimus, uter tui ſtudioſior eſſet. tu Judex decernito, audi argumenta. *Morus* Pythagorizat, probat omnia tua, miratur, decantat illud. Ipſe dixit. *Zoppius* contra, Peripateticorum more, ita expendit ſingula ut addubitet: ſic enim Ariſtotelem ipſum ſtudioſiſſimi quique verſant, ut primum oppugnent. Dux tu mihi es conſcribendae coenae idiomate Italico, quippe a latinitate, & tua me gravitas, & mea ipſius ex auctoribus, qui mihi Philoſophiam profitenti contrectandi ſunt, hauſta barbaries deterruit. ſed audeo interdum aliquantiſper deflectere de ſignatis veſtigiis. Interpungis tu Plautinum Curculionem ſuper *jactu baſilico. Invoco almam meam nutricem Herculem: Jacto baſilicum*; ingenioſe admodum, appoſite neſcio an nimium. nam ſi Paraſitus obtinuiſſet ob jactum, quomodo clanculum militi obdormienti ſurripuiſſet anu-

lum,

ſum, quod oppoſitum fuerat pallio? quomodo aſſereret, ſe militem eluſiſſe, quem viciſſet? quomodo caedente eum milite non cauſſam ſaltem afferret, victoriam? mitto, quod ipſe propinat poculum militi, hoc autem in Aſinaria datur vincenti: *Venerium eſt pueri* &c. nec me cohibet illud Stichi. *Multabitur poculo*; quippe ambigo, an oblato, an potius ablato id poculo fieret: ſed ut dixi id miſſum facio. conjicio ego jactum quattuor vulturiorum Hercule baſilico potiorem. emendas praeterea Stichum ſic. *Haud poſtulo equidem medio in lecto accumbere*; praeclare; ſed mihi ſubſequens verſus veterem antecedentis lectionem confirmat. *Scis med. eſſe* &c. addo quod Epignomo cauſanti plenos eſſe lectos reſpondet Paraſitus, non *poſtulare ſe lectum*, *ſed ſubſellium*: cui & illud reſpondet. *Potius in ſubſellio cinice.* &c. *cinice* forte innuit menſam viliorem, quae dicitur ab Horatio *menſa tripes*. extat jocus Diogenis ex ſcipione & cruribus tripedem ſibi menſam conficientis. Argutamur, Lipſi, plerunque praeter artem, ignoſce caliganti ingenio. quod ſi ſatisfeceris, diſcentes erimus, non diſſentientes: quis enim tecum congredi praeſumat, eorum praeſertim, qui ex dumetis Philoſophiae animi tantum cauſa in iſtiuſmodi viridaria divertuntur? ignoſce, quaeſo, & me ama, qui te vere amo, & obſervo. Vale. Bonon. VII. Cal. Januarii. CIↃ IↃ XC IIII.

Reſpondet Lipſ. Cent. ad Ital. 23.

EPISTOLA DCXXXII.

J. LIPSIUS

[1] *Adriano Romano.*

Herbipolim.

EGo vero vivo, atque adeo meliuſcule, quam pro more meo jam valere me ſcito. Quis ſpargit hunc [2] rumorem? nam & ab aliis litteras, imo & carmina epitaphia in mortem meam accepi. Credo eſſe, quia ſilui jam per biennium, nec publice (quod ad ſcripta quidem attinet) ſum locutus. Atqui jam faciam & brevi videbis. Tu quo loco, & quam libens ibi ſis, velim ſcire. mihi Germania olim placuit, in qua pompae & vanitatum minus, quam apud nos, pluſculum candoris & pudoris. ſed bella civilia velut falce demetunt quidquid apud nos boni. Tamen in ſtatione maneo, in qua Deus me videtur poſuiſſe. nec nimis amo crebras mutationes. Qualiſcunque hic locus, patria eſt. & hoc lenit. Quid ſtudia apud vos? vivunt & vigent? certe debent in alta illa pace, & praeſertim ſub Principe, qui ſic in ea affectus. Doctorem

 [3] So-

1 *Adrianus Romanus* Lovanienſis, Mathematicus hoc tempore magni nominis, cujus vitam exhibent Valer. Andr. & Franciſc. Sweertius, vocatus ex Lovanienſi Academia Herbipolim, ubi docuit Medicinam & Mathematicam, ibique eum familiarius cognovit *Willebrordus Snellius*, deinde Pragam a Rodolfo II. arceſſitus. vide Meurſii Athen. Batav. pag. 297. vide ſupra ad Epiſt. CXC. & CCCXIX.

2 Eundem rumorem ante novem etiam annos ſparſum fuiſſe diſcere licet ex Cent. I. Miſcell. Epiſt. 80. vid. & Epiſt. DLXXXII.

[3] *Soſium* Jctum apud vos eſſe audio & gratulor, & velim ſalutes virum, collegam olim, & nunc amicum. Idem de uxore ejus, ego & uxor mea cupimus. ſed ipſa poteſt illic agere? aptare ſe ad ſermonem & eos mores? difficile eſt ſub initia, ſed conſuetudo mitigat, & addo neceſſitas, quae viris bonis non ubi velint dat locum. *P. Serarium* ſaluta a me peramanter, virum inſignem. Vale. Lovanii XI. Kal. Decemb. 1593. Quinque doctores Medicinae renuntiavimus ante dies quindecim, inter quos *Fienus*, *Villerius*, *Gemma*, *Sturmius* & quidam Bruxellenſis.

3 Eſt *Thomas Zoeſius* vel *Soſius*, de quo vid. ad Epiſt. x. & CXIX. fuit Amersfortius, & conſiliarius primum in curia Ultrajectina, inde Leidae Profeſſor, & hinc Herbipolim vocatus, ubi obiit. Uxor ejus erat *Elberti Leonini* filia. filium habuit *Elbertum Zoezium*, vid. *Verhoev.* Rer. Amersfortenſ. pag. 54. *Elbertus* avi materni *Leonini* emendationes edidit, & ipſe in Curia Ultrajectina Conſiliarius ab An. 1611. ad 1621. ex eadem familia fuere *Henricus* & *Nicolaus Zoeſii*, de quibus vid. eumdem *Verhoevium*, p. 48. & 57. & *Val. Andr.* Bibl. Belgic.

EPISTOLA DCXXXIII.

ADRIANUS ROMANUS

J. Lipſio.

Lovanium.

CLariſſime vir, nuper de quodam [1] Gallo, qui Lipſiani ſtili edere vellet cenſuram, verba feci: En ejus libelli ſpecimen, quod mihi dedit Reverendus Pater *Serarius*, multa Lipſium impartiens ſalute. Neſcio quid Genevenſi illi ſit in animo, eum ſane in ruinam tendere video, fortunis fere exutus eſt omnibus: ſi hoſtes quaerat, quid tandem ei ſupererit? Cum Italis non alius mihi de Lipſio ſermo, quam eum Lovanii agere, atque catholicam religionem, quam toto vitae ſuo tempore ſervavit illaeſam, publice profiteri. Hoc enim ſolum mei muneris erga amicum eſſe cenſui. quis enim quantuſque ſit Lipſius, nec ego explicare iis valerem, nec illi ut explicationem meam deſiderant, cum nullius in Italia tanta, atque Lipſii vigeat fama nominiſque celebritas. Verum dum haec facio, aliud Lipſio accerſo incommodum, moleſtias nimirum in literarum lectione. Praeter namque *Aldrovandrum* (qui jam editioni operum ſuorum incumbit) & *Morum*, tertius acceſſit, qui per me literas ad Lipſium mitti cupit, ejuſdem mecum profeſſionis, Illuſtris vir [2] *Aeneas Vizanius*, Medicinae Practicae in Bononienſi Academia Profeſſor primarius, ſolus ex toto Bononienſi Medicorum & Philoſophorum collegio (quod tamen ultra viginti continet Doctores) Patritius, ex Illuſtri proſapia ortus. qui ita ad me ſcribit: *Studioſorum omnium, qui iſthinc Bononiam proficiſcuntur, gratiam mihi conciliare ſtudes: ſed cur non etiam magni illius Juſti Lipſii, quem multis abhinc annis, tanquam totius Europae decus ſplendidiſſimum, mecum ipſe tacitus colo ac veneror. Jam vero incluſas haſce literas (licet forſan nimis audacter,*

Fla-

1 *Henrico Stephano.*
2 Ad hunc ſcribit Lipſius Cent. ad Italos XXII.

Flaminii tamen Meri, communis amici, ſuaſione incitatus) ad ipſum ſcribo, tibique hoc conſilio committo, ut (niſi temerarium judices) meo nomine illi humillime praeſentes, meque in illius gratiam inſinues haec ille. Licet autem Exc. V. plurimis negotiis occupatam norim, tanti tamen viri meique amantiſſimi petitioni ſatisfaciendum duxi. Si forſan reſponſo eum dignabitur Exc. V. id oblata oportunitate fieri poterit, non enim feſtinatione opus eſſe arbitror.

Medicus quidem, meusque, dum Lovanii docerem, diſcipulus, qui ſub praeſidio Doctoris *Fieni* promotus eſt in Licentiatum, nomine *Joannes Schonhovius* in morbum incidit, *Moreti* tui morbo omnino ſimilem, melancholiam nimirum, de quo mihi ita ſcribit *Merus. Il povero Signore Giovanni Schoonhove è impazzito, & volendoſegli dare alcuni medicamenti per riſanarlo, ſi è poſto in mente, che ſi voleſſe toſſicarlo, onde ſe n' è fugito, ne mai s' è potuto ſapere ove ſe ſia andato. Voglia Dio che non ſia pericolato, che è un giovane meritevole, d' ogni bene, & l' amavo al pari di me ſteſſo. ſcrivendo al S. Lipſio le dica, ch' io non cedo ad alcuno in amarlo, & che qui in Italia è tenuto da tutti, un Dio nelle belle lettere, & vero ſplendore del ſecolo noſtro.* Hactenus ille. *Scaliger* edidit, ut intelligo, Calendarii Gregoriani caſtigationem. ſed exiſtimo eum caſtigatione dignum, edidit opus Mathematicum inſcriptum *Elementa Cyclometrica*, in quibus praeter vanas jactationes & falſa dogmata nil reperire eſt aliud. Vale, vir Excellentiſſime, meque amare non deſinas, ego meas in amore tutabor, ut ſpero, partes. Raptim 8. Februari 1595. Würceburgi.

EPISTOLA DCXXXIV.

ERNESTUS ELECTOR COLONIENSIS

J. Lipſio.

Lovanium.

QUod reliquis diſciplinis, idem, mi Juſte Lipſi, tuae olim accidit, ut tractaretur male ab omnibus, & quae tum lux ceteras extulit, eadem & huic veſtrae affulſit; at non idem vindex; hanc enim tu adſeruiſti, vindicaſti, talique vindice, optimarumque literarum profeſſore Lovanienſium Academia gloriatur, quo fit, ut & vitae morumque tuorum honeſtas, eruditio rara & ſuſpicienda, eximiaque virtutum tuarum merita, quae non ſolum ſtudiorum monumentis ubique celebratis teſtatiſſima ſunt, verumetiam praeſtantiſſimorum virorum ſuffragio commendata faciant, ut te praecipuo, ac ſingulari quodam favore proſequar; egi cauſſam tuam pro re nata apud Germanos, ut ad te nuper conſiliarius meus *Oranus*, & cum occaſionem vel ipſe miniſtrabis, vel caſus objiciet, meam erga te benevolentiam magis magiſque teſtatam faciam. Literas tuas *Oranus* meus mihi reddidit, quae fuerunt gratiſſimae, quaſque velim exiſtimes foederis habituras eſſe vim, non epiſtolae, plures ipſe mittito, & viciſſim crebras a me expecta, volo enim tecum conſuetudinem & amicitiam meam conjungere, quam officioſiſſime ab utroque

co-

coli deſidero. Libros tuos de Cruce expecto, & ſi quando proprie aliquid ad me, ut te ſponte conſignatis tabellis ad *Oranum* meum obligaſti, erit quam acceptiſſimum. Bene vale, mi Lipſi. Datum Leodii x. Januarii 1594.

Epiſtolam Lipſii, ſed hac multis annis poſteriorem, edidit Gabbema Cent. 11. Epiſt. 35.

EPISTOLA DCXXXV.

J. LIPSIUS

Franciſco Nanſio S. D.

Dordracum.

MIraris breves meas literas. quid? an genus & indolem ſtili mei ignoras? ſoleo ad alios uberius, niſi res aut cauſſa uberior? non ſoleo, & profecto largiter etiam amo, etſi breviter ſcribo. Cauſſa item alia & intima; temporum horum adſpectus, quae inſidioſa, infida, calumniam aut periculum facile bonis creant e liberiore ſcriptione. Ergo abſtineamus; ſed & tu ſuſpiciunculam, quam ſpargis, Ecquid enim literas tuas repetis? ne alteri illi oſtendam? ah omitte, omitte. tum nigrior ego illo ipſo ſim, quem tangis. Nihil harum rerum eſt, aut erit. tu confide, & me candide tui amantem, candide & ſine ulla ſuſpicionum nube ama. Quod petis autem, ſi quid ultra in Apulejum, ego vero multa, ſed pleraque, ut ſcis, in *Colvium* noſtrum jam tranſcripta. *Vulcanius* etiam meditatur: & poterit adjutus ab optimo libro, quem obiter mihi oſtendit. in iſto loco, de quo audiſti & ſcire cupis, Emendatio haec eſt. libello pereleganti de mundo. *Ipſarum inſularum, quae ſunt in noſtro mari, dignae memoratu, Trinacria, & Euboea, Cyprus atque Sardinia, Creta, Peloponeſos, Lesbos. minores autem aliae, ut nebulae quidem per apertas Ponti ſunt ſparſae regiones.* Hoc de *Nebulis* parum apta imagine expreſſum videbatur: & inſpectus nobis liber *Bonav. Vulcanii*, eruditi viri, in eo erat *nebuli.* Et in loco diximus, *ut naevuli quidam* legendum. nam comparat minutas illas inſulas, in plano apertoque mari, cum naevulis aut verrucis, quae in aperta facie, àut corpore exſurgunt. Facit valde quod Homerus (cujus non rei homo auctor vel exemplum?) ſimili omnino imagine de Phaeacum inſula ſcribit; ad quam cum Ulyſſes cum rate propinquaret, addit

> *Εἴσατο δ' ὡς ὅτε ῥινὸν ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ.*
>
> *Apparebat ad inſtar ſcuti in ponto umbroſo.*

Eminentiam illam inſulae cum tumore ſcuti comparat, ut Apulejus cum naevuli, magis minute. Vale.

Hanc conjecturam ad Apulejum pag. 54. refert *Bonavent. Vulcanius*, verbis ambiguis, ut dubites uter ejus auctor fuerit. ſcripta haec epiſtola ante A. 1594. ut puto: tunc enim edidit Vulcanius Apulejum. vid. ſupr. ad Epiſt. 343. ubi & de hac emendatione. praeterea *Nanſius* An. 1595. obiit, ut referunt *Valer. Andreas* & *Fr. Sweertius*. Fuerat antea Brugis Senator perpetuus Franconatum. *Joan. Polyander* in epiſtola ad *Martinum Pilium*, poſt *Pilii* Poëmata edita, vocat *Conſulem Franconatus* (puto hodie vocari *Burgemeeſter van 't Vrye van Bruggen.*) ubi & epiſtola *Nanſii* pag. 123. legitur. cum eum magiſtratum gereret, *J. Aug. Thuanus* Brugas a militibus ſub cuſtodia ductus, ejus opera libere dimiſſus. vid. Thuan. comm. de vita ſua lib. 1. p. 1304. Ed. Francof. in 8. Praeceptor fuit magni *J. Gerardi Voſſii*, qui eum laudat Epiſt. 421. & lib. IV. Inſtit. Orator. VI. §. 2.

EPI-

EPISTOLA DCXXXVI.

FRANCISCUS NANSIUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

EDidi nuper, vir Ampliſſime, Curas ſecundas ad Nonnum, quas ad te mitto, ſperans tibi non fore ingratas. nam, ita me Deus amet, te ſemper amavi & amabo, meuſque erga te animus idem eſt qui fuit, fidus & ſincerus ac conſtans. utinam & tuus talis erga me ſenem pene decrepitum. Multa de rerum mearum ſtatu (quem optarim meliorem & minus laborioſum) addere nunc non expedit. Plurima & indigniſſima hîc paſſus ſum ab illo, quem D. *Tinnius* vere dixit eſſe volubilis ac volatilis & inconſtantis ingenii: (addo ego avariſſimi.) Sed de his & aliis fortaſſe alias latius, ſi dignaberis reſcribere. Vale, vir maximiſſime, & Nanſii ſemper tuiſſimi ne, quaeſo, obliviſcere. Dordraci, Kalend. Februarii 1594.

EPISTOLA DCXXXVII.

HENRICUS UWENUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

DE munere operis tui quod tardius reſpondeam, vir Clariſſ. non utar longa excuſatione, quod pro tua humanitate facile tibi perſuaſum putem, id nec ab oblivione beneficii, nec affectus mei in te remiſſione accidiſſe, dabis id partim forenſi occupationi, quae me ita totum detinet, ut dum clientibus ſatisfaciendum eſt, vix reſpirare liceat, partim attentae & repetitae tui operis lectioni, quod me ita detinuit, ut ab eo avelli non potuerim, & quod caput eſt, cum a pleriſque aliquid in eo ad explendum argumentum deſiderari intelligerem, amici officii eſſe putabam, id tibi indicari, neque tamen temere, ſed ſi plurium, qui ejus lectione detinebantur, eandem eſſe ſententiam intelligerem. dicebant illi omnia, quae in eo de Cruce praeclara; & quid ni ita dicerent, cum aliud a D. Lipſio nec expectari poſſit, nec debeat, ſed non ſine magno fructu lectorum, addi potuiſſe, quis uſus hujus tam ſalutaris ſigni quondam Chriſtianis in omni publica & privata, ſacra ac profana actione. Atque adeo exiſtimabant, illi id addi debuiſſe, quamvis ab aliis abunde ex veterum ſcriptis tractatum, propter eos, qui talia ex profeſſo a Theologis tractata non legunt. Occaſione enim politioris litteraturae & antiquitatis cognoſcendae, ſimul cognituros, qui a Relligione catholica alieni, veterem uſum hunc tam ſolemnis ſigni, quodque in eo nihil hodie a Catholicis uſurpetur, quod non

ex vetuſtae Eccleſiae obſervatione profectum ſit, & veram pietatem ſapiat, maxime ſi addatur etiam ex veteri hiſtoria, quam evidentibus argumentis & effectu Deus ſaepe teſtatum fecerit, gratum ſibi & nobis ſalutarem eſſe ſigni hujus uſum, atque hunc potiſſimum totius operis ſcopum eſſe debuiſſe, neque dubitabant illi, quin tibi Inſtituti tui rationes abunde conſtarent, quas & ipſi ſatis ſuſpicabantur a moleſta aemulorum obtrectatione, qui quod Theologicum videtur, ab eo qui Profeſſione Theologus non ſit, tractandum non putent, ſed majorem putabant publicae utilitatis rationem habendam, quam caninae cenſurae hominum imperitorum, qui, niſi quod ipſi faciunt, rectum putant nihil, neque abs re fore, ſi arctiore aliqua amicitia tibi junctus id vel verbulo indicaſſet. Quorum ſermonibus incitatus ego, praetermittendum non putavi, ut, cum & munere & amicitia tua dignari me volueris, ego viciſſim pro tua in me fide & obſervantia tibi hoc indicium alieni judicii facerem, ut ex eo ſtatuas, anne tale quid in opere tuo perquirentibus, (quemadmodum plures eo nomine avide lectionem ejus arripuiſſe ſcio) ſecunda editione vel re vel verbulo ſatisfacturus ſis. Interim vir Clariſſ. ſi quid hic incidat, in quo opera mea vel officium meum ex re tua eſſe poſſit, perſuaſum tibi velim, te eum in me habiturum, qui pro priſca & ſincera fide omnia praeſtiturus ſit, quae ab amico deſiderari poſſint; Bene vale. Raptim Antverpiae 10. Martii, 1599.

Reſpondet Lipſius III. Cent. ad Belg. 13.

EPISTOLA DCXXXVIII.

J. LIPSIUS

Henrico Uweno JCto S. D.

DE [1] filiis tuis, mi Uwene, noli gratias agere. Amo eos, quia te amo, & bonos magnoſque cupio, ſed in recta virtutis via, ambitione excluſa. Utinam nec in publica noſtra adminiſtratione locum inveniat! ſed Deus! ubi loci ſumus? quam palam non labimur, ſed ruimus? cauſſas video, imo olim vidi, ſed a me & privatis non emendandas. Conſiliis jam locus non eſt, ſed decretis res geritur: atque iis improvide, non dicam improbe, ſuſceptis: jugum ſubeo, & tolero: Deo & fatali curſui rem permitto. Quin doleat atque urat interdum, non abnuo: ſed quid facias, ubi faſtus, & (quod nolo addere) dominatur, victa illa ratione, & luce omni animi excluſa? nos miſeros uno verbo: quid poſteris futurum ſit, neſcio: ſi nec ſpecto, ſecurus, qui nec ſtirpem, nec nomen (niſi in ſcriptiunculis fortaſſe meis) propagabo. Una miſeria, & fere inaudita eſt, omnes videre pericula, & per hanc conſiliorum viam res labi: & tamen mederi neminem, ſed velut inoffenſo curſu vehamur, pre-

[1] Puto *Uwenum* egiſſe gratias *Lipſio*, quod eos in prandio habuerat, ut ſcribit Cent. v. Miſc. 6.

premere eandem orbitam, & nihil deflectere aut mutare. ſi conſtantia eſt, Deus faveat: ſin (quod iterum nolo dicere) quî poſſim numinis favorem ſperare; quod ipſum recta ratio eſt, & ab ea cauſſas eventusque deinde nectit? cauſſas ſecundas dico. nam primae illae fixae manent, ſed mira, & nunquam plene ſcrutanda, ſapientia iſtas alteras ſic nectit, ut accuſare illas primas non liceat, & culpa omnis in nos redundet. Fiat etiam nunc, quod nobis reliquum, quem excerpit e vulgo melior animus, aut eruditio, Ferre fortiter quae eveniunt, & veteri ac ſapientiſſimo verbo Deum sequi. noli te, mi Uwene, ad multa aut varia diffundere, & ſatagere, ut ſapientiam, & fructum ejus quietem habeas: duobus verbis praeivi, & ſacrae litterae te eo ducent. Nugae aut fuci reliqua, & ſolus ille animus eſt, qui Fatis obſequens, in tranquillitatis, id eſt bonae vitae, portu ſe ſiſtat. ſine jactantia apud te dicam, in parte me aſſecutum. Aſpicio iſta & intelligo, nec ut frutex aut rupes, non ſentio: ſed ad alta mentem flecto, & ad ima, id eſt me reflecto. & ſcio vilem fragilemque hanc naturam, ut cymbam minutam (& nimis dixi) pendere ab illa praetoria navi & gubernatrici. Qui cogitat aevum, quod fuit, eſt, & erit, tot eximia & prima ingeniorum, quae ſola memoria aut monumentis ſuperſunt: quid ille magni altique concipiet, niſi haec magna, aut alta non eſſe? da, non dicam, Muſaeum, Homerum (mihi principem ſemper ingeniorum) Heſiodum, Pindarum, quidquid aethereum & ſublime fuit in profanis; ſed ipſum Moyſem, Deo carum, & paene dicam familiarem, Davidem, Salomonem: quid, aut ubi iſti ſunt? abierunt, & quod ad corpus aut facta attinet, parum reliqui, niſi fama, atque ea (ſacras litteras tolle) parum aeterna, imo diuturna. poſt centum annos (praeſagus vates dicam) pauci Homerum noſcent, Demoſthenes & Tullius umbra erunt. Non tu credis in illa Judaeorum & Syrorum ſapientia multos fuiſſe, ingenio ſcriptiſque validos, & immortalitati ſacrificantes? non litarunt, & quorumdam, quos vel maxime fateamur meruiſſe, ſcripta non ſuperſunt; quorum nec nomen.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes illacbrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Morte, carent quia vate ſacro.

Haec cogitatio ſaepe me attollit, & ab iis avocat, quae etiam ſapientiores in pretio & aeſtimatione habent. Age, famam ſcriptis producimus: quid niſi famam? innoteſcimus aut colimur: quam alius & ſolidus fructús? iſta veſtis eſt, quae corpori adhaeret, & ultima exuitur: ſed exuenda ſerio ſapienti. Deo, nobis, & apud nos vivamus: nec abripiant nos popularia judicia aut voces. contra quae ſatis nos armat imbecillitas noſtra & fragilitas, ſi intueamur. probitas & pura virtus nos erigant, quae

Divitiis animoſa ſuis, nihil indiga laudis,
Nil opis externae cupiens, inmotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Vale. Lovan. . . . Decemb. CIↃIↃCII.

[1]EPISTOLA DCXXXIX.

FLAMINIUS MORUS

V. C. *J. Lipſio* S.

Lovanium.

STatim ut literas haſce videris V. C. ſcio dices, unde iſtae? quis ſcripſit? ſed ut duorum ego parcam labori, & tui interrogandi, & alterius reſpondendi, en tibi locus, Bononienſe ſtudium; en illarum auctor, *Flaminius Morus* Mantuanus. Nomen ignotum tibi, ſed illius, qui te jampridem novit, & nunquam viſum amat, abſentem colit, & veneratur. Novi quidem familiaritatem, leporem, venuſtatemque tuam in duabus epiſtolarum Centuriis, & Dialogiſta: judicium acre, & admirabile in Criticis, & aliis libris de Amphitheatro, & Gladiatoribus: ſummam prudentiam: & gravitatem in Politicis & Conſtantia, quae poſtrema valde admiror. Faxit Deus, ut diu apud mortales vivas; ſed longe, ut facis, ab omni haereticorum labe, quorum magna ſeges in illis regionibus. Imprimitur nunc Romae, ut audio, novus index eorum, qui de religione Chriſtiana male ſenſerunt, inter quos & te adſcriptum ferebant. Dii boni! quam de hac re ſolicitus eram! quam mecum ipſe tuam, & omnium ſtudioſorum fortunam deplorabam! ſed tandem reſpiravi, & hunc mihi ſcrupulum ademit *Poſſevinus*, qui nuper in lucem edidit Bibliothecam, in qua te [2] ſummis laudibus extollit, teque Chriſtianum eſſe clare teſtatur. ſequere igitur, ut facis, Vir Excellentiſſime. Divina ſcripſiſti, diviniora expectamus. Perfice Thraſeam a quamplurimis deſideratum: alia quoque perfice ad mores pertinentia, & illum praeſertim Philoſophum imitare, quem non immerito moraliſſimum vocamus, & cujus te ſtudioſiſſimum eſſe cognovi, meque tui amantiſſimum viciſſim ama, cui utinam datum te videre, te audire; quid mihi optabilius? quid mihi jocundius? ſed hoc vetat locorum diſtantia; non prohibet tamen quin te amem & colam, quem ſemper venerabor. Vale, V. C. & literarum vere decus & ſplendor. Datum Bononiae III. Non: Junii CIↃ IↃ XCIIII.

1. Reſpondet Lipſius Cent. ad Italos 18.
2. Vid. *Poſſevini* Biblioth. lib. XVI. ſect. III. cap. 14. & 17. & lib. XVIII. cap. 11. & in Elencho auctorum p. 517. Ed. Colon.

EPI-

EPISTOLA DCXL.

FLAMINIUS MORUS

Eximio Viro J. Lipſio S. D.

Lovanium.

O Faelix inceptum, cui utinam faelicior finis? Ecce vocaberis, Lipſi, ab hujus almae civitatis Ampliſſimis Senatoribus, idque per litteras Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi *Malvaſiae*, apud Belgas ſummi Pontificis Nuncii, cui mandatum hoc negotium, ut mortuo jam *Thoma Corraeo*, bonarum litterarum hîc profeſſore, hanc tu ſuſtineas provinciam, & primum in hac Bononienſi Academia obtineas locum, ea conditione, eo ſtipendio, quod in nullo alio Italiae Gymnaſio cuiquam datur, & indies augebitur tibi, ut Illuſtriſſimorum horum virorum benignitas ſpondet, & tuae ſingulares merentur virtutes, quae tam magnae, tam precioſae, ut omne magnum ſuperent precium. Scio, multas adduces rationes, & argumenta, quo minus ad nos venire poſſis, valetudinem invalidam, & imbecillem, locorum magnam diſtantiam, & intervallum, uxorem, res tuas, amicos denique, & patriam ipſam. Sed, quaeſo, non tu animadvertiſti ſaepe ſaepius accidiſſe, ut ſola aëris mutatio incurabiles etiam depulerit morbos? tanta eſt hujus coeli benignitas, ut idem de te ſperem, imo confidam; Itineris longitudinem minus moleſtam facient, tum temporis opportunitas, tum reliqna omnia, quae in via tibi ex uſu & neceſſaria, quorum praecipua cura Illuſtriſſimo huic Senatui. Uxor non tam grave onus, quod, ſi placebit, tecum quoque ferre non poſſis; tua non deerit etiam qui te abſente curet; Ab amicis diſcedes, ad amicos venies; longe a patria eris, ſed ea turbulenta, inquieta, armis obſeſſa, variiſque modis undique vexata; in civitatem venies, quae omnium in Italia celeberrima, vera ſtudiorum mater, ipſius pacis quietiſque filia, ubi te omnes amabunt, omnes amplectentur, & te principem litterarum dignis honoribus condecorabunt. Veni, mi Lipſi, veni, Belgarum ſplendidiſſime ſol, ut coelum, & ſolum hoc etiam illuſtres doctrinae tuae lucidiſſimis radiis; quod ut fiat te ſupplex oro, Omnipotens Deus, qui omnia potes, & hoc potes. Tu Vale, & nobis te praebe valentem, volentem. Datum Bononiae: Pridie Kal: Februarii CIƆ IƆ XCV.

Ad hanc & ſequentem reſpondet Lipſius Cent. ad Ital. Ep. XXVIII.

EPISTOLA DCXLI.

FLAMINIUS MORUS

Eximio Viro Juſto Lipſio S. D.

Lovanium.

F*Ranciſco Burgo*, mercatore Belgico, Lovanium hinc diſceſſuro non ego ad te ſcriberem? non amice compellarem? in alios potius, quam in me cadat haec ſocordia. ſcripſi, fateor, ternas, imo quaternas ad te litteras, ſed quis me certum faciat, eas te tuto recepiſſe? magnum quidem locorum eſt intervallum, & ut haec tempora vides, itinera non ſatis tuta, praeſertim in veſtris iſtis regionibus, ubi omnia turbata, militibus obſeſſa. Ignoſce igitur, ſi toties te per litteras appello, ſive potius interpello: cauſſam unam habes, alteram etiam tenes, ſi te ipſum tenes: cui ea inſunt omnia, quae homines ad amandum allicere poſſunt, vera pietas, ſingularis humanitas, innata morum ſuavitas, ſumma eruditio, & ſimul denique virtutes omnes: quas qui non videt, & ex operibus tuis non cognoſcit, eaſque cognitas non amat; illi quidem ignoſcendum, quia ſtupidus & ſine ſenſu. Ego ſtatim ut tua ſcripta legi, doctiſſime Lipſi, non potui non te amare, & ita crevit amor in te meus, ut audeam affirmare neminem unquam me magis amaviſſe. Utinam mihi datum te videre, te amplecti, quod nec fortaſſe deſperandum. jam enim elapſi duo ſunt menſes, cum mortuo *Thoma Corraeo*, bonarum litterarum hîc profeſſore, Ampliſſimus hic Senatus Bononiam te vocavit. ego de hac re quoque ad te ſcripſi, ſcripſerunt etiam celeberrimi aliquot viri, & expectamus indies litteras tuas. ſi aſſenties, beatus ero, ſi negabis patienter feram, & id mecum ipſe cogitabo, nihil a te viro prudentiſſimo factum, quod non prudenter factum. Vale, &, quaeſo, ad nos ſcribe. magis enim aeſtimo brevem quamcunque epiſtolam tuam, quam aliorum magna, & integra volumina. Datum Bononiae XVI. Kal: Aprilis CIↃIↃXCV.

EPISTOLA DCXLII.

J. LIPSIUS

Flaminio Moro.

Bononiam.

ITane te acrem in amore, mi More, & pene dixerim praecipitem? nam quis te adegit promittere & aſſerere ſic de meo adventu, rebus adhuc crudis, niſi quia valde volebas, & ideo credebas & dicebas? Atqui, o amice, multa fuerunt, & ſunt, quae ancipitem ſententiae me reddunt. Quid ancipitem? imo quae altrovorſum, & quo nolles, me flectunt. Obdura in legendo, & cauſſam totam audi, etſi apud iniquum judicem (hac quidem parte) agendam. Injeciſtis mihi, atque alii (litterae tamen nullae publicae) de Bono-

nonienſi Profeſſione, & ſcripſiſtis ſic honeſte, ſic amanter, ut fatear cor mihi tactum tali compellatione. Ergo reſcripſi, ut mos meus eſt, calide & candide: quid? niſi quod vos vultis, velle, Italiam, & in ea Bononiam a me amari. ſed eſſe tamen, quae retinent, & quae haud facile vi aut aſtu ſolvam. In imperio magni Regis me eſſe, in patria, Uxori, rebus & agris, addo & amicis meis devinctum. Denique & valetudinem invalidam eſſe, tabentem, & quae nec ad iter longum ſit, nec ad novam aut arduam profeſſionem. Haec ita ad te, & ad alios, aut certe ſimilia. dic ſodes, bone vir, quid promiſſi eſt de adventu? niſi ſi hoc addicere eſt, voluntatem oſtendere & inclinationem: quam habuiſſe, & habere, & habiturum me fateor: & niſi habeam, non ſim in numero & claſſe humanorum. An locum non amem, matrem & altricem bonarum artium? quem tot inſignes viri inſederunt? quem *Morus* meus, quem *Spanochius*, *Pendaſius*, *Coſtaeus* & amica iſta nomina colunt? Ego vero amo, & ſic, ut de una iſta vocatione (pluſculas habuimus) deliberaverim; reliquas ſucciderim, ut ſic dicam, praeſentes, & in ipſa herba: verum tibi dico, nec hoc tantum, ſed ſerio, egiſſe me cum iis, qui hîc praeſunt, ut dimitterer, ſaltem in triennium, & tunc ad res pacatiores rediturus. Egi, & alia admiſcui, quae moverent: fruſtra, mi More, & adeo non ſolverunt, ut novo vinculo ligaverint. Liberalitas Regia ſupervenit, quam ſpreviſſe aut ſuperbi ſit, aut ingrati. Itaque ea parte teneor: quid de valetudine? fortaſſe haec melior? tantum abeſt, ut jam nunc maxime in eo ſim, ut ad Spadanas acidulas eam, remedium, quod non ignoras, deſperatis. Et tamen trahere fortaſſe animam hanc poſſim, ſi domicilium non commoveo, ſin illud fortius concutio, vereor ut, quod ſolet, in ruinoſis aedibus, totum concidat & labatur. En, mi More, mi amice, mi amiciſſime, germanum meum ſenſum, ipſam rem & cauſſam. Quod veſtri longius progreſſi ſunt, doleo, imo & miror, cum nihil mecum actum eſſet de honorario aliiſque, quae adhaerent. Avari non ſumus, ſed imperiti etiam rerum non ſumus, nec movemur e loco, ubi laxe habemus, ad res fortaſſis anguſtas. Annonae veſtrae ratio mihi nota non eſt, ſed audio querelas eorum, qui nuper illinc venerunt. tamen hoc ſeponatur, in capite maneamus illo duplici, imperii & valetudinis. quorum utrumque me ligat. At nihilo ſecius non peto, ſed indico tibi meum amorem, mi More, & facito quod veri illi ſolent, qui etiam amant, quibus potiri ſe deſperant. Illa fides eſt, cui voluptas non lenocinatur, & quae amat, quia dignum judicat amari: Te quidem habeo, & habebo incluſum in animi ſenſuumque hac arcula, nec ejiciet te dies, niſi qui me de vita. Vale. Lovanii XIII. Kal. Jun. CIↃIↃXCV.

EPI-

EPISTOLA DCXLIII.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewegio ſuo S. D.

Leidam.

C*Hriſtina* Veſtra perpropere nuper abiit, cum dieculam vix hîc haeſiſſet. Ergo ſine meis litteris, quod nolebam, nec propoſueram, ſed aliter non fuit. Aedificatio iſta totum me habet, tironem ſcilicet, & ideo magis ſatagentem, & occupatum. O quam vellem aut non coepiſſe, aut abſolviſſe! Sed hoc, ut ſpero, propediem fiet, ſaltem ut rude & exterum opus finiamus, caetera ſervemus in hiemem. Sed ut aedificatio torquet, ſic cogitatiuncula de horto delectat: quem tu ſodes perge dare inſtructum. De Roſa Hollandica expecto, & plura, quae in Catalogo ad *Raphelengium* noſtrum (ita volebat) miſi. Ad *Cluſium* iterato ſcripſi, & hîc habes: etſi doleo priores periiſſe. Sed hoc mihi ſolemniter jam evenit, & e quaternis meis, quas Romam miſi ad *Bencium*, nec unae perlatae. Qui *Bencius*, mi Buitewegi, (dolenter ſcribo) jam obiit, ipſis nonis Maji, vetus, & ſerius mihi amicus. En quam multi validi & ſani (ſaepe ea mihi cogitatio) aegrum hunc & languidum Lipſium praecedunt. Sed ego quoque ſum in curſu, & brevi fortaſſe apprehendam metam. *Scaligerum* quod a me ſalutaris, bene factum; vir eſt mihi ſemper magnus, & velim tibi, & fruare interdum, dum adeſt. diune erit? ſi turbae veſtrae pergunt, non erit: ſed nec fortaſſe, ſi ceſſant: nam haud uſquequaque benigne, aut comiter habetur a veſtris, ut jam audimus. fuit apud me adoleſcens, nobilis, Gallus, ex ejus contubernio, a quo pluſcula audivi: ſed hoc quoque, abhorrere veſtros a pace. ſi ſapiant; ſi in tempore, quae in rem ſunt, attendant, vereor, ut ſero, & quod ipſi doleant, ac nepotes. Apud te an omnia quieta, & votiva ſcire velim. Nemo de excubiis aut ſodalitiis moleſtus? & (in aurem) nemo de nuptiis? dabis te aliquando, & da, priuſquam trahare. orationem hîc habitam non reperimus, etſi quaeſitam: credo tamen in Actis, & libro publico exſtare, illinc, ſi vis, petendam. Quaeſivi a P. praefecto: dixit eam, ut a te deſcripta erat, Antverpiam eſſe miſſam, ſed remittendam. Militaria noſtra adhuc teneo, etſi parata: ſed bona fide, quod pretium ingeniis aut laboribus? niſi hoc ipſum tamen prodeſſe. Is mihi finis, fateor, & ingrato etiam aevo perſeverabo. Spada neſcio an me nunc videbit. praeter alia, quae deterrent, etiam ſumptus, & ita largiter in domum effudimus, ut alibi cogamur eſſe reſtricti. Apud nos, quod ſcire te praeterea velim, nihil eſt: publica non tango, niſi magnam nubem belli in Italia eſſe, & incumbere, ut ajunt, in Galliam. credo vos haec & plura ſcire. & ſcribe, ſi quid habes. celabo. A mari veſtro potius aquas peto. parenti utrique tuo ſalutem amicam ab utroque noſtrûm dicito, a me cumprimis patri, quem ama merito & reverere, mi Buiteweegi, diu ſalve: Lovanii Kal. ipſis Juliis A°. 1594.

EPI-

EPISTOLA DCXLIV.

GERARDUS BUYTEWECHIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

NUnc quidem profecto aedificaſti, in quo tibi, ſi ita eſt, ſolenne hoc voveo: ἔςαι μὲν ἒυ, mihi certe motus aliquid fecere tuae litterae, quamdiu adhuc in iſta domo tibi motus: qui motus, quae domus, etiam domo te movere videntur, ſi, ut innuis, etiam trans Scaldim te agant, trans Moſam, & uſque ad nos Batavos. an forte, qua via poſtremum venis, & trans mare? ut ut ſit ſaltem ad nos, ac ſcire, quid geramus, & fallor, an fallendae curae. Aedepol bene veneris, & me excipiente, habebis in parte iſtum effectum. Accipies publica, privata; ſeria, jocoſa; magna ciſta vereor ne non nimium minuta; &, non poſſum magis ſignificanter, quam tuo verbo: inconditae rerum variarum turbae quoddam aequor. Sed iſta ſcilicet te volente fient. vide quid tibi feceris, quid ſcripſeris, quid acciveris in legendo faſtidii. Primum quoad publica; ſcis, noſtros in [1] Dania fuiſſe petendo cum ordinibus noſtris foederi ac ſocietati. hoc ſi obtinuiſſent, porro in mandatis erat, connubium poſtulare inter *Mauricium* & ſororem regis. quid ſit actum ex reſponſo te diſcere malui, quod ex germanico translatum, ego Cl. tuae deſcripſi, ſi forte haec talia, quae putamus exactius hîc ſcire, ad tuas, aut aliorum apud vos cogitationes, poſſint pertinere. Sex erant omnino legati, inter quos *Meningus*; & pro capite D. de *Warmont*. Satis honeſte habebantur, & donati aurea torque ſinguli. nunc alii ſunt in [2] Scotia ſuſcipiendo Regis filio. miſſus inter alios Zelandiae theſaurarius *Valc*, quem novit D. *Hartius*, & primus *Dominus de Brederoede*. Donum ferebant ab Ordinibus duos ſcyphos totos aureos, & arcam etiam auream, in qua cautio reditus annui, [3] ſex, aut decem (ut quidam) millium in ſingulos. Certum hîc eſt accitos eſſe a regina Angliae, & ne domum redeant, niſi ſe conventa. Atque hoc quidem publice ſcio inter alia, ſed haec quae tuto litteris mandantur. Aliud hîc ſcitur ex Anglia, ſed non audeo. In Academia nihil mutavit, niſi quod perpetua nunc danda ſit ab excubiis immunitas, qui inter cives (idoneos) nomen dederint. hoc dicitur. quod vacillare facit nonnullos, qui hactenus firmi in cavendo iſto vetito ſodalitio. moratur tamen conſcientia, & ſerio quaerunt, quid tuae Claritudini videatur, quid Reverendo iſti Patri, qui recenter apud vos, qui aliquando affirmative videtur ſenſiſſe. Profecto, Clariſſime Domine Lipſi, ſi quid poſſis ſine moleſtia tua ſignificare, etiam per alium (ob ſolenne hoc tibi intercipiendi periculum) liberaris multos conſcientiae ſcrupulo, qui etiam nihilominus (cum

1 Legatio circa menſem Junium 1594. in Daniam miſſa, cujus hiſtoriam vide apud *Borr.* lib. xxxi. p. 38.
2 Vid. *Borr.* ibid. p. 47.
3 Quinque millium, ait *Borrius.*

(cum peccato) viderentur facturi. Et ſi pater iſte *Delrio* putet poſſe fieri, an nihil mutet; ſi faciant, qui Lovanii aut Duaci habent gradum, propter jurisjurandi illic praeſtiti vinculum. Ego tamen, nimium abeſt, quam ut ſim inter illos. nam certe ſi quid in me tentarent, facile Leidam Haga mutarim. quidlibet mallem, quam eſſe membrum duorum capitum. Talem me eſſe docuerunt illi veſtri, quos quinos nuper creaſtis. & etiam, de me ſic judico. Praeeſt iſtis nunc ſcolis pro Rectore *Grotius*. Theologiae (ſit fas mihi ſic loqui) novo collegio quidam Doctor *Baſtingius*, & vicarium habet *Bertium*, illum veſtrum. Studioſorum ſatis juſtus hîc numerus, inter quos aliquot Germani, & Galli pluſculi, quippe qui *Scaligeri* ſequaces. Qui *Scaliger* adhuc publice non auditus, ne quidem declamans. niſi forte in iſtis de Circulo, quae etiam alibi edita habuiſſent Ordines noſtri, & certe minoris. ſed tanti eſt ipſius σιωπᾶν, ſed ne ipſum quidem hoc ſcriptum ſatis benigna experitur judicia, niſi quod *Hautenus* noſter pro Batavo candore ſatis eximit, quicquid eſt judiciorum labis. quippe putat, haec de Circulo recenter edita, reperiſſe ipſum inter ſcripta paterna, itaque ſumma nos injuria, quod eſt a patre peccatum, filii facere. vapulat bonus *Scaliger* (inquit ille) qui non deliquit. haec iſte. ſed non omnes in iſtum ita aequi. non tamen *Scaliger* offenditur. ſcit ille caecos non judicare de coloribus, nec Batavos de Matheſi: bene ſi vel ex vobis aliquis, etiam [4] *Romanum* ingenium, niſi forte Herbipoli addidicit. Nam *Goſaris* quidem filius mihi dixit, non eſſe in toto Belgico vel unum. magis impudens eo eſt, quod laniſta carpit, qui nec Graece doctus nec Latine. ſed *Scaliger* ſe novit, & vini ipſi pateram offerret (ita mihi dicebat) ſi iſte alter publice hoc ſcriptum. habet hos ſpiritus virtus ſibi conſcia. quae profecto ſolenniter ipſi facta quaevis condit, & ubicunque. Cum nuper in convivio publico primus ipſi locus daretur, princeps ſedebat, princeps edebat, & jam uncta ipſi manus, cum ſalutaret aſſeſſurum. Ab eadem mente quod nuper intelligo: cum forte quidam a Profeſſoribus aegre hoc extorſiſſit, ut libri cujuſdam inſpiciendi copia ſibi fieret: ipſe allato libro & ſublato: *voila* (exclamat) *le livre*, *voila le livre*, & cum dicto abiit. Sed haec forte an ex iſta fiducia laudabili, quam extollit Valerius his verbis: *laudanda profecto fiducia eſt.* noſti cetera. lib. 3. c. 7. ex Euripide Tragico: ut ut ſit, certe inſignis eſt tui amator, & cum eo plurimi hîc, & Haghae, nec ſcio qui non ex iis, qui aliquando fuere. Roſas jam tibi praeripit nuntii praeproperus diſceſſus, nam cum ſumma haec ſcribo feſtinatione. & cras non poſſum habere hora tam matura, alioquin mihi addictas. & etiam praeproperum eſt ut tollantur hoc anni tempore ante foliorum caſum. Vir Clariſſime, longum feliciter vale, una cum uxore tua chariſſima, quam ego cum omnibus veſtris ferio ſaluto. Amiciſſimam ad *Delrium* ſalutem aſſcribi juſſerunt uterque parens. 3. Idus Septembr. CIↃ IↃ XCIV.

4 Intelligit *Adrianum Romanum*, de quo ſupr. ad Epiſtol: DCXXXII.

EPI-

EPISTOLA DCXLV.

J. LIPSIUS

Ger. Buytewechio ſuo S. D.

Leidam.

EN nunquid promiſſa ego praeſto? nunquid prodigorum ritu ea exſupero? parva facturum in ſcriptione me dixi: altera tanta repono, & quaecunque occaſio eſt mittendi, ſcribo. Haec nunc nata per hanc Virginem piam, probam, vere Batavam, ſed ut eratis olim. Nunc quid audio? praeter veteres inſanias novas inſanitis? reliquias etiam & veſtigia pietatis expulſum itis? Mira hîc [1] de edicto, quod ad exemplum Britannici illius triſtis, aſperi, ajunt promulgatum. Si ita eſt, doleo bonorum vicem, ſed ſic ut ad conſtantiam nunc denique eos horter. miſeri & caeci homunciones, quos calix unius, aut alter fortunae indulgentis inebriat, quid his rationibus ſibi volunt? divina & humana ſubjicere? trahere omnia ſub ſuas leges? indignor, nec tam ipſis, qui ſolemniter deſipiunt, quam regibus, qui veterno quodam oppreſſi, ignorant aut differunt ſuas vires. Ac vide quam me ratio fefellerit. Ego opinabar in fluxu ſecundo rerum magis laxa & libera omnia futura priſcae pietatis hominibus: quia ſic expediebat, quia ſic non indigenae ſolum, ſed vicini & exteri tranſituri videbantur in illas partes. Quid aliud jactatum ſemper, quam *leges* patriae & *libertas*, & pro iis pugna? ubi haec ſunt? nova religio, & ſervitus imponitur, & quae non Deus, non homines ferent. Heu ſuperbia quo impellis! unde non iterum eriges, & ſi non ego, alius videbit praecipitem occaſum. memento, me hoc vaticinatum, & apud te, quem fidum habeo, ſenſum hunc depono. Ego in aetate hac inclinante, & uſu ac lectione magis magiſque docta, vim divinae providentiae (ô grande arcanum!) clarius cottidie video, & per occultas cauſſas, imo quae alio ire videtur, trahere omnia ad ſuam metam. Batavi fortunati eſtis; ſi ſenſus ſit, utimini: pacem inite, in poſterum tuti, liberi, honorati. Spernitis: nec id tantum, ſed giganteo ritu manus & arma tollitis, & in caelum levatis. Ergo punitio mox juſta exſpectanda, juſta ſed & ſubita, & multis inopinata. partium ſtudio peccare me non credo. Tu animum noſti: amo bona & bonos, odi mala, ſed non malos, & vos praeſertim Batavos amo (dicendum eſt enim) ſupra omnes gentes, quae mihi notae, aut ignotae. Itaque miſereor hanc inſipientiam, a faſtu & ſtupore pariter natam, & cui vaſtitas & exitium comes. converti leniter ſtatum ſuum nolunt: quid ergo? everti: quod ſi non aliunde eveniat, cauſſae in ipſis ſunt, & ſe aperient, & ut corpora occulto & interno morbo, ſic illi reſolventur. En quo impetus me ducat? ſed quem duo venti excitant, pietas in Deum, & in te amor: nec pecco, cum illis vela do, & ſequor. Tamen deſino, nec verbum ſuper his facturus, niſi tuto me putaſſem per iſtam bonae & tutae mentis. De privatis non nunc indago. de nuptiis dicam? bo-

1 De hoc edicto ſupra ad Epiſt. DLXXXVII. vidimus, ſed prodiit demum A. 1596.

na verba, & faces funebres potius, quam ut eas accendas in impiorum templis. Tamen hoc optabam, atque etiam ſuadebam (non diſſimulo) ſi temporum conditio non mutaſſet. nunc paulùm ſuſtine, & Muſis tuis pro Junone ſupplica, & adhaere. ego aedifico, fortaſſe aliis. Quid enim hîc firmum? & in bona cauſſa non bona conſilia, id quoque patiente aut dirigente providentia, ut vitia & libidinem caſtiget: in moribus omnia hîc labant, & oculi dolent cum video, animus, cum cogitatione uſurpo. Ego quid? in libris, & hactenus quidem iſta litteraria & philologa: ſed quanto melius aſſurgere, & ad ſapientiam ire? animus & Deus impellunt; & faciam brevi, ſi non hîc, alibi, ubi idem ille Deus cumque me ſiſtet. nam ſi turbae iſtae nihil remittunt, imo augeſcunt, quidni tutus & quietus me locus habeat, ubi pariamus, quod parturimus? Equidem domus nova, aut innovata, non me tenet; non magis, quam e ſimplici ſtramine aut pilo funiculus, ſi quis eo liget. Didici affectus habere domitos, & delectari hortis aut aedibus poſſum, ſed ea omnia ſpernere, aut deſerere ratione evocante. Habes, mi Buytewechi, non epiſtolam, ſed tabulam animi mei, in qua ille jacet, & exprimitur purus & ſimplex. ſed habes tibi. a communione haec ſepara, & aeternum offendis me, ſi divulgas. parentem unum excipio, cui una cum matre ſalubre, & ſolatium hoc, Deum ſupereſſe. Lovan. XIV. Kal. Octo. 1594.

EPISTOLA DCXLVI.

J. LIPSIUS

Gerar. Buytewechio S. D.

Leidam.

NEſcio quomodo tuas avide exſpecto, & ſcis mihi crebrius aliunde advenire. ſed tuas, inquam, avide exſpecto; an quia affectus in te eſt, qualem noſti, an quia in ipſum locum aliquis & tuam illam ſedem? Nam nec hoc nego. & quomodo non, ubi optimae aetatis partem meam quiete & tranquille egi? unam rem excipio, quae defuit, ſed ſummam illam, quae ad ſumma. In qua ipſa, quia vos inquietari interdum audio & judiciis diſtrahi, ecce quae boni arbitri (duo quos noſti) arbitrati ſunt ſuper quorumdam quaeſito. Gaudeo, inquis. Gaude, & hoc cape boni nuncii, pro roſa, quam exſpecto: feſtinato non opus, niſi hoc gelu properum terras nobis claudat, & impediat ſeri. Nam quod tu advocas *Porretos* & *Henricos* in tardam ſationem nihil eſt: illa vero tarda erit, uti emanet & ambulat veſtra haec, quae feret. Jam denique de navigatione firmiter cognovi, quam inſtituiſtis. O novi Magellani & Columbi, ſed felix eſto, ſi in bonum finem, & terras novas commercio nobis jungito. nam quod iis minentur, quos [1] Auguſtus poſt annos ducentos vix tandem ſubegit, minae ſunt, & intra eas ſtabunt. Ego vero

[1] Intelligit Hiſpanos. Cantabri enim diutiſſime reſtiterunt Romanis, & eos demum Auguſtus ſubegit.

ro ab alto molem aliquam ſurgere cenſeo, ſed occulte, aut res humanae me fallunt. Aedificatio noſtra affecta eſt, & rude atque externum opus peractum: politio ſupereſt operae, aut moleſtiae minoris; ſed vix ſumtus. Quid tamen faciam? aliquid relinquendum eſt, quo vixiſſe teſtemur, & praeter ſcripta. Non ſunt Hercle Pyramides, aut Regium opus, ſed moenia pro noſtris opibus, & domus, quae Lipſii & Lipſianorum ſit capax. unquamne videbis? non deſpero, & eo minus, quo valetudo nunc melior promittit aliquid de productione vitae. Hoc ſcito, gaude, vale. Lova: Prid: Idus Octob. A°. 1594.

EPISTOLA DCXLVII.

GERARDUS BUYTEWECHIUS
V. C. *J. Lipſio.*

Lovanium.

SOlenne nunc iſta cunctatur, capio ut quod rerum hîc geri contingit, ſcriptioni noſtrae poſſit aggeri. non eſt naufragium (inquit ille) ex quo non placet una tabella. Niſi quod hoc etiam mali ſit: quod pleraque ex his, quae mitto, jam occupaverint ad D. v. deferri, ut non tam ſcire te faciam, quam credere. hoc ipſum tamen excuſabit longitudinem, cum novitatem, quam in aliquibus velim adferre, debeam tentare in plurimis. Ordiar a ſcholis, & principium mihi erit a fine turbarum. Ad novas iſte dedit initium, & in aliis; honeſte ſe peccare putabant, quod peccant poſt ipſos Theologos. Exitus conſilium probavit, & non niſi bonus effectus ex cauſa tam laudabili. Vide itaque quid non effecerit ingenuus iſte zelus fideliter exprimendi, quod ab animarum cuſtodibus erat impreſſum: Erat inter viliſſimas ars eorum, qui vitra apud nos componunt: non eſt ulla nunc, quae habeat quaeſtum paratiorem. haec ipſis debetur cataſtrophe, & tanto vulgi bono, ut per haec lucella multis mitigata ſit hyemis moleſta acerbitas. Sed non ſine magno labore (quippe ſunt δύσκολα τὰ καλά) ventum ipſis ad hanc laudem. Trahendum ipſis fuit integros currus, ex iis, qui merent vehendis hominibus, & circumducendum totam civitatem & praecipuas ejus regiones. Obviam autem ut inciderant in quemque amicum, *Hautenum*, Praetorem, Conſules, ex ſeſſoribus iſtorum curruum (erant lapidibus referti) inmittebant in fores cujuſque ac vitra. Longum eſt ſingula narrare: hoc addam, quod [1] ξυλινὸς iſte noſter ſolum *Beymam* mali ſoli putabat authorem, atque illum eſſe, qui ſtudioſis ad hanc ſcilicet magnanimitatem monitis praeiret. Innuit hoc verſiculis, quos conceperat feneſtris praefigendos dictorum vitrorum. ſunt iſti:

Die vraecht wat hier ſcheelt, ſal voor antwoort ghedincken,
Dat ſoo die Beyerman ſpeelt, dat ſoo die clocken clincken.

Sunt ſexcenta ejus generis, ſed debes alia ſcire, quae magis ad rem. hoc itaque ante omnia (nam feſtinationis res eſt) Quod, ſi quidem tu veterum amorum rationem habere velis, non eſſe, quod illam antiquam tuam conjugem nimis

1. Hautenus.

bene habeas. nam ſiquidem diutius tibi pergat ſupereſſe, periculum ne naviter amicam *Bertius* praeripiat. Bona fide ipſam ambire dicitur, & brevi habebit, niſi quid excommunicatio moretur. Nam ut hoc quoque ſcias, iſte cum *Baſtingio* ſuo coena arcetur, quia cauſam dederunt iſtis turbis. Iſta jocoſe, & boni conſules. Nunc ſerium de ſerio viro. Is *Scaliger* eſt. Cui cum nuper adeſſem, petiit primis ad te litteris ſalutem ſuam officioſe aſſcriberem. plura non poſſum in tanto hominis ſilentio, cum nihil ipſe agat, quod judicium alicujus poſſit exercere. Publice necdum hìc ſcimus quid linguae, & utrum loquatur. Privatim ego ſcio, & comperi in ſermone comiter familiarem. De Claritudine quoque veſtra valde ipſi cordi eſt, & ſolemniter ipſi ſermonis exordium: *quam mox accepiſti literas a D. Lipſio.* Atque iſta ſunt ὑπομνήματα actuum Leydenſium. Hagha haec habe. Lugdunenſis ille noſter magiſter *Simon van Veen* nunc nunc creatus eſt advocatus fiſcalis Hollandiae &c. Partes nunc ejus erunt partes illas ſerio fovere, in Catholicos, in exercitia eorum inquirere. Et hoc jam jurant. non miraris de illo? De fratre debes *Petro Venio*, illo tibi noto, cui praeibit matrimonii verba miniſter Haghenſis. Et haec facimus adhuc boni Catholici. quippe quo modo ſecure regem abjuramus advocati. In ſumma ita Haghae vivimus, ut conſcientiae laxandae non opus nobis ſit lectione *Cajetani*. De noſtro ſumimus quod libet. [2] *Dorpio* illi πλȣσίῳ negotium fecerat, quod cum *Hartio* pluſculum habuerat literalis negotii. Cum nuper eſſet in publico carcere, videbatur eſſe malo loco, nunc paulum remiſit de iſto ſervore. [3] *Meningus* etiam in illo ludo, & fuit Penſionarius Dordracenus. Atque ita & Hollandi *Chaſſeôs* ſuos habent, quos inſectentur, & fallor aut eodem eventu quo vos facitis: nam ita nunc res eſt, ut talibus indigeant. Et quidem *Chaſſei* mentio Brabantiae me facit meminiſſe; Brabantiae, Lovanii. Quod Lovanium reviviſcere nunc magis & augeri novo ſemine, profecto laetor. Et magis faciet, ubi confirmata fuerit opinio de tua manſione. Nam novae iſtae in Galliis turbae a novo Rege, omnem ſuſtulerunt, qualiſcunque jam fuit, pacis expectationem, & D. V. mentem aut cogitationem abeundi. multos hoc e veſtris metu liberavit, quem conceperant de te amittendo, cognita eorum contentione, qui certatim alio vocabant. Hoc ex partibus veſtris mihi ſcriptum eſt. Etiam de ſtipendio auctiori, & expeditiori ratione ejus perſolvendi. Libens haec audiebam, & hoc erit explicandis iſtis curarum nodis. De quibus quod Claritudo V. ingeminat: profecto non eſt εὐαγγέλιον. Abominor illud omen, & procuratum velim quacunque ratione, quae in mea manu, etiam per omnia iſta, quae in hoc corpore aut animo habeo chariſſima. Itaque D. O. M. enixiſſime precor, quidquid virium tibi exhauſtum eſt, quicquid valetudinis imminutum cum foenore reſtituat, & te nobis, cum tuo bono, communi bono diu ſervet incolumem. Iſta precor, & ad iſta faelicia apprecor, & novit ille Deus, quod velim ex toto animo poſſe id effectum dare, etiam cum proprio incommodo. In hoc va-

2 Vid. ad Epiſt. CLXIV.
3 Vid. infr. ad Epiſt. DCLII.

vale, Vir Clariſſime, & ab utroque parente una cum uxore tua chariſſima multum ſalve. Lugduni Batavorum IV. Kal. Februar. ∞ D XCV.

EPISTOLA DCXLVIII.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio ſuo S. D.

Leidam.

LOngum mihi viſum fuit, nihil a vobis audire, etſi id ſine culpa veſtra. hiems impediit, quae commeatum inter nos clauſit. nunc volupe eſt audire de valetudine veſtra, & privato veſtri ſtatu felici. Nam publico quid dicam? heu! pro votis quorumdam omnia cedunt, utinam bonorum? ſed quid tamen angimur? profecto nos, qui in republica non ſumus, non niſi parvum hunc mundum regendum curandumque habemus, id eſt nos ipſos. Ego privatim vulnus accepi, Hujo capto, quia arceor aquis Spadanis: ſine quibus non eſt, ut valetudinem diutius ſuſtentem. Itaque ſi illud non licet, certum eſt vel ad Germaniae acidulas ire. ſi tamen & hoc licebit. Nam veſtri alia moliuntur, alia ex aliis nectunt, & velut indagine nos claudunt: video conſilia, & Gallis ſe jungunt ad ſociandas vires. noſtri quid? piget, non dicam, dicere, ſed cogitare. Sed quid ad me? munire me, hoc meum eſt, & ſcire quam iſtaec & plura poſſint & ſoleant evenire. Quod Ulyſſes ille apud vatem ſummum, ſibi quiſque in vitae his voluminibus dicat.

Τλήσομαι, ἐν στήθεσιν ἔχων ταλαπένθεα θυμόν.

Perpatiens, patientem animum iſto in pectore geſtans.

O pulchrum, o Chriſtianum vere affectum! quorum eſt exerceri, affligi, durare! ecce autem & domum exſtruxi. Quid tum? alicui ſerviet, imo & mihi, nec animoſa abjicimus, & una hora eſt, quae haec mutat.

—— Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus:

Ut Lyricus noſter canit. de [1] turbellis veſtris, riſi & miratus ſum: non me doctore olim iſtaec. efferantur mores, & is quoque ſit inter fructus mutatae, aut ſpretae religionis: caetera, quae ſcribis, non itero. illud mihi novum fateor, de [2] *Petro* illo, qui Hagae, qui, incredibile eſt quam fervide ad me, & quam pie ſcripſit: ſed homo, aura. De altero *Petro*, qui meam illam ambit, Deus proſperet. aliam ego ſponſam cogito, quietem ſi poſſem exorare, ſi hîc limes noſter parum tutus, Germania me videbit: etſi iterum Itali ambiant, & nunc recenter Mediolanenſes ac Bononienſes. non attollor iſtis, mi Buytewechi, (tu hoc ſcis) ſed tamen paucis meo aut ſuperiore aevo favor tam con-

1 Hoc & praecedenti anno multi tumultus in Academia a ſtudioſis, qui privilegia ſibi non ſervari & Fori praerogativam querebantur, excitati fuere, ſed ſedati paullo poſt, praeſcripta jurisrandi formula, qua ſe adſtringerent ſtudioſi, & alia adhibita remedia.

2 *Petrum Venium*, & alterum *Petrum-Bertium* intelligi patet ex epiſtola praecedenti. vid. Ep. DLV.

conſentiens, aut indicia publica contigere. ſed omnia mihi prius auferantur, quam hic animus paucis contentus & quietis amans, liber ambitionis ac quaeſtus. Vita quantula es? Spithama aut palmus, ut proverbium vere dicit. Qualis es? caligo, tenebrae, ludi, nugae. Non lubet diducere: ſed qui ſerio oculo, & mente aperta intuetur, faciet quod alteruter illorum veterum, & aut ridebit, aut flebit. ſatis philoſophiae. ad quam tamen, mi fili Buytewechi, ſerio te voco, & ad Senecam noſtrum, & ad Arrianum, ſed ante omnes ad ſapientum libros. de privatis hîc amicis; bene ſunt: *Sandelinus* brevi, opinor, vos videbit. Juvenis amore digniſſimus, & quem ego ei impendo. Nimis me cepit. te quaeſo κάτω μέρος veſtra illa ad me ſcribito (narrando, non judicando: ſi illa ſemper cautio:) & a me idem non exigas, ob cauſſam ſemel dictam. Tibi equidem, ut mihi fido: ſed quid evenire in via poſſit, neſcio, & exempla jam recentia habeo publicatarum epiſtolarum. Vale, mi Buytewechi, & *Scaligero Julii* f. ſalutem a me nuncia pleno ore & pectore, miſſuro Militiam noſtram tibi & ipſi, cum erit abſoluta. Inibi eſt. patri tuo optimo & matri ſalutem largiter & amanter a me & mea. Lovanii prid. Idus Febru. 1595.

EPISTOLA DCXLIX.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio.

Leidam.

DE tuo affectu neſcio, aut ſi ſcio, nolo nunc ſcire. de meo tibi affirmo, annum mihi viſum eſſe, ex quo litterarum iſte ſermo ceſſavit. Hiems pigra & ſtricta hoc fecit, vias clauſit, & liquidum alias elementum, nunc ſolidum aliquot menſes, nos & commeantes ſejunxit. O bone Deus, quando ore atque oculis ſemel jungemur ac defruemur? quando verba, riſus, jocos miſcebimus, praeſertim rebus tranquillioribus, ut iſta de Pace ſpes promittit? ſed ſpes utinam veſtita, utinam ne nuda ſit, & nebula aliqua cogitationum modo velata! Subit vereri, cum ſtatum rerum video, cum veſtros eoſdem illos, qui ſedent ad gubernacula: tamen fortaſſe, ut nobis blandiamur, non iiſdem animis affectos. O Batavia, Batavia, ſi ſapias, ſapias, inquam, in tuam rem, in noſtram rem, quanta occaſio honeſte ab armis diſcedendi, collocandi nos omnes (liceat eo verbo uti) in ſemilibertate? nam plane imperium Regium exuere, improbum & nefas. ſive leges & fas conſulas, ſive commoda noſtra, qui ita nati ſumus, ut cum Tacito, *neque totam libertatem ferre poſſimus, nec totam ſervitutem.* Audio *Mauricium* comitem, olim meum, totum in libris & hiſtoria nunc eſſe. utinam verum ſit, & magis utinam hauriat prudentiae & bonae mentis veras ſcintillas. reperiet, ſi volet & attendat. nobis hîc multus ſermo (tetigi antea) de Pace: ſed quo fiduciae aut veri fulcro? vix video: tamen paſcimur ipſa ſpe, & praeceptione gaudii? ſed ut olim planus quiſpiam Athenis, cum a clade ad Chaeroneam, contra Philippum, profugus nun-

nuntiaſſet Athenienſibus res omnes laetas, victores ipſos eſſe, caeſos fugatosque Macedonas, induxit eos ad dies feſtos agendos, laetitiam publice privatimque uſurpandam: induxit vere & fefellit: poſt paucos enim dies veracior nuntius advenit, victos & fractos in perpetuum Athenienſes eſſe; tale, inquam, vereor ut nobis ſit. ſed cum eodem illo ſolatio, quod in concione aperuit. *Quid mali*, inquit, *Athenienſis, ſi mea opera dies aliquot hilariter egeritis.* ſimile nobis; Damus nos blandienti ſermonum aurae, ſed quae non provehet, & in ſicco mox deſtituet atque in vado. Faxit Deus, ut falſus ſim, imo ut veſtri non falſi, & dolo atque alio fine agant nobiſcum. Pleroſque illorum novi, & quoſdam cordatos & prudentiae alumnos. ſaepe mihi votum affari, & in tali occaſione hortari atque excitare. ſed nos, qui palam boni ſumus, apud medios aut ambiguos non habemur boni, aut certe inclinantes favoris libram in alteram partem. Ergo Deus videbit, & ipſe faciet, ut verius vates ait, & diriget navim iſtam noſtram ad portum, aut ad ſcopulos, ut aeternae providentiae decretum ſanxit. Iſta publica, praeter morem paene, quia aliquid praeter morem & inopinatum de pace. diva audi, diva adſis, diva fave. Ad te venio & privata. Conſulis de modo ſtudiorum & excerpendi. Tune? qui toties a me audiſti? ſed tamen cum ratione & ſubtiliter ambigis, in optimis ſcriptoribus quid facias, & ubi omnia videntur eximia & ſeligenda. vere dicis. In Seneca, in Tacito, in talibus, vix eſt quod non notam mereatur, & referri inter excerpta. Quis ergo modus, aut finis? Volumina fient *Electorum?* Audi. in talibus iſtis, atque uno verbo, in aliis, non niſi quod eximie eximium eſt, id eſt, ſive in phraſi, ſive in ritu aliquo antiquo, ſive in ſententia & doctrina eſt ſeligendum. non aliter, quam ſi Indus aliquis mercator multas gemmas & margaretas in cumulo adferat; concupiſcas omnes, laudes omnes, ſed tamen pro modo opum & pecuniae paucos excerpes, & deſtines emptioni: ſimile in iſtis, optima ſeponas & adnotes, alia aut memoriae tuae, aut repetitae lectioni relinquas. mihi crede, etiam ignaro tibi, & aliud agenti aliquid adhaerebit e lectis, & ubi minime putes, offeret ſe & occurret. Mihi in Politicis meis hoc evenit: quae quiſquis putat ab enotatione aut collectione mera eſſe, nae ille toto coelo errat. Id vere opus alienum eſt & noſtrum eſt; & e duplici iſta mixtura vivet, cum ego non vivam: ſed, mi Buytewechi, mi fili, preme inceptum, & lectionem ac ſtilum ſimul arripe. Lectio implere debet animum, ſtilus interdum evacuare, & deplere. ſed ſtilus mollior, ſolutior, & qualem liber atque excitatus animus dictitat. Ite a me, qui verba nectitis, qui ad exemplar ſcribitis, imo qui excerpta & phraſes habetis, quas (ut pictores ſolent) inter ſcribendum aſpicitis & ſubnotatis. Scis quos velim tangere (coram audiſti) & vitium eſt, quod ſtudioſis & antiquariis hodie proprie adhaeret. Ego te ad illud voco, quod Horatius in Virgilio dilaudat, *molle atque facetum.* molle, inquam, fluidum, quod omnem palmam poſcit, ſi idem non ſit ſolutum, ſi ſententia interim acutior, ſi dictum brevius aut acutius alligat. O ſcriptorem & ſcriptum pro meo ſenſu. Ego aures ſubſtringam talibus, ego utraque manu (non ſolum pollice) lau-

laudem atque applaudam. En breviter meum judicium: breviter ſed largiter apud te, ex iis quae audiſti, ſi adjungis. Principi Hiſpaniarum ſcire te volo militiam noſtram eſſe inſcriptam. Ita me Deus amet, vellem in quibuſdam locis *Scaligerum* noſtrum conſuluiſſe; ſecurius publicarem. Licet illi hoc a me dicas. & amplius ubi miſero (inter primos habebitis) rogare me, recenſeat & ſerio moneat, ubi peccatum. moneat, inquam, emendationum. neſcio quomodo hoc fiat, ſed non eſt arbiter aut Criticus in Europa, quem veneror praeter eum. Tibi hoc ſcribo, & audio tamen eum caſtigari ab aliis in Mathematicis. neſcio, nec dijudico, non ſum eouſque illarum artium. tamen nihil temere ab eo ſcribi, aut ſubjici, hoc opinor. At enim homines ſumus, ipſe, ego, alii, qui caſtigant & qui caſtigantur. Peſſimum hac quoque parte ſeculum, ſi quid doceas, gratiam non habet, ſi quid offendas, meminit & reponit. ſed quo trahor. calore me ſcis ſcribere, praeſertim cum ad te, & facile accendor. Has qui feret noſter *Sandelinus* eſt, tuus pariter ac meus. peream, niſi inter primos mihi carus. O praeclarum, o rectum ingenium! O judicii etiam certum! fruere tu nunc, nos privamur: etſi ego quoque in motu fui, & Bononia me exſpectabat. Honeſtiſſime invitabamur: imo inclinabamus, ſed qui rerum hîc potentes nos tenuerunt, cum tuo fortaſſis dolore, & potuiſſes comes eſſe. mi Buytewechi, ſalve, & optimus tuus parens, quo utere ſtudiorum ac vitae directore. Mater item, omnes a me, mea. Lovan. x. Kal. Maj. CIƆIƆXCV.

EPISTOLA DCL.

GERARDUS BUYTEWECHIUS

V. C. *J. Lipſio* S. D.

Lovanium.

ECce denuo nunc ſcribo per occaſionem mittendi, & quod una praeter opinionem nuper mihi perierat. ſcripſeram per filiam noſtratem, dum puto nuntiam haerere ad aliquot dies, ecce abiit prope cum iſta, unico triduo poſt. itaque non videbam rurſus poſſe ſcribere poſt tantillum intervallum. ne nunc quidem operae pretium aliquid acceſſit, ſed tamen utcumque quaecunque, cum oportune, oportet me ſcribere. *Scaliger* atthletice hîc valet, ut qui dicebat mihi nuper ambulaſſe eodem die octo miliaria, & quidem pedibus. Cum ſummo affectu de bonis noſtris loquitur, de terrae amoenitate & ſitu, aëris temperie, oppidorum cultu, moribus & ingeniis incolarum, dilaudat haec omnia cum magna alacritate & pleno ore, nec unquam potuiſſe haec credere, quae nunc videt. Unum ipſe deſiderat: *Lipſium* amplecti, & quod convenire non poſſit iſtum virum, cujus vel unico teſtimonio (haec ita dicebat) diſſiliunt invidorum ſuorum omnes machinae. Amat te certe & aeſtimat ſupra omne, quod dici aut ſcribi poſſit, & haberes crebras ab eo litteras, ni vereretur offendere poſſe ex tam accurata veſtrorum in literis obſervandis intentione. ego dice-

dicebam, non videri hoc aliquid eſſe, ſecure ſcriberet. militiam tuam avidiſſime expectat, & gaudebat ex *Sandelino* noſtro intelligere, in eo nunc eſſe, ut prodiret. hoc ipſi gratiſſimum erat, & multo maxime ſalus miſſa. De Roſa tua intellexi eſſe ancipitis vitae, ſi perierit, aliam facile curabo, perierit anni modo fructus. Vir Clariſſime, haec feſtinato & pene inter pocula nuptialia, quae nos habent una ex aliis. modo cognatus vocor, modo amicus aut cognitus, continuo luxu, ut non teneamur, detinemur tamen, & pereunt boni aliquot dies, ſi non male, ſaltem nihil, aut aliud agentibus. Sed quid faciendum aut non faciendum, ſi diſſolvi ſic oportet, ut aliquando vinciamur. Vir Clariſſime, longum feliciter & firmiter vale. una cum tua conjuge, quam una cum tua Cl. D. multum & ex imo corde ſaluto. Parentes vos etiam ſalutant cum ſummo affectu. Leydae 3. Idus Junias CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA DCLI.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio ſuo.

Leidam.

BInas tuas accepi, quid ſi bonas, uno tempore. gratae, non graves fuiſſent, & potes, ac paene debes in illo otio tot reponere unis meis. nonne hoc alloquii mei tantum, ſed exercitii & ſtili cauſſa utiliter facies? melius, mi Buytewechi, melius (patiare me tui curam etiam gerere) quam nuptialem aſſidue eſſe, & immerſam vanitatibus his, quas ſcis ſeveros etiam animos paulatim flectere aut corrumpere, & raro ab iis redire meliores. Atqui mos poſtulat, inquies. Obſequere, non nego; ſed quantum potes, parce, & cum adſtrictione quadam animi, ut ſic dicam, & adductione ad te tui: noli effluere. Hoc per occaſionem nunc moneo, non quia pecces hac parte fortaſſis, ſed ne pecces, & quia in iſta aetate tua nihil aeque vitandum, quam iſtas illecebras, quae ſpeciem plebeji honeſti habent. Parentes duos habes, & ut diu habeas, Deum precor. ſed habes hîc & tertium, a cura quidem & affectu. *Scaligerum* ſic in te & me eſſe gaudeo. ſed heus, quid ita nullae ab eo nunc litterae? ego exemplaria bina *Militiae* meae miſeram, ipſi & tibi, nec aliis in Batavia. Ille & tu ſiletis. Quaeſieram & judicii copiam, imo inſtructionis ab illo viro, qui id poteſt. Scribe ſtatim, quid ejus rei ſit, & an in tradendis literis mala fides fuerit, an mora. Tu, mi Buytewechi, noſti nihil miratorem mei, aut aliorum contemptorem. Et ideo judicia libens audio. Utique in hoc morbo ſiquid ſcriptito, qui facit me ipſi mihi diffidentem aut detrahentem. Quid ſi aliquis etiam ſit, qui libero ore aut ſtilo dicat, Lipſi deſine, ſatis gloriae partum eſt, priora ne dedecoratum eas, aut imminutum? talis ille pro vero viro & amico faciat, ſi res ſic habet. Delinquimus enim paulatim omnes, & adſ metam imus, nec corpus ſolum, ſed animus & ingenium fatiſcunt & vaneſcunt. Dei unius eſt ſtare immobilem, & in fortitudine.

bene qui cogitat, & ad conditionem ſuam ſe aptat. Equum, qui Olympia ſaepe vicit, quieſcere rector facit, & in circo non vult, cum riſu anhelet & ilia ducat. cur non nobis curator talis aut monitor? En Philoſophiam, nec importunam, & ſcripſi quod in animo ſaepe volvo. Tu ad me libere omnia ſcribe. ſcribas autem? imo tu veni & dicito, & fac quod ſaepe promiſiſti: nam ego illa verba ſpem adventus tui ſic interpretor. & obſecro ut in occaſione te ſiſtas. Potes ſine fraude tua aut tuorum, & ſine periculo: & comitem ſi voles, *Sandelinum* adducito mihi carum. Hoſpitium utrique nova domus mea erit. [1] In *Aldegondium* noſtri heu liberales! Reges omnes animo iſto vincunt: hactenus vulgata & communia. vis aliquid novum & inopinatum? ſed jam praeſciſti, & fama celerior dixit. Ego, qui tanto conatu & aſtu etiam a Batavis me abduxi, paene ad eos reductus ſum, nec interfuit temporis duplex punctus. haeſerunt in tergo meo praedones veſtri, manum jam injiciebant, ego celeritate & conſtantia evaſi. Licet in collegium Saliorum me adſcribas, ita alacris trans ſepes aliquot ſalii, atque eae ab equitibus me tutatae. rideo, etſi motus ille & conſternatio non pro bono corpuſculi ſui fuit. deterior & incommodior Spada redii, quam eo veni. publica non tango, quae vides in Gallia ire, quo fata Hiſpanorum volunt. Quid non tango? imo tangor a veſtris, qui nimis dicunt tetigiſſe. [2] Epiſtola aliqua mea ibi circumfertur, ut audio, & quidem translata ſuper Pacificatione. o quam rideo? & homines ſerii translationibus etiam credunt? ne Latinis quidem, niſi Lipſii manum viderent, temere debebant. ſed juvat ſic facere. me nihil ſcripſiſſe aut ſcribere, quod non cenſeam pro bono publico eſſe. odia aut triſtiores affectus non habemus. imo inclinantes benignioreſque affectus in veſtram partem nunquam poſuimus. & ideo fuge credere contra eam aliquid ſcriptum. ſi quid non pro ſenſu ejus, parum eſt. nec medici quidem pro guſtu aegrotantium dicunt, etſi pro uſu. Pacificatio ſi iis exoſa, en ego ejus auctorem me fateor & probatorem, & una mecum tempus. forſitan revocata volent, quae nunc ſpernunt. ſed cur ad te? non ſoleo. debui excuſando mihi in re & in calumnia puerili. *Sandelinus* noſter haec ſciat. vale, & optimum utrumque parentem a me & mea animitus ſaluta. Roſa noſtra Batavica floruit paene ad miraculum, flores tulit ad ſeptuagenos, & calices quoſdam etiam detraxi. Lovanii. v. Id. Sext. CIↃIↃXCV.

1 Intelligit Provinciam vertendi Biblia ex Hebraico in Belgicum ſermonem, quae ab Ordinibus Foederati Belgii mandata fuit *Phil. Marnixio Aldegondio*, & annua ipſi conſtituta bis mille & quadringenti floreni, praeter trecentos pro mercede habitationis, adjunctuſque ei *Carolus Gallus*, Th. Profeſſor, (de quo ſupr. ad Epiſt. CLXXXIV. & CCXXI.) qui verſa ab *Aldegondio* excuteret & recenſeret, vid. *Borrium* Lib. XXXI. pag. 74. dederat jam antea ſpecimen in Pſalmis, quos Belgice verterat, ſed queritur de Theologis & miniſtris verbi detrectantibus ſuam operam, & qui *Dattheni* obſequentes calumniis & obliquis obtrectationibus, ejus praetulerunt Pſalmos; illepidos ſane & plebeja humilitate & ſordibus verborum inquinatiſſimos. late de hoc agit ipſe *Marnixius* in Epiſtola ad *Bon. Vulcanium* ab *Heinſio* edita Cent. II. Epiſt. 68. ſcripta XXI. Nov. 1580. antequam vero Scripturae ſacrae verſionem perficeret, Leidae mortuus eſt Aldegondius XV. Decemb. 1598. vid. *Borr.* lib. XXXV. pag. 68.

2 Vid. ſupr. ad Epiſt. CCV.

EPI-

EPISTOLA DCLII.

GERARDUS BUYTEWECHIUS

V. C. *J. Lipſio.*

Lovanium.

MUnus tuum non patitur diutius me ſilere, & ſcriptionem ſuadet extra ordinem. gratias meas cum re non poſſim, ſaltem literis decet teſtari. ſcis quod ſummo loco mihi debeat eſſe etiam, quod minimum a te proficiſcitur; quo ergo, tam magnum iſtud, & quod eſt vere tuum, ac proprius a te patre foetus? Eſt. itaque maxima gratia & (quae ſumma eſt) quanta debetur. *Scaligero* exoptatiſſimum fuit hoc munus, ut cui longa expectatione quaſi imminuit. Literas mihi dedit ad Clarit. V. quas adhuc ſervo. Nauta hic meus neſcio an poſſit aberrare. in his meis parum vertitur. non putavi alteras iſtas debere periclitari. novum hoc ſcriptum C. V. cum ſummo animorum affectu hîc excipitur. cui rei iſtud, quod Ordines noſtri Antwerpia evocarint (an vero acceperunt?) menſem amplius totum, ante haec bina exemplaria. hîc Leidae compingi datum a privatis, Ordinibus dono miſſum, & ab iſtis Mauricio, in caſtra ad Grollam. Tantus hîc erat expectationis ardor, iſte accelerandae lectionis impetus, tam excitatum videndi deſiderium. Alia multa ab aliis ad iſtum tam impotentem affectuum, ut ſic dicam, proterviam, tenere amant veſtros partus, & pro guſtu omnibus eſt, quicquid ad tuum ſtomachum, & quod tu edis. Longum nobis facias, vir Clariſſime, iſtos motus, & mittas quod promittis. Deus valetudinem tuam dabit tam multorum tam ardentibus votis. ſed heus. ab ejus cura quam prope abfuit, ut quod reliquum moliris debueris apud nos emoliri? Sed noluimus nolentem te apud nos videre, & ex animo tibi gratulor fortunatum infortunium. ſcimus ſic exacte de re geſta ex literis *Heſpelii.* gratulor, gratulor. de iſto altero Leodienſi caſu aliquid hîc didici. author meus habet a me, quam tibi reddat ex occaſione ſalutem. Unum habe pro novo. [1] *Meningus* hiſtoriam ſcribet noſtratem. Operae pretium; mille ducenti ab ordinibus, trecenti a Dordracenis. hic titulus muneris: ſed puto videbis una cum bibliis *Aldegondii.* Iſtud ſtylo apud Batavos eſt pretium, & [2] *Vulcanius* interpres eſt, aliquanto lautius, quam ſe-

1 *Juſtus de Menyn* Syndicus Dordracenſis, ſuſpectus commercii illiciti cum Hiſpanis & *Hartio*, & in judicium vocatus fuit; ſed cum accuſatio illa nulla probatione firmata, irrita cecidiſſet, & interim dum ſub reatu erat, munere & ſtipendio privatus eſſet, Ordines Hollandiae Hiſtoriographi titulo ornarunt. vid. *Borrium* Lib. XXXI. pag. 87. & ſeq. nihil autem prodiit ejus cura, quod vaticinatur jam nunc *Buytewechius*, eum cum *Aldegondio* comparans, qui etiam poſt Antverpiam amiſſam cum muneribus excidiſſet, & in ſuſpicionem rei non cum fide adminiſtratae veniſſet, poſtea ignominiae minuendae cauſſa Leidam miſſus, ut Biblia verteret. ut modo vidimus. de hoc *Meninio* ſive *Meningio*, ut eum vocant alii, vid. ad Epiſt. CLXIV. ubi perperam *Jacobum* vocavi.

2 *Vulcanius* a Curatoribus petierat, ut ipſi liceret munus Secretarii Academici conferre in *Bertium*, & ſibi ut daretur titulus interpretis Graecorum Auctorum. aſſenſerant quidem Curatores, ſed interceſſit Senatus Academicus, qui contendit ex legibus Academiae Curatoribus ſolis jus non eſſe Secretarium creandi, ſed ſuffragia adhibenda Rectoris & Adſeſſorum, ut actis noſtris eſt conſigna-

ſecretarius. iſte debet vetere ex Graeco quotannis librorum definitum numerum. & ab eo genere *Nilus* eſt, quem videris ſaltem in Cathalogo. Da veniam; avocor ne poſſim ad plura. Vale. parens uterque mittunt vobis amiciſſimum & offiociſſimum ſalutem. In die Sancti Laurentii. CIↃ IↃ XCV.

ſignatum, & ita juſſus *Vulcanius* in munere ſuo manere. Nilum de Primatu Papae edidit Latine verſum hoc ipſo anno. Poſtea *Salmaſius* duos Nili libros adjecit libro ſuo de Poteſtate Papae: & alii ediderunt. vid. *Allat.* Diatrib. de Nilis in tom. v. Biblioth. Graec. Cl. *Fabricii.* pag. 59. & ſeqq.

EPISTOLA DCLIII.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio S. D.

Leidam.

LOnga tua excuſatio, non veſtibulum epiſtolae, ſed ipſa. quid libuit tibi ſtilum & ingenium in iſta puſilla re exercere? Ita mihi viſus es: & ſcito non accuſantem me expoſtulaſſe de ſilentio, ſed alloqui deſiderantem. Cujus in praeſentaneo ſermone ſpem mihi factam abſcindis, & rejicis in ver propinquum & annum aperientem. Quid autem ſi interea aliud non impedimentum, ſed vinculum? ſi colla ſubdis, ut ille ait, maritali capiſtro? rumorem aliquem audivi, & ut ex animo loquar, non diſſuadeo. ſed ſic, ut praeeant & eligant tibi parentes. neſcis quam in iſta re ratio plus valeat & videat, quam affectus. Vulgus clamat aliter, & juvenilitas ſaepe vult aliter. ſed experimenta docuerunt illa matrimonia & ſtabilia, & concordia, & undique felicia magis eſſe, quae parentibus auſpicibus coëunt. Affectus nondum adeſt, aderit. da te conſiliis, & praecipuam vitae partem ad illa compone. Quorſus haec tam largiter? an omen in iſta ſcriptione eſt? & me profecto fugit, & calamus calore quodam huc ivit. mi Buytewechi, quidquid eſt, affectum noſtrum noſti, qui perpetuus in te erit. De Roſa, quod iterum offers, remitto. mea non frutificavit ſolum, ſed foetificavit, & ſobolem pulcherrimam ab radice habet. Flos, ut ajunt, ſatis grandis & honeſtus: nam ego non vidi, tunc in Aquis. Militia noſtra Hiſpanis ſatis grata eſt, credo ob praefationem. ſed quod ſcripſi, & tu diſſimulas, judicia veſtrorum audire velim, etiam momorum. Juvat vel injuſte carpi ſaepe, & aliquid ſuggeritur clarius aut firmius docendum. Sane ego quaedam jam nunc noto in altera editione reformanda. Quid de ea re privatim noſter *Scaliger?* cui familiarem te eſſe & puto & cupio. Utere & hîc conſilio noſtro, non poenitebit. Utinam autem ipſe alibi eſſet? minus ſubjaceret, opinor, caſtigationibus ſive calumniis multorum. Video quidem agmine in illum iri, & doleo, & quanquam in re ea cenſuram non fero, vix arbitror ſic meruiſſe. Quidquid eſt, ſcito altum & igneum ingenium eſſe. multa ſcientia & infinita lectione. Judicium alibi (in quo non?) ego & amiciſſimi requirunt. Editus liber nunc in eum Romae a *P. Clavio*, in quo caſtigatur caſtigatio ejus anni Pontificii. nondum vidi, ſed exemplar in via eſt,

Ro-

Roma ad me miſſum. nihil ei dici opus, nec volo: melius per alium hoc ſciri. Conſtantiam ejus non laedunt iſta fortaſſe; ſed ut Poëta amatorius negat amicae offerenda amara aut medicata pocula, ſic in amicitia cenſeo triſtia ab aliis nuntianda, a nobis allevanda. Satis de iſto. nos hîc, id eſt in Schola, in flore. Doctores quinque creavimus. Quid cenſes Licentiatos? piget numerare. o mores! utinam res ſic quaereretur, quam titulus? viros haberemus, & nunc eorum umbras. Apud vos eſt *Lindenbrugius* quidam, qui ad me ſcriptitat. Velim ſcire quis, qua pietate & moribus: nam doctrinam video non deeſſe. In publicis vides ventos eſſe noſtros. Gallos vapulare, & vos non triumphare. Tamen Comes veſter, ut audio, totus in antiqua, id eſt, bona militia, ſi tamen judicio transfert eam, & cum hodierna miſcet. O *Maurici*, quam tibi quoque & virtutem & opes voveamus, ſi commilites ſupero & noſtro Regi? Deus videre det illum diem, & arma omnia in Aſiam aut Africam verſa. Vale, mi Buytewechi, cum utroque parente, quos uterque (ego & uxor) ſalutamus. Lovanii Idib. Sept. CIƆIƆXCV.

EPISTOLA DCLIV.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio.

Leidam.

AD primum tuum primo, de *Claritudine*. Serio hoc quaeris? iraſcor poene, ſi aut tu talis es, aut talem me cenſes. Tu, dico, qui plus judicii habere debes, & de me ſcis, quam ſemper & olim talia adſperner. Omitte, omitte, & priſcus ille mos vigeat, *Tu*, *Tibi*. Utinam vel apud ipſos Reges! ſed publici mores ubi alii ſunt, ſequamur. privatim ſimplicitatem illam veterem amemus, & mordicus teneamus. ſed ad alia. Heu, heu, quid prodigii mihi narras de *Bertio?* vide qualem errorem meum craſſum & ferula dignum; ſuſpicabar e prioribus tuis (vix audeo nominare) *Merulam* eſſe, nam inſigniebas illa nota, *quod locum meum ambiiſſet.* Jam denique intellexi quid velles, & caſtigavi ſtuporem. Sed vel ſic res miras. vosne Batavi, aut Mattiaci tales! & eo ventum, ut vel ſuſpicio maculet! tamen gaudeo adoleſcentem abſolutum eſſe, & de fama periclitatum magis, quam vita. ſit ais, certe illam vix receperit, etiamſi recepit. & erunt ſemper, qui ventilabunt ſopitum illum ignem: Amabam & amo adoleſcentem, ob ingenium, eloquium, ſed & in me amorem: quem antea quidem ſemper oſtendit; niſi ſi cum pluribus nunc mutavit. ſed eſt tanti. Quod ad me, Aula noſtra amico lumine aſpicere me incipit, imo & bene facere. etſi domi non illa ſolita mihi quies, & coactus ſum recipere quoſdam in contubernium & convictum. vere dico coactus, nempe ab iis amicis, quibus nulla impudentia neget. O beatiorem meam te uno familiari ſortem? O libertatem illaeſam? quae nunc minuitur, fortaſſe & valetudo. Sed videbo, ſi qua me extricabo, & rumpam laqueos, ſi non

ſol-

ſolvam. *Scaligerum* bene eſſe gaudeo: a me hoc nuncia, amare & favere, ut ſemper: petere me, ut paria faciat, non quia ambigam, ſed moris dicisque cauſſa. Exſpectabo literas ejus avide, & ea, quae dicis. [1] Ille, qui olim in mea domo & mihi a manu, gerit ſe pro ingenio & more, ut audio. loqui & judicare facilis eſt, utinam facere, & in rem ſuam ſapere, ſed & ſalutem. Nam cupio juveni, id vereor, ut longius ierit, quam ut a nobis revocetur. In republica nihil habeo, nec ſi haberem ſcribam, quid opus eſt? vos ibi aures & oculos emiſſitios habetis, & ſcitis, non publica ſolum omnia, ſed privata. Quid ego Bruxellae fecerim aut dixerim, quid proceres mihi, illinc ad me ſcribitur; o curas! o magnum inane! ſed nimirum otia hoc faciunt, ſecure agitis, rumuſculos captatis, an & illos de claſſe magna magni Regis? ego neſcio, ſed fama hîc ſuſurrat. Tu caute (extra jocum) ſi paullum etiam moras nectis, & liber incedis a compede illa conjugali. Etſi faciendum ſemel eſt tamen, & ruere non debet domus te uno fulta. ſit ille dies, quo te, & ex te aliquid videamus, & ſecure inter nos fruamur oſculis ſimul & auribus, non ſolum iſtis. Parentem utrumque tuum amanter ſaluto, & item mea. Vale, mi Buytewechi, Lovan. IIII. Id. Januar. CIↃIↃXCVI.

1 An *Hubertum Audejantium* intelligit? ille enim contubernalis & a manu fuit: vel *Otth. Hartii* filium. vid. ad Epiſt. DLIV.

EPISTOLA DCLV.

J. LIPSIUS

Ger. Buytewechio S. D.

Leidam.

ANtverpiae fui, id eſt, tanto vicinior Bataviae veſtrae, & litora & oras luſtravi, unde ad vos ſaepe ſolvi. In mente mihi amici crebro, & mentiar, niſi etiam noctibus memoria veſtri. Unquamne licebit? nec hoc quidem novo Auſtriaco Praeſide, veſtri mitiores, aut ad pacem inclinantes? non apparet, & contra audimus, & fiduciam a triplici illo foedere, & pertinaciam in eo manendi. Deus ergo faciet, & res ducet, quo ei viſum: ſed & nos ducet, paratos obſequi & parere. Omitto, nec in poſterum libens tangam: cum circumſpicere jam veſtros audiam, & in ſcriptiones inquirere aut ſermones. Privata igitur: ſed quae illa? pauca ſunt. tu nihil mutas; nec das gratulandi aut apprecandi nobis cauſſas. ſcis quid velim: & ſapienter fortaſſe facis, ſi tamen brevi nubes iſtae tranſiturae ſunt, & Neptuno huic committere te poſſis in ſereno. Paene diffido. interea cum Muſis noſtris verſare & age, ſed & cum ſeveriore Sapientia, apud Stoïcos noſtros educata. Ab illis voluptas interior, aut utilitas: & poſt animi hanc curam, felicius & fortius tranſibis ad illam corporis & externam. Vota parentum tuorum irrita eſſe nolim, da iis nepotes, & ſuſtine ac fulci domum, in te unum inclinatam. Audio *Bertium* noſtrum hoc nunc agere. bene & feliciter, & hoc malo, ut

ſub

ſub Venere ardeat, quam ſub ejus [1] marito. *Sandelinum* tuum & meum nonne vides aliquando. velim, & inter vos mea quoque cauſſa amate. De *Scaligero*, amari ab eo triumphus eſt: ſed quid agit? nec tu quidem ſcribis, & an etiam nunc in ſubtilibus illis intricetur. Dic tribus verbis. & Poliorcetica mea dedi nuper Typographo, ac vereor ut auxilium ab eo ſerum ſit: etſi nec nunc ſerum, & alibi inſeram aut adtexam. Tu ſaluta, & quidquid a te addes, nimium non addes. fac idem utrique parenti tuo, a me & mea. Lovanii poſtr. Idus Mart. ∞.IↃ.XCVI. Donatum me titulo Hiſtoriographi Regii, puto audiſti, parum eſt, ſed res & penſio acceſſit. Lovanii 1596.

1 Intelligit *Bonaventuram Vulcanium.*

EPISTOLA DCLVI.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio.

Leidam.

LItterae tuae alacres, & in vere hoc florido neſcio quid ἀνθηρὸν prae ſe ferebant. quod me quidem delectat. video ex iis a corpore, ab animo te eſſe valentem. & ut diu ſis ſupremum illud numen rogo. Ego adhuc me non erexi, & una cum valetudine animus, ſtilus, lectiones jacent. Ideo de ſcriptiunculis noſtris, nunc hercules parum opportune injicis. delectat haec ignavia, & quam odiſſe ſoleo, amo. Video nec *Scaligerum* multa dare, aut promittere, praeter vetera illa, quae refinxit. ſed gratum quod ſignificas de *Caſaubono*, emigraſſe ex illa lacuna, etſi in locum nec illum nimis pium. mirabar ſilere illum in hoc aevo, & flore ingenii. ſed migratio impedierit fortaſſe, an & morbi, de quibus ais eum queri. Hem! quod iſtud fatum noſtrum eſt, litteras omnes ſic languere? publica, quae ſint videtis, vel auditis, portam in Gallias aperuimus, ajunt & claſſem Ibericam circumſpectare de portu. Angli in navibus ſunt, ut audio, & adjuncti etiam veſtri. mirum, niſi aeſtas haec magni aliquid dabit, & inclinationem totam belli: ſed apage de bello, pacem & bona expetamus & loquamur, cum conſilio tuo concordiae & pacis, quae bonum matrimonium ſemper adſpiciat. Vale. Lovanii poſtr. Id. Majas CIƆIƆXCVI.

EPISTOLA DCLVII.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio.

Leidam.

RAriores jam litterae inter nos commeant, quia & nuncii rariores, & hiems iſta pigra tum itinera, tum & animos claudit atque adſtringit. ſed nec

materiae multum eſt ad ſcribendum, mihi quidem, cui publica transferre non libet: & privata quid mutent! ſemel genus hoc vitae quietum elegimus, Deus dedit, & porro det in eo perſeverare. E terra ſpectamus alios fluctuantes, aut ſatagentes, quam multos & naufragio facto pereuntes? Itaque ne tunc quidem illiciar *Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.* quanto nunc minus, cum *Una Eurusque Notusque ruunt*, & undique bella, foedera, tempeſtates ad miſerae Europae converſionem aut exitium? vos quoque auditis haud dubie de apparatibus, & interea minora quaedam ſpectacula & lanienae eduntur. bone Deus! utinam cauſſa tua non agatur, quam ſecuri haec ſpectaremus. ſed miſeria hujus aevi propria eſt bello ob religionem certare, nec corpora, ſed animos quoque armis perditum ire. pereant qui auctores. *Douſa* noſter filius, ita me Deus amet, pectus hoc commovit, ſic ereptus. Amabam juvenem indole mitem & bonum, & e prima noſtra inſtitutione, tum & ingenio, imo & doctrina jam talem, ut lumen aliquod, plusquam *Junius*, Bataviae veſtrae polliceretur. ſed quid eripuit? tabes ingenita an arceſſita & Italiae adſcribenda? En fructus longinquae peregrinationis, en, licet pater tuus hoc tegat, & mater etiam ſciat: mane, mane apud tuos, vive Deo, ipſis, tibi potius, quam ut neſcio qua ſpe aut ſpecie elegantiarum virides iſtos annos & aevum tuum perdas. Etſi tu, credo, hoc jam non agis, imo de conjugali vinculo agis, quod ſic ſatis firmiter hîc te liget. Sane hoc malo, & approbo, ſed tamen ſerio differri totum malim, niſi apud vos indigena aliqua ſit tuae ſortis, & quod caput eſt, caſtus. illa, de qua cogitatum, nec ante nimis, & nunc minus placeat, ob ea quae ſcribis. Apage illam, quae faſtum pro dote adferat, & iſtum, qui eſſe a theſauris habeat pro Theſauris. Incerta tota ſpes, & multi ſunt, qui inhient, & ipſe nondum in aevi meta, quam facile iſti magni dejiciuntur, aut decreſcunt? Orbis fortunae volvitur, & clariſſime in iis, qui ex humili ſurrexerunt; ſed ecce ille fortunae orbis, jam nunc in Campania vos extulit. quam triumphatis? videor audire voces. ſed tu iſtam, *Fortuna cum blanditur, captatum advenit.* nubes a tergo cogitur, & ſerpens ille, quem [1] Annibal in ſomniis vidit, paratur. Quo res cadet, ſcit Deus. ſpes metusque & nobis eſt. ſed illa major. Heus tu autem de *Scaligero* nullum verbum? nihil parit? non eum adis, ut ſoles? ſcribe ſi quid erit, & has *Sandelino* mitte, aut trade. quem ſalvum etiam eſſe e [2] naufragio, quod imminebat, gaudemus. Diſcet non occurrere periculis, ſed ſatis eſſe, ſi cum venerint, excipiantur. Uxor fecit, quae voluerant illi amati. Ecce reſcripta. Lovanii VII. Kal. Febr. CIↃIↃXCVII.

1 Vid. Valer. Max. I. VII. Extern. I.
2 Vid. III. Centur. ad Belg. 34.

EPI-

EPISTOLA DCLVIII.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio.

Leidam.

ECce iterum meam manum, quid tu ais? haec non emendari cum annis? imo, & ego juveneſco, & vide exemplum. Oculi iterum belle habent, & lemae illae an glaucomata, aut quidquid fuit, in malam rem abierunt, & maneant aeternum. Utinam tua res ſic procedat, illa Junonia, quae me tecum exercet. Quidquid diſſimulas, amas, & negantia tua verba apud me affirmant. Sed cum modo, nimis amare inſanum malum eſt; & ne incide, aut eripe te, ſi incidiſti. En, inquies, etiam videor? magis, priuſquam perages, & nuptias ſemper praecedunt iſti Feſcennini. Sed extra jocum aut cavillum, Avunculum hunc tuum cenſe, niſi quid mater aut filia (ſed illa potius) inſtillent aut mutent. Sed mutent, tu ſac idem, & alio transfer affectum. Si pax coit, huc te transfer; ambulabis, videbis, excerpes. An ſpes aliqua eſt? nobis magna, ſed neſcio an certa. Accepi heri a magnis quaedam, quae alio eunt. Itaque ſi non aliter [1] *Julii filius* ad me; vereor ut ſerum ſit, aut ut unquam. Quid autem tu ſcribis de [2] *Xylino* illo? aut quae ſunt haec *ἀπόρρητα*? nihil divino: & tamen videre virum cupiam, & non depoſui veterem amorem. Ah, utinam ego praevertam & praeveniam! Utinam clauſtra iſta, ſi non pace, ſaltem induciis laxentur! nolo invitari, haberes me ultro & invocatum. Ardeo videre loca, homines, te. Etſi mihi hîc quoque bene eſt, & gratia Principum cottidie accreſcit. Sed de peregrinatiuncula loquor & excurſu, an ſimile eſt in illo monarchico tuo? ego *Julii prolem* intelligo, neſcio an recte. Qui ſcribit ſe librum ad me mittere; atqui nec *Moreto*, nec mihi acceptum. Ego brevi Admiranda noſtra, quae Sereniſſimo Alberto inſcripſi; ut videbis. De *Sandelino* jamdiu nihil audio: ubi eſt? quid agit? quî valet? quoniam ipſe negligit, tu vel verbo ſignifica, item quae judicia veſtrorum nunc de Emendatione emendata. Scribe etiam, quaeſo, ſemper privata illa, de Schola, de Amicis & caeteris, qua ſciri ſcribique ſine fraude poſſunt. Vale, mi mellitiſſime Buytewechi, & brachiis his animi collum tibi ſtringo. Lovanii VIII. Kal. Mart. ∞. IↃ.XCVIII.

1 *Joſephus Scaliger*, ut mox *Julii proles.*
2 *Johanne Hauteno.*

EPISTOLA DCLIX.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio S. D.

Leidam.

VEr annum aperit, & ſimul etiam noſtrum mare, nimis diu clauſum, fatebor, deſiderium mihi fuit ſermonis tui & rerum veſtrarum. Etſi privatim nuncias haud laeta. nam de *Georgii Douzae* morte, & tali morte, dolui. En, quo tempora haec & turbae juvenes impellant! O ſi ille in rebus quietis, in bona & addam etiam pia diſciplina! profecto fructus mitiores dediſſet, qui nunc acerbi ceciderunt, agitante violento fato. Patris amicitiae oblivifci non poſſum, ſed vellem eſſet vel nunc in aetate graveſcente quem optamus, & velit ejus ſalus. De *Scaligero* tu nihil. ego hoc tibi, editum eſſe a [1] *M. Delrio* tertium Tomum Diſquiſitionum magicarum, in quo ille ex profeſſo tangitur: & ſcis occaſionem datam eſſe Societati. Sed & P. [2] *Deckerius* in publicis lectionibus in illum dictat, & ſententias ejus refutat: quod fortaſſe jam audiſtis. nam video rerum noſtrarum nihil vos celari. Velim autem ſiquid his de rebus habes, & quomodo ea accipiat aut ferat, nobis ſcribas. Sunt enim, qui velint ſcire. Ego, Diſſertatiunculam (parva res eſt) coram Principibus excudi jubeo, & addidi Plinii panegyricum obiter illuſtratum. Ad Senecam deinde meum adeo, & vel mihi, mihi inquam, ea elaboro. Certe ipſa tractatio & diligens inſpectio ejus ſcriptoris juvat, & mentem

in

1 *Delrius* lib. VI. cap. 3. pag. 233. in *Scaligerum* ſtolide invehitur, & conviciis plane Jeſuiticis ſententiam ejus de Dionyſii Areopagitae ſcriptis ſuppoſitis exagitat. nihil proferens, niſi teſtimonia virorum recentium, & ſui cenſus & coetus, qui pſeudepigrapha illa defendere auſi ſunt: ſi Calviniſmus illi ſolus ſufficiat, ut aperte prae ſe fert, ad *Scaligerum* maledictis obruendum, quid hodie non in ſacrorum ſuorum antiſtites evomeret, qui *Scaligeri* ſententiam amplexi ſunt? quorum omnium ne nomina hîc cumulem, rationes adduxit in compendium *Du Pin Biblioth. des Auteurs Eccleſiaſt.* t. I. pag. 34. & ſeqq. *Delrio* & ſimul *Serario*, qui in eodem ludo doctus, omnes doctos, qui non erant *Veteratores* (ita Scaliger Papiſtas, qui nos *Novatores* vocabant, appellare ſolebat) conviciis horrendis proſciderat. reſpondit *Scaliger in elencho Tribaereſii Nic. Serarii.* ubi dignis impudentia & calumniis Jeſuitae hi excipiuntur modis. Huic libro *Delrius* oppoſuit, primo *vindicias Areopagiticas* A. 1607. & deinde alterum inſanum libellum, cui titulus *Peniculus Feriarum Elenchi Scaligeriani pro Societate Jeſu, Maldonato, Delrio. Auctore Liberio Sanga Verino Cantabro*, ad *Clarum Bonarſcium Belgam*: cujus auctorem eſſe *Delrium* fatetur *Valer. Andreas* in Bibliotheca. qui horribilis & deteſtabilis libellus nil, niſi convicia ſacra & terribilia continet, & plane geminus illi Amphitheatro Honoris, quod *Clarus Bonarſcius*, id eſt *Carolus Scribanius* Jeſuita, exſtruxit. tot canes ſe adlatrantes magno animo ſuſtinuit Heros *Scaliger*, quibus applaudebat mancipium illorum *Lipſius*, dum tamen *Scaligero* os ſublinit, & laudibus ab invito extortis paraſitatur.

2 *Joannes Deckerius* Belga Jeſuita, cujus vitam vide apud *Valer. Andream*, & *Alegamb.* Biblioth. Societatis Jeſu pag. 235. intelligit vero *Lipſius* publicas ejus recitationes Chronologicas & Theologicas; quarum exempla manu exarata ſupereſſe Lovanii & Graecii, ubi obiit. 1619. ſervari teſtatur *Alegambe*, qui & catalogum diſſertationum exhibet: ſed quam degeneri animo nunc *Scaligero*, a Jeſuitis ob odium religionis, quam mutare noluit, conviciis lacerato & vapulanti *Lipſius* favet? quem ſaepe, & his ipſis temporibus, divinis laudibus effert? ſed in eam ſervitutem redactus erat, ut non auderet laudare aliquem Jeſuitis exoſum.

in haec aſpera quae ſunt, & futura videntur, firmat. Vale, mi Buytewechi, & de te tandem aliquid, & tua Junone Juga. Lovanii, VII. Kal: April: ∞.IↃC.

EPISTOLA DCLX.

J. LIPSIUS

Gerardo Buytewechio ſuo S. D.

Leidam.

BInis tuis reſponſum debeo, ſed non magni, aut certe non multiplicis argumenti. Nam de magnitudine, mentiar: nonne unae de prole tua erant? puſilla adhuc & infante, ſed ingenti vobis theſauro, & quem opto ſalvum, nec a Parcae inſidiis tollendum. Parentibus adeſſe te etiam intellego, id eſt duplicaſſe gaudia, dediſſe, & accepiſſe ab illis, & communi iſto pignore mutuum oblectari. Quando alterum erit? age, Securitati lita,

Tutius & geminos anxia mater alat.

Scaligeri Euſebium avide exſpectamus: vos Senecam meum: ſed valetudo & aevum vere faciunt me languentem. Nonne ſatis etiam dedimus, quod deſidiae opponamus? nec vel Athenis cauſſam de otio dicam. Adde proprium aevi malum (nec unquam ſic paſſivum) calumniari, mordere doctos aut bonos: & quis talibus praemiis ad ſcribendum aut vulgandum excitetur? Non loquor de inepto aliquo aut moro *Lucio*; ſed qui inter Troſſulos cenſeri volunt, hîc tirocinia Doctrinae ſuae ponunt. Roga *Scaligerum*, dicet me ἀληθίζειν; & petiti uterque ſumus, ſi non laeſi. Publica ſepono. nonne enim continenter triſtia, & quae frontem atque animum adducant? Abeant. & ut ii, qui in mari jactantur, non oculos in undas, ſed caelum tollunt, unde ſpes auxilii: ſic ego ab iſtis me averto, ad Deum converto. qui aut juvet, aut firmet: & te, mi amice, cum utraque tua (uxorem & prolem dico) ſervet. Lovanii, XIII. Kal. Julias. ∞.IↃCIII.

EPISTOLA DCLXI.

J. LIPSIUS

Johanni Bernartio.

HEri Epiſtolam tuam accepi, mi Bernarti (ex animo dico) mihi gratam. An non amem tale tuum ingenium, & tam propenſum & inclinatum ad optima ſtudia? in iis ipſis tam provectum? jure, & hoc magis, quia ſingulari quodam amore nos amas. Multi ſunt, & magnates viri, quibus affectum hunc acceptum refero. ſed neſcio, quomodo me delectat & reficit, amari a juventute, quae virtutem & bonas artes amat. Talem te eſſe non verba ſolum, ſed res & ſcripta teſtantur. id eſt, animi & ſenſuum nota & character. Veni &

reperies me qualem putas, imo ſupra quam putas, humanum, comem, obvium atque expoſitum deſideriis juventutis. Alios alia delectent. me diſcere, atque etiam docere, & ſementem hanc ſpargere utilium monitionum, ubi animi illum agrum ſubactum reperio, & quaſi ſitientem & praeparatum. Epiſtola tua haec & aliae clare id clamant & praeferunt. nec dubito nunc utile vas, ſed in quod infundi & concredi poſſit liquor iſte & aethereum nectar melioris doctrinae. Ego ſane Lovanii in loco olim frequenti & celebri, ſed quid nunc, niſi in deſerto & vacuo, & priſci illius vere umbra? Doleo cum video: ſed ſic, ut in Deo fidam, & ſperem poſſe reſurgere, quae per belli hujus impetum atque etiam diuturnitatem ceciderunt. Illud mihi (cum Plauto meo loquor) cordolium, ita abiiſſe ex his locis meliores politioreſque literas, ut vix ſperem vel a Mercurio ipſo revocari eas aut reduci. tamen videbimus, & ſi aliqua hîc quies, fient ea, quae fieri poſſe ratio aut mens non capit. Bene Pindarus, ὠκεῖα δ᾽ ἐπειγομένων θεῶν πρᾶξις, ὁδοί τε βραχεῖαι. Pars alia epiſtolae tuae de Weſtphalo eſt, cum ſcripto adjuncto, quod pro me benevole & ingenioſe fudiſti. Ego te & illud amo. ſed ſenſum meum & judicium hîc audi. non reſpondemus ad haec talia, ſed nec ab aliis arma capi volumus aut ſcutum. Tiro & novus novitius in aevo eſt, qui propria haec ejus vitia non novit, digladiari & convitiari. Quid ſi nos cauſſam etiam aliquam praebuimus (ingenue fateor) non quidem tam protervae ſcriptionis, ſed tamen contraſcriptionis pro gente Weſtfalorum? ſimplicitas & candor meus mihi impoſuit. & divulgavi ea, quae ex tempore ad amicas aliquas mentes ſcripſi. Putavi ea quaſi ſubitanea noſtra capienda, quaſi facetias aut joca. Ecce vertunt in ſeria, & quod vetus verbum habet, ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιοῦσι. Feramus & ſileamus, & hoc ipſo vindicemus. nam mihi crede, finis iſtius ſcriptionis fuit noſtra contraſcriptio. cum quieſcimis & ſtilum premimus, exciderunt a ſuo voto, & hoc ſumme iis dolet, nos non dolere. Vir magnus in his talibus recte ſcripſit, fructus omnis laedentis in dolore laeſi eſt (Tertullian. de Patientia.) hoc ipſum me feciſſe vides, non rerum aut verborum penuria, ſed animi decreto. cum hoc firmum eſt, etiam certum victoriae non pugnare. Noſtro & ſuperiore aevo exempla pugnarum ejuſmodi vidimus quo fructu? meo judicio ſuccubuit ille ipſe, qui vicit. Quin hoc etiam tibi ſuggero. olim magni & diſerti viri animoſos ejuſmodi libellos contra viros inclytos, & in famae gremium receptos, ſcripſerunt: quis eorum exſtat? pereunt cum aevo haec talia, & praeſentem aliquam titillationem habent, ſed, ut in turpi voluptate, cum poenitentia eorum, qui patrarunt. mihi hoc de iſto ipſo carptore mei certum eſt, & cum ad animum & interiorem teſtem reſpicit, damnatur, & extra limen ſaltem lapſum ſugillat. Quamobrem, mi Bernarti, ad mea & mitia conſilia te revoco, nec repugnando vincere volo, ſed cedendo. Fatigetur improbitas patientia noſtra. nemo ad hoc aevi illuſtrium ingeniorum evaſit calumniae hunc morſum. Ego me extra ſortem communem eſſe volo, & eximia quadam lege intactum? nolo. hoc ipſum argumentum melioris & manſurae famae eſt, concuti, & ut flamma nulla ſurrexit ſine fumo, ſic nec claritas aut gloria ſine livoris hac nube,

be. Illa circumfundatur, ſed Deus & publicae famae genius diſcutit, & lucere eam puriter facit in veniens aevum. En noſtra ſententia. interea ſcriptum tuum & te cariſſima habemus. nec labor tibi periit, quem mihi imputatum volo & in tabulis rationum expenſum. Aliqua diſpungam & ea maxime, quae commotum oſtendunt, quamvis docendo ac ducendo. Vale, mi Bernarti. Ad *Oudartum* noſtrum ante paucos dies ſcripſi, priſci exempli amicum, cui nunc a me ſalutem. Lovanii IX. Kal. Septemb. CIƆIƆXCII.

In Centur. II. ad Belg. Epiſt. VI. eſt epiſtola, uno die poſt hanc ſcripta, quae ejuſdem argumenti, ſed non tam aperti eſt. unde apparet, ut & alibi notavimus, aliter edidiſſe Epiſtolas, ac ſcripſiſſe *Lipſium.*

EPISTOLA DCLXII.

J. LIPSIUS

Johanni Bernartio JCto. Cognato ſuo S. D.

MAle dantur, aut male certe curantur tuae litterae, quas aliquot diebus poſt ſcriptionem accepimus. Hoc non ut accuſem, ſed excuſem, ne nos putemur tardi. Cauſſam ſuſpicor, quia liberae inſcriptae & ſine mercede. quae data illis excidit & inhiant in futuram. Itaque poſthac abſtine hac humanitate; & Mercurii iſti a nobis habeant ſuum libamentum. De conſilio, quod dedi, puto bonum, & in rem eſſe, quod fidum & amicum hoc ſcio. Nec parentibus tuis velim (ſi propitiis auribus tuis dicam) affectu cedere. ſenſiſti & ſenties ſemper. Atque ego genus illud vitae nec pro tuo, nec pro meo genio eſſe ſatis ſcio; ſed cum quo quid pugnemus? publici mores illuc eunt, vela demus, aut obruent nos judiciorum fluctus. ad illud ipſum, quod animo agitas, & litterarium hoc otium convenit, & expedit tricas illas extricaſſe. Heu bonas & ingenuas frontes, quam abhorrent! Miſereor, ſed fine boni firmique otii illuc voco. Prudens aut conſultor haberi vis? lites prius ſeca, aut involve potius, ut ſunt mores. Deus bone, quod ſi me abduxerit, immortuus eſſem tirocinio primo. ſed tu robuſtior, &, ut rem dicam, quam parum pro te ſit noſtrum hoc genus vitae, vides. Gratioſi fortaſſe apud multos ſumus. quid amplius? famam & laudem paramus; illa tantum? mentior, imo calumnias etiam & voculas, & *tam magnis invidentium, quam mirantium populus eſt*, ut Seneca noſter dicit. ſed talia aliquando coram. nunc animo obdura. In re mea apud Quaeſtorem ſupremum quod tu & ſocer ſatagitis, gratiam debeo, & ſcripto illi retuli: tibi nolo: nam haec & talia a te poſco, meus &, manum tibi injicio. Statius autem tuus ubi eſt? puto Antverpiae, & ego ad *Moretum* ſcripſi. Quod rerum aliquid publicarum litteris inſpergis gratum eſt, & ſaepe facito. ſtilum & judicia haec ſcriptiuncula exercet, & nos delectat, qui fautores bonae cauſſae ſumus, etſi non actores. Auguſta illa ſtirps, niſi bona noſtra auget, mala minuit; in exilium licet ire omnibus bonis. In Gal-

Gallia novae turbae, ut audimis, & noſter illic miles. Regum conſiliis non intercedo, primum tamen, & nobis optabile, nos tegi. ſpero facient, & ita illud agent, ut hoc non negligant. Vale, mi Bernarti cum tua. Lovanii Id. Mart. CIↃIↃXCIV.

EPISTOLA DCLXIII.

J. LIPSIUS

Johanni Bernartio S. D.

Antverpiam.

BUytewechius haud dubie apud vos fuit, & ſermones etiam ſevit, ex quo ea, quae ad nos, potes jam ſcire. Quid jam tu? ſi animo vales, omnia recta. Ille firmandus eſt, & velut in excubiis & ſtatione habendus contra leves & externos quoſdam affluctus. mulier hoc aut illud dixit? ſed mulier, Tu Bernartius, id eſt, cui Deus dedit meliorem, & non e vulgo mentem. Attolle, illa ipſa, quae angere & mordere nunc videntur, ſponte diffluent. & favos guſtabis poſt illa fella. Quantulum eſt biennii ſpatium? tum liber, & tuus vives, ut voles, atque etiam ubi voles. Utinam aut res interea tales, quae obſequi te Genio tuo invitent, & adſpirare ad ſtudia & locum, quem amas! nam ut nunc ſunt, quis ſanus ſuadeat? aut quid hîc praeter algere & eſurire? preme pauliſper illud tetricum, & quod antea monui, in publica hac ſcena ſuſcipe perſonam. Haec univerſe, & diſtincte quaedam, cum inter nos videbimus: nam puto me brevi Antverpiam, quo noſtra de Militia jam miſi & exſpecto quando *Moreto* commodum ordiri. moneo etiam & monebo de Statio. Gallicanae res affectae, ſed non confectae, niſi fallor, diu etiam turbabit illud regnum; nec facile reponet ſe in gradum. Materiem vides, & magnos exſules, qui non quieſcent. ſed jam ego (ſacra nos vocant) & tu quoque, mi Bernarti, Lovan. pridie Reſurrectionis. CIↃIↃXCIV.

EPISTOLA DCLXIV.

J. LIPSIUS

Johanni Bernartio ſuo.

VEre & ex animo me ad te ſcripſiſſe, quae in rem viſa, vere tu ſcribis, mi Bernarti. An non tamen animum tuum video aeſtuantem, ut incluſum ignem? profecto video, & exſerentes ſe ſcintillas illas generoſi honeſti. Sed diſce hoc, quaeſo, a me; in terrena iſta faece polluere paullum & impurare aetherea illa debemus, nec cogitare vitam illam ſimplicem, ſinceram, & pro parte tantum meliore. Pudet ſcribere, & ratio aliter vellet. ſed quid: ſi uſus & mos vincit? Corpori ſua danda ſunt, & quod ſequitur, quicquid illi adnexum. Amici, uxor, liberi (tibi fortaſſe brevi) jus in nos ſibi vindicant: & una cum iſtis cura, & pa-

paratus rerum terrenarum: vita opus, fama opus, denique nummis opus: ſine quibus illa priora non ſunt, imo utrumque ex iſtis. O miſeriam! bracteola auri vel argenti vitam hanc regit, & ſuſtinet: & prava cupiditas imperium illi dedit in res humanas. ſperno, inquies; fac, ſed cum lege, ut non egeas, & apud te ſit quantum opus. Vis ſcire, quid interſit inter ſapientem, & plebejum in hac materie? Ille cupit, & quaerit, ſed cum modo, & judicio: denique quaeſito utitur: iſte intemperanter omnia; & cum habet, in nullum uſum, aut in abuſum. Si bene cogitaremus compoſitum illud in nobis; utrique parti quod ſuum eſt daremus, animo & corpori paſtum & alimentum. Illi ſcientia, prudentia, & ſapientia opus, & haec ei nectar: huic cibus, veſtis, ſervitia, & alia, in quae ſola vulgus laborat. Ego te ad utraque voco: quid te deprimo? niſi quod hoc offendit, quod ut hactenus, quae ad animum tantum curaſti; ita nunc magis flectimus ad haec, quae corpus poſcit. ex iſta egreſſione, extra limitem venies in ipſum limitem: & ut arbuſculae, quae in hanc partem creverint, & ſe curvaverint, in alteram iterum flectuntur, ut tandem ſint rectae: ita te ad aequilibrium, inclinatione iſta, vocamus. Scriptiones meae, ſi non perſuadent, certus ſum, quod aetas & uſus perſuadebunt, & aliquando exclamabis, *O Sapientem Lipſium*, cum Lipſius non erit. iſta hactenus, fac quod ſcribis, da te foro, poſtea tibi, litteris, Deo. De praefatione ad *Torrentium* vidi, legi, probavi: Crede, paucis verbis: ſi quid aliter, notavi. idem in adjunctis. aedificium curas mihi gignit, quas ſi tam philoſophus, quam tu, eſſe velim, contemnam; & mox re ipſa ſentiam, & luam poenas. non licet, aurum mihi vile eſt, ſed utile eſt, & quamdiu in hac terra ſum vereor, ut egeam hoc e terra. Quod de Seneca rogabas, qua mente illi vir probus tantum clarus? reſpondeo, Stoicorum: aliter Tacitus, quem adducis, aliter alii locuti: ſed Stoici ſubtiliter ſaepe verba diſparant, & *claritudinem* ſolius ſapientis ſui eſſe volunt, *famam & gloriam* aliorum. iſtaec in multorum ore nata laudatio aut ſermo eſt, illa in paucorum & bonorum: Vale, & tuam, & tuos ſaluta. A Regiis nihil ego adhuc praeter verba: ſed vereor, ut tandem iis quoque dem verba. Quartum me Veneti vocant, & iterato Mediolanenſes. deliberabo profecto, nec domus aliquid (ne fallare) me ligat. aliquando coram. Lovan. Non. Jul. A°. 1594.

EPISTOLA DCLXV.

J. LIPSIUS

Jano Bernartio.

Litteras tuas heri ſub noctem accepi, & in lecto meo legi, non ſoleo veſpere; imo nec in coena allatas reſolvo; ex veteri Pollionis dicto, *Seria in craſtinum* Sed affectus in te aliter juſſit. Triſtes autem mihi litterae, & lectae, & cogitatae: hoc uno ſublevabant, quod fortior videreris in ferendo.

& profecto ſic oportet rem, quae corrigi non poteſt, tolerare, & oſtendere animo nos eſſe ſupra illam. Quid te ſolari debeat, dicam. Ratio ante omnia & ſapientiae decreta: quae armant nos adverſus alia, quam haec minuta & luſoria mala. Sed praeter hanc etiam tempus, & cogitatio, quam non diu in moleſtiis illis eris. Annus mox expiravit, quam cito & alter? Si in carcere, aut cuſtodia eſſes, ſuſtentares te ea ſpe diei alicujus, ad liberationem deſtinatae: hîc idem cogita. Vis me ſerio magis & altius loqui? diem illum magnum cogita, qui nos omnes liberabit, quemque ſua hora, aut momento, a terrenis his curis, aut vinculis. O Deus, quam in exiguo tunc nobis haec vilia? quam ipſi mirabimur, imo indignabimur haec aeſtimaſſe? Juvet te aliquando, mi Bernarti, animum illuc mittere, ad externa, inquam, & ea, quae cum deſierimus eſſe, erunt: curae vanae, quid vultis? tenet hunc, aut angit uxorcula, illum liberi, alium ſocer, aut ſocrus. Quid iſta ſunt? Vincula aut compedes, ne exſultemus. Abrumpam, inquies. non licet. ſic ut ii, qui in littore ſedent, cum taedio nautam & navim exſpectant, donec appellat: at ille horam & aeſtum; ſic nos faſtidire pauliſper debemus, & exſpectare, donec opportunitas abeundi. Heu verae punctiunculae quotidianae! quam penetratis & lancinatis? credo, & expertus ſum, aut experior, nec omnia opus propalare: ſed heu anime robuſte, & ex decreto fortis! Quam multa toleras! quam multa aut non ſentis aut diſſimulas! fac tu, fac, & ſit hoc tirocinium tuum in ſapientiae, & patientiae palaeſtra. Iſta ab illa eſt, ejuſque aut finis aut fructus in hac quidem vita, quae adeo angorum & moerorum plena, ut vetus ſcitum ſit, *optimum non naſci*, & quod ſcis ſequi. verba tibi do. quid aliud poſſum. nunquam tamen vobis defuturus, quae meae erunt poteſtatis. Spero nos in ſermone plura, ſub hunc Septembrem. Venies tunc ad nos cum uxore, & jam nunc te invito ad encaenia. Vale. Lovanii III. Non: Septembr: A°. 1594.

EPISTOLA DCLXVI.

J. LIPSIUS

Jano Bernartio S. D.

Mechliniam.

SIt felix, ſit ſalutaris iſta migratio. ſit etiam laeta. Confide ſemel & conſiſte animo, & omitte querelas. Deus & bona ſors juvabunt. Juvet te eſſe nunc tuum, & ſine arbitro vivere, & laute etiam vives, ſi libenter. Auſonius egregie

Ille opibus modus eſt, quem ſtatuas animo.

Quam pauca natura a nobis exigit? quam multa opinio? Huic ſi ſervias, numquam eris dives, ſi illi, ſemper. Utinam philoſophantem me talia in Seneca noſtro audires. Erigerem te & confirmarem. ſed audi, pro communi etiam ſententia, nihil tibi deerit, ſi adniteris is eſſe qui potes, id eſt, patronus & ad-

vo-

vocatus audire, apud quos bona copia habitat & fortuna: utrumque opto, ſed ut habeas, non ut te habeant. quod ad Helenam, apage a Troja tua illam facem, niſi tamen paucorum dierum, aut ſeptimanarum res ſit, tantum velim te aliquid in gratiam parentum. Et credo, Hercules, ipſam Helenam nolle, es tu non Paris illi, ſed Menelaus. A te, inquam, ultro abeat, & illum, (ſcis quem dicam?) militem Alexandrum ſequatur. Noſtrae togae non ſunt pro his Nymphis. Scripſi heri ad Praeſidem, gratias egi pro affectu. ſperare me aliquid de effectu, alioqui neceſſario facturum, quod exteri volunt. Ab *Oudarto* nihil adhuc reſponſi? an non in urbe eſt? ſaluta & mone. Lovanii XII. Kal. Novemb. CIↃIↃXCIV.

EPISTOLA DCLXVII.

J. LIPSIUS

Jano Bernartio ſuo S. D.

Mechliniam.

EXcuſares me quod breviter ſcribam, imo accuſares paene quod ſcribam, ita diſtringor. Adeſt *Raphelengius* minor, qui Colonia venit, & nunc ad ſuos abit. Itaque neceſſario cum illo ſcribo. ſed ad rem. de fluctuatione tua doleo, & te objurgo. Tu nihil a lectione juvaris, aut firmior redderis? quomodo id poteſt. Guſtata, inquis, delectant. mox es, qui fuiſti. dicam tibi? inſtar aegrorum eſt, qui ſanari volunt & nolunt. Medicamentum ſi quod porrigitur, aut non ſumunt, aut ſumptum ejiciunt. Quis hic fructus? adfici erga medicum oportet, & forti animo, imo & fidenti ad ſalutem poculum haurire. Quod ſi haec veterum dilutiora ſunt, noſtra Chriſtianorum dogmata nonne ſatis meraca? non haec imbuiſti? volo multa, non poſſum, de verſu Statii cenſeo: *neque enim his mora.* verbulum, inquam, interponendum. Vale, mi Bernarti, & ſerio vale, id eſt animo & corpore firmus eſto. quid tu in magnis & inopinatis malis faceres, qui jaces in primis? Lovanii VIII. Kal. Novemb. CIↃIↃXCIV.

EPISTOLA DCLXVIII.

J. LIPSIUS

Jano Bernartio S. D.

Mechliniam.

NUncius veſter ſubito fere abit, ut litteras dedit, & cum redit non appellat. Una ratio eſt, ut ipſe me admoneam, quod in Bernartio meo facio ſaepe & libenter. Quod ad res meas attinet, officium & ſtudium *Oudarti* noſtri nimis ſcio, nec quidquam mihi in his locis bene benigneque ſine illo factum, aut faciendum. meminiſſe malo, quam dicere: aut ſi dicere, in locis, ubi firmius hoc haerebit. Videbo equidem quid Ordines facturi, etſi ex di-

dignitate ullo modo hîc eſſe poſſum, veſter ſum, & patria mihi ſepulchrum: ſi non, quidni abeam? & cum Scipione illud proferam, *O ingrata, nec oſſa quidem mea habebis.* De re tua jam ad *Moretum* ſcripſi. Quid tu autem in praxi tua? arridet & lucro eſt? hoc age & vivere primum eſto, tum jucunde & in litteris vivere. Anna tua ſoror lente aegrotat, ut audio: Quid fiet: Juno opes dabit? ſed ſatis harum habes aut habebis, ſi ipſe adniteris: & fortunam prae foribus ſtantem admittes. Vale, & *Oudartum* percarum mihi ſaluta. Lovanii III. Non. Januar. 1595.

EPISTOLA DCLXIX.

J. LIPSIUS

Jano Bernartio.

Mechliniam.

DEnique Statium tuum accepi, tarde, ſed pulchre excuſum. Gratulor tibi, & viam hinc ad famam, apud bonos & eruditos, tibi futuram ſpero. non omnes delectantur, ſcimus. ſed nec omnium judicia ſequimur, & ſcimus deteriora pluribus probari. Tu vero haec ne omitte, nec ſic pecca in te, in publicum, ſed alia tamen illa, quae ad externam rem faciunt, admiſce. Omnia in tempore tractanda. ſi annum aut biennium totus es, aut eſſe videris in forenſi cura, fama ejus culturae ſequetur te etiam apud vulgus, a quo hac in parte pendes. Miſera vita! ſolum interna & optima ſequi non licet, aut deſerit nos vita. De turbellis aut auſtellis nuperis nihil eſt: tu paene evaſiſti: alter ille mediis eſt in undis. Vidiſtin' autem ſcriptum in me & Latinitatem meam *H. Stephani:* ego vidi, & nihil pro titulo eſt in libro ipſo: Riſi, riſi, deſipientis ſenis ineptias, qui nomen meum praeſcribit, ut lectorem aut emtorem potius illiciat. in ſcripto parum aut nihil eſt, quod me tangat. Res alias agit, & in genere & theſi contra antiquarios aliquid oggannit. Et ſine ſale tota ſcriptio, & quam nec ii probent, qui nos non probant. proh Deum! hunccine hominem *de Latinitate* ferre ſententiam, qui nec faciem ejus unquam vidit, & cujus coloris ſit ignorat? ita vivitur, ita ſcribitur, vos meliores mentes quid facitis? quid gemmas veſtras ſpargitis inter eos, quibus Judaei parcunt. Jurato hoc mihi (numen & coelum aſpicio) crede, ſicunde aliter vita mihi eſſet, deſeram totum hoc genus ſcriptionis, lectionis, nec optima ingeram peſſimo aevo. Sed reprimo, aut etiam revoco. ſi hac parte aevum malim, aliâ melius, & ſi nunc non eſt, alias erit. Eoque ſurculi iſti & velut frutices juventutis depangendi ac firmandi, qui recti recta revocent, & uſui ſunt religioni, patriae, Regi. Vale, mi Bernarte, Lovan. VI. Kal. Jun. CIƆIƆXCV.

EPI-

EPISTOLA DCLXX.

J. LIPSIUS

Jano Bernartio ſuo.

Mechliniam.

VIx eſt, cui reſpondeam, in epiſtola tua, & tamen facio, manum impellente hoc animo, & qui in eo habitat, affectu. Amo te, & jamdiu Belgis meis aliquid magnum de te promitto, in quo confirmor; cum epiſtolas tuas in melius ſic ire video, & tingi magis magiſque colore illo antiquitatis. rem tibi dico, ſed & in alio me audi, & quod coram aliquando monui, abſens ſuadeo ſerio, paullum ἑλληνίζειν. Omnia cum annis habebis, ſi hoc habebis. devora taedium, & vide, ne amici in te deſiderent, inimici culpent hoc unum. Rides in ſinu, & exſpuis, quid malum, inquiens, Lipſi, facis? Tu me ad Graeca, qui paullo ante pluribus litteris ab omni literatura me vocabas; & in juris carcerem includebas? Ego idem, nec judicium muto, ſentio eadem, & illa obtinere volo his ſalvis. Jus primarium ſit, uno alteroque anno, ad rem, ad vitam tuam & tuorum: illa alia ſtudia, nunc quidem ſecundaria, ſed erumpent aliquando, & ſuo jure primas vindicabunt. non me intelligis? ſatis ſaepe inculcavi. ſed hoc nunc pertendo & cupio, ut in horis ſubſecivis velis apud te Graecari. facito, & me & bona ſemper amato. Lovanii v. Id. Sext. CIƆIƆXCV.

EPISTOLA DCLXXI.

J. LIPSIUS

Jano Bernartio.

Mechliniam.

PErcuſſiſti me here nuncio triſtiore, mi Bernarti, & qui valde me tetigit, quia te tangit. Itane pater tibi abiit, ille robuſtus, validus, ut mihi videbatur? ſed fruſtra illa, cum Deus & Parca avocant. nec robur, aut vires, aut aetas ſunt, quae deprecentur, aut reſiſtant. O homines una in re ſemper ſtultos! miramur aut dolemus, cum abiiſſe aliquem diſcimus, & quaſi rem novam habemus, quae in ſenſus & oculos cottidie incurrit. Atqui noſter ille erat, hic parens, hic frater, hic filius. & alii, qui obierunt, nonne & ſuos habent? ſi illorum periiſſe videmus, cur immunes noſtri ſint? ſumma ratio, legem ſic eſſe, naturam ſic eſſe; nati & facti ad mortem ſumus, & melior illa pars ad coelum ſuum abit. confido patri tuo ita factum eſſe, viro candido & optimo. atque hoc te ſoletur maxime, abſtractum a malis ad vera & aeterna bona. In te & liberis fortaſſe aliquid ei ſolatii, quid in aliis erat? diverſiſſimum a priore hoc ſeculum vivebat, turbis diſſidiiſque plenum, ubi virtus ludibrio,

modeſtia contemptui, & nihil in pretio, niſi confidentia & improbitas ſit. Quid juvaret eum vivere? nec dubito quin ex ore ejus interdum eruperint ſermones ejuſmodi aut querelae. Nos, nos, qui paullo juniores, an non taedium aut ſatietas capiat talis hujus vitae? de me (ſi vere id poteſt) velim profiteri, ſed Deus vetat & avocantem audire nos vult, non provocare, aut praeire ceſſantem. Tu, mi Bernarti, firma ſolatia a ſapientia pete, cui jam diu militas, & tutus eſto in ejus caſtris. Te decet, ego cupio, & robur hoc ex animo tibi precor. Lovanii ſubito in nuncii abitum. IX. Kal. Nov. CIↃIↃXCV.

EPISTOLA DCLXXII.

J. LIPSIUS

Chriſtophoro Harlaeo, Achillis Filio.

Lutetiam.

AMoris plenam a te epiſtolam accepi, mi Harlaee: quid plenam? imo amorem ipſum. mihi crede, viſus ſum pectus tuum ardens videre, & aeſtuans honeſto iſto igne. cui utinam diuturnum alimentum a me ſit! ſed vereor ut ſtramen modo aliquod, & velut ſtipula doctrinae aut virtutis meae accenderit, nec ſubſit firmum aut ſolidum earum lignum. ſed utcumque eſt, juvat vel ſpeciem talem eſſe, quae fallat, etſi profecto fallendi cauſſa non inductam. quid enim, aut quanti gloriola iſta eſt? placemus fortaſſe multis, ſed & carpimur a multis, & veluti in ſcopulo poſiti ſumus, quem ſermonum tela iſta petant. Aevum, mi adoleſcens, noſti, ſi unquam, natum ad factiones, odia, bella. In toga & ſago pugnamus, & malitiam, qui gladio aut pilo exſerere non poteſt, lingua exſerit aut ſtilo. Inde ſcriptiones iſtae contumelioſae aut accuſatoriae, & nulli rei bonae; niſi ad ſuam alienamque famam profligandam. Nam & ſuam profecto, apud me quidem, amittit, quiſquis hanc viam inſtat, & uti litteratum ſe probet, abdicat probum. Heu ingenia mali otii, mali judicii! ſcilicet non alia palaeſtra eſt, in qua luctemur ad laudem & quidem firmiorem & manſuram. illa, quae a petulantia eſt, aut invidia, etſi reſonat ad primos plauſus, perit, nec vidimus temere ſcripta, quae in hoc genere diurnarunt. Quorſum iſta? ipſe neſcio, niſi quod fera & ferrea haec bella, quibus triplex Gallia concutitur, haec quoque noſtra, in mentem dederint, quibus laſciviunt litterati. tu & omnes niveae mentes procul ab iſtis, ſcio, utinam aliis illis eximere nos ſit in manu! ſed intueri ea cogimur, imo intereſſe, imo ſubire, etſi pleraque etiam a bona cauſſa malo modo gerimus & malo fine. O Deus, qui pacem amas, & ſuades, quando, quod vis, dabis? quando reſpirabimus a continuis cladibus, a caede gentilium, & cognatorum? talia enim haec bella ſunt, ſine lege, ſine pudore, & per ſpeciem ſacrorum ſine ullis ſacris. Quorum quis exitus futurus neſcio; niſi quod ego quoque cum Annibale velut in ſomnio videre conſequi ſerpentem iſtam videor, quae ſe inſcribit *Europae Vaſtitatem.* non ultra inquiro, & ſino

no fata in occulto eſſe: non etiam affectum meum, qui ſe in te aperit, & teſtor jam nunc te in cordis mei tabulis eſſe ſcriptum. Lovanii III. Idus Septemb. 1594.

Eodem hoc die & anno data epiſtola legitur Cent. ad Germ. & Gallos Ep. XVIII. unde apparet, quod & alibi notamus, ſaepe aliter edidiſſe Lipſium ac ſcripſiſſe.

EPISTOLA DCLXXIII.

[1] JOANNES ESYCHIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

NEſcio an ſcribam & quid ſcribam, ita ambignum me reddunt multa ambigua mutati tibi loco an animi? ideoque jure hactenus ſilui, quod ne nunc faciam, facit [2] *Chriſtophorus* ille noſter, qui ajebat ire ad te, certe cum meo flagitio, ſi ſine meis: adderem etiam lubens, ſi ſine me. Nam ut per litteras tanquam per nebulam te videam, nihil eſt; ipſum, ipſum te, inquam, intus & in cute mallem coram per animi ſermones. Nonne ita debeo, qui filius & alumnus tuae diſciplinae ſum. Nonne & tu debes, ut praeceptor & pater melioris partis. nec ſolum debes, ſed & potes. nam quin tuto libereque audeas apud me, apud me, inquam, ſolum, contra antiquam diſciplinam & bonos noſtros mores eſſet. Senecam pro Sapiente olim ingeſſiſti. verum illum & nunquam erraturum interiturumve Sapientem nunc flagito, quem litteris ſemper tegis. Verum per Deum immortalem, te obſecro & obteſtor, ut praeceptor fuiſti, & ego diſcipulus; ſic palam ac ſincere ſine fuco atque fallaciis, quod inter nos liceat, doce ad Salutem; ac ſi converſus converte: nec diſputandi, vero ſerioque dicam, cauſſa, ſed vivendi. Nam quod ille de Philoſophia, verius ego de Theologia ſcripſerim. Non docere eam diſputare, ſed vivere. eamque optimam cenſeam, quae morigerum Deo, beneficum homini reddit hominem. *Non veniam verba eorum audire*, ait divinus, *ſed videre virtutem.* Haec vera mihi nota. Externa omnia, ſi viam eo perveniendi contineant, non metam, in qua acquieſcendum putent, quis probus improbabit? modo citra offenſam bonorum quis uſurpet. aliter Charitas negat, quae anima Chriſtiani & vita. Eſto ſedeant veſtri in Cathedra Moſis. ſed an Moſes? in cathedra Petri & Pauli? anne idcirco continuo Petri & Pauli? Petrum ſcimus, Paulum novimus: Tu vero quis es? clamat iſte. componamus; ſi diſcrepant: quid tantum crepant? ſi conſentiunt: quid ſeorſim ſentiunt? Petrum ſonent, & Paulum inſinuent; atque ecce, mihi Petrus erunt & Paulus. Eccleſiam Catholicam ſanctamque credo; quia non video. & credo me quoque

1 Bremenſis fuit hic *Eſychius*. quem memorat Lipſ. I. Centur. miſc. 77. vid. ſupr. CCLXV. & CCCIII.

2 *Chr. Raphelengio* Franc. filio, credo: nam per filium ſuum circa hoc tempus epiſtolam accepiſſe a Lipſio ſcribit *Fr. Raphelengius* ſupr. Ep. CXCIII. vid. & DCLXVII.

que in illa. quia ſolius Chriſti vocem audio, eique obaudio; alterius, quiſquis ille ſit, non debeo, non volo: Eccleſia vocem non habet, ſed accipit, & accipit quidem ab homine, ſed non hominis; niſi pro homine tantum. Paulus a Deo praecipit, a ſe conſulit per eumdem ſpiritum, quo adflati & alii: ac proinde inter ſe obnoxii & ſubjecti. Eum veneror, ut mentes noſtras vera ſua luce illuſtret, atque animos purget ac confirmet ad Aeternam Felicitatem. Audi me, o Deus, & ſalvos nos redde. Hoc pacto, ſalve, mi Lipſi, ſalve mi Praeceptor. te colo, ſi fueris: te colo, ſi non fueris. Vale. lacrymas, complexum & compromiſſum mei a te Leida abeuntis vana & inania eſſe non ſine. ac ſi placet, reſcripto me bea & dirige: quod facile per Moguntiam, cui proxima arx mei Principis Stadec. eo ſi dirigas & Binos-Pontes inſcribas, tutum. Fidem meam! mihi ſcripſeris. iterum atque iterum vale. Francofurti ad Moenum XVI. Kal. Octobr. CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA DCLXXIV.

JACOBUS A VARICK

V. C. *J. Lipſio* S. P.

Lovanium.

NOn libenter te interpello, ſed jam cogor; novi enim ad me aliquid allatum eſt, de quo utrum gratulari tibi debeam, an dolere fortunam tuam equidem neſcio. Certe ita te natum video, & id ſaepe *Bernartio* noſtro dico, ut omnium in te amor animique conſpirent. Meretur id quidem virtus tua, &, qua omnibus praeſtas, doctrina; ſed neſcio quid prae his adhuc ſingulare, jam a puero in te admiratus ſim, quo amorem omnium non mereris ſolum, ſed etiam impetras. Sentis id quotidie, & ſenties (niſi fallor) brevi: in itinere enim eſt, & favente Zephyro, propediem aderit, fortuna, quae te faciet magnum, ſi voles; ac neſcio etiam an non, ſi noles. Vix ſtilum reprimo, & jam pene ſilentii promiſſi metas exceſſi. Illud oro, tuis te natum, & deſperatae huic reip. cogita; cujus gubernaculum, uti ambire ſine vitio, ita ſubterfugere ſine peccato, vix licet: iis praeſertim, qui illam non ex affectu, ſed fide adminiſtrare, & rationem in conſilium, non cupiditates ſuas poſſent adducere vocati, quietem ſuam utilitati communi praeferant, parum abeſt ut non malorum omnium, quae impediri per ipſos potuiſſent, cauſa putandi ſint; cum perdere etiam ille videatur, qui cum poteſt non ſervat. Reminiſcere ſine dubio, & florere collapſam paene remp. cito videremus, ſi illi amoverentur, qui ad curanda ejus vulnera conſtituti, ſe curant, & communi ſanguine ac malo, rei privatae vulneribus medentur. Ignoſce quod haec tam libere ad te, & tam obſcure ſcribo: alterum enim affectus in remp. meus; alterum neceſſitas imperat. Nam quod ad te ſcribo, aut ſignifico potius, paucis admodum notum eſt, & ſilentium mihi impoſitum, quod vix ſervo, ſed ſervo tamen: & etiam atque etiam obſecro, nemi-

ni

ni mortalium unquam haec ex me ſciri reveles, atque has literas exuras; plurimum enim id mea intereſt, ut ex praeſente, ſi quando ſe offeret occaſio, cognoſces. Neque aliunde expiſcaturum te eſſe facile haec exiſtima, quod nemini (ut puto) praeter me nota ſunt, qui tibi notus: unde etiam, ſi quid intellexiſſe te animadverterent, ſtatim id a me ſcriptum ſuſpicarentur. Sed de hoc ſatis. Novi aliquid accipe, mihi quidem certe, neſcio an etiam tibi. Legatos ab Hollandis in Daniam miſſos audiviſti, cum mandato, ut a Rege peterent, foedus cum patre ejus ante aliquot annos initum, ab ipſo renovari. Reſponſum hodie legi, id tale eſt. Speraſſe ſe, quod adventu *Erneſti*, longum, ac calamitoſum etiam ſubditis ſuis, hoc bellum pace compoſuiſſent, ejuſque ſpem & ab Imperatore & ab *Erneſto* datam ipſi fuiſſe, ac mirari quod legatos ab eo miſſos, & condiciones propoſitas non audiverint, & fore tandem ut vicini principes, & ipſi ſubditi contra eos inſurgant, ſi per illos pacem ultro oblatam impeditam intelligant. Verum tamen auditis legatorum excuſationibus (quas pro hoc tempore, inquit, neque probo neque damno) ſe non offendi, eaſque ſe Regi Catholico, & *Erneſto*, ſi ad ipſum ſcripſerint, communicaturum. Caeterum quoad foederis renovationem, necdum quidquam velle ſtatuere; atque ita legati re infecta diſceſſerunt. Noſter hic obſidionem Cameraco parat, tempore ad eam rem (ut ajunt) maxime oportuno, ac vi magna, utinam & felici. Interim miles, qui illic eſt, ſalis aliquot vaſa eo tendentia intercepit; velim ducibus & iis, qui gubernatori noſtro a conſiliis ſunt, eum diſtribui. Ego me quotidie tibi magis magiſque obligatum ſentio: creſcit enim indies, & augetur, meritum & officium, quo me tibi in aeternum obſtrinxiſti. frater meus a Spadanis aquis & exercitio valetudinem meliorem accepit, quam ut ad priſtinum ſtatum reducat, Aquiſgranum jam, ut puto, ſe tranſtulit, inde Spadam rediturus, ubi hiemare decrevit; exiſtimans aquas illas, ceſſante pluvia, hieme aeque ut aeſtate profuturas. Ab eo ſalve, & cum uxore tua vale. ac nos te colentes dilige. Bruxellae 8. Kal. Octob. 1594.

Huic reſpondet *Lipſius* 11. Centur. ad Belg. 15. ſed ipſe ſe vix capere epiſtolae hujus argumentum ſcribit. ſed actum fuiſſe de *Lipſio* munere aliquo ornando, quo rempublicam adminiſtrare juberetur, indicare arbitror. nam deliberatum fuiſſe, ut in Conſiliariorum numerum adlegeretur *Lipſius*, ex quibuſdam Epiſtolis patet. *Varicius* vero Leidenſis erat, & hujus nominis & gentis adhuc hodie in ea urbe ſuperſunt cives honeſti.

EPISTOLA DCLXXV.

J. LIPSIUS

Jacobo Varicio S. D

Machliniam.

ABire te ad tuos cum intellexiſſem, mi Varici, votis proſequi iter tuum volui, & ſimul patriam, in quam tendis. Illud quidem ut felix ſit; iſta ut animos ponat, & ad mitiora inclinet, quo toties Rex, & noſter hic Prorex

rex nunc invitant. Ah quam animum mihi angit pervicacia haec, aut ſuperbia! cujus exitus quis eſſe poſſit, niſi exitium, non video: & vereor ut dies hoc firmet, ſi tamen pertendunt. An ne nunc quidem, cum metum admoveri propius vident, cum in eo res eſſe, ut mare eripiatur, vanitatem aut fiduciam minuent, & ad ſaniora ac certiora ſe dabunt? Toto pectore voveo: atque utinam quibuſdam, apud quos fides aut gratia aliqua mihi eſſe ſolet, ſermone haec liceat communicare! Subduci navim in tranquillitatis portum, etiam nunc tempus eſt: ſi abit, aeſtus involvet & tempeſtas, qua marina ea Venus non explicabit. Sed quid apud te haec diſſero? quem ſcio juxta mecum intelligere, & velle: ſi modo ſaperent, qui clavum in manu habent. ſed eo tamen moneo & ſuggero, quia jam nunc audimus certo, parari legationem aliquam Germanicam ad vos, fine illo ocii & pacis. Deus pacis perdat qui reſiſtunt, & faciet (praeſagium meum nota) ante ſeculi hujus finem. Vale, abi, redi; & *Sandelinum* meum unice ſaluta. Lovanii, prid. Non. Maji. ∞. IↃ. XCVI.

EPISTOLA DCLXXVI.

J. LIPSIUS

Marco Velſero S. D.

Auguſtam.

PEriclitari apud te de conſtantia amoris poſſem, aut certe fide officii, in longo iſto ſilentio, ſi mea haec culpa. Cujus igitur? Nullius. Quem enim accuſem? niſi cum Homerico illo Polyphemo Utim? ne aenigmata diutius loquar, ſcripſi ad te, mi Velſere, binas miſi, & neutras video accepiſſe. Quomodo igitur pereunt? juxta tecum ſcio, & ideo neminem accuſo. De unis tamen propemodum ſcio, ſed quid ad rem, aut quid cauſſam meam juvet? Hoc maxime, quod bona fide me culpae & ſilentii purgo, & nunc ecce *Ortelio* ſubmonente, iterum ſcribo. Quid? quod prius, accepiſſe me tua de *Auguſtanis rebus*, profecto mihi auguſta. ſerio hoc audi. Si populare argumentum ſit, per ora populi voles: nunc pietas te in arctiorem agrum, & famam compegit, ſed vel ſic apud bonos doctoſque bonam. Stoïcorum noſtrorum ſcitum eſt, *Gloriam multorum judiciis conſtare, claritatem paucorum.* tibi & mihi iſta ſit, & malumus apud paucos boni magnique eſſe, quam apud plures. οἱ πλεῖϛοι κακοὶ ajebat olim ſapiens, & nimis cottidie videmus. Credo idem mihi eveniet in Polybiana militia, quam commentario illuſtro. Res minime pro hodiernis moribus, & multa ſubtilius ediſſerenda, aut longius arceſſenda: labor in tenui, ſed non tenuis. Fax noſtra mox ſequetur, ſed per partes. Imbecillior valetudo non vult quae volumus, & currentes ſiſtit. Vale, mi Velſere. Lovan. IIII. Idus Octo: A°. 1594.

Reſpondet huic *Velſerus* in Epiſt. VI. ad Lipſium. ſed nota temporis male refert A. MDXCIV: cum putem ſcriptam XI. Kal. Jan. anni ſequentis. Caeterum *Velſeri* ad Lipſium Epiſtolas jam olim, *Nicolai Heinſii* opera, *Zulichemii* dederant Cl. *Arnoldo* deſcribendas, qui eas operibus *Velſeri* adjecit. ideoque hîc omiſi illas.

EPI-

EPISTOLA DCLXXVII.

J. LIPSIUS

Marco Velſero.

Auguſtam.

UT ſcribis, mi Velſere, mel & nectar mihi *Delrii* epiſtolae, ſed & tuae, cur non crebriores? Sed te reſpublica jam totum ſibi vindicat, illum voluntas, an majus imperium? ad extrema Germaniae ſubduxit. Itaque in voluntate ſcribendi facultas mittendi vix ſuppeditat: niſi per te, & patieris nos opera tua ſic uti, an abuti? Hortaris me jam ſaepius ad Epiſtolas meas edendas: tanti eas cenſes? Vereor ut poeniteat judicii & ſtimuli, cum plures eas videbis: & leves multae, rerum verborumque tenues, nares tuas corrugent. Parebo tamen, hoc tantum? imo ad te Centuriam unam mittimus, quae inſcriptione auctoritatem tuam praeferat, & factum noſtrum velet. Ita vides alvearia iſta haud impune concuti, e quibus utinam apes poſſim dicere, certe veſpae evolant & agminatim laceſſentem petunt. De Photio etiam veſtro judicium meum poſcebas. Et meum hercle bonum eſt, ac judico magno publico uſu divulgatum, & noſtro in primis, qui Φιλολογίαν amamus; Theologos ajunt quoſdam diſſentire, & errores in eo notare: credo equidem, ſed cui noxae, ſi ſeorſim notentur? Quod *Schottus* noſter commodum fecerit in verſione, quam parat. Ceterum vel hoc nomine digniſſimus vita ille ſcriptor eſt, quod vitam tam multis ingeniis redonat: quorum ſepulta nomina non ſolum revocat, ſed opera eorumque ſummas exponit. Jucundum & utile, & fateor me legendo affectum. In tui memoria etiam ſemper, quae mihi aeternum cara & ſancta. Lovanii, XVII. Kal. Sept. ∞.IↃCI. Germanicos ſcriptores vidi nuper a Juriſconſulto *Marquardo Frehero* editos. Libens vidi, & in Praefatione elogium, quod tibi debebatur. Hoc magis amo virum illum, quem olim Francofurti vidi, & in ipſo vultu ingenium illud animi notavi. Doctus & judicii rectus eſt, quod mihi eſt inter prima.

[1]EPISTOLA DCLXXVIII.

J. LIPSIUS

Marco Velſero S. M. D.

Auguſtam.

ISte, quem vides, Italiam iterum videre, & te cupit. ut comiter eum excipias rogo, hominem elegantiae amantem; nummorum etiam veterum co-

1 Hac reſpondet *Lipſius* ad *Velſeri* Epiſt. XVI. eſt eadem fere, quae legitur Centur. V. Miſc. 40. ſed puto *Lipſium* aliter edidiſſe ac ſcripſit, ut ſolebat.

copioſum & intelligentem. Quoties autem de Italia, & me vetus amor tangit: ſed ecce in ea, ut nuntias, qui me parant tangere. Quid dicam? dolere me aevi & ſtudiorum iſtorum cauſſa, quae nihil mihi videntur, niſi aut nugas, aut pugnas meditari. Ipſe cottidie vides, & ex Philologia ſcaenam aut arenam fieri. Quid autem in me volunt iſti, qui, ut [2] amicus ille ſcribit, populariter coëunt? Res, aut ego ſumus tanti? Vitam tangere? veteres appello, & confido a legibus immunem eſſe. Scripta igitur? faciant: & cum omnia fecerunt, aetas ſequens & famae genius eſt, qui de iis judicabit. Aliis ſtilus diſplicet, alii hoc illud in notis carpunt. ad ſummam bene examinor, & non unus, neſcio an ſemper Lydius lapis me explorat. Fruſtra, fruſtra. Ego ipſe clamo & profiteor, non ſolem aliquem liquidum & purum, ſed lunam me eſſe: aliena & precaria luce lucere, ſed & maculas habui, quae puritatem offuſcant. inculpata a me qui exigit, me & ſe ignorat. quid me? veteres ignorant, quorum nemo ſine venia placet? ſed rideo, cum audio quae objiciunt, ſive etiam lego. Ecce nuper [3] qui ad Tacitum ſcripſit gandiuſculum opus, in quo non aliud, quam omnium vulgata lectio aſſeritur, libris ſcriptis, rationi, auctoritati nihil eſt loci. me peti obliqua, imo recta manu etiam, quis neſcit? At nos ſilemus, & non patienter ſolum haec verbera, ſed aequanimi excipimus. juro tibi nec in leviculam bilem motum eſſe. alius inibi me negat unquam Ariſtotelem legiſſe. Quid ita? quia non ex eo totum hoc, quod de religione erat, in Politicis adſtruxi. quid autem faciam, ſi non tam Lyncei mihi oculi. quae alia alii, neſcio; dies dicet. Ego hoc tibi ingenue, haud praetimere me iſtos Parides (da verbo veniam) qui pugnare poſcunt magis, quam poſſunt. ſed & Heſperiae miſereor. quae nimis nunc vere illud nomen habet. Iſtoc omitto; quod majus audi. Senecam nunc meum editioni paratum, & jam excudi, quae ad Stoicam Philoſophiam, id eſt, ad lucem ejus praemitto. Futurum, qualem animo deſtinavi, vix opinor. Multa tamen, poſt tot Criticos, & lucem & ſanitatem debebunt. Judicabis, & longum valebis, virtutis & ſapientiae inter paucos vere cultor. Lovanii poſtrid. Idus Decembris CIↃIↃCIII.

2 *Robertus Titius.* vid. Epiſtolas Velſeri pag. 826 & 828.
3 An *Pichena?* an alius?

EPISTOLA DCLXXIX.

J. LIPSIUS

Marco Velſero V. I.

Auguſtam.

GAudeo placuiſſe DIVAM, gaudeo: & haec eſt tua pietas, non libelli meritum. At alii quam ringuntur? deſipere *Lipſium* in graviore aetate palam dicunt. Ita hercle. Deſipiam ſerio, niſi ſic deſipiam, & Deo ac caeleſtibus me donem. Pax Anglica benigna in nos eſt, & allevabit, ſi fidem ſerva-

vabit. En ad *Woloviczium* noſtrum, qui ſplendide nimis in me fuit: abiitne a vobis? ſic Poloni noſtri hîc aſſerunt: ſi eſt, tamen, ubi ubi erit, mitte, me autem ſtringe & pectori tuo include. facio tibi in meo, mi Velſere. Lovanii, Nonis Octobr. ∞.IↃC.IIII.

Videtur eſſe reſponſio ad Epiſt. Velſeri XVII. ſed illa, ſi nota temporis eſt vera, hac eſt poſterior fere duobus menſibus.

EPISTOLA DCLXXX.

J. LIPSIUS

Marco Velſero II. Viro.

Auguſtam.

FUi, mi Velſere, fui ad extrema illa fati admotus: neque prorſus aut certa fide convalui, ut cenſes: ac magis, ut ſic dicam, comperendinatus mihi videor, quam abſolutus. Quod factum non eſt, brevi fiet: & quid hîc longum? dies, menſis, annus. Libellum illum, quem tu peſtilentem juſte vocas, vidi, in me & in Divam pariter blaſphemum. Talis etiam e Batavis, cui obiter jam (videbis in fine *Divae Aſpricollis*) reſpondi. Quid de hoc aevo dicis? Olim modeſtia virtus fuit: nunc cum Theognide.

—— αἰδὼς μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλεν,
Αὐτὰρ ἀναιδείη γαῖαν ἐπιστρέφεται.

Ecce hunc quoque bellum fructum a religione innovata. Reſpondebo? invitus accingor, & nihil magis alienum ab ingenio iſto aut indole, quam pugnare. Tamen videbo, & ut valetudo atque alacritas aliqua animi erit (ſine ea non ſcribo) decernam. fratrem tuum quidni avide & calide complectar? ut te, aut certe in eo te: & illud utinam mihi eſſet! *Divam* alteram mitto, nec ſcio an rebus tam uberem, non certe tam variam: & ideo apud aequanimos jure excuſer, ſi minus florum ſtilus auſter habet. Res Pannonicae nos hîc percutiunt, etſi proprio bello & hoſte ſatis diſtringimur; tamen illic rem ſummam agi; ibi caput, hîc digitum, non etiam ignoramus. Deus Imperatori conſilia, auxilia, animos Imperatorios, illos veteres, donet: tibi, Vir Illuſtris, diu vivere & valere, & me amare. Lovanii, poſtrid. Idus Majas, ∞.IↃC.V. *Scaligeri* libellum in *Serarium* vidiſti? quae impotentia haec ſcribendi eſt? Ne unquam calamus mihi chartam tangat, his conviciis inarandam.

Reſpondet Velſerus Epiſtola XVIII.

EPISTOLA DCLXXXI.

J. LIPSIUS

Guilielmo Breugelio Cognato ſuo.

PLura ex litteris tuis intellexi, & in univerſum tria. primum de pecunia, quae meo nomine tibi adnumerata eſt, quam ſervari velim, donec ſignificem, cui tuto tradas. Id intra paucos dies futurum puto. Alterum de *Bernartio* noſtro, quem Machliniam abiſſe ſignificas cum uxore ſecuta. quod proſperum, & felix ei opto. Imo erit etiam, ſi conſilia ſalutaria audiet, & diriget ſua ad fructus potius, quam ad delectationis metam. Gratum mihi, quod adjuveris ſic liberaliter ſub initia: & profecto opus habebat; cum in tirocinio iſto forenſi exiguum erit lucellum. Tertium de benevolentia in me ampliſſimi Praeſidis. Gaudeo equidem, & amplector, & talibus Patronis de rebus etiam meis melius ſperem. quas tenues eſſe non ignoras, & magis fieri per tempora haec anguſta & iniqua. Itaque ſi quid ſtatuetur de ſtipendio meo, bene eſt, & opportunum erit: ſi non, nemo mirabitur habere me rationem commodi mei, & tandem aliquando aurem praebere exteris, qui ſic liberaliter invitant. Equidem libenter & animoſe in haec loca veni, per medias turbas, & contra conſilia multorum, ad quid? niſi ut palam omnibus oſtenderem eſſe me, qui ſum, id eſt, Catholicae religionis, & Catholici Regis ſtudioſiſſimum? illis adhaereo & adhaerebo, ubicunque ero. Sed profecto cum tempora, & anguſtiae aerarii, aut aliae cauſae impediunt, quo minus ratio mei habeatur ab his, qui praeſunt, ſumma ratio eſt, ut ego habeam, & valetudini ac ſtudiis etiam meis eam conſultum. In hac tranquillitate nec illa, nec iſta ſatis curo, aut foveo, & deſerere nefas cenſeo, & Deo quoque adverſum. Sui ſuorumque tutelam cuique ille commiſit. Haec ſemel diffuſius ad te & in occaſione ſcripſi: alias ſcis me querulum non eſſe, ſed nec cupidum, aut avarum. Vale, clariſſime cognate. Lovan. poſt Idus Octobr: A°. 1594. Saluta quaeſo uxorem tuam, cognatam meam, & *Annam* filiam, unicum nunc tuum domeſticum ſolatium. & an diu erit?

EPISTOLA DCLXXXII.

J. LIPSIUS

Petro Poutier JCto Prof. Dolano, S. D.

Dolam.

GRatum mihi fecit *Cornelius Vigius* Doctor Medicus, quod litteris tuis viam aperuerit, quibus affectum in me teſtaris. Etſi quid opus velut proxeneta & paratio fuit? ego vero ultro tibi & tuis, mi Poutiere, pateo, & jus vobis me appellandi atque adeundi. Eruditio meretur, locus, quem te-

tenes, locus ipſe, unde venis. nonne Dolae veſtrae ego olim fui, & vixi? non diu, fateor: ſed tamen hoc ipſo locum amo. & grata memoria recolo, quod in optima aetatis parte aliquamdiu inſedi. Jocunda mihi ibi conſuetudo inter alios etiam cum *Claudio Chiffletio* fuit (qui nunc inter beatos) nec amare illum ipſum deſino, etſi ab humanis affectibus aut aemulatiunculis aliquid intervenit. fortior ſum, quam ut iis a recto aut officio demovear, & veniam aliis facile dare poſſum. & debeo, qui ipſe illam mereor & poſco. Te vero, vir Cl. amo, & honeſtiſſima ſcriptione affectum iſtum mutuum elicuiſti. Habes, & habebis: fer tecum, & una ſalutem a me *Joh. Chiffletio*, Doctori Medico, etiam fratris cauſſa mihi caro: D. Doctori *Vigio* cenſeo me ſcripturum. ſi occaſio erit ſalutandi & venerandi meo nomine D. Praeſidis veſtri *Broiſſiae*, pro beneficio habebo ſi faxis. IV. Non. Decemb. A°. 1594.

EPISTOLA DCLXXXIII.

J. LIPSIUS

Franciſco a Sancto-Victore.

AFfectus, qui te ad ſcribendum impulit, mihi gratus fuit, & ipſa ſcriptio atque argumentum litterarum. Amas me, & ideo de me cogitas, & quod ſequitur, mentem imo & manum ad me mittis. Reddo affectui tuo vicem, & amoris vinculo pariter me tibi obligo, quod firmum & manſurum eſſe audeo ſpondere. Ad litteras Illuſtr. Comitis *Arenbergii* en tibi reſponſum. Quaeſo te, tu offer, & verbis etiam excuſa, quod non impleam deſiderium ejus, quia hominum eorum non hîc facultas. Noſti tu Lovanium noſtrum, heu quam ſterile virorum aut ingeniorum inſignium, prout olim fuit. Pleraque juventus noſtra male inſtituta, male judiciis imbuta, non niſi ad quaeſtuarias artes ſe confert. veras illas & veteres, a quibus non doctrina ſolum, ſed prudentia eſt, neglectum eunt aut contemptum. Crede mihi, Vir Nobil:, inter ſpes de Republ. noſtra malas, hanc ego habeo, malam inſtitutionem hodiernae juventutis: Qui fructus ab iſtis ſeminibus? quae arbores e tali plantario? ſed ſtatus ille felix, & quem majores viderunt, varie non hîc ſolum, ſed in Europa labat. Tu, magne gubernator mundi, quid paras? quas nubes aut tenebras immittere? tempeſtas an everſio erit? ſpero & metuo, cum omnia video & penſito. illud, cum coeleſtem hactenus favorem in Auſtriacam domum, in magnitudinem Hiſpanam: iſtud, cum adminiſtrationem aut conſilia, tarda aut prava. De pace tu injicis. cur non prius factum fuit? Habuiſſemus ex decoro, ex utili; fortaſſe nunc neutrum. Ego ut aperte tecum fabuler, de bona ea nihil ſpero, vix de mediocri; magis ad inducias inclinem, quae ex dignitate regia & uſu publico magis erunt. cauſſas opinioni huic habeo, non nunc efferendas: ſi una haec praepollet, quod tardare & differre ſemper ex uſu Regum. Tollere malum, ſanare eos eſt, ſi tamen aliquo conſilio

valent. De Navarreni motu miror, & quod etiam laceſſat: nam profecto quies illi optabilis, & quidquid in ſpeciem animoſus ſit, pax illi in voto eſt, & facit ad ſtabiliendum ſceptrum. Gallia fracta eſt, & in brevi tamen quiete reſurgat. Ego nunc ad quietem (veſpera enim eſt) & te, Vir Nobiliſſime, jubeo ſalvere, & cupio, cum vacabit, ſcribere. Lovanii ipſo die Dominico natali CIƆIƆXCIV.

Quis ille ſit *Franciſcus a Sancto Victore* non novi, ſed ideo hanc epiſtolam juſſi edi, quia alteram, & illam memorabilem, ad eum datam offendi, in autographo Lipſii, quae de pace & induciis agit, quae cum eo tempore magnos motus ediderit, hîc edere viſum eſt.

EPISTOLA DCLXXXIV.

J. LIPSIUS

Franciſco a Sancto Victore.

VIr Nobiliſſime. Ut literas tuas manu mea poſui, calamum in eam inſerui ad reſpondendum. An non lubens & ſubito facerem, quod amicus volebat? vir e Principibus petebat? patriae utilitatem tangeret? Ego vero lubens atque etiam calide; etſi haec aura a tenui praeſertim meo corpore calorem omnem arcet. Sed animus erectus & alacer is eſt, qui haec & alia vincit. De re igitur audi. Deliberatur, bellum an pax cum hoſte placeat, & dicam diſtincte ſententiam meam. Hoſtis nobis triplex, ut nunc eſt ſtatus rerum; Gallus, Angla, Batavus. Duo illi externi, hic tertius internus, & rebellis potius, quam hoſtis. Si igitur de prioribus quaeritur, a Regis hoc conſiliis totum & opibus pendet, bellum an pacem cum iis velit, & utrum pro re conducat. Si metus ab illo barbaro & communi hoſte Auſtriacis non eſſet, ego putarem Regem tractu omnes iſtos poſſe frangere, ſi tantum bellum ex fide & diſciplina aliqua geratur. Fidem dico in pecuniarum adminiſtratione & munerum, ut illa non diſſipetur, ut haec idoneis & dignis dentur: Nam de fide in ipſum Regem, vix puto ambigendum aut quaerendum. Addidi diſciplinam, quoniam revera ſine ea (fiant & dicantur omnia) bellum nullum feliciter ſatis & fortiter geretur. O militem bonum ad manum, & minores duces! ſed opus eſt iſto legum & ſeveritatis quodam vinculo, quod conſtringat, & vires & viros iſtos utiles Reipublicae reddat, diffluunt alioquin per laſciviam, per libidinem, per ferociam: nec aliud in iſta militari turba, quam rapinae aut ſeditiones. Tu & prudentes noſtis, me vera dicere; & fons malorum noſtrorum eſt iſte. Si hoſtis progreſſus fecerit, a regreſſu noſtro eſt; atque is vitia noſtra virtutem ſuam interpretatur, & ſuperbe ac ſtolide in iis ſe jactat. Sed ne diffundar, & ut collecte ſententiam peragam; quoniam bellum grande ac metuendum Europae inſtare a Chriſtiani nominis hoſte videtur, Rex & conſilium ejus vidento; an non melius cum externis illis hoſtibus, aut certe alterutro eorum, paciſci. Si cum utroque, Batavi ponent animos, & aut ſponte aut vi venient ſub leges: ſi cum altero, etiam idem fiet. Volo dictum

ctum cum altera, id eſt, Angla. Illa in manu oppida duo Zelandiae & Hollandiae habet, aditus haud dubie & clauſtra maris & terrae. Non nimis a pace abhorrere eam, ego arbitror; quia mulier eſt; quia aerarium jam tenue; (non eae opes quae putantur) quia populo invito bellum eſt, qui commercia & libertatem mallet. Quod perſeverat, magis a metu, quam ab odio eſt. Et audi verum verbum: magnitudo noſtri Regis, virtus aut fortuna Hiſpaniarum intra ſexaginta annos formidabilis facta eſt finitimis & longinquis. Metum hunc adimere, ambitionem non praeferre, e re ſit inprimis: & facta ſane, non verba, impetum augent. De Gallo pariter ſentio, id eſt, eum occulte & tacite omnino velle pacem. Novellum ejus regnum, ſtatus vacillans, diſſidium aut ſuſpicio inter viros Principes; ea omnia quietem ſuadent. Et addo viſcera ipſa, ut ſic dicam, aerarii evulſa. Niſi exteri palam & occulte ſuſtentent, ac focillent, jam defeciſſet. Sed cum iſto an Rex noſter pacem velit, haud equidem ſcio; penetrare in conſilia illa intima nolo: poteſt tamen inducias ſalva omni ſpe ſua & deſtinatione. Quid enim ibi in longum firmi? ne ſucceſſor quidem ſatis certus quorundam judiciis, & in corpore illo ſemel moto, vereor, ut alii aliique morbi, niſi magna quidem Regis aut felicitas aut prudentia evincat. Sed definiendo; cum Angla pax oportuniſſime fiat: Gallus ſeponatur, qui, niſi laceſſitus, non laceſſet. Batavi in manus veniant, de quibus proprie puto te rogare. Quid ergo? cum iis bellum hactenus infelix, nec nunc felicius ſperandum, niſi in tota facie rei aliquid mutetur. Loca valida omnia habent, loca ſibi oportuna, militem exercitatum & ſatis bonum, victoriis animoſum, ordinem aliquem in aerario & tota gubernatione, quamdiu bellum & metus eſt, haud facile ſolvendum: ut iſta remittantur, & amittantur, pax aliqua ſit & quies, quae nunquam in talibus bellis inita ſine bono aperto Regis. Majeſtas illa nominis & occultum in animis vinculum illos trahit aut potius retrahit, qui male abierunt: & quidam gaudent datum honeſtum ſic regreſſum. Centeni aliquot homines aut milleni ad religionem & regem ultro redibunt, ſi occaſio redeundi ſuggeratur: haec praeſidia hoſtibus detrahimus; & amplius in plebeja aut plurium illa gubernatione, occaſiones inter ipſos diſſidiis damus. Mihi crede, habent odia, factiones, & ſua vulnera; ſed occuluntur ea omnia impendente magno illo metu, qui aequaliter tangit omnes. Remitte paululum, ad ingenia & vitia ſua redibunt; ut boves inſtante lupo coëunt, capita & cornua jungunt; abeunte, quiſque ſibi paſcit. Sic Batavi noſtri, quos ambitio fortaſſe valde non tangit, magis avaritia & amor quaeſtus. Ubi hoc poſtremum: an non regibus ſemper occaſio ad ſe trahendi? aureo iſto hamo piſcandi? Intelligunt peritiores. Sed ut fiat utiliter, quiete aliqua opus eſt, & occaſiones ea dabit. In iſta, inquam, fere omnes conſentimus. ſed alii diuturnam eam volunt, id eſt, pacem: alii temporaneam, id eſt, inducias. Tu utram? audi. Pacem ex animo velim, & ponam ante omnia humana bona: religioni & regi pulcerrima ſit, patriae neceſſaria, bonis & mediocriter bonis optatiſſima. Sed quid eſt? velim & optem, vereor, quod non fiet. Ego bonam honeſtamque pacem

hac ſcena rerum fieri poſſe, in animum non induco. Cauſae: Aut inclinatio hoſtium, aut a nobis metus eo ducat. Neutrum eſt. Et vide, an inclinatio: minime. Sunt in florenti ſua re publice & privatim; qui gubernant, Craſſi omnes ſunt & parvi Croeſi. Vis eos optimam fortunam cum dubia commutare? At metuunt fortaſſe. Utinam noſtra ſic eſſent. Debebant profecto, a potentiſſimo Rege, a legitimo ſuo Rege; ut id quoque addam; ſicut olim a dominis ſuis fugitivi. Sed reverentia, vetuſtate & pertinacia rebellionis, jam excuſſa, & metu, ignavia (liceat libere hoc dicere) aut pravitate noſtra (quis ordo? quis miles? quae conſilia?) cur metuant? niſi occulta quaedam ſint, & tegantur, quae me fugiunt. Omnia ſunt talia, quae ad perſeverandum eos hortentur, non reſipiſcendum. Addo foedera cum vicinis, cum quibuſdam etiam Germanis clam aut palam icta: navigationes novas ſperatas, imo tentatas: quae etſi infida omnia & vana quidem ſunt, tamen plebejos illos animos inflant, & auram inſpirare modeſtiae non patiuntur & bonae mentis. Ergo de pace vix eſt ut ſperem, niſi tali, quae disjungat a Rege, quae licentiores & illos & nos faciat; quo ſcio quoſdam ſpectare. De religione conſulto omitto, & Theologis permitto; etſi rationem ejus inter prima habendam, ſapientes omnes ſciunt. Magis itaque ad inducias inclinem: Primum, quia hoſtis facilius audiet, nec multae hîc tricae in conditionibus ac pactis; res manent utrimque immunitae. Deinde, quia authoritate Principum Germaniae tale aliquid honeſtiſſime impetretur, & ſine ignominia Regis. Tertio, quia leges nullae durae nobis imponuntur, quas aegre aut turpiter poſtea ſolvamus. Quarto, quia commoda ſimilia, quae ex pace ſequuntur; nempe communicatio inter nos & conjunctio, partium reditio ſub diplomate regio & fide, remiſſio hoſtium, & omnia minus intenta. Denique fatum, & Deus, & eventus aliquis pro Rege. Vis exemplum illuſtre in hanc rem & conſimile? Sexti Pompeji bella Sicula cum Octaviano Caeſare legiſti? Siciliam & Sardiniam habebat, locis ſe tenebat, & tuebatur, famemque & inopiam Italiae importabat. Vinci numquam potuit, niſi brevi pace. Ea pacta cum illo eſt, exules recepti, & vires abductae, corruptus occulte ejus miles. Quid dicam? Terribilis ille & paulo ante Neptunus, vix una navi effugit, cervices gladio praebuit, & intra annum extinctum totum bellum. Vetus hoc eſt; fiet novum, ſi eadem adhibentur, & inprimis ſi conſilio & intentione rem adminiſtramus. Acribus conſiliis opus eſt, iiſque fidis, occultis. Quod ſi non aliud etiam ex his induciis, quam reſpiratio aliqua & quies; pro re noſtra multum ſit; & egemus. Rempublicam aut diſciplinam militarem emendare ſi volumus (debemus, ſi regere Regem volumus) non fiet apte aut cito per arma. Licentia nimis invaluit, corruptio, & mala, quae optimis potentiſſimiſque rebus & regibus ſunt perdendis. Huc ut noſtri eant, ex animo voveo; quae fulcra & fundamenta ſunt omnis ſtatus. Habes uno calore & tenore ſcripta, quae mihi ſunt viſa; quae premes aut communicabis, quaedam aut omnia, ut tibi erit viſum. Epiſtola enim tua eſt: utere, ſed non abutere; etſi pro amicitia hoc quoque potes. Non enim niſi

ver-

verba ſunt: ſi aliqua incauta, excuſet amor in patriam, & libertas, quae conſulenti ſemper data eſt. Lovanii, III. Nonas Januarii, CIↃ.IↃ.XCV.

Haec eſt illa Epiſtola, de qua egi ſupr. ad Epiſt. CCV. quam inter Lipſianas magna parte mutilatam repperi, ſed integram edo ex exemplari A. 1608. ſine nota loci edito. *Franciſcus Haraeus* in Annalibus Tumultuum Belgicorum tom. III. pag. 495. dicit, *Lipſium* rogatum ab uno Procerum Belgarum hac epiſtola mentem ſuam edidiſſe, & quaedam etiam ex ipſa epiſtola excerpit.

EPISTOLA DCLXXXV.

FRANCISCUS DE SANCTO VICTORE

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

ETſi ipſe me non ab omni culpa omnino vindico, qui commiſerim ut tam longo ſilentio, rerum tuarum & valetudinis oblitus aut incurius tibi videri poſſim, tamen eſt quod excuſet: otii nempe ſumma inopia, & novarum rerum, praeſertim quae delectent, caritas maxima. Eſt quod etiam a ſcribendo interdum avocet; ſtili mei verecundia: qui niſi exercitandi ſui anſam, tua fretus comitate, quaereret, ceſſaret prorſus, aut te ſaltem alio idiomate interpellaret. Sed affectus, qui iſta & longe majora vincit, facit ut per ocaſionem fiam audacior. Ea eſt; quod ſalutat te verbis plurimis, iiſque amantiſſimis D. Doctor *Velaſtegui*, Hiſpanus, vir doctus, & qui ob ſingularem animi ſui fidem, & inconcuſſam integritatem, a Rege in Belgium jampridem miſſus, praeeſt illi collegio, quod tam ad corruptos militiae noſtrae mores reformandos, quam ad commiſſarum in regium aerarium fraudum rationes exigendas inſtitutum, vulgo tribunal vocatur. Hactenus ille mihi ignotus, hoc nomine non ſolum innotuit, verum etiam mirifice in amorem ſui pellexit, quod amore & admiratione Lipſii teneri ſe & flagrare profiteatur. Inter alia affectus iſtius argumenta, non leve iſtud eſt, quod maximo ſtudio apud *Stephanum de Yvarra* (noſti opinor hominis potentiam) cauſam tuam egerit & acturum ſe ſpondeat, ſic, ut annuo aut menſtruo ex dignitate ſtipendio donatus, commodius aliorum principum & Regum ambitionem tui ſpernas & promiſſa, Regemque tuum, remque publicam noſtram hac rerum procella nedicam naufragio, non deſeras, aut prudentibus tuis conſiliis, praeſentiave defraudes. Effecturum id, utrumque confido. Nec ego, quantuluſcumque ſum, officio meo hac in parte deero: quemadmodum neque defuiſſe apud comitem *Aremburghium*, alioſque Financiarum, ut ſic loquar, ſatrapas, fortaſſe tibi ſignificaverit juvenis ille, quem principi illi per me commendaſti: qui quid apud illum pro te & quam ſerio *Baro de Baſſigny* & ego dixerimus, audire coram potuit. Sed unde diſceſſeram redeo. Habere ſe dicit D. Doctor litteras a quodam viro ſummo, ex Hiſpania, quibus vehementer petit ſibi mitti omnia tua opera, quae extant, ea praeſertim, quae tuo ipſius judicio caſtigatiſſimae impreſſionis cenſebuntur. Eandemque cenſuram de libris

hocce catalogo contentis, poſtulat, ut videlicet eos notes, quos adornandae ſplendidiſſimae bibliothecae, ipſiuſque ſtudiis fovendis idonei magis, tibi videbuntur. Quaeſo te utrumque praeſta: judicium, inquam, de tuorùm operum, quae prodierunt impreſſione, & de aliis tibi notis, quos meliores cenſeas. Et ſi litteris tuis, hac ocaſione, hominem ſalutabis, ſcio non poenitebit. Interim ſcito, mi Lipſi, te ſummopere amari & coli ab omnibus, ſolaque temporum horum, (pene dixeram fati noſtri) malitia te ſupra omnes viros magnos non extolli, & ex illa Lovanienſi deſidia ad Reip. gubernacula etiam per vim non rapi. Sane etſi id mihi, vicino tuo, (quique colloquia & aſpectum tuum inter ea, quae mihi cariſſima ſunt bona pono,) moleſtiſſimum ſit, tamen quodcumque ex commodis & dignitate tua erit, id mihi ſemper longe gratiſſimum fore, idque me ſerio allaboraturum confide Vir undequaque clariſſ. & ſimul Vale, & me ama. Bruxella. Id. Feb.

EPISTOLA DCLXXXVI.

ANGELUS SPANNOCHIUS,

Patritius Senenſis; & Bononiae Profeſſor. Jur. Civ. Primarius.

J. Lipſio; litterarum omnium peritia inſigni Viro; S. P. D.

Lovanium.

ET multa praeclara, quae de tuis virtutibus quotidie praedicantur, a viris optimis Bononia tranſeuntibus: & longe plura, quae de multipici doctrina tua, tui ſingulares libri teſtificantur; excitarunt jam pridem, mihi pruritum ingentem, appellandi te litteris meis; & ſi fieri poſſet, aliquam tecum amicitiam inſtituendi. cohibui tamen hoc animi deſiderium, eo verecundiae freno, quod occaſione carebam. Facit nunc Deus, ut ad te ſcribere poſſim, & debeam. Deceſſit enim hiſce diebus *Thomas Corraea* Coimbricenſis, qui de Principe loco, litteras humaniores in hoc Gymnaſio docebat. habiti ſunt frequentes de *Juſto Lipſio* ſermones. in eam itum eſt ſententiam, unum eſſe *Lipſium* hac ſede dignum; modo illam ipſe non dedignetur. Scribent (ſcio) de hoc ad te, multi. vellicabunt te Senatus iſtius nomine, plures. Honorifico Senatus Conſulto deinceps, de honorario tecum agetur honorifice; ſi promptam veniendi voluntatem oſtenderis. quod ut facias, etiam atque etiam rogo; conſilii enim non poenitebit. O me felicem, ſi *Lipſius* advenerit. Equidem hîc per decennium, Juris prudentiae Magiſterio praeſum: & omnia mihi ſummopere placuerunt, & placent. placebunt (ni fallor) & tibi. Sive enim Civitatis hujus Majeſtatem inſpexeris; *Docentium civitas* apellatur. Sive Genium perquiras, *Felſina* eſt; videlicet ſine felle civitas. ſive denique nomen intuearis, *Bononia* dicitur; hoc eſt ubi bona ſunt omnia; & vere tibi, nobiſque bona erunt omnia, ſi aderis. Haud contemnenda res eſt, quam tibi Angelus indicat; ſi non Coeleſtium unus; certe non malus. Vale, ſcitoque am-

amplas me hîc aedes, habere conductas; quae non incommode capient utrumque. Dat. Bonon. poſtrema die primi Menſis. M.D.XCV.

Reſpondet ad hanc Lipſius Centur. ad Italos Epiſt. XXVII.

EPISTOLA DCLXXXVII.

J. LIPSIUS

Stephano D' Yvarrae, Regi Hiſpanorum a Secretis S. D.

Bruxellam.

COmiter here nos & ſermone & convivio excepiſti. Inter varia lepida aut arguta quaerebatur, ecquid frigus, & tarditas Principi conveniret? Ego ajebam, & rationes ſive exempla, quae me tunc moverint, magis diſpoſitae & firmiter ecce hîc habes. Regimen & gubernatio principis eſt. alienus ab iis calor, & praecipitat, aut certe peccat. Mitis animi & compoſiti eſt, dare leges, juſſa, mandata: at talia omnia, & paene ſola, cottidie in publico Princeps promit. Adde, quod auctoritati facit hic habitus. & frigus in vultu, verbis, inceſſu, motu, ſuſpicere homines inducit, attendere magis & vereri. nec ignaviae hîc ſpecies, aut timor. quin ut navis, quae ſtare videtur, celerrime per undas labitur, ſic principes maxime actuoſi ſaepe, qui minime apparent. Torrentes rapidi ſunt, & iidem non diuturni, at contra

Lene fluit Nilus, ſed cunctis amnibus exſtat
Utilior, nullas confeſſus murmure vires.

Tale in principibus: comes, ſedati, compoſiti, utilius firmiuſque ſuos & ſua regunt. Tale frigus morum & actionum in Auguſto notamus. Tale in Tiberio, non optimo principe, fateor, ſed optimorum ſaepe imitatore. Taceo de Marco Antonino Philoſopho. Dio Caſſius, *Nihil dicere ſolebat, nihil ſcribere aut facere ſubito & negligenter, ſed minutas etiam res in diem differre. quod exiſtimaret, NON DECERE IMPERATOREM PROPERE QUIDQUAM AGERE.* Magnum exemplum eſt, & magni, ſi qui eſſe ac manere volunt, incitentur. De Ludovico Sfortia etiam Mediolanenſium Duce (cauto mehercule & arguto, etſi improbo, ideoque ad extremum infelice) de illo inquam memorant; *Mori arborem pro ſymbolo uſurpaſſe, quae ſapientiſſima arborum ideo dicitur, quia tarde, nec niſi poſt omnem hiemem, germinat ac floret: adſignificantem tale ſuum ingenium eſſe, nec celeriter ac propere conſilia, actioneſque inire, ſed ea mature magis & tarde explicare.* Quid Carolus Quintus, magni Regis noſtri parens? Accuſantibus quibuſdam hanc lentitudinem ſcite reſpondit: *nam ſi nos pro ingenio veſtro, properi & calidi, orbis terrae bellis caedibusque involvuntur.* Et vere: Privati affectibus indulgent, & cum iis pereunt haud gravi malo. Principum calor & celeritas exitium ſit. Caſſiodori monitum addo. lib. X. variar. *Haec eſt regalis proculdubio virtus, celerius neceſſaria ſentire, & in verba tardius prorumpere.* Nec enim ſenſu profecto aut intellectu tardum principem lau-

damus vel optamus, ſed actione & verbis, ut praedixi. Cautio etiam addatur, ut ne nimis cunctanter, neve occaſiones rerum gerendarum e manibus amittantur. ſaepe a talibus ingeniis factum. Incidit Pannonii Legati libera vox ad Hadrianum VI. Pontificem natura tota tardiorem, qui cum auxilium adverſus Turcas poſtularet, & traheretur diutius. *Beatiſſime pater*, inquit, *Fabius Maximus cunctando Rem Romanam reſtituit, tu vide ne cunctando rem Romanam, atque adeo Europam, evertas.* Habes, vir Illuſtris (deſideraſſe videbaris) quae mei judicii aut obſervationis in ea re fuere. Et Deum precor, ut Auſtriaci veſtri decore utiliterque hoc ſuae velut naturae bono utantur. Eumdem, ut te Regi magno magnum miniſtrum ſervet: Lovanii XVI. Kal. Febr. CIƆIƆXCV.

Hic *Stephanus Yvarra* Hiſpanus, in Belgio & ejus adminiſtratione diu verſatus, a Secretis Regi fuit. Lipſ. I. Cent. ad Belg. 22. ſaepe a noſtris Hiſtoricis memoratur. vide Borr. XXVIII. p. 21. XXXI. p 6. 63. 65. & ſeqq. & alios eorum temporum Hiſtoricos. Conſcium etiam fuiſſe conſpirationis in Elizabetham Reginam Angliae docet Cambdenus in Part. IV. Hiſtor. Elizab. p. m. 623.

EPISTOLA DCLXXXVIII.

JOANNES [1] CHIFLETIUS

J. Lipſio.

Lovanium.

VIr Clariſſime. Salutem mihi abs te reddiderunt *Ludovicus Lantius*, & *Petrus Pantinus* J. C. ſororius meus, cum ſignificatione memoriae apud te *Claudii Chifletii* fratris, quo cum tibi olim conſuetudo Dolae. Illud ambivi dudum, fateor, & cupide petii per hos amicos. Et vero amicitiam, ſi me in cohortem tuam recipies, qualiſcumque licet admiſſionis, colam & ſervabo ſedulo. Tua cauſſa & illius mei, cujus cauſſa me amas. Caetera, quae humanitus, ut cenſes, poſt primam editionem tui Taciti, ipſi exciderunt, non refrico.

1 *Chifletiorum* Gens doctorum virorum proventu egregie floruit. Caput, a quo fluxerunt, memoratur *Laurentius* Senator Dolanus, cujus hic *Joannes* fuit filius, qui medica arte clarus, & honoribus in patria ſummis perfunctus eſt. Fratrem habuit *Claudium*, cujus librum poſthumum de antiquo numiſmate ſuae diſſertationi de Othonibus aereis adjecit *Henricus Thomas*, & cujus meminit in Veſontione *Joh. Jacobus*. part. I. cap. 16. *Joannis* filii fuere plures; *Joannes Jacobus* multis ſcriptis clariſſimus, quibus non tantum medicinam, ſed antiquitates prioris & recentis aevi illuſtravit. *Philippus*, Abbas Bulernenſis & Canonicus Veſontionenſis, qui opuſcula quaedam de pietatis ſtudio ſcripſit, *Laurentius* & *Petrus Franciſcus* gemini, qui Societati Jeſuitarum nomen dederunt, & ſcriptis claruerunt, quae memorat Alegambe in Biblioth. Jeſuitar. *Joannis Jacobi* filii tres fuere, *Joannes*, qui Canonicus Tornacenſis, antiquitates etiam egregia luce perfudit, & *Julius* Canonicus Veſontionenſis, & poſt varios honores in Hiſpaniam a Philippo IV. evocatus & Ordinis Velleris aurei Cancellarius factus. & *Henricus Thomas*. vide Mirae. de Scriptoribus Seculi XVII. pag. 326. Edit. Fabric. Inter omnes vero eminuit *Joannes Jacobus*, diſcipulus noſtri *Lipſii*, qui egregiam bibliothecam inſtruxit Bruxellis, quam ex Granvellana maximam partem locupletaſſe veroſimile eſt. nam *Sam. Tennulius*, qui eum A. 1670. Bruxellis Octuageſimum tertium jam egreſſum annum vidit, ex ejus bibliotheca edidiſſe ſe Agathemeris Geographica teſtatur. *Gaſſendus* vero in Epiſtola ad L. Holſtenium pag. 55. dicit *Meziriacum* exemplum Agathemeris habere ex Bibliotheca Granvellana Veſontione deſcriptum. ex qua praefatione etiam colligere liceret, eum orbum tunc vixiſſe. ſocerum ſuum *Julium Mauhouhanum* celebrat in Veſont. part. I. p. 172.

frico. Tantum hoc, in ejus relictis reliquiis, quas conjectas habeo, ejus manu deſcriptas, quarum partem redegi in ordinem, pleraque ex quinquentis amplius adhuc ſuperfuiſſe, quae poſt ejus obitum divulgaſſem, niſi poſtea prodiiſſent ex tua ſchola iterati commentarii, & notae ad uſque quintam editionem. Hac enim conatus hoſce meos veluti ſufflaminarunt. adeo frequens utrique conſenſus ea interpretando & emendando. uter utri contulerit, non anquiro. hoc probe ſcio, non recte inferri, ego id ante praevideram, ergo ille mihi praeripuit. Apage haec ab ore erudito. ſunt enim hujuſmodi argumenta potius magni utrinque judicii & indefeſſae lectionis. Hoc genus querimoniarum, &, ut cum JCto loquar, fribuſcula odiſti, ſcio: nec enim prodire poſſunt, niſi e paupere agello. Fratris candidiſſimum genium & ingenium non infoecundum tute ipſe, ſi quis alius, cenſor magnus, vidiſti & pervidiſti coram, una cum doctiſſimo *Gyſelino* tuo, meritoque etiam abſentem, & in medio ſtudiorum curſu mihi ereptum amas. Pro cujus manibus auſim ſpondere, quod mihi ex Italia reverſo ſaepe iteravit, ſibi non modo aeternum gratulandum, quod praeſentiae tuae bono uti frui licuerit, ſed Dolanae Academiae, cui contigerit aliquando Lipſium videre & audire perorantem in laurea Hippocratea *Gyſelini.* bene vale, Lipſi ſapientiſſime. ex A. D. XVI. Kal. Febr. CIↃIↃXCV. In alienis legendis ſtipulis dum opellas poſui, occurrere mihi aliquot ſcrupei loci, quos ſi recte elapidavi, facio te arbitrum: plura fratris olim collaturus fortean indicta aliis, quae nollem lucem videre, niſi te probante. Tacit. lib. I. Annal. 28. *Luna clariore pene coelo viſa langueſcere.* Frater, *clariore coelo plena viſa langueſcere*; alii aliter. ego ſic, [2] *Luna clariore plena coelo viſa langueſcere* ex veſtigiis veteris libri, in quo *pena* legitur, Petronius arbiter

> *Parte alia plenos exſtinxit Cynthia vultus,*
> *Et lucem ſceleri ſubduxit.*

Et ſane numquam fit deliquium lunae, niſi ea plena. illud *claro repente coelo* non tam clarum: defectus enim non fit repente, ſed paulatim, ſubeunte ſydere, quod Ariſtoteles dixit εἰσελθεῖν libro de divinat. per ſomn.

Lib. III. cap. 5. *Et ex maerore ſolatia*: *Solatia* hîc appellat ſuprema erga memoriam Germanici munera, quae functi erant Calabriae & Apuliae magiſtratus. vel per *ſolatia* intellige ſperatam vindictam de morte Germanici. nam poſtea cap. 12. ſcribit, *vos vero & liberos Germanici & nos parentes juſtis ſolatiis afficitis.* quid ſi legas, *& ex maerore ſilentia*? ante dixit, cap. I. *rogitantium inter ſe, ſilentione an voce aliqua egredientem exciperent*, & paulo poſt, *dies, quo reliquiae tumulo Auguſti inferebantur, modo per ſilentium vaſtus, modo ploratibus inquies.* & in fine lib. 2. ubi de Juſtitio, *paſſim ſilentia & gemitus.* & I. Hiſt. *per caeteros maeſtitia, ſilentium.* Livius lib. I. *velut orbitatis metu icta moeſtum aliquamdiu ſilentium obtinuit.* Innumeri tales loci. Curtius lib. X. ubi de morte Alexandri, quem cum Germanico comparat Tacitus lib. II. Ann. 73. *Ac primo ploratu lamentiſque & planctibus tota regia perſonabat, mox velut in vaſta ſolitudine omnia triſti*

2 Ita etiam *Salinerius* conjecit.

triſti ſilentio muta torpebant, ad cogitationes, quid dein futurum eſſet, dolore converſo: plura hîc adnotavi.

Lib. IV. cap. 38. *proſperam ſui memoriam*: ſic loquitur lib. I. Hiſtor. 14. *proſpera de Piſone fama conſilio ejus fidem addiderat*, & ſtatim hoc libro c. 44. Antonius, *multa claritudine generis, ſed improſpera.* ſed ſat: non erat de Tiberio proſpera memoria. Auguror hîc legendum, *properam ſui memoriam.* id eſt cum primum illud & inſatiabiliter enitendum, ut cito & mature ſibi viventi, ad imitationem Auguſti, paret memoriam immortalitatis ac gloriae. vocabulum id ſat frequens Tacito: quid ſi *poſteram* legas. Plinius II. Epiſt. de Virginio Rufo, *poſteritati ſuae interfuit.* Tacit. II. Ann. de Germanico, *fruiturque fama ſui.* Horat. III. Carm. ult. *Uſque ego poſtera laude creſcam recens.* Ergo *poſteram memoriam* vult dicere monumenta, quae poſteris ſciet & videbit parari; Martial. x. Epigr. 23. de M. Antonio:

Ampliat aetatis ſpatium ſibi vir bonus: hoc eſt
Vivere bis, vita poſſe priore frui

lego, *poſteriore frui.* Ennius dixit, *aedificare nomen* lib. XVI. Annal. apud Macrob. lib. VI. cap. I.

Reges per regnum ſtatuas ſepulchraque quaerunt,
Aedificant nomen, ſumma nituntur opum vi.

Seneca Epiſt. 59. *jucundum eſt eſſe ſecum quamdiutiſſime, cum quis ſe dignum quo frueretur effecit.* Cicer. IV. Catilin. affectavit hanc gloriam: *nihil aliud a vobis, niſi hujus temporis, totiuſque mei conſulatus memoriam poſtulo.*

Eodem libro cap. 43. *ſuoque regi dent Eliatem agrum.* multa hîc interpres. lego ſic, *ſuoque regi datum Heliatem agrum ceſſiſſe. Datum* id eſt ſorte conceſſum in illa diviſione. Regis nomen non exponit, nec neceſſe fuit. ſic poſtea loquitur, *ita ſecundum Meſſenios datum.* paulo poſt. *Tyrrheno datum, novas ut conderet ſedes.* Ann. XII. *precibuſque ejus dandum, ut omni tributo vacui in poſterum Coi ſacram & tanti Dei miniſtram inſulam colerent.* II. Ann. *hinc ventum Athenas foederique ſociae & vetuſtae urbis datum, ut uno lictore uteretur.* III. Ann. *Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum ne bona publicarentur.* &c.

Ibid. cap. 65. *cum auxilium appellatum faviſſet.* ſic fere Beroaldus Junior ex fide MS. libri, ut cenſeo, ediderat. ſic in editione Romana, & ad ejus inſtar pleraeque. Florentina habet *Traviſſet.* id verbum ſtatim ab aliis in pejus verſum eſt, adeo editionum progenies vitioſiores. atqui in illa vetere latent veſtigia verae ſcripturae, quam ſic eſſe conſtituo. *Cum auxilium, opem latum itaviſſet.* ſic latine loquitur ſaepe Cicero & Livius, vel ſic, *cum in auxilium appellatus itaviſſet.* elige: nam Vertranio auſcultandum non eſt, qui ex Dionyſio Vibenium non fuiſſe accerſitum contendit. denique Varro, Feſtus, Livius, Tacitus, Lugdunenſis tabula variant. *Itare*, verbum haud ita obvium, ſuſpectum, credo, fuit deſcriptoribus, quo tamen Tacitum uſum putem antiquorum exemplo. In edicto vetere Cenſorum de vetitis Rhetoribus apud Sueton. ita eſt, *Majores noſtri, qui liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt.* Gellius II. 24. utitur eodem verbo, & Feſtus in fragmentis reſtitu-

tis

tis a Fulvio Urſino, *ad comitium itant.* ſed ut quidquid antiquum eſt in Tacito, ita corruptelae obnoxium. Ego ſic, *cum auxilia per Latium portaviſſet.* notum eſt per initia rei Romanae, modicis adhuc viribus, reges paulatim imperium firmaſſe, laceſſitos a finitimis virtute propria & paucis amicorum auxiliis hoſtibus obviam iſſe. Eo tempore Celes Vibenna auxilia portavit in Latium, & quum in monte Querquetulano ſedem acceperat, monti nomen Caelio dedit. Saluſtium imitatus eſt noſter, qui ſic in Catil. *ſociis atque amicis auxilia portabant.* Tacitus & Livius ſaepe *portare*, *deportare*, *reportare*, *auxilia*, *exercitus*, *claſſem*, *legiones*. Silius lib. XIV.

Exciti populi atque urbes ſocia arma ferebant.

EPISTOLA DCLXXXIX.

J. LIPSIUS

Ageſilao Mareſcotto S. D.

BEnevolentia tua, Nobiliſſ. juvenis, ſatis mihi & ex ſcriptione tua innotuit, & ex cauſſa item ſcribendi; illa quidem affectum profert, & verbis ipſis conſignat: iſta quid fuit, niſi aeſtimatio quaedam mei, & ideo propius cognoſcendi, jungendique cupido: Amplector, & adſtringor ſic ſe offerenti, nec teneat te aut retrahat, quod inſeris, de pietate cogitatio aliqua adverſa, mi Mareſcotte, (etſi ſcio te jam hoc ſcire, teſtandum tamen eſt) ego purae & priſcae religionis retinens ſum, & inter medios iſtos aeſtus & fluctus, quibus jactamur, firmiter adhaeſi & adſerui, cum interno meo magis, quam externo fructu. Improbi enim hîc invaleſcunt, & impietas & rebellio auram fortunae habent aſpirantem. ſed omnia mihi prius eripiantur, imo ipſa vita, quam ille animus Deo, religioni, & ejus capiti, Pontifici addictus. ſemel hoc apud te, & per te (ſi opus) apud alios teſtor. Sperne, quidquid aliter dicetur, ut a calumnia aut livore profectum. Caeterum, quod in iiſdem litteris praefers amorem in ipſas litteras, eaſque veteres & ingenuas; dignum facis hac ſtirpe tua & indole, tum etiam communi patria, quae Italia eſt, quid niſi mater earum & nutrix? perſevera, oro te, in amore iſto duplici, litterarum, & mei. Ego in tui idem ſpondeo facturum. Lovanii Poſtridie Kal. Mart. 1595.

EPISTOLA DCXC.

JOANNES RICHARDOTUS

J. Lipſio S. P.

Lovanium.

REcte facis, Lipſi doctiſſime, quod de affectu in te meo confidas; nec te fefellit Antiſtes Antverpienſis, dum cauſam fidendi praebuit; cum ni-

hil mihi poſſit eſſe gratius, quam te colere, ornare, augere. Quod autem tibi non reſpondi prius, nolim putes, negligentia factum, vel oblivione tui. Cauſa ſilentii fuit, quod nondum inita ratio, qua tibi proſpectum eſſe poſſet; quodque mihi perſuaſerim, paſſurum te graviſſima quaeque, priuſquam migrandi caperes conſilium. Nam patriam relinquere, quod tibi res anguſta domi, animi eſſet vel ingrati, vel certe abjecti. Neutrum ſingulari tuo candori convenit. Noſtri autem eſt officii, Juſto juſta petenti non negare. Ergo, Lipſi, ſubſiſte, bonoque ſis animo nihil enim tibi defuturum, quod ad innatam tibi parſimoniam ſufficiat: neque tam eſt exhauſtum Regis aerarium, quin ſuperſit, quo tibi medeamur. *Drenckwartius* quaeſtor Regius ſe recepit curaturum, ut infra paucos dies ſexcenti floreni tibi numerentur. In ſequentes annos ſenties noſtra omnium, qui te ſtudioſiſſime colimus, opera, Regiam in te liberalitatem diffundi. Juvas rempub. & rem literariam mirifice auges: ſed convictores non admittere, non probo. Quod ſi te continget mutare ſententiam, duos filios tibi voveo, qui Antverpiae vivunt apud patres, adoleſcentes non contemnendae ſpei. Eos, ſi infra annum aut circiter contubernio tuo uti liceret, putarem feliciſſimos. Vale, colendiſſime Lipſi, & ſi me benevolentia tua judices non indignum, aliquando ad me ſcribe. Bruxella 21. Martii. 1595.

EPISTOLA DCXCI.

J. LIPSIUS

Joanni Richardoto.

Bruxellas.

GRatias agere uno tempore tibi debeo, non una cauſſa. privilegium mihi confeciſti, vinum liberaliter miſiſti, operam & conſilium offers, in re pecuniaria expedienda. Quid tibi reponam? verba? liceat, & pro more fecero. ſed malo in animo agnoſcere, & devinctum eo adſtrictumque fateri. ſed quod rem pecuniariam, id eſt ſtipendium meum attinet, quoniam cognoſcere cupis, ſi vacat, a capite audi. *Comes Fontanus* titulo Hiſtoriographi Regii me donavit, & una ſtipendio mille florenorum in annos. ſed ejus ſolutio adhuc parum certa eſt, ab aerario regio (ſive a Financiis) pendet. atque ab iis in ſingulum quodque ſemeſtre debeo impetrare. Ita facere coepi, ſed in limine (ut rem tibi dicam) ſubſtiti aut offendi. Nam aſſignatio mihi facta ſemeſtris unius, a duplici quaeſtore accipiendi, Thienenſi & Gildoniacenſi: jam rem factam habere me cenſebam, ſed ecce dum ad eos mitto, alter praeciſe negat ſe ſoluturum, nec Regi quidquam ſe debere, alter ſpem initio fecit, & poſtea quoque ſignificavit, *Clauſas ſibi* (utar ejus verbis) *manus eſſe*; nec poſſe promiſſa implere. Hîc ego quid facerem? ad Theſaurarium accurri, amicum noſtrum, ſed ſive negotiorum copia, ſive publica inopia fecit, ut praeter voluntatem nihil ab eo ſit auditum aut factum. Feſtinamus fortaſſe, nec haec nova ſunt in

in noſtra Aula & moribus. Credo equidem, imo ſcio. ſed alia quidem noſtra cauſſa eſt, & fortaſſe non deceat in communi illa ſorte cenſeri. Credebam hoc ſtipendum in lectionis meae & Profeſſionis augmentum cedere, quod per ſe tenue eſt. & niſi illud fideliter accedat (quid verba facio) non ſum me alendo & tolerando. Quid capere apud exteros potuerim aut poſſim, non repeto, nec opus eſt. ſine ſuperbia tamen aut injuria petam, non deteriore me loco apud potentiſſimum regem eſſe. ſed audi me ex animo hoc profitentem. quocunque hîc loco ero, tamen hîc ero, nec levitatis hanc notam ſubibo, ut temere mutem aut migrem. M. Cato olim non inſcite dixit, malle ſe, ut quaererent omnes, cur poſita ſibi ſtatua non eſſet, quam cur poſita. ſimile ego, ſed ſileo. nec (etſi apud te auderem) ultra de me dicam. ſumma petitionis meae eſt, ſi Regi ſedet me ſtipendio donare, ut vere donum ſit, & in re, non imagine fruar. detur certa aliqua, detur perpetua aſſignatio, & ne ad has curas aſſidue ambiendi & petendi cogamur. Cum nuper Bruxellae eſſem, locutus ſum quidem ipſi Theſaurario, & largiter promiſit. ſpero, ſi auctoritas tua accedat, poſſe confectum id dari. Enimvero & litterae Regis juvare aliquid debeant, quas nuper binas eodem argumento Serenitati ſuae obtuli, quibus Rex me commendat, & ut honeſte habeat atque alat mandat. Iſta, Ampl. Domine, ſemel & libere & fuſe apud te expoſui, nec quidquam peccare potui apud animum (ſupra merita) in me ſic amicum. Quod ſi quid fieri (ſed ſine magna mole) poteſt, fiat. ſin minus, & tempora parum opportuna ſint, differatur; ego non me rejectum, ſed ſepoſitum arbitrabor. & patientia ac modeſtia ducibus philoſophabor. Lovanii XII. Kal. Mart. CIƆIƆXCVI.

EPISTOLA DCXCII.

J. LIPSIUS

Joanni Richardoto.

AMpliſſime & Nobiliſſime Domine. Qui litteras has adfert commendatus mihi a primariis viris eſt. & teſtimonia ſua habet, & merita etiam in partes noſtras praefert. A. veſtra videbit & dijudicabit: neque haec praecipua mihi ſcribendi cauſſa. alia eſt, quae me tangit. Nam dies plures ſunt, cum de me aut honore meo aliquid agi coeptum eſſe per *P. Oliverium* intellexi, ſola benevolentia inductum: ſed abſit, ut ſine tuo conſilio atque etiam opera peragamus, in quo uno fateor me niti. Duo propoſui, quorum alterum in levi habeo, alterum magis eſt cordi. Prius de titulo aliquo honorario, quo Celſitudo ſua poſſet me producere, & honeſtiore paullum loco in conſeſſibus aut conventibus publicis collocare. ſi fit, non abnuo: ſi non, haud valde ambio, & acquieſcam facile in loco, quem tot annos ſine querela mea inſedi. Exteri aut adventores interdum mirantur, fateor: ſed videlicet benivolentia me, ſupra quam deceat, fortaſſe extollat, & ego intra modeſtiae fines libenter manebo; Alterum eſt de remiſſione cottidiani laboris, & ut a lectionibus poſſim

ſolvi; aut certe non ſic alligari. Iſtud, ſi aetatem meam, valetudinem, conſuetudinem alibi videmus, rationem habeat, & auctoritate tua velim impetratum. Quinquageſimum octavum annum jam ago: neque aetas maxima eſt, tamen declinans, & partim laboribus, magis valetudine infracta. Conſideret A. tua: ab anno decimo octavo coepi publice ſcribere, ab anno vigeſimo quarto docere, neque intermiſi ad hunc diem. En an non jure quietem poſco, & praemia etiam veteranorum? In aliis Academiis & praeſertim Hiſpaniae obtinuit, poſt viginti annos, miſſionem, aut duplex ſtipendium dari. ego bis viginti pene implevi. Neque miſſionem tamen plenam flagito. Vinculo aliquo teneri facile patior: duntaxat, ubi valetudo (ut ſaepe) repugnat, liceat mihi ſufficere in locum, & paullatim producere aliquem ac formare, qui bono publico ſuccedat. Ne velitis, obſecro, mecum exſtingui utilem honeſtamque profeſſionem. levi ſtipendio opus ſit ad illum alendum: levi, cum ſpe deinde (ſi merebitur) melioris. Ipſa etiam electio ſucceſſoris, aut certe approbatio ſit, ut debet, veſtra. Ecce, Ampl. Domine, petitiones meas. ſi aequas judicas, adjuva. neque aliter ſuffragium tuum poſco. Otium ſi quod mihi datis, non erit otium, & quod lectionibus detraham, ſtilo impendam: nam quieſcere quidem hic animus non poteſt. non dicam tibi, & ſaepius oblata eſſe aut offerri ampliſſima, & cum quiete mea conjuncta: non dicam, quia non diſſimulo Principi & patriae operam meam conſecratam, nec vel injuria me mutet. Aliorum ingenia aut mores hîc non uſurpo. Satis, Ampl. & Nob. Domine, quod e re mea, & item ex aequo & bono (neque aliter) hîc facies, & quamquam ſuffragium rogavi, judicium adhibebis. Lovanii prid. Non. Febr. CIƆIƆCV.

P. S. de Titulo quod ſcripſi, rogo de nudis modo titulis ſit, cum onere non accipiam, nec ſi Regis ſit. raptim.

EPISTOLA DCXCIII.

[1]SALOMON FRENCELIUS DE FRIDENTHAL,

Academiae Juliae Profeſſor P. Ethicus,

J. Lipſio.

Lovanium.

JAm pridem exclamavi: Dî, Amicitiae Praeſides, aditum mihi facite ad illum *Juſtum Lipſium*, cujus nomine ſuperbiunt Muſae, triumphat Germania, ſeculi noſtri gloria refloreſcit: Non ego, Lipſi, cum Ariſtophane *χέρχω σύινων*: (ut tu alicubi ad *Ortelium*) ſed quod in ore eſt omnium, quod res loquitur, id ego. Amavi te jam inde a prima adoleſcentia, & magnifeci. Multi mihi de te & jucundi ſermones ſuperioribus annis cum magno illo & incomparabili noſtro *Duditio*: multi hactenus cum *Monavio*, *Rhedigero*, *Schetlingio*, Civibus meis: multi inprimis cum Optimatibus Aulae Caeſareae, qui

1 *Frencelius* Vratislavienſis Sileſius, Poëta Laureatus Caeſareus, primum Profeſſor Ethices Helmſtadienſis, poſtea Inſpector Scholae Rigenſis. obiit 18. Jun. 1605. *Witte Diar. Biographic.*

qui omnes ad inſtitutum hoc praeſens, aut, ſi mavis, ad hanc audaciam ſubeundam, nunquam me hortari deſierunt, ſive quod neſcio quid de amicitia noſtra ſibi policerentur, ſive quod aliorum plerorumque clariſſ. virorum hujus ſeculi erga me benevolentiam & familiaritatem reſpicerent. Dabis igitur mihi veniam, quod ignotum me tibi obtrudo, & quod vel hoc unum abs te peto, ut amantem redames. ita enim & plana erit & plena, & amabilis & ſtabilis inter nos neceſſitudo. Etenim tanta eſt, uti non ignoras, cordati amoris vis, ut nexu quodam arcano ſumma imis conjungat, & quorum vel exigua, vel nulla parilitas, pari regat imperio. quod quo minus faciat, quid obſtat, quando idem tacito foedere adverſa Elementa connectit? quomodo enim Aſtra curſum ſuum perficerent, quomodo terra aquae adhaereret, igni aër, niſi praepotens ille, & (ut recte dicitur) — *Sacer Orbis Amor* omnia communi vinculo, & quaſi cognatione quadam inter ſe conglutinaret? Proinde dubitare non auſim, Lipſi praeſtantiſſime, te animum meum ita accepturum, ut minime tum mea, tum aliorum de tua humanitate exſpectatio me fallat. quod ut tam libenter, quam ingenue facias, vehementer oro. Equidem, quod promittam tibi, nihil habeo, niſi fidem, atque adeo me ipſum: quo ſi libere uſus fueris (quanquam quis poteſt tantilli eſſe uſus?) beabis me, neque quidquam diverſum facies ab aliis bonis & doctis Viris, quos nondum ſui erga Frencelium amoris poenituit. Impendi magnam juventutis meae partem Academiis: nullam non Tirociniis militaribus: aliquam Aulis, praeſertim Regiae Caeſaris. Ex hac nunquam pedem extuliſſem (ad quam etiamnum mihi patet reditus) niſi vitam Scholaſticam ſolam vitam crediidiſſem. Hinc factum, ut in Academiam Juliam ab Illuſtriſſimo & literatiſſimo Principe *Henrico Julio*, Duce Brunſvicenſi, & Lunaeburgenſi evocari me libenter paſſus ſim, ut jam ſecurus plena voce exclamare poſſim: ἔφυγον κακὸν; εὗρον ἄμεινον. Cepit me ſatietas Aulae; Scholae nunquam capere poterit. nec mea eſt natura, ad nimium ſublimia aſpirare; etſi id fortaſſe non adeo eſſet difficile. Verum hoc votum meum, ut

Quum jam fata mihi ultima
Pernêrit Lacheſis mea,
Tranquillus moriar Senex.

Haec quorſum? ut ſcias, cujus ingenii habiturus ſis Amiculum. Jucunda ſane mortalibus rerum bonarum poſſeſſio; nulla vero, quam Amici jucundior. hinc juxta veterem verſum.

Γνήσιος εἴμι φίλος, καὶ τὸν φίλον, ὡς φίλον οἶδα.

Hoc tibi de me policearis velim. quod ſi facies; nunquam te humanitatis hujus poenitebit. Mitto tibi neſcio quid nugarum. certe ejuſmodi ſunt pleraque, quae propediem caſtigatiora atque ornatiora videas. ſi non prorſus ad guſtum tuum; memineris tamen, e quercu quandoque etiam exſculptum gratiam habere, non modo ex ebore ſimulacrum. Numen ingenii tui adorabo, ſi libere me monueris. Literas tuas magno deſiderio exſpectabo, quas commode *Raphelengio* mittes. Is per Curſores Hamburgenſes Bremam, inde huc

ad *Timannum Coccium* Amicum ſuum recte curabit. Bene & feliciter vale, Lipſi expoliti gloria ſeculi: & condiſce etiam non viſa aut exigua amare. Helmſtadii in Academ. Julia propere, ſubito oblata per Bibliopolam noſtrum Francofordiam profecturum occaſione: quo nomine de tumultuaria ſcriptione mihi candide ignoſces. Prid. Cal. April. An. ſal. xcv.

Salvere te jubet plurimum *Caſelius* noſter tui amantiſſimus, quem tu, opinor, veluti leonem ex ungue noſti.

EPISTOLA DCXCIV.

SALOMON FRENCELIUS DE FRIDENTHAL

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

S. Vota, quae de Amicitia tua conceperam, audiiſſe Deum, ut ſcribis, quantae id mihi voluptati fuiſſe putas, Lipſi, Vir abſolute doctiſſime? Vidi humanitatem tuam, eamque exoſculatus ſum: id quod jam pridem tibi literis confirmaſſem, niſi partim occaſio defuiſſet; partim dubia valetudo me abſtraxiſſet; praecipue vero continua itinera obſtitiſſent. Domo enim ultra ſemeſtre abfui, tum ad varia loca, tum praecipue ad Caeſarem ab Illuſtriſſimo Duce meo, aliiſque Principibus ablegatus. & nunc quidem, rebus Dei beneficio, gravibus ex animi ſententia confectis, ad meos reverſo, vix tantum fuit otii, ut nudas has literas deproperare, non vero deſcribere licuerit. quare ut & de tarditate & negligentia ſcriptionis mihi des veniam, diligenter abs te peto. Caeterum quo te promtiorem ad me redamandum exhibuiſti, eo majori curae tuum iſtum amorem mihi perpetuo futurum, velim certo tibi perſuadeas. Judicium tuum tam honorificum, tamque grave, & candidum de Ingenii mei luſibus, verſiculis tam teneris & ſimplicibus, ita me neſcio ad quae exſtimulavit, ut brevi, ſi Deus vitae uſuram mihi indulſerit, eorum ſpecimen ſis viſurus. adorno enim jam alteram partem Epigrammatum. ea protruſa, dabo alia quaedam Elegiarum & heroicorum Poëmatum Opuſcula, ut forte e Catalogo cognoſces. vult hoc nimirum, & urget ipſe Illuſtriſſimus Princeps meus. Deum immortalem! quantopere me beabis, ſi haſce meas lucubratiunculas, aut (ut verius dicam) ſucciſivos luſus, aliquo tuo teſtimonio, ſive verſu, ſive epiſtola ornaris! non alias communis illa ſtultitia corrogandi plurimorum laudationes me titillat. quod abs te tam diligenter atque exquiſite peto, id plane eſt peculiare. Tuum de Stylo judicium non credis, quam gratum non mihi tantum fuerit, ſed noſtris omnibus? quid? ipſiſſimo noſtro Principi, qui eas iterum atque iterum accurate legit, & retinuit. Inprimis tua in Lipſianae Latinitatis Praedicatorem παῤῥησία vehementer ipſi placuit. [1] Bonus ille Vir, quam miſere jam dudum cum illa ſua L. Latinitate, & omni Graecanitate, ut ſic dicam, evanuit! Stat vero, & ſtabit Lipſius. Redeo ad Principem meum. huic velim magis magiſque placeas, ut jam pridem in aliorum

1 *Henr. Stephanus.*

rum maximorum virorum es deliciis. non eſt, quod multis eum tibi commendem. non ignoras fortaſſe, quot quantaeque impudentiſſimae calumniae de eo a perditiſſimo ſpargantur; at eas nemo audiet, niſi qui ipſe homo nauci. dicam uno verbo, & dicam aliorum pace. ſive pietatem religioſam, humanitatem admirabilem, ſobrietatem, continentiam, modeſtiam, fortitudinem, juſtitiam, aliaſque heroicas & plane raras virtutes; ſive lectiſſimam & pene ſolidam eruditionem, LL. praecipue, judicium de omnibus diſciplinis exquiſitiſſimum, & maxima quaeque animi dona ſpectes: profecto Germania non habet parem, & vix habebit: idque fortaſſe res ipſa paullo poſt teſtabitur, ubi ejus operam in his temporum inclinationibus requirere neceſſe fuerit. Scripſit grande volumen quaeſtionum & conſiliorum Juridicorum: quod forte aliquando prodibit. nuper autem commentarium juſtae magnitudinis de Magiſtratu, ſive de Principe aggreſſus eſt, tanta dexteritate, ſapientia, & elegantia, ut exſpectationem omnium ſuperarit. In eo adducta plurimorum doctiſſ. hominum authoritate te quoque inſeruit: nunc ad finem properat: quem fortean videbis. Tu operam praeclariſſime collocabis, ſi hanc inauditam in Principe Germano diligentiam, & incredibilem erga ordinem noſtrum humanitatem literis tuis, vel me authore & impulſore nominato, abſque metu & pudore confirmaris: atque ita aditum ad tanti principis, qui hodie potentia nulli Principum Germanorum cedit, benevolentiam, & propiorem notitiam tibi ipſe aperueris. quod ut facias ita te rogo, ut obnixius rogare non poſſim. Inſtituti hujus nunquam te poenitebit. neque enim eſt, quod de ſucceſſu, aut de reſponſo dubites. Recipies humaniſſimas literas. quicquid igitur ſcribere viſum fuerit, fac ad me una cum exemplo literarum ad Principem abs te datarum, quas ego legam, perferatur. Id commodius fieri non poteſt, quam ſi literae bene communitae Hamburgum mittantur, ad *Lindebergii* amicum, quem ille ſuis literis mihi deſcripſit. nec nomen, nec literae in hac celeritate mihi ſuccurrunt. Quod ſub finem mones, ut amem vetera cum judicio, & modeſtiam colam, facis pro tua erga me benevolentia. Velim autem credas, mihi nihil magis eſſe curae, quam id ipſum quod mones. quanti inprimis Modeſtiam faciam, ex adjuncta praefatiuncula cognoſces. gaudebo mirifice, ſi ea tibi non prorſus diſplicuerit. Adjungo familiam Othomanicam a *Schmilino*, V. doctiſſ. & opt. Collega meo deſcriptam, & nuper Pragae mea opera editam. ad calcem in claſſico meo videbis, quam verus, proh dolor! Vates fuerim! Amat ille te, & magni facit jam pridem, tibique ſaltem de nomine notus eſſe cupit, eoque nomine peramanter te ſalvere jubet. Accipe etiam literas[2] *Swartzmaieri*, hominis legibus clari, Caeſaris conſiliarii, quem Dominus *Freimonius* S. Imperii Procancellarius vir maximus Generum ſibi eſſe voluit. Amat ille & colit omnes magnos & doctos viros. Si reſponderis in amore, erit id non tam illi, quam mihi gratum, cui ſumma cum eo neceſſitudo intercedit. *Lindebrugio* percupiebam reſpondere ad eas, quas fere ante biennium ad me dedit, perbreves quidem, ſed mihi gratas. Verum id, ut maxime volui, plane mihi jam fuit ἀδύνατον. heri enim

2 Ad has reſpondet *Lipſius* Cent. ad Germ. Epiſt. 30. ſed nulla *Frenzelii* mentione facta.

enim ſero domum redii. hodie iſta in chartam ſubito conjicienda fuerunt. accipiet autem a me Hamburgo brevi prolixas, animi prolixi teſtes. Interea plurima ſalute dicta hominem rogo, ut tuas recte & quamprimum Hamburgum perferendas curet, Hamburgo Harburgum ad Ducis Othonis Cancellarium *Joannem Hilleprandum*, hac re nihil mihi faciet gratius, & me ſibi vehementer obligavit. Vale, vir Clariſſime, & ignoſce literis tam loquacibus, & fere barbare ſcriptis. noſti, quid feſtinatio pariat. Iterum vale, & ſi me amas, tuas ne differ. Helmeſtadii in Julia Prid. nonas Martias A°. 97. ſubito prorſus.

EPISTOLA DCXCV.

J. LIPSIUS

Remalco Roberti.

Bruxellam.

QUae iſta eſt, vide & cognoſce, filiam *Michaëlis Montani* (ita ſe appellat) ſed animo filiam, imo animam ejus ipſam. Juvabit te videre, ſcio. fruere & loquere, quod mihi non diu licuit, tum quia ipſa properabat, tum quia & genus vitae meae & occupationes, adde & valetudo vetabant. Tu, inquam fruere, & ſi quis in femina Philoſophiae Studium miratur aut amat; Lovanii XVII. Kal. Majas CIƆIƆXCVII.

Intelligit *Mariam Gornacenſem*, (de *Gournay*) ad quam ſunt *Lipſii* Epiſtolae II. Cent. Miſc. 56. ad Germanos 27. I. Cent. ad Belg. 15. quibus eam valde laudat. ſed in epiſtola ad *Richardotum* praeſidem eodem fere tempore data dicit, *eam ſtudia adfectare, ſed moribus ſuae gentis potius eſſe praeditam, quam iis, quos ipſe, aut Philoſophia exſpectabant.* & in alia ad *Rem. Roberti* ſcribit, *eſſe qui ſapientiam ejus mirati ſuſpectam habuerunt, quaſi alias aut publicas res moliretur*, quod tamen ipſe non opinatur. plura de erudita hac Virgine *Morerius*, & praeſertim *Baylius* in Lexicis ſuis. honori ejus dedit Epigrammata duo *Nicol. Heinſius* lib. II. Juvenil. pag. 263. vide Epiſtol. *Heinſii* & *Gronovii* XCI. & XCV. Celebrarunt hanc virginem multi viri docti, eique compararunt noſtratem *Annam Mariam Schurmannam*. vide in doctae virginis operibus Elogia pag. 349.

EPISTOLA DCXCVI.

GABRIEL CARDINALIS PALAEOTUS

J. Lipſio.

Lovanium.

ADmodum excellens Domine. Cum mihi renunciatum fuit, te a Senatu Bononienſi, communi conſenſu, & honeſtis conditionibus advocari, ut in eo Gymnaſio publice literas profitearis: non mediocrem ſane animo percepi voluptatem, tum illius inſignis Academiae cauſa, quae ob onus, cui ſubjicior, Archiepiſcopale Urbis Bononiae, quanti a me facienda ſit, facile unuſquiſque exiſtimare poteſt; tum etiam ob benevolentiam, qua proſequor illos viros, qui noſtra aetate bonarum artium ſtudiis excellunt, eaſque non in tenebris quodammodo deliteſcere patiuntur, ſed docentes, & ſcribentes in publi-

blicam utilitatem exponunt. Inter hos profecto ut te pridem amarem, & magni facerem, ſuadebat mihi doctrina tua, quam Chriſtianae pietati conjunctam eſſe audiebam, & ego commendavi in eo potiſſimum libro, quem de Sanctiſſima Cruce a te editum nuper prae manibus habuimus; ſperandum enim eſt, Deo juvante, ex tua induſtria in literaria diſciplina tradenda, Gymnaſium Bononienſe magnos fructus eſſe percepturum. Quare, quod ad me attinet, in tuo Bononiam adventu, mea ſtudia, atque officia, quaecumque aut ad dignitatem, aut ad commoda tua pertinere intellexero, deferam tibi eo libentius, quo magis propinquitate loci, in laboribus, pro patria mea, & grege mihi commiſſo, te ad Dei gloriam exercebis. Vale in Domino. Romae die 8. Maji 1595.

EPISTOLA DCXCVII.

GABRIEL CARDINALIS PALAEOTUS

J. Lipſio.

Lovanium.

ADmodum Excellens Domine. Scripſi nuper libellum *de Bono Senectutis*, aetati meae, utinam & ſenili dignitati, conſentaneum, quem ego iis, qui non ſolum canis & rugis, ſed prudentia, & virtute maturitatem referunt, communicandum putavi. Inter quos cum te, praeſtantiſſime Lipſi, excellere ſciam, ob inſignem eruditionem, & in omni ſcientiarum genere praeſtantiam, quam literarum tuarum monumenta teſtantur, volui nunc eundem ad te, tanquam mei de te judicii, & benevolentiae pignus transmittere, quod tibi non ingratum accidiſſe eo magis interpretabor, ſi quae tibi in eo legendo animadvertenda forte occurrent, ea mihi amanter ſignificanda duxeris. Vale. Romae die prima Decembris 1595.

Ad hanc reſpondet Lipſius Centur. ad Italos Epiſt. XLIV.

EPISTOLA DCXCVIII.

J. LIPSIUS

Balthaſari Moreto.

Antverpiam.

CArmen, quod in militiam meam ſcripſiſti, probum mihi viſum, quo tamen nunc non utemur publice, quia nullum aliud adjunctum; ſed nec locus eſt in fronte, altera editione videbimus. Accepi libens, vel potius accipiam (in via enim haerent) libellos ad me miſſos e nundinis iſtis, atque inter eos [1] illum, qui de Latinitate mea eſt. O quam illa parte videor mihi ſecurus! &, ecce, librum ipſum legi; Colonia mihi miſſum, in quo praeter ti-

1 *Henrici Stephani.*

titulum pauca ſunt, quae me proxime tangunt. Univerſe aliquid in Antiquarios dicit, id ipſum frigide & inepte, & vereor ut alibi falſe: verba enim ab iis uſurpata ponit, quae ego ſcio neminem ſani capitis uſurpaſſe. Quid de me? vide bonam fidem. Scribit me alibi dicere, *Epiſtolas Ciceronis non eſſe aptas ad ſtilum epiſtolarem.* Ego, ſi hoc uſquam, non dicam ſcripſi, ſed ſi ſomniavi, dignus ſum qui vapulem. Plane & ſaepe contra ſcripſi, & nominatim in Epiſtolica inſtitutione. Ponit me inter Ciceromaſtigas, aut poni dicit. Bellum eſt. Quaſi non ego olim aſſiduus lector Ciceronis, & poſtea ſaepe (quod ad eloquentiam) mirator. Atqui non imitor. Ego vero imitor, ſed non ſolum. & vereor, ut plus ab eo traham, quam omnes iſti, qui objiciunt. ſolum nolo, nec ſic pueriliter deſipio. Itali, aut ſi quis alius in ea haereſi, videant. veterum, aut cordatorum, etiam hodie, nemo illuc nos vocabit. ſed quid de homine inepto (omnes fatebuntur, qui etiam me non amant) ultra dixerim? Ejus cauſſa vellem ſiluiſſet, apud quoſdam magnus Philoſophus fuiſſet. Tu vale, mi Balthaſar, ad limitem chartae veni. prid. Kal. Jun. CIↃIↃXCV.

EPISTOLA DCXCIX.

BALTHASAR MORETUS

J. Lipſio S. D.

Lovanium.

PAter & amici feliciter omnes rediere, Deo gratia eſto. mittit ille libros Francfurtenſes per hanc faeminam; proximo nuncio *Colibrant* miſſurus ſaccharum ad D. uxorem. mitto unicum folium corrigendum, unum item ſerio impreſſum: neque enim plura parari potuere per haec feſta. Ac tempori ſatis abſoluturos nos ſpero; & ſimul curabo, ne longior ſit in Tabulis mora. De Nominibus locorum, & mihi videbatur melius ſubſcribi: & magna ſit incommoditas Lectori, ſi ſeorſim, & non ſub tabulis ea legat. De *Baronii* Sicilia, parens Bruxellae Praeſidem *Richardottum* convenit, qui ſe a D. *Toledo*, quid in Hiſpaniis de ea ſtatuatur, inquiſiturum addixit; & deinde cum Principibus denuo acturum, ſi forte permittant excudi. Convenit & Illuſtriſſimum Nuncium Apoſtolicum, qui & Card. *Columnae* judicium in ſcriptis habebat. ſed ille, inquit, ſedis Apoſtolicae, quae approbaverit, auctoritate ſe tuetur. Acturum ſe cum Conſiliariis Illuſtriſſimus Nuncius promittebat, & ad Illuſtriſſimum Auctorem in occaſione ſcripturum. Sed D. *Uwenus* Mechlinia die Lunae elapſo rediit, & penes D. Officialem *Oudartum* vidit litterarum *Card. Baronii* ad Regem Catholicum exemplar. *Diſtuliſſe ſcriptionem donec Pontifex electus eſſet; ne excuſatione de ſcripto Siciliae Pontificatum ambire videretur. Nihil ſe voluiſſe in Regem, cujus ſubditus & cliens eſſet: ſed mandato Sanctiſſimi Clementis, cum ad ea tempora, quibus Diploma Siculum donatum eſſet, in Annalibus ſuis perveniſſet, diligenter inquiſiviſſe tam in Bibliothecae Vaticanae, quam Caſtri S. Angeli archivis, ſiquid eſſet Monarchiae Siculae firmandae, nec repperiſſe,*

etſi

etſi aliter optaſſet. &c. Inſuper Pontificem ipſum ſcriptum vidiſſe, priuſquam ederetur, & tribus Cardd. examinandum dediſſe, qui ſimul comprobarint. Quis tandem diſputationis hujus finis, ambigo. At nos die Veneris ad Illuſtriſſimum Auctorem reſcripturi, ac rogaturi, apud Sereniſſimos noſtros Principes efficiat, bona ipſorum venia excudere uti poſſimus; neque enim nos ullum ſpectare commodum in omittendo illo de Sicilia tractatu, ſed damnum magis vereri, ſi omittere Principum mandato cogamur, quod pleriſque ſine eo ingratam editionem noſtram fore ſuſpicemur. &c.

Vale Nobiliſſime atque Ampliſſime Domine, & a parentibus meis ſalve. quorum alter ſcriptionem in proximum nuncium differt. Antverpiae in officina Plantiniana IV. Non. Novembr. M.DCV.

De Wachtendonck a Marchione expugnato, heſterno veſpere ignes in turri excitavimus, & magnae campanae ſonos. Card. Columnae judicium, ni moleſtum ſit, optemus vidiſſe.

ᵃ Reſpicit haec epiſtola *Baronii* diſſertationem de Monarchia Siciliae, de qua nuper egi in praefatione ad priores tomos Theſauri Antiq. & Hiſtor. Siciliae pag. 15. nec licuit Plantino illam inſerere XI. Tomo Annalium. legitur vero cum Aſcanii Columnae Judicio, & Baronii Epiſtola in Tom. III. Theſauri memorati.

EPISTOLA DCC.

BALTHASAR MORETUS

J. Lipſio.

Lovanium.

Mitto bina impreſſa folia, totidem corrigenda. Pauca Compoſitori reſtant, & quae initio ſequentis ſeptimanae abſolverit. Praefationes exſpectamus, ſi non craſtino per *Colibrant*, proximo mulieris hujus reditu. nec periculum eſt a typis noſtris, quin ante Decembrem proximum finiamus. At de Iconibus pene ambigam. quas tamen ſororio ſatis ſuperque commendavi, ut maturari curet. Ad compingendum diebus pauculis opus eſt; nec haec ſunt Senecae opera, quae bibliopegos detineant. In tempore moneat nos A. V., quot, & ad quam formam compacta deſideret; an vero incompacta iſthuc mitti malit. Judicium *Card. Columnae* remitto; qui merito ſane nimiam illam & imprudentem *Baronii* aſperitatem culpat. Ego vero in nos inſurgere eum haud miror, qui ſic in Reges. Differimus ad ipſum reſponſum, donec ſerio Aula definierit, omittendusne Tractatus ille de Sicilia, an imprimendus. Et ſi illud forſan; apertius ei ſcribemus, decreto Principum haud aliter nos poſſe. nec nos damni noſtri vitandi tantum, ſed publici etiam boni augendi cauſſa excudere. hanc eſſe communem Eccleſiaſticorum in Belgio ſententiam: ſatius eſſe, tractatum de Monarchia Siciliae in Undecimo Annalium Tomo, quam integrum ipſum Tomum requiri. Colonienſem editionem Plantinianae haud convenire, utpote alterius formae & characteris: atque illam ipſam publico

Principum decreto (nam jam ante ita voluerunt) interdici. Porro de fide & diligentia, qua in liberis ſacris excudendis utimur, nullius nos cenſuram ſubterfugere; quam ſcilicet Sanctiſſimus ipſe Clemens p. m. litteris pro SS. Bibliorum impreſſione conceſſis palam teſtatus eſt. &c. Vale, Nobiliſſime atque Ampliſſime Domine, & a parentibus meis, & fratre, plurimum ſalve. Antverpiae. in officina Plantiniana VI. Id. Novembr. M. DCV.

EPISTOLA DCCI.

BALTHASAR MORETUS

J. Lipſio.

Lovanium.

QUid Ordines pro ſcribenda Hiſtoria A. T. decreverint, hodie a *Wouwerio* intellexi. Deus bone! rideam an indigner! at certe indignum Ordinibus, exiguum iſtud dare; A. T., id ipſum accipere. An non ſatius fuiſſet, bonis atque honeſtis verbis A. T. excitari, quam levi ac vili praemio? *Ponto Heutero* nuper quadringenti aurei, ut, quas concepiſſet, nugas in lucem ederet, decernuntur: tantillane A. T. ſumma; ut novam hanc operam auſpicetur & perficiat, communi patriae illuſtrandae ac cohoneſtandae? Sed ignoſcamus huic aevo; quod maxime ignorat, cui & quae debeatur gratia. De Floro gaudeo, quod feliciter ceperit, & feliciorem operis finem exſpectamus. De Monitis & Exemplis vovemus, ut per valetudinem bono publico poſſit. Cui quidem firmandae, cur non Antverpiam, & ſuos hîc amicos, cogitat? An convivia timet, quibus magis infirmetur? Quadrageſima eſt, & minus per eam haec licent. Vale Ampliſſime Domine, & meo ac parentum meorum voto veni. Antverpiae. in officina Plantiniana. XIII. Kal. Mart. MDCVI.

EPISTOLA DCCII.

BALTHASAR MORETUS

J. Lipſio.

Lovanium.

TUas D. *Miraeo* reddidi. & ſubito me rogavit, quid de Brabantia A. T. cogitaret; ego viciſſim eum, quid Ordines decreviſſent. Ampliſſimus *Lipſius*, inquit, jam litteras ipſorum receperit. Imo, inquam, ſcribit ſe nondum vidiſſe. at quid Ordines de honorario ſtatuerunt? Certum quid ſcire ſe negabat. Ego vero, inquam, de ducentis florenis a quibuſdam hîc Antverpiae intellexi. & an hoc dignum operae pretium, quae ipſis Ordinibus ſit in honorem, patriae univerſae in ſplendorem? Ille ſubito ſubjecit; ducentos aut trecentos iſtos florenos (certam enim ſummam ſe neſcire) non in laboris prae-

praemium computari, ſed viaticum, ut Nivellas, Gemblacum, aliaque vicina loca aut Abbatias perluſtret, & colligat quae Brabantiae illuſtrandae faciant. dignam deinde mercedem, opere perfecto, decretum iri. Porro addidit, ſe primum auctorem Reverendiſſimo patruo ſuo, Conſuli *Rokoxio*, & Penſionario *Schotto* fuiſſe, ut de viatico hoc decernendo Ordinibus proponeretur. Ego ad haec: Id litterae teſtabuntur, ut acceperit. nam alias, nullo potius quam tali eum praemio invitari decebat. Sed de adventu tuo ad nos omnino ſperavimus; atque etiamnunc ſperamus. quid? num velis niſi valetudo adurgeat? imo debeas, priuſquam ea nimis infirmetur. Vale, Nobiliſſime atque Ampliſſime Domine, Antverpiae; in officina Plantiniana ipſo D. Matthiae feſto, M.DC.VI.

EPISTOLA DCCIII.

FRID. LINDENBRUGIUS

V. C. *J. Lipſio* *Salutem & amorem.*

Lovanium.

FAtebor tibi, V. C. diu me pudor repreſſit, ne impolitis hiſce atque inſubidis vocibus aures tuas verberarem: ſed vicit tandem pudorem hunc juvenalis audacia, inſtigante maxime, quam ex ſcriptis tuis percipio, inſigni cum eximia eruditione condita humanitate. &, quoniam belliſſima occaſio eſt, quidni facerem? ὐκ ἀεὶ τύχη φαίνεται. Ut autem quid velim, quid venerim ſcias, Catalectorum hunc tibi librum, verae & non fucatae erga te obſervantiae ac amoris obſidem, mitto. nova, ut vides, editio eſt, quae de ſententia Illuſtriſſ. D. *Joſephi Scaligeri*, me curante, ita prodiit, cui & ego, ſuadentibus amicis, notas quaſdam adjeci. Sed de illis judicium tuum non expeto; quid enim, quaeſo, aliud de illis judicari potes, quam exigui, imo nullius momenti eſſe? tantum ad haec animum adverte, & nebulas, quae mentem meam obtegunt, face tui ingenii tolle. Theodoretus Sermone 2. p. 22. vſ. 14. μύρῳ γε ἀλείψας, καθάπερ αἱ γυναῖκες τὰς χελιδόνας. &c. Lampridius in Heliogabalo. *Lapides, qui divi dicuntur* (num lapides in deos figuratos?) *ex proprio templo Dianae Laodiceae, ex adyto ſuo, in quo id Oreſtes poſuerat, afferre voluit.* Marcellinus Comes pag. 43. *Nummis, quos Romani Terentianos, Graeci follerales vocant* &c. Haberem plura, ſed ne primus incurſus nimis acer ſit, alio tempore, ſi ita tibi placuerit, illa emittam. Nunc te ſalvere opto V. C. quem animitus me colere, ſummeque admirari libens fateor. Jam edo Pauli Diaconi hiſtoriam Langobardicam quam cum MS. Viri Clariſſ. *Abrahami Ortelii* contuli, & brevi habebis exemplar. Editur etiam V. Illuſt. *Joſephi Scaligeri* liber de emendatione temporum, & Petronius Arbiter cum notis variorum. *Vulcanius* de nova editione Gloſſarii cogitat; ſed quam lente ille agat, tu noſti. *Nanſius* obiit. Haec te ſcire volui. iterum vale. Lugduni in Belgio. Anno. CIↃ.IↃ.VC. XIV. Eid. Julii.

EPISTOLA DCCIV.

J. LIPSIUS

Friderico Lindenbrugio.

Leidam.

QUod ſcribis ad me gratum eſt, Lindenbrugi, & imputes mihi volo, non excuſes. bene velle mihi tales, quibus Deus & muſa melior bene voluit ac fecit, votivum eſt. & videramus hoc ipſum ingenii tui ſignum & fructum primotinum, priuſquam miſiſſes. Libenter videramus, inerant judicii, lectionis, acuminis notae. perge, ſi monitore tamen eges, etiam improbo aevo decus haec dabunt.

Ἐκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει
Ἐσθλή.

Ait ille, & bono ſatis ſit, ſi non aliud quam bona fama. vulgaria ingenia vulgi praemia ſequantur, id eſt opes. alta & ſepoſita illam, qua coeleſtia quoque gaudent, laudem ac praedicationem. Ambitio eſt, inquiet aliquis; eſto, ſed bona, bona, & quae ad virtutem ducit. Cum totam illam complexi erimus, exuemur hac tunica, & nudis affectuum placebit illa nuda; cupis a me quaedam; ſileo. oraculam illic habes, quid juvat ad ariolos ire? Vale, & nos porro ama: Lovanii poſtr. Non. Sext. CIƆIƆXCV.

EPISTOLA DCCV.

FRID. LINDENBRUGIUS

V. Cl. *Juſto Lipſio* S. D.

Lovanium.

ORdiar cum Comico, *Ὡς ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ βούλομαι χορεῦσαι ὑφ' ἡδονῆς.* ita me tuae V. Cl. laetificum reddidere litterae. Et merito ſic quidem. Non enim inter minima felicitatis gaudia id tuum factum numero. quod ideo quoque mihi gratius, quia velut inſperato contigit. Optabam quidem tacito murmure cum ſcribebam, ut faceres, quod jam feciſſe te mihi gratulor: attamen, quoniam te aliis occupatum ſcio, tale ſperare vix audebam. At viden' quorſum humanitas iſta tua evaſerit? Defunctum tu te fortaſſis an omni jam labore putaſti? non es. ecce reitero plagam, & novis te moleſtiis onero. Neque vero ego id facerem, ni virtus me tua adhortaretur, quam cum antea ſumme quoque, nunc magis magis amo coloque ac te inter illos colloco, qui mihi vere & ex animo factum velint. Admones ut pergam, facerem V. Cl. ſi e republica hoc eſſe ſcirem. nunc vereor quod dici ſolet, ne velut caballus in clivo operam & laborem perdam, & peſſimus omnium habear, qui hoc aevo tractant litteras. Parebo tamen monitioni tuae, & propediem Iſidorum (Origines ejus puta) novis induviis ornatum in publicum emittam. contuli enim eum cum

MS.

MS. non malae, ut videtur, notae. adjungam quoque Gloſſas ejus, nunquam hactenus, ut ſcis, editas; vellem ſi quid ad eum ſcriptorem notaſti, communicares. Nunc Paulum Warnefr. his diebus a me editum tibi mitto. addidi, ut vides, notas meas. quaeſo, ſeriis tuis ſtudiis pauſam ubi dederis, eas perlegas, & ſi quid mutandum erit, amicabiliter moneas. Ego, ut verum fatear, cenſuram tuam avide expecto. Editur hîc ex bibliotheca Ranzoviana M. Adami vetus hiſtoria, brevi habebis exemplar. Scribit ad te *Scaliger* noſter. litteras ejus Paulo incluſi. ſi quid ad eum vis, impera. effectum recte dabo. *Reinerum Reineccium*, quem te noſſe puto, vixiſſe ſcito. At ego athletice valeo, vellem & tu, V. Cl. in quo voto deſino. Lugduni Batav. v. Cal. Septemb. ∞. IↃ VC.

EPISTOLA DCCVI.

J. LIPSIUS

Friderico Lindenbrugio S. D.

Leidam.

MUnus mihi gratum tui Pauli, ſed ideo, quia animus & induſtria tua tale fecit. Animus in me volens, ut video; induſtria, quae ſe in Notis tuis exſerit, bonitate magis, quam mole laudandis. Judicium meum ſincere ſi vis, probo, laudo; ad illa aut majora hortor, quibus humeros tuos pares fore praevideo & praedico. Sed ante omnia, ſerva mihi iſtam recti judicii, abſque calore, normam: tum & illam modeſtiae legem, quam, niſi fallor, natura tibi dixit. Quicunque in iſta aetate exſultant, oraculum hoc habe, in curſu corruent, & non venient, ut cum poëta dicam, *praeſcripta ad candida illa calcis*. Iſidorum ſi apprehendis, operae mihi videbitur; & [1] veſter ille, ſcis quam non fuerit ibi calide, & ad ſuum nomen. Notavimus & nos quaedam, & ad vetus exemplar Leodici comparavimus. ſi otium erit (non pro more dico, ſed re adigente excipio) ſi otium inquam, percurram & participabo in quibuſdam. Siquid tamen ſubſiſtes aut ambiges; nonne habes in loco oraculum? illud adi, me abſentem ama, mi Lindenbrugi. Lovanii, prid. Idus. Septemb. ∞. IↃ. XCV.

1 *Bonav. Vulcanius.*

EPISTOLA DCCVII.

GERARDUS SANDELIN

V. C. *J. Lipſio* S. D. P.

Lovanium.

LIterae tuae, Vir Clariſſime, quam gratae mihi fuerint fruſtra exprimam. Aquam ex iſtis duco, quae deſiderium hoc meum aſperſione ſua temperet,

ret. Nil contulerim colloquiis noſtris: horum nunc vicem efficaces iſtae notae praeſtant. Ut faſtidium effugiam ſuades; facio ſedulo & vincunt animi ad ſingula ſe offendentis teneritudinem ratio & prudentia. Elatio quaedam ſapientem decet, ut ſit

Fortis, & in ſeipſo totus teres atque rotundus.

Tuum nos ad iſtam celſitudinem exemplum provocat, item ſermones, ſcripta. Vis, ut inſeram aliquid literis eorum, quae hîc geruntur. Audi quae ſine periculo commemorare poſſim. Comes noſter *Mauricius* interim, dum Hagae in ocio eſt, milites ſuos pugnare Romano more docuit. ſexaginta pedites haſtati ab una parte: quadraginta item pedites ab altera, muniti Romano ſcuto, ritu antiquo. fit pugna, fruſtraque oppugnantibus haſtatis ſcutati diu firmi ſtetere; poſt quorundam violentia ac agilitate ſubmoti, ita tamen ut plurimum dignitatis & laudis referrent. Haec ex *Fabricio* quodam hauſta Principem *Mauricium*, talium rerum curioſum, in experimentum impulerant. fuit omnino jucundum ſpectaculum, fervorem militum finiente tympani ſono. Ipſe Princeps, ut hoc addam, valde mutatus eſt. facies pallidior, ſeverior, curas computat. Comes *Egmondanus* Admiralius Hagae eſt, & bona patris ut proximus haeres quaerit recipere. A *Mauricio*, ut intelligo, perturbato vultu, & neſcio quid titubationis praeferentis exceptus eſt. Exercitus noſter in Friſiam abiit, cum ante Oldezeliam urbem infaeliciter dolo tentaſſet. In relaxatione navium in Hiſpania detentarum ingens Batavis gaudium fuit. Neſcio flebilius remedium ad converſionem ſtatus. Amſtelodami, Delphis, Leydae creberrimae ceſſiones, ceſſante commercio. *Scaligerum* vidi, conveni, tuoque nomine ſalutavi. Nihil illi gratius. Aeſtimat te ex vero, illudque de te teſtimonium firmi mihi cerebri videtur. Magnum non capit niſi magnus. Nihil addam *Raphelengii* teſtimonio, rem acu tetigit. Multa de illo hîc, jucunda, ſuavia, & ad Satyram. Utinam coram poſſem, riſum tibi concitaret oratio mea. Vale, Vir Clariſſime. Amſtelodamo XVI. Julii MDXCV.

Eſt reſponſio ad Lipſii Centur. III. ad Belg. 22.

EPISTOLA DCCVIII.

J. LIPSIUS

Ger. Sandelino.

Hagam.

POtes & debes credere, mi Sandeline, tuas litteras mihi exſpectatas, mihi gratas & laetificantes eſſe: quia animo iſti firmiter te indui, & jam pars numeraris mei. Neſcio quid te mihi jam olim conciliarit, an aſtrum, ut ille ait, an potius par aliquis genius, & ingenium & certe conſenſio, ad honeſta? Quidquid ſit, te amo, & carum ſemper habebo, idem mihi repone. Exem-

Exemplum militiae meae jam accipies: ſcis qua lege, ut legas, ut obſerves, & adnotes, & quae viſa moneri, dicas. Haud meum eſt, inquies. Pone iſta, non eruditionem, ſed fidem & libertatem exigo, dic quae videbuntur, uni mihi dices, & ſi quae inepte, apud diſſimulantem & celantem. *Scaligerum* viſum a te gaudeo, & notum. Habet bona ſua ille vir, & alta quaedam & rara. ſiquid in moribus & ſermone externo, ne nimis penſita. homines ſumus, id eſt, a terra aliquid, aquis, aëre, adhaeret puriori illi igni. In me idem: beatus, qui minima ponderum iſtorum, aut ventorum habet. De *Mauricii* ſenſu in militia gaudeo. Bonum illud periculum, ſed, ſi ego arbitrer, aliter inſtituendum: non enim unus ordo, id eſt, ſexaginta milites, cum ſexaginta committendi, ſed plures aliquot manipuli. & conjunctio illa eſt, & mutuum auxilium, quod vires dat, ut in aedificiis ligna. Romanae ſemper legiones phalangitas vicerunt. ſed junctae. paucos Romanos milites ſi compoſuiſſes cum Macedonibus paucis, aliter fortaſſe fuiſſet. Belle & prudenter hoc Polybius, ut alia. Nihil melius Theſſalico equitatu, ſed in unione & numero. Eundem ſi ſpargas, imbelliam meram eſſe. claſſis Batavorum ab Hiſpanis liberata, imo ut verum dicam, ab Hiſpano Rege. nam alii ſententiae diverſae erunt, atque etiam noſtrates hîc cenſebant, & ſcripto teſtificabantur retinendam. Solus mitis ille *Philippus* reſtitit, & ducere Batavos voluit ad vetus jugum, ducere, non trahere. Audient veſtri, ſi ſaperent, & hoc vel in publico Bataviae dicam: Quo quidem (ne neſcias) ego ignarus & imprudens prope ſum perductus, & unos decem paſſus vix afui a manibus praedonum veſtrorum. O riſus, o triumphi! ſi in Bataviam ſic veniſſem. ſed res ea, quidquid eſt, Spada me fugavit, & ad meos reppulit. nondum in valetudine mea, id eſt veteri & bona: languemus, calemus: etſi tu meliora, non tibi tantum, ſed aliis perſuaſeris, quod dicunt mihi litterae *Buyteweechii* mei. Vota interpone, nondum id eſt, an ſperem futurum aliquando? veto, & malo inopinatum & duplex gaudium illud eſſe. Animo quidem bono vel in re mala ſum, & te quoque video eſſe. Placet, quod ais de elato quoque illo. omnino ita eſt. Stoici noſtri volunt, ſapientem ſe noſſe, in ſe fidere, putare ſe ſupra vulgus eſſe, quod niſi facit, numquam erit. Modeſtia ab humanitate diverſa eſt. illa ſupra mortalem ſe non erigit, haec ad hominem ſe non attollit, illa conſcientiam ſui non deponit, haec altum nihil, quia non cupit, nec quidem capit. Altus, Altus, mi Sandeline, eſto. ſed conditionis tuae memor. Divinum aliquid te ſcito, & ſimul etiam humanum ac terrenum. Ala una attollit, altera deprimit. ſed vel obliqui ſic ſubvolamus, & oculos & ſenſus tollimus ad aſtra. Vale, ſemper meus, & avunculo tuo viro Clariſſimo ſalutem a me dicito. Lovanii prid. non. Sext. CIƆIƆXCV.

EPISTOLA DCCIX.

GERARDUS SANDELIN

Cl. Viro *J. Lipſio* S. D. P.

Lovanium.

ACcepi literas tuas & iis adjunctum de Militia opus tuum. Quid humanitati iſti vice mutua praeſtabo? ad epiſtolam meam tam benivole reſpondes; munere me etiam ſupra meritum honoras. Verum, ut ille ait, quando non eſt tibi *Animus delitiarum egens*, ſyncerum & ſolidum quid offeram, pulcherrimum nempe animi mei adfectum, Amorem, qui in te talis eſt & tantus, ut moderatione potius, quam ſtimulo egeat. Aegre deſiderio meo impero, & quando cogitatione in iſtas dulcedines noſtras & ſermones incumbo, *Nihil eſt ſuper mi.* In libro tuo rurſus vidi te. Ingenii tui praeclarus foetus eſt, & quem invidi hodie lacerabunt, poſteri ſine illa peſte mirabuntur. fruſtra, Lipſi, hîc laudem ita conſummatam quaerimus: ſol creſcentes duplicat umbras: Avunculus continuus mecum lector eſt, & non offendimus adhuc, niſi pulcra & proba. Judicia plebis valeant; ſpectemus a vulgo longo lateque remotos. Periculum tuum Spadae cum dolore audiveram, & quin ſanitatis tuae ſucceſſum turbaverit iſta turba non dubito. Aſſiduum mihi ſane votum eſt pro valetudine tua, & nihil ita volo, quam te valere: Dabit Deus. Interim animus tibi ſalvus eſt, quamvis tabe corporis impeditus tentetur, non tamen de rationis iſto ponte dejicitur. Multa, multa in omni vita humana indigna eveniunt, & parum ex facili fluentia, quae ſapiens modico flexu evitet ac inutile telum fortunae reddat, ut illud Priami,

—— rauco quod protinus aere repulſum,
Et ſummo clypei nequicquam umbone pependit.

Haec ſeria ſunt, & vix ad epiſtolam; ſed quia in ſtudium meum cadunt apud te referre ſuſtinui. Alia. Naves noſtrae in Hiſpania, parvo tamen numero, iterum detinentur. mox audîvi ſolutas eſſe, ea tamen conditione, ut nomina mercatorum, qui inſtruunt, deferant ad Regios miniſtros. quo conſilio? An ad bellum Hibernicum? quod ſeditioſi adjuvante, a *Philippo* Rege, *Stanlaeo* acriter gerunt, ipſi etiam Angliae praedatoriis navibus infeſti? De Breſto Britanniae oppido ab Hiſpanis capto rumor hîc erat non plane incertus. Onuſtae mercatorum naves ad Hiſpanicam navigationem ab ordinibus in oſtio Flevi detinentur. *Bodlaeus* Anglus Hagam venit ſubſidii petendi cauſa, ut ajunt. E Gallia Legatus hîc recens, qui ad auxilia flagitanda miſſus opes noſtras imploret. Dux *Mauricius* adhuc cum copiis circa Embricam eſt, vallo cinctus. Haec vulgaris ſermo nobis ſuppeditat. privatim magna hîc inopia argenti, & vel ad foenus. continua etiam potentiſſimorum, ut videbatur, poſtulatio, aut in Hollandia occultae divitiae ſunt; aut nullae. Hîc e domo conſiliarii *Loſae* direptum furto ſigillum ſuperioris conſilii, caeteris rebus intactis, multos ad praeſagia concitavit. Nihil harum rerum ſerio, ſed tantum ut lite-

ras.

ras impleam, *Nos convivia.* memores interim tui; atque hodie ſanitati tuae poculum ſtatui. Vale, Vir Clariſſime, & habe me medullitus tuum. teſtor, & ſigno Hagâ Cal. Sept. 1595.

EPISTOLA DCCX.

J. LIPSIUS

Gerardo Sandelino ſuo.

Hagam.

NEgare nolo. neſcio quomodo afficior tuis litteris, uti ipſo ſermone, imo & aſpectu ſolebam. Eſt amor, fateor: nec premendo augebo incluſum affectum. facis paria, bene eſt: quid ſupereſt, niſi potiri, quod non licet? aut pati igitur, quod licet? Patiamur, mi Sandeline, & vitam diſcamus non ex voto agere, ſed ex fato. felicem, qui ex pectore clamat:

O Jupiter me ducito, & Neceſſitas.

Qui Jupiter nondum mitiore oculo vos Oceanitas aſpicit, feroces etiam & aſperos, & ab optima Dearum alienos. Ille tamen Auſtriaci ſanguinis, qui venit, hanc vobis ante omnia offeret, & ita decretum terreno illi noſtro Jovi. Qui nihilominus arma, naves, tela parat, cavete ab ira ſenili & lenta. Navibus veſtris in novum orbem non felix nunc tranſitus, ut audivimus: miror, in rem incertam ſumptus & diſcrimen adiiſſe. Sagaces tamen veſtri adfatim: & proh Deum! quis tam cito de itu meo Bruxellam, de exceptione, muneratione nunciavit? Caſtores aliqui in equis fortaſſe, ut olim Romanis. Ego quidem habebam haec vobis clauſa, quae nec noſtris omnibus Lovanii aperta: ſed tu amplius audi: noſtri Proceres me auctum eunt nomine Hiſtoriographi Regii, & ſtipendio honeſto: quid videtur? accipio? vellem, & debebo: ſed de ſcriptione ambigo. Certe illa, quae noſtri & recentis aevi ſunt, quis me adiget ut ſuſcipiam? nemo, nemo, ſi mens mihi manet quae olim fuit, id eſt recta. Haec talia (nam & quaedam ſileo) mallem ſermoni, id eſt aëri committere, quam chartae & ſtilo. Quid autem veſtri, de his, quae in Gallia circa Regem geſta? placet hac parte Pontifex, credo, etiam iis, quibus non placet. ſed noſtri, opinor, ibunt ſuum curſum: nam & cum Chriſtianiſſimis Regibus bella geri non eſt inauditum. *Antonius* ille, competitor in regno Luſitaniae, diem ſuum obiit: filius in cuſtodiam datus dicitur a Britanna, quia fugam parabat. Res ab ea parte ſecurae ſunt regi, & vides vanitatem an pravitatem conſilii humani. Miſer & exſul obiit, qui potuit inter primos eſſe, niſi maluiſſet & ſperaſſet ſolus eſſe primus. Ah, quam in privata quoque vita ambitio ſaepe imponit! dum ad famam nos componimus, illam captamus & quaerimus, & magni audire volumus, etiamſi non eſſe. Rem, mi Sandeline, perdimus, virtutem & ex ea quietem, quae aut ipſa beatitudo erit, aut certe ejus fructus. *Varicium* apud vos eſſe audio. ſaluta. Lovan. IIII. Id. Januar. CIƆIƆXCVI.

EPISTOLA DCCXI.

GERARDUS SANDELINUS

J. Lipſio JCto S. D. P.

Lovanium.

QUomodo me ſcriptio tua adficiat, Vir clariſſime, ſaepe teſtatus ſum. In moribus, in ſtylo, in omni ſermone mihi ex ea emendatio paratur. propria tibi virtus eſt comitas, qua etiam calamo imperas ad meas ſcedulas reſponſum. Amoris & Voti pars magna eſt duntaxat ſcire valetudinis tuae ordinem, quae faſtidioſo te morbo, nec inter aegros, nec inter ſanos (ut ille ait) detinet. Verum occupationibus non volo intervenire: Inde aliquando cur non libere omittes? apud illum, qui ita adfixus; ut nullo ab iſto vinculo ſilentio ſolvi poſſit. Ego ſemper aliquid: vaco Philoſophiae, ut plurimum; quam tamen rerum ab omni aevo geſtarum lectione tempero; ut ocioſam alioquin & umbraticam vitam ad actus, qui eam probent, exempla pulcherrima inſtigent. ut etiam a Philoſophia ambitio minuatur; quae multorum ingenia foecunda non tam Virtutum, quam Vitiorum reddidit. ſcripta tua me primum ad has occupationes compulerunt: poſtea ipſe ſermone, exemplo & hortatione ad illud (ne a legibus noſtris diſcedam) altum beatae vitae. cereum me & non obnitentem deduxiſti: oſtendens.

—— *quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,*
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore:

Haec faelicitas mihi multo maxima eſt: Hic, quem privatim & publice egregia memoria celebro, meus triumphus. At ille veſter (ut aliquid addam ex fama nugarum) de Maſſilia abiit: Nam Ducis *Guiſii* opera firmati ſunt civium animi in fide Regis Franciae; etſi caſtellis adhuc diffidant. Tenentur ab illo, qui caput huic actioni erat. Caletenſis obſidio magnae exſpectationis eſt, parantur Amſterodami, Roterodami & in Zelandia ex noſtris naves 26. quae egregie inſtructae Claſſi Britannorum vires adjiciant, cui etiam Daniae & Scotiae auxilia accedunt. Dubii, immo plane ignorantes ſumus quo fine; ita omnia ſilenter. *Draeckus* nihil egit memoratu dignum, plagulas aliquas intulit in India Cubae littoribus, ipſe majori navium & militum jactura adfectus. Mille quingenti e noſtris mox diſceſſerant, ſi fallere poſſent hoſtem, & clam intrare Caletum. Britanniae Regina nuper poſtulavit ex ſumma debita 100000 florenos; ſoluti ſunt a noſtris, cum admiratione ipſius Reginae, ignorantis opes hujus patriae. Comes *Mauritius* in Zelandia eſt; Comes ab *Hohenlo* ignoto habitu, per hoſtilem regionem & propugnacula ipſa venit ex Germania ad nos nuper, pacto cum Principe Brunſwicenſe inito, quo Woerdena civitas, quae in haereditate eſt Brunſwicenſis, cum Lieſveldiae caſtro Comiti ceſſit. Pax hîc eſt alioquin. propter Comitem *Buranum* metus nobis aliquis fuit; ſed ut videmus derivata eſt in Franciam calamitas, exercendis continua mutatione ſeditionibus famoſam.

Sua-

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem.

Sed ſi pietatem veram ſpectamus, urunt lenta haec bella; quae paulatim Europam noſtram, cui non eſt datum ſemel cadere, interimunt. ſolebat olim una acies aut Regem facere aut ſervum. nunc continuis ſubditorum miſeriis etiam victor quod fleat habet. Rector ille ſupremus & omnium arbiter pugnarum ac exercituum, quando volet, emendabit: Cui & te, Vir clariſſime, commendo: ut diu nobis ſuperſtes ſis. Haga XVI. Cal. Maji ∞. IↃ XCV.

Quale periculum evaſeris nuper, Vir clariſſime, fortaſſe ipſe ignoras. *Trelongii*, Praefecti maris, filius ſpurius, qui Bergis ad Zomam eques militat, ſpecie ſtudioſi ad te venit, & praeceptoris meritum diſcipulique pietatem obtendens, rogavit te ad ambulationem: ut oſtenderes illa, quae apud vos alicujus famae: In porta conſtitutus rettuliſti pedem, bono fato:

Dii te tuentur: Diis pietas tua
Et Muſa cordi eſt.

Erant enim milites in inſidiis parati ad tuum egreſſum & apprehenſionem. Gratulor; non ſine horrore. O pietas! Haec audita ſunt ab ipſo ſpurio, qui jactat & pro gloria habet. Verone an falſo? Tu ſcis, & ſi videtur ad nos ſcribe. Iterum Vale.

EPISTOLA DCCXII.

J. LIPSIUS

Michaëli Moreto.

Affectus, qui perpetuus mihi eſt, & fuit, erga *Plantini* ſtirpem, jubet tui quoque memorem eſſe, imo curam etiam gerere, ut conſilia & inſtituta tua optime cedant. ſcio igitur quid conceperis, cum hîc eſſes. & ab ipſis tamen noſtris audivi rem eam non carere aliqua difficultate ad perficiendum. aetatem habes, per te cogitare potes moleſtias & munera multa eſſe in genere illo vitae obeundae, haud dubie ſalutaria, tibi aliiſque profutura: ſed quibus tamen opus ſit viribus animi & corporis, quas non omnes habent. Animum in te bonum eſſe ſcimus, & id Deo gratum eſt, & bonis: ſed corpus non ita firmum aut valetudinem videor quoque in te notaſſe. meminiſti ipſe, quam ſaepe de doloribus capitis conqueſtus apud me ſis, qui ſolent augeri & intendi, cum aſſidua meditatio & intentio animorum acceſſit. Cogita omnia, mi Morete, & ut pulchrum eſt bona incipere, ita turpe deficere, & reſilire. Nunc tibi omnia integra, & es adhuc in capite & initio bivii aut trivii potius, & libero pede huc aut illuc ibis. Intelligo etiam patres, qui Antverpiae ſunt, conſilium hoc minime probare, & vereri de imbecillitate tua, quam veremur. Itaque hortor te & moneo, uti ſerio de rebus tuis cogites, vires tuas libres & expendas, priuſquam onus ſuſcipias, cui ſuccumbere deinde turpe ſit, *& preſſum inflexo mox dare terga genu*, ut ait Poëta: mihi crede, non

omnes ad omnia apti aut facti ſumus, & eſt laus ejus, qui in primis non poteſt, ſubſiſtere in ſecundis. quietum aliquod genus vitae, in quo Deo cum libertate aliqua tua ſervias, id mihi conveniens indoli tuae videtur. ego maneo in hac ſententia, & teſtor Deum me conſulere ex animo, quae utilia & honeſta cenſeo tibi. cogita, cogita, & interea apud Parentes haerere potes, non tamen in ignavo otio, ſed libellos tuos excutere, aut honeſte aliter occupari. haec ad te ſcribenda breviter cenſui, affectu illo, ut dixi, in Plantinianos impellam te, tum etiam quem privatim in te habeo, qui privatim novi. Parentes tui ſtudio & amore teneri ambigere non debes, & eorum conſilio imprimis, ſi in rebus tuis utare, ex re tua aeternum erit. Vale Lovanii.

EPISTOLA DCCXIII.

[1]GULIELMUS CRIPIUS SECUNDUS

J. Lipſio V. Cl.

Lovanium.

QUandoquidem meditor neſcio quid de Nobilitate, viſum fuit te de obſcuritate una, atque altera conſulere. Cum enim plerique hominum φιλοψόγοι ſint, danda opera eſt, ut quam minimum quod carpere poſſint inveniant. Eſt locus Taciti extremo lib. III. Annalium, qui mihi, & per me tibi, hoc negotium faceſſit. Ait enim florentiſſimus autor, ante Juniae Caſſii uxoris *funus viginti clariſſimarum familiarum imagines antelatas.* hîc τὸ *viginti* an ad *familias*, an ad *imagines* referam neſcio. magis tamen velim ad has. ſed ſi imagines tam longe petitae, quam ibidem illa Manlii, dubito. ne longum tu, qui potes, precor, impedi. non mea tantum cauſa, ſed *Sandelini* etiam, cui hoc quidquid nugarum eſt cum voluntate ſtatim dependendi pollicitus ſum. ſcio te in ejus vegeto animo & in ſtudia ignei adoleſcentis gratiam aliquid facturum. Libros tuos de funeribus non vidi, forſitan ibi de imaginibus ea ſcripſiſti, quae omnibus earum curioſis poſſint ſatisfacere. movet aliam difficultatem Herodotus, qui cum apud Aegyptios ſeptem hominum ordines faciat; proximum ſacerdotibus locum iis tribuit, quos Latine nominare non poſſum: non enim nobiles ibi fuere, ſi qua *Diodoro* lib. I. Biblioth. cap. 5. fides; ut Piërius & Tiraquellus diu ante me natum obſervarunt. fieri tamen poteſt ut bibliothecogapho hîc acciderit quod ſaepe alibi. certe memini legere Amaſi eorum Regi ignobilitatem objectam. Tertium eſt, nam & hoc (quando omne trinum perfectum eſt) adjiciam: non ſatis me aſſequi quare Petronius Arbiter *pruinoſos pannos* pro pauperum veſtibus poſuerit, noto verſu. [2] *Noſtra pruinoſos ſequitur facundia pannos.* Vale, Vir Cl. 8. Septemb. ∞. IↃ. XCV.

EPI-

1 De *Cripio* vid. ad Epiſt. CXX. ejus Patris pauca poëmata leguntur Tom. I. Delic. Poëtar. Belgic. p. 986. & ad eum *J. Douzae* Epode libr. 5. & Epiſtol. I. celebratur & ab aliis Poëtis *Poſthio*, *Micyllo* &c. horum temporum uterque *Cripius.*

2 Legitur in Petron. cap. 83. *Sola pruinoſis horret facundia pannis.* ceterum neſcio, quid *Lipſius* reſpon-

ſponderit *Cripio.* ſed facilis ejus verſus ſententia videtur: pruinoſos pannos ideo paupertatem indicare, quia pannis & centonibus male tectus pauper, &, in quod ſe nocte frigida receptet, tecto fere carens, pruinas pati cogitur. idem, quod mendici & egeni non ſua voluntate ſubire coguntur, ſponte incommodum Amantes pati docet Ovid. III. Amor. XIX. 21.

Et ſine me ante tuos projectum in limine poſtes
Longa pruinoſâ frigora nocte pati.

& eo illud Oenones Epiſt. v. 15. reſpicit:

Saepe ſuper ſtramen foenoque jacentibus alto
Deſenſa eſt humili cana pruina caſa.

EPISTOLA DCCXIV.

J. LIPSIUS

Johanni Hayo, *Scoto*, *Societatis* J. S. D.

JUcundum gratumque, te id nobis ſcribere, & perjucundum illud maxime ſcribere de liberatione *Arolii* Comitis: nam certe ſoliciti de viro eramus, & ſciebamus Britannos canes ei imminere. Bene eſt, ſi in mari eſt. Deus, qui coepit liberare, plene faciet, & ſuis reſtituet ſalvum atque exſpectatum. O, mi pater, utinam plures in Scotia *Arolii* ſint. Utinam Rex veſter aut velit, quae debet, aut de gente poſſit, quae velit. Non eſt meum judicare, ſed animus ſemper mihi dixit Regem veſtrum alium ab opinione multorum eſſe, & palam id aliquando oſtenſurum. Diem illum videam, quo matrem vindicet, quo religionem vindicet, ab una femina (dedecus) utramque oppreſſam. Eſſe te in ſtudiis ſacris, & arma expedire contra Eccleſiae juratos illos hoſtes, ſollenne tuum, & Societatis veſtrae eſt. pergite, facite, atque illos jam trepidos & fugam ſpectantes pietati atque ultioni mactate. Vale, Reverende Pater. Lovanii XIII. Kal. Octob. CIƆIƆXCV.

De hoc *Joh. Hajo* Dalgattienſi Scoto, & ejus vita & ſcriptis vide *Alegamb.* Bibliothec. Scriptorum Societatis Jeſu. pag. 248. De Comitis *Arolii* (quem alii *Errelium* vocant) aſtu, quo, inebriatis cuſtodibus ſuis Fliſſingae cuſtodiam evaſerit, vide *Johnſtonii* rerum Britannicar. lib. VII. pag 206. Haec vero epiſtola ſervile Lipſii erga Jeſuitas obſequium & turpem adulationem oſtendit, qui tam proterve de Britannis, & *Eliſabetha* & *Jacobo* judicium & votum facit.

EPISTOLA DCCXV.

THOMAS SEGAETUS[1]

J. Lipſio, *Viro incomparabili* S.

Lovanium.

SI diuturnius ſilentium fuit, Vir maxime, non eſt quod aut de negligentia credas quidquam, aut de adfectu ambigas: illa, etſi non pugno, quin erectam

1 Gente hic Scotus, vagam diu vitam egiſſe videtur, & commendatione *Lipſii*, cujus erat diſcipulus, cum in Italiam veniſſet, a *Vincentio Pinello* in contubernium receptus fuit. vide *Lipſ.* Cent.

ctam per ſe mentem quatiat interdum & dejiciat; numquam tamen id ei in me virium aut fore aut fuiſſe concedam, ut tui mihi memoriam excutiat excuſſeritve, quem non viſum ipſe haut viſus non amavi, ſed arſi: ſed nec ardor ille deferbuit, imo auxit; &, quo jam ante impulſore patriam, parentes, propinquos deſerere pro levi duxi, idem amor iterum tibi ſiſtet tuum Segaetum. quid ambigas? eadem tibi vis eſt, mihi voluntas: haerent enim infixa & haerebunt mihi in mente eadem eruditionis tuae & humanitatis ſpicula; quarum illâ, in omnes largus fuiſti, ampliatis reipub. literariae finibus; iſtâ, ignotum me, hoſpitem, & quod maximum, neque merito ullo privatim, neque doctrina publice commendatum, ita excepiſti, exceptum complexus es, ut neque ego beneficium agnoſcere non velim, neque, ſi maxime velim, ſatis queam. faciam ergo quod ii ſolent, qui creditoribus ſolvendo non ſunt; ſolum vertam, aut in nervum ibo. ſed hoc malo, ut, ſi a noxa abeſſe nequeam, abſim tamen a culpa. *Quin egomet* (ait Plautus Paenulo extremo) *tibi me addico, quid praetore hîc opus eſt?* Tu, pro tuo jure, vinci, rape, concide, quidvis perpeti definitum eſt, dum tibi obnoxius ſim. ſi conſilium mihi deus ratum patietur, ipſe me repraeſentabo. tum ſane felicem me ſtudiorum! quibus caligantibus jam & languentibus lucem a te fore vigoremque, ſpe praecipio, in qua acquieſco; imo haut quieſco, dum mellitiſſimum divitis ingenii nectar coram haurio. Vale, vir Clariſſime, &, ſi tanti cenſebis, recentem benivolentiae auram veteri amatori per literas adſpira, qui te unum habet in pectore & ore, uſurpaturus (ita voveo) auribus oculiſque. E Setoniano VII. ab Edimburgo lapide. a. d. XIV. Kal. Novembris XCV. Ne nequicquam tam diu ſiluiſſe cenſeas, carmen ecciſtud pro foenere mitto; in quo cenſendo plus a te adfectus, quam judicii adhiberi poſtulo; vereor enim, ſi ad acerrimam judicii tui normam exigas, ne ſubſiſtere non queat. & hoc ipſum poſcere dubitaſſem, niſi humanitas, jam ante mihi perſpecta & cognita, omnem haeſitationem deterſiſſet. Iterum vale.

Fruſtra ruendis me cruciem bonis
Jactemve partis; ſi neque purpura
Tranquillat inſtantem cruento
Verbere amariciem neque aurum:

Fra-

Cent. ad Italos Epiſt. LXIII. & LXVI. apud quem vivens ex literis humanioribus & carminibus famam ſibi paravit. vid. *Pignorii* Symbol. Epiſt. XXII. mutaſſe poſtea Romanenſes cerimonias cum purioribus conjicio ex ejus precibus ad Deum, cum inſons reus ageretur, quas carmine conſignavit, & leguntur tom. II. Deliciar. Poët. Scotor. pag. 500. ubi & alia ejus carmina. An ab inquiſitionis Tribunali fuerit in carcerem conjectus neſcio. certe *Lingelshemius* ſcribit Epiſt. CCXVI. inter Gudianas *Jungermanno*, eum *feliciter evaſiſſe, & audaces fortunam juvare* &c. quae illuſtrari mererentur ex aliis monumentis, quae ignoro adhuc. Epiſtol. CCXXX. inter Gudianas *Gebhardus* metuit eum competitorem, ubi eum Doctiorem opinione hominum, quam revera eſſe judicat, & variis erroribus jactatum, & jam Chymicis addictum ſcribit. *Joach. Morſius* eum, equitem Britannum nobiliſſimum vocat, & obiiſſe initio Anni 1628. ſcribit *J. J. Pontano* in Sylloge Epiſtolarum a *Matthaeo* editarum. Epiſt. LXVI. *Morſio* autem familiarem fuiſſe patet & ex Epiſtola *Buchneri* ad *Gebhard.* part. II. 96. ubi *Segetum* ſibi a *Morſio* impetraſſe codicem Statii ſcribit. Plura de hoc viro, a multis doctis laudato, quae vitam ejus illuſtrent, adhuc reperire nequii.

Fruſtra ſecureis, ſiquid & altius
Mentem inquietem ſubruit, ambiam;
Si lance penduntur ſuperbi
Fata viri populique eadem.
Sat eſt, virenti ſi mihi tempora
Lauru revincit Muſa; ſat eſt, libris
Praecepta depaſci beatae
Vitae, & opes animoque robur
Quaeſiſſe. ſed nec ultima pars meae
Felicitatis LIPSIUS. *o diem!*
O fata! divos o faventes!
Inque meam faciles querelam,
Si, quae perenni fonte ſcientiam
Manat per orbem (qua Tagus aureo
It vortice extremas in undas,
Qua celebres lavit Iſter urbes)
Et lingua noſtris perſonet auribus:
Hanc mî ſolum per, perque ſalum (nihil
Obſtante nec flamma nec Euris)
Uſque ſequi ſtabilis lubido eſt.
Sic & per agros Orphea Thracios
Traxiſſe fama eſt cum grege Nerei
Quercus, & oblitas rapinae
Depoſita feritate tigres.

EPISTOLA DCCXVI.

THOMAS SEGAETUS

V. C. *J. Lipſio* S.

Lovanium.

SImul atque pedem in Italia poſui, dederam ad te litteras; quae an in manus tuas venerint, valde aveo ſcire. intereſt enim mea vehementer, ne aut ingratus habear aut neglegens. In iis, de itinere ex animi ſententia confecto; de convento Francofurti *Puteano*; de difficultate conſilii mei apud Venetos expediendi; denique, de humanitate, quam Auguſtae Vind. a *Velſero*, *Bodecchero*, *Occone* expertus ſum, certiorem te feci. Quod extremum tibi tuiſque litteris omne acceptum fero. Exinde ſilentium tenui; quod quidem vitio dari poſſet, niſi ſtudio non peccandi peccaſſem. Nam cum delata mihi abs te eſſet inquiſitio de *Petro Antonio Martello*; eouſque ſcriptionem differendam cenſui, dum comperti aliquid nuntiarem; quod ne nunc quidem praeſtare potui. Ego certe omni ſtudio ac diligentia; & Venetiis & hîc, per me alioſque, id egi: nemo tamen inventus, e quo quidquam de illo viro diſcere potue-

tuerim. Quod eo mihi magis mirum videtur, quia P. *Laurentius Tertius* Brixianus e Societate Jeſu, qui per totos duodecim annos illi collegio domi praefuit, Brixianarumque familiarum peritiſſimus eſt, confirmavit mihi, neminem ſe noſſe hoc nomine. cum tamen eo ingenio Brixiani ſint, ut peregrinatos, apud vos praeſertim, noſcitare geſtiant, ſuſpiciant, deducant. Quid ſuſpicandum ſit, ego in medio relinquo. Eſt certe quod Illuſtri V. *Joanni Vincentio Pinello* gratiam habeas, cujus hoc in negotio opera eximia fuit: quemadmodum & hinc (nam ille mihi aditum ad *P. Tertium* conciliavit) & ex litteris [1] *Alexandri Luzzagi* nobilis Brixiani, quas his ſubjunxi, plenius tibi liquere poterit. De eo viro nolo plura in praeſentia, praeſertim apud te, qui ad unguem noſti. Non poſſum tamen quin mihi gratuler, teque ad idem faciendum invitem, cui tanti viri non congreſſus modo, ſed contubernium quoque obtigit. Ubi quam ex animi ſententia agam, tum ex *Velſero* noſtro ſcire poteris, tum ex me olim ſcies. Id nunc minus facio, non quin libeat liceatque: verum, cum legere apud eum has in animo haberem: neque illius modeſtiae, neque meae verecundiae, convenire arbitrabar, ut in os ei dicerentur, quae libenter bene facit, facta non libenter audit; popularis aurae, ſi quis alius, maxime fugiens. In eo quod ſequitur, ignoſce amori meo, ſi familiarius forte quam me deceat tecum ago. Accepi ex P. *Laurentio Tertio*, quem ſupra memoravi, Bononienſem quemdam juvenem eſſe, honeſto loco ortum, ingenio promto, manu expedita, moribus modeſtis, Graece & Latine doctum, denique politioris litteraturae ſumme amantem; qui admirabili tui, admirabili ſupra vulgum emergendi cupidine incenſus, iſta loca petere; tecum eſſe; a te pendere; te frui in animo habeat: ut quem mente fixum gerit, oculis quoque uſurpet & auribus. Verum, quia in re tenui non admodum a ſumtu inſtructus eſt, operam tibi praebere; aut, ſi id minus fieri poteſt, deſpici cupit, an quae iſthic apud alium conditio honeſta inveniri poſſit; quo compoti eſſe liceat tui, quem tantopere ardet. Oro itaque V. Cl. atque obteſtor te, per commune litterarum numen; per illam tuam ſtudioſis omnibus obviam humanitatem; per illa (quae ego auro contra aeſtimo) ſummae tuae in me benivolentiae τεκμήρια, quae & coram mihi exhibuiſti, & in abeuntem cumulate congeſſiſti; per illum ipſum juvenis ardorem: oro, inquam, ut juveni litterarum amanti; tui etiam admiratori ita proſpectum velis, ut, ſi e re tua fore putabis, apud te; ſi id minus; apud alium, tecum tamen ſit. Uno hoc beneficio tres tibi obligabis. obligabis illum; obligabis *P. Tertium*; obligabis me, quamquam jam ante obligatiſſimum. Vides quam confidenter. quod non minimum amoris in te mei ſignum erit. Eo enim ingenio ſum, ut quorum amore non teneor, neque operam libenter expetam aut utar. rectene an ſecus, alii aeſtiment. Utcumque erit, primo quoque tempore ſcribes; quod cum hac cautione poſtulo, ſi per otium licebit. Juvenis interim aequo, ſed ſollicito & ſuſpenſo, animo moram feret; & de conſilio *P. Tertii* manus ac men-

1 Hujus elogium & ſanctiſſimorum morum praeconia videſis in *Octavii Rubei* (ſive *Roſſi*) Elogiis Hiſtoricis Brixienſium Illuſtrium, Italica lingua editis, pag. 475. ubi obiiſſe A. 1602. dicitur.

mentis ſpecimen literas ad te intra paucos dies dabit. Quantum ad me; quod praeſtare poſſim, parum eſt; hoc tamen polliceor (& praeſtabo) me, ſi minus referendae gratiae par ſum, agnoſcendo ſaltem & praedicando quanti tibi obſtrictus ſum, officio non defore. quod te (quae tua eſt humanitas) eo loci habiturum confido, ac ſi gratia relata eſſet. Vale, vir Clariſſime, & me mancipio tuum tibi perſuade. Patavii. Kal. Quinctil. CIϽ IϽ IIC.

EPISTOLA DCCXVII.

JACOBUS CUEILLYACUS SORBONICUS

Doctiſſ. J. Lipſio P. R. I. S.

Lovanium.

CОnqueſtus es, humaniſſime Lipſi, eo die, quo ad aquas Spadanas iter inſtituebam, quod cum mane ad Patres colloquuti eſſemus, de mea profectione nullum verbum. At quid tibi veniet in mentem, cum me ad urbem progreſſum intelliges. Sed quia hoc meum conſilium licet prudentibus, potentioribus minus probabatur, anceps & dubius currum aſcendi, & epotatis aquis hauſtu pluſquam Germanico, Gallico more veteri inter bibendum definivi, quaſi alter torrens, illae me per medios Francones, Vindelicos & Brenni Alpes abriperent ad Tiberim, forte ad Jordanem uſque fugitantem Gallici fumum incendii. Nec omnino ſine te. Cum enim in urbe ea, quae in Belgio digna commendatione videram, noſtri Lipſii humanitatem, modeſtiam, pietatem, zelum, nam literas quid neceſſe? non ſine admiratione commemorarem. Viri Theologi qui Indici praeſunt, ſibi ipſis, audito illo teſtimonio, quod locupletiſſimum ajebant, gratulabantur quod benigne tuas vigilias interpretati eſſent, & auctores fuiſſent, ut earum cenſuram Illuſtriſſimus *Borromaeus*, Patruo Nepos digniſſimus, tibi uni committeret. Qui fuit laborioſiſſimi mei itineris fructus ampliſſimus. Velimque exiſtimes nihil mihi gratius contingere poſſe, quam quae ad famam nominis tui conſervandam, quando ei nihil addi poteſt, pertinere exiſtimabo, Vale & ut coepiſti, me ama. Ex Urbe 7. Idus Martias. 1596.

EPISTOLA DCCXVIII.

JAC. MARCHANTIUS,

J. Lipſio S. D.

De commodis ruris ſui.

Lovanium.

AOniis dum tu, Lipſi, dominaris in hortis,
Pegaſeis ubi ſe Dilia miſcet aquis,
Dum qua quiſque ſibi norma, qua res ſibi conſtet
Publica, Palladiis ſuggeris articulis,

Alvrigemi nos rus tenui cantamus avena,
Furnenſis Morini qua viret ora ſoli.
Hic Hervina *mihi nuper dulciſſima conjux;*
Quae mihi lactavit pignora ſana decem,
(Deliciae noſtri & flos optatiſſimus agri,
Quem fruſtra campis invideo Aeliſiis)
Omnia curabat, dum curis praefero Muſas,
Et varia hiſtorici ſpecto theatra chori.
Hic quae lata meos circumfluit unda penates,
Nec piſce, amphibiis nec caret alitibus.
Hortus adhaerenti nutrit pulmenta culinae,
Et cum diverſis poma leguminibus.
Picturis oculos, nares delectat odore,
Altera pars horti florida tota mei.
Hic quoque regicolae, tempeſtatumque peritae
Incluſum cerae mel generatis apes.
Saepe hominum nobis referunt exempla columbae,
Sordida quum fugiunt tecta, ſed alba colunt:
Oviparas criſta regit inceſſuque decorus
Gallus, & excubias nocte ſilente canit.
Quaeque memor veteris, vitat ſublimia, caſus,
In noſtris perdix ſepibus ova locat.
Flava Ceres frumentiferas inclinat in haſtas,
Et levis eſſe illi gaudet avena comes.
Lac vaccae & carnes (animal ſine fraude) miniſtrant,
Et butyrum, variae caſeoloſque notae.
Jucundis vituli menſis optabilis eſca,
Et pingues capiunt hinc alimenta ſues.
Lanigeris ſoliti colludere matribus agni,
(Sex olim una mihi quos genitura dedit)
Inſidias nunc formidant raptuſque luporum,
Mars ſolito plures quos diuturnus alit.
Quique vehit dominum, qui terram ſcindit aratro,
Qui currum trahit, hinc gramina carpit equus.
Umbroſis, aptiſque foco tectoque ſtruendo
Arboribus, vacuus non reperitur ager.
Velifer atque meos fluvius qui praeterit agros,
Quo lubet, oblata me rate ferre poteſt.
Hactenus ad corpus quae ſpectavere, locutus,
Nunc quae ſint animi pabula rure, canam.
Sive ego progeniem vernis animalibus ortam,
Naturae inſtinctu continuare genus,

Seu-

Seu putribus vivas granis exurgere ſpicas,
(Quod noſtri exemplar corporis a tumulo)
Sive ſalutiferas cum plantis conſpicor herbas,
Et quicquid nobis terra benigna parit,
Immenſam cogor terra coeloque fateri
Eſſe poteſtatem cum pietate, Dei.
Ut ſpecto, obſtupeo, ſinceri veſcor & aura
Aetheris, & coelo liberiore fruor.
Hic Aganippaei ſeceſſus & ocia coetus
Saepe animi turbas me poſuiſſe jubent.
Tunc neque tincta mihi fallaci gloria fuco,
Gaudia ſecuri ſurripit ingenii,
Nec moeſtis avidiſque referta pecunia curis,
Tranquilla mentem cogit abire via;
Urbis & avertens irritamenta protervae,
Me Curios Pallas non ſimulare docet.
Sic Deus (iſta mihi qui rura, ac ocia fecit)
Ruris inoffenſi commoda perpetuet,
Et tua fortunae inſtabilis Conſtantia victrix
Sit tam ſaepe meis obvia luminibus,
Dicere uti liceat tuto mihi rure fruenti,
Inveni portum. Spesque metusque Vale.

Videri poſſim tecum, hujus ſeculi ornamento, Lipſi, indecore agere, qui haec ruſtica tuae urbanitati, inſulſa tuis ſalibus, polluta tuae politiae, obtrudam: niſi civiliſſima benignitas tua, humaniſſimi Muſaei tui filia, me invitaſſet, & perſuaſiſſet, te nullos, quamlibet Melibaeos, aſpernaturum, qui ad auram amicitiae tuae impetrandae aſpirant vere & ſincere. Quo in numero ut hunc Menalcam habeas, te obteſtor. Vive & Vale pancratice quam diutiſſime. Ex ruſculo noſtro curifugo prid. Id. Mar. 1596.

EPISTOLA DCCXIX.

J. LIPSIUS

Jacobo Marchantio S. D.

CArmen tuum, affectus & elegantiae plenum, accepi: gratum mihi utroque illo nomine, tum & argumento. Nam rus dilaudas, & facilem quietamque in eo vitam: id eſt, intimum meum ſenſum tangis, & vetera mea deſideria aut vota. O Martem hunc civilem, varie moleſtum nobis! ſed eo maxime, quod arcet non ſolum ab habitatione, aut certe frequentatione illa ruris, ſed etiam aſpectu. Nam nobis latus quidem carcer haec urbs eſt, nec temere pedem extra eam liceat proferre. Alioqui heredium mihi vetus & pa-

paternum eſt in Iſcano: quod ſi frui per vices liceat; vita, valetudo, ſpiritus, diuturniora mihi ſint, meliora, alacriora. Te praedico, in mediis miſeriis publicis, privatim hoc quoque nomine felicem: ſi tamen miles abeſt, nec ille gaudia tua turbat. Omnia dicamus, ſed vitam ex natura ſi quis vivere volet, ſine ambitione, ſine male arte: ſedes ei rus quaeratur, quod tradit haec, aut ſervat. Iterum te felicem, ſed non ſine invidia aliqua mea aut livore. Deſino igitur hunc ſermonem: de filio, qui in Hiſpaniis eſt, litteras ab eo ante octiduum accepi, valet & commode agit, ac ſcribit ſe cum *Berlaïmontio Comite* pleraque inſigniora Hiſpaniae loca vidiſſe. Ego de illo tibi auguror, quod virum videbis ad publica aptum, & aliquando admovendum: ita vigor, ſed & Venus quaedam in eo eſt; ille ad agendum, haec ad animos illiciendos aut trahendos. Deus hoc quoque gaudium tibi donet, ut certis paſſibus ire ad virtutem & honorem liberos tuos cernas. Vale, & affectum mihi tuum ſerva, pariter affecto. Lovanii XII. Kal. Jun. ∞. IↃ. XCVI.

EPISTOLA DCCXX.

JAC. MARCHANTIUS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

QUas ad me poſtrid. Id. Januarii literas dediſti, tam mihi honorificae, quam jucundae prorſus fuerunt. Tene in tam gravibus aſſiduorum ſtudiorum occupationibus, vidiſſe avide, & legiſſe librum *de Flandria* meum, & illi publice velle dare teſtimonium induſtriae, prudentiae, ſed & eloquentiae, pro hiſtorico quidem modo? Neſcis profecto quantum facinus inſciens admiſeris: Nam, tu omnium modeſtiſſimus, plurimum detriviſti ex modeſtia mea: reddidiſti me enim Suffenum & Thraſonem, neque enim amplius mihi diſplicere poſſum, quum placeo tuo vel affectui omnium emunctiſſimo & ſinceriſſimo, vel judicio: &, quia ingens illud gaudium, quod ex teſtimonio tuo capio, domi continere nequeo, plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo, & me illinc paſſim vendito. Servo etiam inter precioſa tuas iſtas literas, & oppono velut Minervae Clypeum, adverſus omnes obtrectatores: quibus ſi me carere putem, nimis deſipiam. Quod nihil adhuc benigne in me factum eſt, ne mireris, nam hoc merito meo fit atque fato, ad cujus duritiem occallui. Idem vero in te ſentiri, indigniſſimum eſt, niſi fortean hoc ſagacitati aulae noſtrae imputemus, quae in libripende ſua aeſtimat, illam famae immenſam opulentiam, quam ex monumentis tuis acquiſiiſti, tanti valoris eſſe, ut precioſior ſit univerſo Pactoli, aut Tagi auro: quod illa undis ſuis congruentius eſſe perpendit, Ego certe, quam Croeſus, potius Lipſius eſſe velim. De Tago autem, quum olim illi aſſiderem Toleti, ſuccurrit jam mihi fragmentum cujuſdam hendecaſyllabi mei,

Am-

Ampli quum Tagus aurifer Toleti,
Non aurum, neque pabulum, ſed auram, &
Aerumnam mihi fabulam ferebat.

Scripſit mihi illinc non ſemel *Franciſcus* filius meus (quo nihil tibi addictius) Hiſpanicam aulam valde in te propenſam eſſe & promiſſis munificam, nomenque etiam ibi tuum celebrari. Iſtud tibi ſatis eſto. Scis quam facile Nemeſis immineat onuſtis nimia felicitate. His vale & fave, noſtri ſeculi Deus, ſempiterne, & fac memineris promiſſi per te in ſcriptis tuis de Flandria noſtra teſtimonii, a me optati vehementer, atque me filiumque meum ſemper inter eos numeres, qui te integerrime & amant & ſuſpiciunt. Ex ruſculo noſtro Alvrigemi VIII. Febr. 1597.

Doctiſſimum D. *Stapletonium*, tam celebrem, & filio etiam meo tam benevolum, ſalvere opto.

Reſponſio eſt ad Lipſii III. Cent. Miſc. 24.

EPISTOLA DCCXXI.

JUL. GUASTAVINIUS MEDICUS

J. Lipſio S. D.

Ego te, Lipſi, jamdiu ob eximiam ingenii tui ſubtilitatem & praeſtantiſſimam eruditionem vehementer colo & diligo. & cum libros tuos ſaepius lectitarim, tecum veluti familiaritatem quandam mihi videor contraxiſſe. hinc fit, ut cum venerit occaſio, non ſolum ad te ſcribere, ſed & operam tuam poſtulare ſic audeam, ut meo jure id facere mihi poſſe videar. Acceſſit, ut occaſionem libentius & fidentius captarem, *Paulli Moneliae*, perveteris neceſſarii mei, de tua benignitate teſtimonium: ea enim ſperavi fore, ut & litteras & litterarum occaſionem, quamquam oneroſam, non iniquo animo ferres. Quod poſtulo id eſt. In manibus habeo opuſculum de Medicis. Zotericus liber eſt; in eo Medici omnes, quicumque a Medicinae origine ad noſtra tempora ſcripſerunt, aut exſtiterunt, a me recenſentur, patria, aetas, genus vitae, fortuna, libri conſcripti, quidquid denique ad eorum vitam pertinens a me inveſtigari potuit. Ad antiquos quod pertinet, ſingula, quo melius fieri potuit, ex ipſorummet libris, aut aliorum de ipſis, a me eruta ſunt. erga recentiores hac diligentia mihi non ſatisfacio, ſed viventium & eadem degentium patria auxilium requiro. Ob eam cauſſam ad multos & ignotos & exteros mihi litterae dandae ſunt. Te igitur, Lipſi, mihi, ut dicebam, non ſolum notum, ſed aſſidue in labris haerentem, & quodammodo familiarem, cur non appellem? In eorum Medicorum numerum recenſendus mihi eſt [1] *Hieremias Thrieverius*, quem

1 Hic *Thriverius Brachelius*, Belgico nomine, *Dryvere*, celebratur etiam a *Valerio Andrea* in Bibliotheca Belgica, & male Gandenſem a *Marchantio* dici notatur. mors vero ejus ex lenta tabe in Ann.

quem virum ſemper acri & perſpicaci ingenio, & non vulgari doctrina praeditum exiſtimavi. Lovanienſem puto. velim igitur, ni grave ſit, mihi ſcribi a te, & ſi ignores (facile enim factu) alicui negotium des, ut intelligam, quo anno natus, & quo obierit, ubi profiteretur, aut medicinam faceret, quae fortuna, quidquid denique ad ipſius vitam pertinens haberi poterit, quod poſteritatis memoriae commendari tibi non indignum videatur. Quod ſi eadem de *Leonarto Fuchſio* Germano aliqua via, te cogitante & procurante, quum ubique terrarum amicis abundas, intelligi poſſint, & ad me ſcribi, id vero gratiſſimum etiam eſſet, tibique jam pro duplici beneficio deberem. Tubingae aliquando profeſſum fuiſſe hunc virum mihi videor recordari. At quando ita confidens tecum eſſe coepi, curſim & tertium addo *Janum Cornarium* Germanum & ipſum, & quartum *Conradum Geſnerum*, quem ante paucos annos mortuum eſſe audivi. de his quoque, ſi fieri poſſit, nonnulla, quaeſo, ad me. Poſtremum: *Julius Caeſar Scaliger* an inter Medicos reponendus? te conſulo, Lipſi. ignoſce & vale. Genuae Idibus Julii CIƆIƆXCVI.

Ann. CIƆIƆLIV. confertur. vid. & *Valerii* Faſtos Acad. Lovan. p. 219. & 232. & Vernulaei Acad. Lovan. p. 302. In *Lindenio* Renovato video eum perperam vocari *Hieronymum*, cum *Jeremiae*, ſive *Hieremiae* praenomen habuerit, & *Lindenius* ita eum vocaverit in editione a ſe curata. quod etiam ex *Geſneri* Epitome diſcere potuiſſet *Mercklinus*, & ex editione Corn. Celſi Plantiniana, quae ejus commentarios, cum *Balduini Rouſſei* diſcipuli ejus, in librum primum exhibet, & ex *Melch. Adami* vitis Medicorum pag. 27. ubi *Triverus* dicitur, & ex *Miraei* elogiis, qui brevi nimis de hoc viro elogio eſt defunctus. mortem etiam ejus in An. 1558. confert *Mercklinus* perperam. De *Leonhardo Fuchſio*, *Cornaro*, & *Geſnero* iidem *Melchior Adamus*, & *Lindenius* renovatus conſuli poſſunt. in ultimo etiam *Julii Guſtavinii* mentio fit, ſed librum illum de Medicis veteribus & recentibus prodiiſſe non puto, cum nec ibi recenſeatur, nec *Daniel Clericus* in praefatione ſua hujus argumenti ſcriptores enumerans, ejus meminerit.

EPISTOLA DCCXXII.

J. LIPSIUS

Julio Guaſtavinio Doctori Medico, S.

AMicitiae tuae dextram quod ultro mihi porrigis, mi Guaſtavini, ego vero libenter accipio, & meam, ecce, protendo, & tuae jungo. ſit felix hic amplexus & copula, non nova etiam, ſi tibi credo, qui hauſiſſe te affectum iſtum jamdiu ſcribis e libellis noſtris & ſcriptis. & cur non credam? ego vero eo magis, quod & alii quidam apud me hoc teſtati. Ergone tanti habeo aut aeſtimo mea ſcripta? non habeo, ſed elucere alibi ex iis, ſi non grande ingenium, candorem aliquem, ſed & leporem fortaſſe agnoverim, quae capiunt & connectunt ſcilicet vos candidos & probos. O votorum meorum ſumma! ſi valetudo firmior mihi ſit, & videre liceat ac peregrinantem curſim reguſtare Italiam veſtram, vos videre & amplecti partim veteres, partim novos amicos. Haec ita in animo agitamus, ſed ventis abripienda vota. Ergo teſtari ſcriptis & ſolari amorem ſupereſt, & ſi qua licet amicis gratificari. Facio

cio nunc in re, quam ſerio a me petebas, & de *Thriverio* medico ſcribo, quae a poſteris ejus (hîc enim vivunt) potui ſcire. Is natus in Flandriae comitatu, pago Braekelia, juxta Aldenardam opidum, Lovanii litteris & Philoſophiae operatus, ibidem Doctoris medici titulum adipiſcitur. Primarius etiam Profeſſor mox deſignatus, egregie locum illum tutatus eſt, in ſchola clarus, in aula gratioſus, cum a pleriſque Belgii principibus viris ob peritiam advocaretur, iiſque cum fide & ſucceſſu mederetur. In Angliam & Daniam evocatus, ire ſprevit, rei & cupidinis alioqui modicus, moribus probiſſimus, adeo ut nec pecuniam, quam aliquam pepercerat, in communem legibuſque permiſſam uſuram vellet collocare. Ita obiit majore fama, quam opibus, cum vixiſſet annos LII. is fuit a Chriſto nato annus CIƆIƆLV. plura de eo haud didici. tu his uteris, aut etiam non uteris, pro arbitrio judicioque tuo. Vale Lovanii XVII, Kal. Octob. CIƆIƆXCVI.

EPISTOLA DCCXXIII.

J. LIPSIUS

PHILIPPO, *Comiti Solrano, Equiti Aurei Velleris, Gubernatori Tornacenſi.*

EXcellentiſſime Comes. Epiſtolam tuam accepi, ſed unam: illam priorem, quam dediſſe te ſignificas, teſtificor me non vidiſſe. Ad hanc igitur reſpondeo, & gratias ago pro benevolentia & judicio, quod utrumque in me promis: pro mea parte cultum & obſequium relaturus, quae talibus viris debemus. In hac ipſa re id oſtendam, quam a me petis: nempe in ſententia mea ſuper pace aut induciis, breviter, ſed libere (apud te quî peccem? & ſi peccem, uni nempe tibi) libere, inquam, exponenda. Nam de prudentia non dico, quam uſus profecto dare mihi non potuit: aliqua fortaſſis lectio aut obſervatio, qui in libellis & ocio meo conquieſco. Quaeritur, an pax Regi noſtro, & praeſenti ſtatui expediat: & qualis? Publica & communis, an reſtricta aliqua, & cum uno Principe aut populo ſeorſim? Univerſe primum reſpondeo, magnis Regibus, & qui ad majora tendunt, totam pacem & quietem non convenire: imo id eſſe partis jam opibus concutiendis per inteſtinas diſcordias, aut evertendis. Qui prudenter fortunam ſuam habent & utuntur, ii vero, cum proſpera ea flat, ut nautae, ſinus & vela expandunt, & longius in mare hoc victoriarum & potentiae eunt. Noſtro faciendum hoc inprimis videtur, in quem favor apertus numinis: & cui occaſio aut materia ad augendas opes, glorioſa, honeſta, juſta. Laceſſunt eum, aut hoſtes ſunt ii, qui a Deo & Juſtitia abiverunt: & ſuam cauſſam agere non poteſt, niſi ut una vindicet divinam. Quanta hîc apud veros & incorruptos Judices gloria? Addo, quod humano & civili etiam more juſtiſſime arma induit in provocantes, antea occulte, nunc palam invadentes; aut etiam in ſubditos, tot jam annos improbe & pertinaciter rebelles. Quae hîc cauſſa eſt de Pace co-

gitandi? niſi forte aut virium impotentia, quae in noſtrum illum vere Magnum, aut Summum potius, non cadit: aut quia moles conjuncti & connexi multiplicis belli nimis ardua, & ad id expediendum utilius disjungi, & pacem cum aliqua partium eſſe. Hoc ſane admiſerim, ſed cum praefatione, putare me & in animo iſto ſcire, Regem vel ad omnia iſta bella expedienda & profliganda parem ſuffecturumque eſſe, ſed cum tempore & tractu. Qui celeres omnes victorias cupit, curſum firmioris imperii neſcit: quod amat lente creſcere, & per aſpera quaedam aut obſtantia eluctari. Ut pepones & fructus ejuſmodi humidiores facillime creſcunt, aſſurgunt & ſe ſpargunt: ſed unius aeſtatis vita eſt: ſic quaedam feſtinata Imperia legimus & obſervavimus, ſed in breve aevum. Noſtrum iſtud (quod palam aſſurgit) matureſcere optamus, tarde fieri, diu ſtare & perennare. Ideo non moveor, inquam, ſi difficultas aliqua & obex in tot bellis: quem tamen ſi particulari aliqua pace tollimus, haud abnuam, nec diſplicebit. Sed cum quo igitur? Tria nobis genera hoſtium, opinor, Galli, Angli, Batavi: aut ſi plures ſunt, nondum ſe oſtendunt. Cum Gallis itaque pacem eam eſſe, mihi non placet. primum, quia vires illis dabimus & ſpiritus, ſi quieſcent: ſecundo, quia nec quieſcent bona fide, intenti in occaſionem manebunt, & ſi non palam, clam & ex inſidiis laedent. Sociis ſuis, & noſtris illis hoſtibus, ſocii in animo manebunt, conſiliis & opibus & viris quoque, per aſtus & obliquas vias, juvabunt. Novimus fidem ejus gentis, quae levior ſemper (contumeliae cauſſa non dico) habita: novimus & animum hujus, qui regnat, jam olim aliis de cauſſis exulceratum. Qui pacem igitur illam cupit, nec ipſam quidem habebit, ſed bellum in occaſionem ejus differt. Atqui occaſio ea nunc pro Rege noſtro eſt, dum Gallia, bellis & factionibus civilibus lacera aut attrita, ne nunc quidem coiit: itemque dum ii luxum, libidines, impietatem, & vitia habent, quae ſunt & fuerunt omnibus regnis evertendis. A quibus deſiſtere poſſunt & ad ſanitatem redire, ſi tempus interponitur: ſed & pecuniam ac milites reparare, quae utraque nunc iis deſunt. Itaque cum primo iſto pacem non ſuadeam: eo magis etiam, quod in limite victoriae ſumus, terrorem injecimus, & opida aliquot permunita eripuimus, Deo auſpice, & Sereniſſimo Prorege noſtro auctore. Atqui magna Gallia eſt, multa reſtant: fateor: ſed ego hîc quod in aquis & aggeribus, idem cenſeo fore. ut mora & pugna eſt, donec aggerem aquae rumpant; illo perfracto infundunt ſe in terras & inundant: ſic ubi limites & propugnacula regnorum capta, quamvis magna ſpatia pervaduntur: praeſertim terrore injecto, quem gens illa facile accipit, & celſos ante ſpiritus dimittit. Sed haec militares viri viderint, & hoſtium ac regionum magis periti: ego judicium meum univerſe ita dixi. Angli ſequuntur, cum quibus minime omnium pacem eſſe, aut utile mihi videatur, aut honeſtum. Non utile, quia fons ille aut fomes belli: & quamdiu quieſcit & conſilia aut ſubſidia ſua fundit, non deerunt rivi iſti curre.. turbarum. Ut flumen qui vult areſcere, a capite ordiri debet, atque illinc extinguere aut interſcindere: ſic hîc faciendum, & Anglia petenda, caput in Europa bellorum. Mulier illa, quod viribus non

po-

poteſt, fraudibus patrat: quae pudet aut piget me dicere ad quos, & quouſque iverunt. Jam etiam non illo aſpectu utile, quod finis bello Batavico non niſi mari imponi poſſe videatur: terra & per ſingula opida, infinita res aut labor ſit: mari autem dominari, aut tuto tentare aliquid vix licet, illa non domita aut ſubacta. Addo facilioris operae fore (pro meo ſenſu) grandem illam Inſulam, quam has minutas vincere: & tamen in una illa vincuntur etiam iſtae. Jam honeſtum negavi eſſe: & quî poteſt? Illic ſedes & origo impietatis per has partes petenda, ſi pietatis cauſſa bellum gerimus: illic, qui regiones & urbes regias etiam nunc occupant: illic, quae Indias invaſit nuper, & nunc etiam claſſes noſtras laceſſit. Quid vitia, & ſaevitiam dicam in omnes pios? quid fuſum cognatum & regium ſanguinem? quid tot proceres interfectos? quid odia in Regem ſic acerba, ut vel Turcam palam & per legatos advocet atque invitet? En cum qua Pax aliqua honeſta coëat: non me judice; aut eo, cui in pectore purum & generoſum illud honeſtum. Tertii ſunt Batavi: cum quibus ſolis pacem me velle & ſuadere fateor, ſed rationem ejus conficiendae vix videre. Si homines & ingenia novi (& viximus inter ipſos) da indecoram nos admittere, da iniquam: illi non accipient, & pertinaciter bellum hoc ſuum volvent. Ita exteri & exſules ſuadent: ita duces, & qui militiae praeſunt: ſed & ii, qui civilibus rebus praeſunt, viles aut exterorum fere hominum, & non niſi per turbas, & in iis, grandes. Itaque nolent dejici. Addo, quod metus aut terror nondum eſt illatus, qui ſolus plebeculam ad officium poteſt cogere: & quamquam proſpera de Hulſto audimus, tamen bellum in finibus ſuis nondum habent. Si ſedet Serenitati ſuae bellum eo tranſferre (quod nobis merito ignotum) ſane tunc in victoria ampliore, locus fortaſſe ad pacem aperiatur: ſed vel tunc difficulter, & hoc velut vates apud te praedico. Haerent innexi foederibus ſuis, tenet opinio & haereſis, alios ingenii pervicacia, proprium gentis malum. De Induciis ſi audire vellent, ſed cum iis ſolis, valde approbem: & per quietem aliquam omnia molliora fiant, & durae illae mentes ad pacem magis inclinent. Sunt aliae hîc cauſſae, quas [1] olim explicavi, nec nunc repeto: iſta abunde ſatis & largiter, quae rogo ut tibi, aut certe paucis, a me ſint ſcripta. Volitare per manus epiſtolas noſtras nec expedit, nec ſit decorum. Tibi, Excellentiſſimae Comes, ſalutem precor & opto, tum autem Sereniſſimo Proregi noſtro vitam porro & victoriam, quam ille virtute & induſtria ſua, paene ſine fortunae ullo beneficio, aliquoties eſt adeptus, cum immortali apud praeſentes & poſteros laude. Lovanii XIII. Kal. Sextil. ∞.IↃ.XCVI.

1 Vide ſupra Epiſt. CCV. & DCLXXXIV.

EPISTOLA DCCXXIV.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

J. Lipſio S. P. D.

Lovanium.

NUmquam auderem ad te, Clariſſime Lipſi, tantum in literis virum ipſe ignotus & obſcurus ſcribere, niſi mihi animum addidiſſent praeconia inſignis & commemorabilis illius humanitatis ac facilitatis tuae, quae aliquoties in ſermonibus ſuis apud me fecerunt amici nonnulli, qui ſibi hac in parte vix potuerunt ſatisfacere. Miris enim laudibus extulerunt eam, quam dixi, humanitatem tuam, qua erga omnes bonarum artium & partium ſtudioſos uti ſoleas, & quae etiam e ſcriptis tuis eruditiſſimis uſque quaque elucet. Poſſum prae caeteris nominare duos, qui te Lugduni Batavorum ante aliquot annos doctore uſi, poſtea etiam mea familiaritate, ſaepe mihi cum ceteras excellentes virtutes tuas, tum incomparabilem comitatem praedicarunt. Alter eſt *Petrus Bertius*: alter D. *Scipio Gentilis*, collega meus conjunctiſſimus. Hac igitur, quam illi in me excitarunt, fiducia fretus, quod antehac aliquoties veritus ſum facere, nunc tandem auſus ſum, ad te ut ſcriberem. Tuae erit humanitatis praeſtare, ne iſta me fiducia fallat. Accedit quod non mea tantum cauſa ſcriptio haec ſuſcipiatur, ſed etiam amico haec a me opera detur. Scis autem ipſe, multa ſaepe amicorum cauſa nos facere ſine reprehenſione, quae fortaſſis pro nobis ſuſcepta notam audaciae temeritatiſque vix effugerent. *Caſpar Schoppius* eſt, adoleſcens acutus & ingenioſus: qui cum jam pridem in Criticos nomen ſuum dederit, ſuae in hac arte peritiae ſpecimen quoddam hac aeſtate dare voluit. Edidit ergo quatuor Veriſimilium libros: in quibus quid hic novus Criticus (qui ſe etiam diſcipulum meum, me non repugnante, profitetur, & hoc nomine unum ex illis libris mihi ſe debere putavit) quid, inquam, in his praeſtiterit, quantumque porro de ejus ſtudiis expectandum ſit, ubi ad maturitatem pervenerint, tui erit judicii ſtatuere. Ecce enim exemplar libelli ad te mitto: quod ipſemet facturus erat, ſi hîc adeſſet. Nunc Ingolſtadii apud *Giphanium* vivens, mihi id negotii dedit. Velim autem te optimi hujus adoleſcentis indoli favere, quem ego cognovi tuae incomparabilis eruditionis & virtutis admiratorem multo maximum: quique jam nunc in hoc aetatis lubrico ad omnem virtutis laudem & ad decus literarium capeſſendum ex ſummis opibus connititur. Cujus rei argumenta minime obſcura, niſi fallor, ex hoc ipſo libello animadvertere licebit. Quod ſi hîc in me quoque ab ipſo laudes nimis liberaliter congeſtas videris, illud velim cogites: πολλάκις ἐσθ᾽ ἔρωτι τὰ μικρὰ μέγιστα πέφανται: ut leviter Theocriti verſum detorqueam. Ipſe autem *Schoppius* vehementer me amat, haud ſcio an nullo aut certe exiguo meo merito. Et de hoc quidem plus verborum compendifaciam. De me vero primum hoc te rogo, ut inter eos nomen meum adſcribas, qui tui ſunt obſervantiſſimi & cupidiſſimi ob inſignem tuam in omni li-

te-

teratura doctrinam ac virtutem incredibilem; meque aliquantum redames. Deinde, quia brevi, ut ſpero, ex officina *Fr. Raphelengii* prodibit nova Oppiani editio, a me ante aliquot annos adornata, & diu ab *Henrico Stephano* ſuppreſſa: ut non tantum animo & lingua huic noſtro labori faveas, ſed etiam ad alios eundem commendes, majorem in modum abs te peto. Quod ego non ſolum meo honori tribui cupio, cui hinc tanto major laus exiſtet, quanto in plurium manus noſtra illa commentaria pervenerint, verum etiam Typographi optimi & doctiſſimi utilitati. Cum enim mihi operam utibilem praeſtiterit, eam ipſi quam maxime lucroſam eſſe opto, adeoque ex aurei poëmatis diſtractione multo ipſum auro locupletari. Fiet hoc, ſi liber ſit vendibilis. Et erit vendibilis, ſi a te tuique ſimilibus, hoc eſt doctis & bonis viris, ſtudioſae Juventuti commendetur. Meae quidem Commentatiunculae ad haec χρυσᾶ ἔπη quamvis non χρύσεα, ἀλλὰ χάλκεα ſint, neque veſtram majorum gentium Criticorum ac Philologorum approbationem promereri, limamve acerrimi veſtri judicii ſuſtinere poſſint: (ineſſe enim in his multa μειρακιώδη καὶ νεανικὰ ipſe fateor, nec aliter illa aetas, qua ſcribebam, ferebat) tamen vel conatus iſte adjuvandi ſtudia adoleſcentiae, cui potiſſimum haec a me opera dabatur, in aliqua laude ponendus videtur. Quod ut facias, meamque hanc in te compellando audaciam benigne accipias, etiam atque etiam abs te peto. Vale, Clariſſime Lipſi & ſalve. Altorphii in Acad. Norimbergenſ. prid. Kal. Septemb. M. D. XCVI.

Reſponſio ad hanc Lipſii eſt in editione Offenbachienſi Epiſt. XLIII.

EPISTOLA DCCXXV.

CUNRADUS RITTERSHUSIUS

J. Lipſio S.

Lovanium.

Alloquium litterarum tuarum, Lipſi, Vir clariſſime, accidit gratiſſimum utrique noſtrûm, & *Schoppio* inquam meo, & mihi. Sed mihi hanc voluptatem interverterat incuria eorum, per quos epiſtolam tuam prius ad me curaras: αὐτόγραφος enim ad me non pervenit. Recte igitur & ordine factum, cum ejus exemplum ad me denuo miſiſti, quod a ſummo meo *Joach. Camerario* Norimbergae ante hos quatuor menſes mihi traditum eſt. Laetor autem toto pectore, meam in te ultro compellando ſeu libertatem, ſive audaciam, adeo feliciter mihi ceſſiſſe, ut non ſolum amico, cujus cauſam maxime illis meis litteris agebam, ſed mihi quoque benivolentiam tuam conciliarim. Quamquam in illo ſunt eae ingenii & facundiae dotes, addo & probitatis, ut facile ipſe per ſe tibi, ingeniorum parenti, ſemet commendare potuerit ſatis. Sed cum eo tempore iis in locis haereret, unde commode ad te nihil poterat mittere, ita tunc negotia ejus geſſi, & quidem, ut dicebam, adeo feliciter. Praebuerunt autem mihi litterae tuae argumentum Elegiae ſcribendae, quae prae-

figeretur Suſpectis Lectionibus *Schoppii*, ſic fieri cupientis. In meis igitur illis verſiculis & [1] verba & ſententias tuas velim non invitus recognoſcas: quae ego ut fidus interpres tuus retinui de induſtria, quo magis hominis adoleſcentis animo inculcarem ſaluberrima illa monita & praecepta tua, quae ob auctoritatem monentis plurimum apud ipſum valebunt. Multum etiam ejus animos & ſpiritus leniet ac mitigabit augeſcens aetas, & rerum experientia major: cujus comparandae cauſa hoc tempore peregrinatur in Italia. Indè reverſus, in Belgium veſtrum cogitat: ubi te quoque fortaſſe viſet, ſi per graſſatores, qui vias obſident & infeſtas habent, ei licebit. Interea tibi ejus nomine mitto Suſpectarum Lectionum exemplum, in quibus unum & alterum caput tuo illuſtri nomini, ut videbis, inſcribere voluit; quod ut gratum habeas, quaeſo. De Oppiano rogabam te anno, faveres editioni noſtrae, quam procuraturus eſſet *Franciſcus Raphelengius*. Horno idem te rogatum volo de Gunthero, quem multis locis correctum & illuſtratum miſi ad Typographum, eumque monui, ut minore & habiliore forma, quam huc uſque factum, ſcriptorem illum imprimeret, quo plurium in manibus deinceps verſaretur

Claudendus manibus forma breviore libellus: ut ipſe Guntherus τὸ ἐγχειρίδιον περιφράζει. Quamquam autem metuo, ne multis ingrata ſit futura opera mea huic ſcriptori impenſa, illis maxime, qui quicquid ex rei veritate contra eum forte, quem ipſi pro Deo adorant, ſcriptum eſt, ab omni hominum memoria & monumentis librorum extirpatum cuperent, quique veritatis lumen oculis eorum ſe ingerens nec parvis nec magnis in rebus ferre poſſunt (ut iidem illi etiam Julii Pauli, quomodo a me editae ſunt, in Indicem librorum prohibitorum in urbe excuſum retuleruut, non alia de cauſa, quam quod ad eas alicubi non meis, ſed [2] *Ant. Contii* verbis adnotaſſem, Gratianum falſo ac perperam Sententias quaſdam Pauli permixtis Aniani interpretamentis Iſidoro adſcripſiſſe) Tamen illam judiciorum iniquitatem ſpero me profligaturum auctoritate magnorum virorum, qui magni Guntherum fecerunt & faciunt. Praeſcribam igitur editioni non modo *Cujacii*, *Hotomani*, & *Pithoei* judicia ac teſtimonia, tibi non ignota: ſed etiam tuum, quod in Poliorcetico tuo exſtare voluiſti, tanquam ſcutum obtendam, ſub quo Guntherus & ego lateamus. Vale, & ſalve. Deus te reipub. litterariae, cujus tu unicum es decus & columen, diutiſſime florentem conſervet. Altorphii a. d. v. Kal. Septemb. CIↃIↃXCVII.

1 Sumpta partim ex Epiſtola illa *Lipſii* Offenbachii edita n. XLIII: ad quam haec eſt reſponſio: partim ex epiſtola ſequenti ad *Schoppium*. carmen illud *Rittershuſii* legitur ante Suſpectas Lectiones *Schoppii*, qui turpiter ſpem tot virorum deſtituit, & in canem vere degeneravit.

2 Hujus Juriſconſulti doctiſſimi elogium vide apud *Sammarthan*. lib. II. pag. 101. hic libere ſatis ſcribens non potuit placere Pontificiae dominationis ſatellitibus. Nam cum in Jus Canonicum edidiſſet adnotationes, & in praefatione Epiſtolas decretales ſuppoſitas eſſe oſtendiſſet, ea in editione Plantiniana A. 1570. eſt omiſſa, ſed cenſores inepti in ipſo tamen opere reliquerunt ea, quibus ſententiam ſuam propugnat. vide *Dallaeum* de uſu Patrum. lib. I. cap. 3.

F I N I S.

ERRATA.

Pag.	12 lin.	penult.	gratius	lege	gratias
	15	penult.	e meliorem		meliorem
	17	4	meae		mea
	20	6	ni		mi
	22	antepen.	aliis		alios
	64	34	reſponderi		reſpondere
	74	19	aliorum		aliarum
	99	12	operum		operam
	100	20	liquit		liquet
	107	ult.	pro		porro
	111	ult.	ſcripta		ſcriptae
	126	6	eade		eadem
	130	29	mendari		emendari
	153	ult.	Miſc. 8.		Miſc. 81.
	166	23	Jacobum		Juſtum
	178	19	editas		edita
		antep.	Miſc.		1. Miſc.
	200	14	συνερχμενῶν		συνερχομένων
	206	11	multos		multas
	209	5	vocat		vocant
	217	penult.	jactat		jactet
	239	34	datam		datum
	242	13	Φιλελειγχοι		Φιλελέγχοι
	255	10	Lovanium		Lugdunum
	269	4	ſaltum		ſaltem
	272	13	legiſti aut vidiſti		legiſtis aut vidiſtis
	282	24	annorum		annuorum
	286	35	hac		haec
	290	20	cauſſa		cauſſae
	295	24	initam		initas
	298	ult.	hac		haec
	306	14	collegium		colloquium
	320	2	Buzennallium		Buzenvallium
	343	24	meam		meum
		27	loca		loco
	346	10	nature		mature
	364	43	intellit		intelligit
	367	19	aliunde		abunde
	378	34	hac		haec
	381	2	pergo		perge
	383	19	avebo		cavebo
	384	antep.	Amphitheatrum		Amphitheatro
	387	18	vetere		cetera

Pag.

ERRATA.

Pag. 388	lin. 27	Achentorato	lege Argentorato
405	28	ccxxv.	ccxv.
409	27	non nos	non nox
424	17	teque	deque
427	34	ipſe	ipſi
453	19	vium	virum
468	penult.	caletudine	valetudine
469	15	incuriae	injuriae
	36	quereret	quaereret
472	11	Umeis	Vineis
486	39	Martiis	Martii
487	4	Flerolino	Flerontino
488	5	promoren	promovere
492	34	Gall. non.	Gall. vere
493	19	inditio	judicio
494	5	interinde	intervallo
495	24	vide	vidi
498	10	Graphiano	Graphiario
503	28	fracturae	jacturae
533	16	Romae	Roma
551	4	utrunque	utrinque
580	21	ferunt	ferant
585	4	nunc	hunc
588	33	1569.	1599.
591	20	Gebbema	Gabbema
599	7	maxime	maximi
606	24	Bonarſcum	Bonarſcium
612	3	tum	tam
628	1	accurat	accurate
657	31	Franciſci	Franciſco
658	6	officii	officiis
674	19	1599.	1594.
687	20	ϛήπεσιν	ϛήθεσιν
694	1	vetere	vertere
	4	amiciſſimum	amiciſſimam & officiociſſimam
722	20	immunitae	imminutae
740	2	liberis	libris
744	19	praeferentis	praeferente
750	7	impellam te	impellente
758	5	male	mala